ANNALES AUSTRIO-CLARA-VALLENSES, SEU FUNDATIONIS MONASTERII...

Bernhard Link




G·A· I·R



<36616277950014

Linck

ANNALES AUSTRIO-CLARA-VALLENSES,

SEU

FUNDATIONIS MONASTERII

CLARÆ-VALLIS AUSTRIÆ,

Vulgò Zwetl, Ordinis Cisterciensis

INITIUM

ET

PROGRESSUS.

Ubi

Compendioso Schemate per modum Historiæ Universalis fideliter refertur,

Quidquid ab Anno MLXXXIII. usque ad Annum MDCXLV. ex Archivio, & Chronicis MSS. Zwetlensibus, aliorúmque Scriptorum Authoritate erui poterat,

Non solùm

Quod præfatam Fundationem, sed & Fundatorum Progeniem, multorúmque Nobilium Genealogiam, nec non de anno in annum notabiliores, præsertim in Austria, res gestas concernit.

OPUS

IN DUOS TOMOS DISTINCTUM,

Olim

Ab A. R. P. BERNARDO LINCK, Professo Zwetlensi, pòst ibidem D. Abbate Vigilantissimo, singulari labore compilatum,

NUNC

Ad plurium instantiam publicæ luci expositum.

TOMUS SECUNDUS

Ab Anno MCCCC. usque ad Annum MDCXLV.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolffgangi Schwendimann, Universit. Typographi, Anno 1725.

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,
AC
AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO
GERARDO
Sacri & Exempti Ordinis Cistercienſis
MONASTERII B. M. V.
AD SANCTAM CRUCEM
IN VALLE NEMOROSA
ABBATI
VIGILANTISSIMO,
Ejusdémque Sacri Ordinis per utramque Auſtriam,
Styriam & Regnum Hungariæ
VISITATORI,
AC
VICARIO GENERALI,
Sacræ Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Majeſtatis
CONSILIARIO,
Nec non
INCLYTORUM STATUUM PROVINCIALIUM
INFERIORIS AUSTRIÆ SELECTIORIS CONSILII
DEPUTATO PERPETUO,
DOMINO, DOMINO
PATRI OBSERVANDISSIMO.



REVERENDISSIME,
PERILLUSTRIS,
AC
AMPLISSIME
DOMINE, DOMINE
PRÆSUL.



ORphanus noster, **Tomus Primus** Annalium Austrio-Clara-Vallensium è Valle nostra ad præcelsum usque Cathedræ Pataviensis **Montem** ascendere ausus, ibique Clementissimo exceptus aspectu prodivit in lucem.

Proinde **Tomus Secundus** deſcendere in Vallem Nemoroſam, ad **S. Crucem** minùs reformidat, & ſub umbra **Reverendisſimæ Amplitudinis Tuæ** protegi & quieſcere anhelat. Quò enim tutiùs refugiat, confidentiúsque Orphanus, quàm in ſinu **Matris**, è cujus fœcunditate vix in terris Auſtriacis radicatâ, ſua protinus Vallis noſtra felix Soboles ſumpſit primordia. Hac itáque Partus hicce extimulatus confidentiâ ſub **Gratioſis Tuis Reverendisſime, ac Amplisſime Domine, Domine PRÆSUL** Auſpiciis erupit in publicum **Tutelam Tuam** imploraturus. Nec eſt, quòd ſe offenſam, utpote ſæpiùs inamœniorem pertractans materiam, incurſurum pertimeſcat, ſiquidem in **Tomo Primo** benedictiones & unctiones, quibus Vallis noſtra primis ſæculis à pientisſimis ſuis Fundatoribus & Benefactoribus fota & delibuta, enumerârit, nunc verò crucis referat, & dies afflictionis, quibus non ra-

rò

rò fuit vexata, maximè, ubi à Diris & tædis Hussitarum infestata, frequentibus ex pòst abalienationibus præsertim sub D. Abbate Erasmo Leisser diminuta, acdenuò priori sæculo, Suecico Gradivo universam fermè Germaniam & Cis-Danubianam Austriam inundante eò miseriæ & calamitatis redacta, ut, nisi Magna Cisterciensium Mater & Protectrix Diva Virgo, quæ sibi, ùt piè credimus, Vallem in obsequium suum designavit, tantum malum avertisset, alibi opem & sedem, dispersione facta, requirere necessè habuisset. Offensam, inquam, Orphanus noster non veretur, quippe qui cum crucibus suis ad **Sanctam** confugit **Crucem.**

Suscipe igitur benevolo animo, **Reverendissime ac Amplissime Domine, Pater Observandissime**, hocce qualecunque munus nostrum sub **Tuum** præsidium ac Patrocinium; vile quidem & exile, verùm monumentum gratitudinis, & debitum filialis Observantiæ est, fove, protege, & defende Paterno affectu, singularíque

Tua omnibus perſpecta benevolentia hunc Orphanum noſtrum, quîcum Tibi tota quanta Clara-Vallis noſtra ſeſe defert & offert, Deum ter Maximum Patrem omnium gratiarum, ut canos Tuos, ſanos, omníque benedictione cumulatos in annos Neſtoreos Pyladeósque conſervet, inque Tuorum, & totius Sacri Ordinis noſtri ſingulare incrementum promoveat, ſupplicibus votis inceſſanter defatigatura.

Reverendisſimæ ac Perilluſtris
Amplitudinis Tuæ

Obſequentiſſimi
MELCHIOR ABBAS,
&
Conventus Zwetlenſis.

APPROBATIO UNIVERSITATIS VIENNENSIS.

Cùm in ſecundo hoc Annalium Zwetlenſium Tomo nihil non Religioni, probíſque moribus conforme repererim, plurimáque in eo contineantur tum ex probatiſſimis Scriptoribus, tum veteribus è documentis manuſcriptíſque collecta, quæ magnam tum Hiſtoriæ Auſtriacæ, tumSuperiorum ſæculorum rebus geſtis lucem affundere queant. Eundem quoque typis magno (ùt ſpero) Lectorum commodo vulgandum eſſe cenſeo: ſi tamen ita viſum quoque fuerit Reverendiſſimo, Perilluſtri, ac Magnifico Domino Antiquiſſimæ hujus Univerſitatis Rectori. Datum Viennæ in Collegio Societatis Jesu Academico. Anno poſt partum Virginis MDCCXXIII. Tertio Idus Octobris.

FRIDERICUS TILLMEZ, Soc. Jesu Sacerdos, AA. LL. & Philoſophiæ Doctor, Ethices p. t. Profeſſor.

IMPRIMATUR.

FRANCISCUS ANTONIUS GUSMAN, SS. Theol. Doctor, Metrop. Eccl. Vienn. Canonicus, & Univ. p. t. Rector p. m.

NOMENCLATURA
VOCABULORUM PEREGRINORUM
In his Annalibus
CONTENTORUM.

A.

ABſis. Eſt Curvatura fornicis, *nobis Tom. I. pag. 63*. Pars interior Capituli proprio fornice tecta, *& pag. 497*. Ambitus fornicatus clauſtralis, vulgò Creutzgang. Dicitur etiam Abſida græcè, latinè interpretatur Lucida, eò quòd lumine accepto per arcum reſplendeat. Ita Gloſſarium, ſeu Lexicon latinum perantiquum *in majori folio MS. in membrana Bibliotheca noſtra Zwetlenſis Lit. A.*

Accenſus, i. Miniſter publicus Magiſtratuum, ein Gerichts-Diener.

Affidatio. Subjectio, homagium, ſeu clientelaris obſequii obligatio, vulgò Huldigung.

Albero vel Adalbero. Idem eſt, atque Albertus vel Adelbertus, nomen proprium viri, qui etiam vocatur Albrecht / id eſt ſemper juſtus vel nobilitatis tenax.

Allodium, & Alodis. Vox Belgica Al-out, quæ eâ linguâ per longum tempus poſſeſſum ſonat; ſed propriè ſignificat liberam poſſeſſionem ſine recognitione feudi, quæ alienabilis eſt, abſque laudemii ſolutione: igitur Allodium, Pagus cum jure proprietatis ad Monaſterium pertinens. Vulgò ein Eigen / oder frey eigenes Dorff oder Gut.

Ambaſciator & Ambaſiator. Legatus Principis, derivatur hoc verbum à voce Longobarda Ambaſcia, quæ iter ad operandum ſignificat. Ambaſiata, Legatio.

Angario. Cogo, compello, vim infero, græcè ἀγγαρεύω. Perſica vox, Angari enim tabelliones regii Perſicâ linguâ dicuntur; & quia concedebatur eis brachium regium ad ſumendos ubique equos, naves, & cogendos etiam ſubditos vehi, auxiliari & ſimilia, ideo ab iſtis Angaris, Angaria dicta fuit ipſa Coactio. Angariare, Cogere, nobis præterea injuſtas exactiones, onera & tributa imponere & exigere.

Anthrax, Carbunculus, bubo, à græco vocabulo ἄνθραξ, quod Carbonem denotat.

Apocriſiarius. Rationator vel ſummus legatus. Ita Gloſſarium noſtrum ſupra cit. *Lit. A.* Aliis Cancellarius Principis aut Regis, Conſiliarius, Secretarius. Item Papæ aut Epiſcopi legatus.

Area. Hìc nobis ſignificat domum ſimplicem, ſinè vel cum exiguo agri fundo.

B.

Bandereſii. Capitanei & Rectores, ſic dicti à voce Barbara banderium vel bandrum, quòd vexillum ſeu ſignum militare ſonat.

Beneficium. Nobis idem ac feudum, laneum, prædium, vulgò ein Hauß / ſo in einem Dorff ein Lehen iſt.

C.

Caloieri, lege Calogeri, Monachi præſertim ſenio & ætate venerandi. Verbum hoc ſonat bonum ſenem, derivatur enim à καλως, bonus & γερων ſenex. Solebant ita à vulgo nuncupari omnes græci Religioſi ſeu Monachi, eo quòd antiquitus apud Græcos ad Monachorum Superiores, Senes, quantumvis Laici aſſumebantur, qui Calogeri nuncupati. Decurſu verò temporis omnes ipſorum Monachi Calogeri, nominis ſignificato ad Officium, Statum aut dignitatem tranſlato, ſunt appellati.

Carnarium. Crypta mortuorum, alibi verò macellum.

Carniſprivium. Bacchanalia, quaſi dicas, carnis privilegium. Econtrà à Matthæo Pariſio in ſua hiſtoria vocatur Quinquageſimæ Dominica, nam in hac die relinquebatur carnis comeſtio, cum in illis ſæculis incipe-

inciperet abstinentia carnis à feria secunda post hanc Dominicam.

Carrada & Carrata vini, ein Fuhr oder Wagen schwär Wein. Hoc vocabulum pro diversitate Provinciarum diversam quoque habet mensuram. Nobis hìc dolium 16. vel 20. urnas vini continens significat, quod 4. equis vehi potest.

Casa. Juxta Glossarium nostrum cit. *Lit. C.* est aggreste habitaculum palis atque virgis arundinibus contextum, quibus possunt homines tueri à vi frigoris vel caloris injuriâ.

Castellanus, à Castro seu Castello dictus, Custos Castri, vulgò Burggraff / cui incumbit custodia Castri.

Chorus novus in Zwetl, significat das vordere Theil mit den Säulen in der Kirchen / in Gestalt eines Chor gebauet.

Comagenus mons. Nobis significat montem ad locum Holnburg in litore Danubii infra Monasterium Gottwicense, qui protenditur non quidem continuè, sed quasi per catenam aliis & aliis junctus usque in Stiriam.

Comitia, æ. Comitatus ubi Comes dominatur & jus dicit, seu districtus Comitatûs, vel ipsum Dominium, vulgò ein Grafschafft.

Comitia. In plurali significat quemlibet cœtum, seu congressum publicum. Et Comitium in singulari, est locus, ubi talis congressus celebratur.

Commilitium. Confœderatio, Societas bellandi.

Commodium. Cubiculum, Hospitium commodum.

Concambium. Permutatio, Commutatio. Item Gegen-Wechsel-Brief.

Congium, Congiarium, ii. Donum honorificum, honorarium. Suprà citatum Glossarium nostrum *Lit. C.* vult congium à congiendo, id est per augmentum crescendo vocari; unde postea pecunia beneficii gratiâ dari cœpta Congiarium appellatum est.

Crinile. Sertum.

Curia. Ferè idem quod Comitium.

Curia Superior *pag. 126. t. 1.* nobis pagum notat, alibi grangiam: ùt Curia Retschen, Retschenhof / curia macra, Dürrenhof etc. hinc

Curia Magerina, Villicaria. Prædium rurale, ein Mayrhof / in quo villicatur.

Curtis. Laneum seu beneficium dimidium, vulgò ein Hofstatt.

D.

Denarius. Erat Moneta Romana, ex præcipuis argenteorum nummorum generibus, ab uno latere urbis Romæ velatum caput cum numeri nota X habens. Ita dicebatur, quòd pro decem assibus in solutionem cedebat. Apud Petronium c. 33. invenitur etiam denarius aureus, qui solido pondere denarium argenteum magnitudine referebat. Denarius aureus Scriptoribus dici cœpit nummus, qui decem solidos aureos continebat, & hi faciebant 30. unciales thaleros. Vide Sam. Pitiscum in Lexico Antiquit. Roman. Cæterùm jam apud potiores Scriptores Denarius decem crucigeros valet.

Dextrarius. Equus grandis & cataphractus.

Dextratio. à Dextrare, quod est aliquem à dextris ducere, à dextris ire, vel incedere, dextrum latus tegere. Al. motus, qui fit à sinistra ad dextram.

Diarchæa, & Diarrhœa, æ. Dysenteria, Lienteria.

Diffidare. Inimicitiam denunciare aut bellum indicere. Hinc

Diffidatio pacis. Indictio aut denunciatio inimicitiæ aut belli.

Ditricus idem est ac Theodoricus nomen proprium viri, vulgò Dietrich / quasi Gottreich.

Discidium. Discordia, divisio. Al. Repudium, separatio per vim facta.

Dominicalia. Proprietas vel bona Domino aut Dominæ propria.

Dotalitia. Dos sive Donatio propter nuptias, vulgò Heyrath-Gut.

E.

Ebenweichtag. Nobis Epiphania Domini, vulgò Heiligen-Drey-König-Tag.

Elephantica ægritudo. Lepra. Dicitur ex similitudine Elephantis, cujus naturaliter dura pellis & aspera nomen morbo in hominibus dedit, quia corporis superficiem similem facit cuti Elephantis. Ita citatum Glossarium nostrum *Lit. E.*

Epistathmus. Mansionum Curator, hospitiorum scilicet in Comitatu Principis aut Legati, ducisvè exercitus, ein Fourier / Quartiermeister.

Equites aurati. Hodie Equestris Ordinis, vel Equites cum addito, v. g. Sacri Romani Imperii, Regni Hungariæ, Bohemiæ, &c. Dicti Aurati, quòd aurum in calcaribus & gladio gestare possint. Dicuntur & cincti ab Historicis, quod olim

in inauguratione sua à Rege vel Principe gladio & cingulo militari donabantur.

F.

Fiduciarius. Fide commissarius, alterius fidei commissus.

Forestarius. Præfectus venatorum. Aliis & nobis Præfectus & Curator Sylvarum, vulgò Forster.

G.

Galeati. Milites galeâ, seu casside tecti.

Garcones. Armigeri, famuli eorum, qui castra sequuntur.

Grangia, æ. Villa villicaria. Nobis territorium ad Monasterium spectans, ferè idem quod Curia villicaria. Inde Grangiarius idem quod villicus, aut Monachus Collector proventuum ex grangia.

Guerra, æ. Bellum publicum & privatum.

H.

Holwanger vocantur Proditores.

Hominium. Servitium, seu obsequium, quod homo seu cliens vel servus domino suo præstare tenetur.

Hospitalarius. Ein Religios, welcher über das Spital die Administration hat.

Huba. Omne prædium rusticum, & fundum agriculturæ denotat: apud Scriptores tamen observatur hubam non certæ terræ mensuram esse, sed indefinitæ, pro cujuscúnque loci commodo atque opportunitate.

I.

Inbeneficiatus. Cui beneficium collatum est.

Inofficiare. Sacra officia peragere.

Jocalia. Monilia, gemmæ, annuli, aliáque id genus pretiosa, & quæcúnque ad mulierum ornatum spectant. Aliqui hoc nomen deducunt à joco, quia joci gratiâ parantur; alii à jugulo derivant, in quo ligantur & pendent, ùt sunt aureæ murenulæ, & aliarum gemmarum fila, catenæ aureæ & similia.

Judicium villicarium. Jus seu facultas jurisdictionis exercendæ in villa seu pago. Vulgò Dorff-Gericht / Dorff-Freyheit / oder Obrigkeit.

Jugerum. Spatium agri, quantum par boum potest arare in die, constat longitudine pedum ducentorum & XL, latitudine CXX. Ità glossarium cit. *Lit. I.*

Jus Morganaticum. Facultas exigendi morganaticam, die Morgen-Gaab.

L.

Legio. Dicitur ab electione: Major habet XII. millia, & sex millia minor: propriè autem Macedonum linguâ phalanx, Gallorum caterva, nostra legio dicitur: habet sexaginta centurias, manipulos triginta, cohortes XII, turmas ducentas. Sic habet Glossarium nostrum *Lit. L.*

Leucophæus. Griseus, seu Albo-niger.

Levir. Uxoris frater, Al. etiam mariti frater, Affinis.

Leutholdus, ac etiam **Lutholdus** sonat germanicè Liutholt / oder Leutholt / quasi diceres Amatorem populi, seu amorem populi, cùm olim Liuth populum, Hold amorem significaverit.

Leupoldus, Luitpoldus, Liupoldus, Lupoldus. Idem est ac Leopoldus.

Libra. Pondus 12. unciarum. Glossarium nostrum habet *Lit. L.* Libra tot constat unciis, quot mensibus annus, dicta autem libra, quod sit libera, & cuncta intrà se pondera prædicta concludat.

Libraria. Bibliotheca.

Literæ Encyclicæ. Circulares à cyclo, latinè circulo, quod de loco in locum mittantur.

Lustra, orum. Lupanaria, loca popinis & libidini destinata.

M.

Mageria & Magerina. Idem quod grangia.

Mansus. In communi est quantitas terræ, quam unum par boum per annum laborare potest.

Mantum. Nunc idem quod Cappa & Pluviale.

Marca. Ponderis genus est, modo est semilibra.

Metallarii. Fossores metalli, vulgò Berg-Knappen.

Ministerialis Austriæ, olim germanicè, ein Dienst-Herr in Oesterreich. Vide plura in Adami Friderici Glafey commentatione Historica, de vera quondam Ministerialium indole, Francofurti & Lipsiæ edita Anno MDCCXXIV.

Minutio, subaudi sanguinis. Sectio venæ, phlebotomia. Hinc nobis minuti, quibus secta vena, phlebotomi.

Modius, ii. Varii de hoc nomine sentiunt varia,

varia. Allatum sæpiùs Glossarium nostrum *Lit. M.* notat. Modius XXII. sextariorum à Moyse secundùm sacræ legis mensuram effectus est. . . Hodie nobis modius idem sonat ac mutto, vulgò ein Mutt / mensura scilicet 30. cujuscunque grani metretas Meßen capiens. Modius tritici, ein Mutt Waytzen.

Monopolium. Potestas penes unum aliquid vendendi, vel emendi. Al. Statio ubi aliqua res venditur.

Mordum. Homicidium, vulgò ein Mord-Thať.

Muota & Muta. Vulgò ein Mauth / Al. quodvis vectigal.

N.

Novendialia. Exequiæ per novem dies celebrari solitæ.

O.

Officialis villæ. Hujus vel illius pagi germanicè ein Dorff-Richter.

P.

Pagare. Persolvere, exsolvere, creditori satisfacere.

Palatinus. Locumtenens, seu vice Dominus.

Parietinæ dicuntur, quas vulgò dicimus ruinas, ubi parietes stant sinè tecto, & sinè habitantibus. Ita Glossarium nostrum cit. *Lit. P.*

Passagium, ii. Tributum, quod jure transitûs solvitur *Extrav. Joannis 22. de torm.* Apud Equites Melitenses est quædam solutio, quæ fit in receptione Equitis communi ærario, & pro expensis Phari turris applicatur in sustinendo lucernas ad navigantium commoditatem tempore nocturno. Nobis etiam expeditionem sacram in terram sanctam denotat.

Pausare. Mori, inde pausantes, mortui.

Pedagia, orum. Telonia.

Phanum. Delubrum, vulgò Götzen-Tempel.

Pitancia. Portio lautior, ferculum extraordinarium.

Placitare. Convenire, componere litem.

Placitum generale. Comitia, Conventus Procerum, vulgò Land-Tag. Al. forum, judicium, ubi Jurisdictio & Justitia in litigiis exercetur. Item Parlamentum.

Portalia, orum. Portæ civitatis aut urbis. Glossarium sæpiùs relatum *Lit. P.* vult Portas murorum inde dici, eò quod antiquitus portatô aratrô designabantur muri, quando circum ducebantur gyri, ut illud dicitur: qui urbem novam condit, taurô & baccô arat, ubi araverit murum faciat, ubi portam vult esse, aratrum sustollat & portet, inde porta vocatur.

Prædia, orum. Possessiones vici, agri, fundi. Item rura, divitiæ. Prædium Dominicale, vulgò ein Land-Gut / oder Edel-Sitz. Dicitur prædium ex eo juxta Glossarium nostrum, quòd ex omnibus bonis patrifamilias providetur.

Præsidatus. Jurisdictio. Al. Dignitas Præsidis, & quidquid ad eandem spectat.

Proboscis. Rostrum.

Q.

Quaternus, Quaternio. Libellus ex quatuor chartæ foliis aut philyris compactus.

R.

Recompensa. Compensatio, Restitutio.

Regestum. Vulgò Registrum, in quo publicæ Scripturæ registrantur. Vocabulum hoc è Normannica dictione Gister derivatur, quæ in lectum ponere significat, & ideo meliùs Registrum dicitur: sicut ergo in lecto quiescitur, sic etiam in Registri libris monumenta publica aliquo modo quiescere dicuntur, donec tempore opportuno excitentur.

Regionarii, vel Regionales. Idem, quod Banderesii.

Rotatio. Supplicium rotâ inflictum.

S.

Satrapæ. Status, seu Ordines Regni, vulgò die Stände. Cœterum Satraps, Persarum vocabulum, Provinciæ Præses est. Eodem vocabulo utitur textus Græcus in cap. 4. Dan. ubi Arabicus Codex habet Ukil, id est Vicarius.

Sculponeæ. Ocreæ ex Coactili. Vulgò Filtz-Stieffel.

Servitium. Nobis hìc prandium, vel fercula, quæ ex fundatione Conventui præbentur. Hinc servitium plenum, prandium lautiùs.

Solidus. Vulgò ein Schilling. Hoc tempore valet 30. nummos. Solidus apud latinos alio nomine sextula dicitur, quod ex sex iis, uncia compleatur. Hunc vulgus aureum solidum vocat, cujus tertiam partem ideo dixerunt tremissem, eo quod ter missus solidum faciat. Ita *Gloss. cit. Lit. S.*

Stallum. In Monasteriis est Statio Religiosi in Choro cantantis, seu sedes ibidem, ein Stand im Chor. Unde installare Abbatem, heist einen Abbten einsetzen, vulgò installiren.

Stiura. Al. Steura, Tributum.

Stuppa. Stubæ, Hyppocausta, Cubicula.

Subterrare. Humo mandare, sepelire.

Syncopa. Deliquium.

T.

Talentum. Genus ponderis, quod habet LX. minas: hoc summum esse pondus perhibetur in Græcis, nam nihil est calco minus, nihil talento majus. Est & genus monetæ apud Hebræos usitatissimum; quod erat sacrum, vel commune, prout sicli tales fuerunt, sacrum continebat siclos sacros ter mille, qui faciunt juxta Waserum thaleros 1500, commune etiam continebat siclos communes ter mille, sed hi faciebant thaleros tantum 750. Ita suprà citatus Author.


Ternarius vini. Dolium capiens 30. urnas.

Tessellatum. Lapidibus quadratis aut etiam lignis stratum.

V.

Velitatio. Pugna parva & brevis ab hostibus aut prædonibus manipulatim excurrentibus facta, vulgò Scharmützl/Streifferey.

Villa, quasi vehilla, dicit Varro, quod in eam fructus convehantur. Sed vetus Grammaticus apud Rigaltium à Vallo, id est aggere terræ, quod pro limite constitui solet, nuncupatam voluit. Nobis Villa sine addito designat pagum, ein Dorff.



CON-

CONTINUATIO ANNALIUM AUSTRIO-CLARA-VALLENSIUM

incipit

ANNO CHRISTI MCCCCC.

FUNDATI

MONASTERII ZWETLENSIS

CCLXII.

PONTIFICE ROMANO

BONIFACIO IX.

IMPERATORE ROMANORUM

RUPERTO.

SUB

ARCHI-DUCUM AUSTRIÆ

TITULO

WILHELMO

ET


ALBERTO IV.

EPISCOPO PATAVIENSE

GEORGIO.

ABBATE ZWETLENSE

ALBERTO I.



Annus Christi MCCCC. Monasterii CCLXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Duces Austriæ*
Bonifacius IX.	Rupertus.	Wilhelmus & Albertus IV.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Albertus I.

AUspicor hoc quartum decimum à Christi Natali Seculum à Jubilæo, quod de more veteri Bonifacius Papa IX. summâ totius populi Christiani frequentiâ Romæ solennissimè celebravit, apertis gratiæ uberrimæ & Indulgentiarum thesauri infiniti per claves Petri Apostolicas portis. Ethnicis Romanis revolutæ Urbis conditæ annô centesimô dicebantur Ludi Sæculares, nobis verò Christianis ob largissimas delictorum & pœnarum debitarum indulgentias Jubilæum appellatur. * [1.]

Dum hæc Romæ geruntur, Pragæ in Bohemia diabolus humani generis hostis per suos ministros Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem novam ex Anglia contra Ecclesiam Romanam, ejúsque Sacerdotem Summum doctrinam spargere cœpit, quâ peste tota Bohemia fermè infecta brevi multum orthodoxorum sanguinis deglutivit, quorum discipuli in Ecclesias Monasteriáque præsertim debacchati sunt, ùt tempore suo patebit. Desumpserunt autem doctrinam hanc novam ex Wicleffi hæretici in Anglia damnati libello, quem contra Pontificem Romanum Ecclesiámque ipsam Universalem damnatus ille edidit, cujus errores & dogmata Æneas Sylvius & Dubravius orbi produnt, qui ibi videri possunt. [2.] Discipuli illorum atque ea lue infecti vocabantur Hussitæ, quorum quidam postea Orphani, quidam Thaboritæ, quidam Calixtini se nominari voluerunt; Calixtini quidem, à calice, quem in Sacra Communione Laicis quoque porrigebant, cúmque tam foris, quàm domi, tam belli, quàm pacis tempore signum suæ fidei præferebant; Thaboritæ ab oppido Thabor, quod jubente Ziscone ædificaverant in loco naturâ munito, quasi in illo monte cum Moyse & Elia ipsis Christus se in sua gloria manifestâsset; Orphanos autem à morte Zisconis quasi derelictos se nominabant, & alium Ducem Zisconi non dissimilem veluti Paracletum exoptabant. Hussitæ autem communi vocabulo omnes dicebantur ab authore hæreseos Joanne Hus, qui in oppido Hus Bohemico, quod anserem sonat, ortus erat, & in Constantiensi Concilio pertinax ignibus concremandus traditus fuit. Atque ita diabolus etiam Jubilæum miserum cum animabus hæreticorum damnatorum sibi sociisque suis inchoavit, & ad finem deduxit.

Wenceslaum Romanorum Regem hoc anno ob vitæ luxum & ignaviam (à qua cognomen nactus erat) Principes Imperii Electores rerum fastigiô dejecerunt, accedente Pontificis Summi calculo. [3.] Mox Fridericus Brunsvicensis à nonnullis Rex Romanorum dictus, Moguntini Præsulis machinatione occiditur. Discordibus deinde suffragiis Jodocus Moraviæ Princeps, & Rupertus Palatinus electi, cúmque ille sexto post electionem mense mortuus esset, hujus electio ab omnibus est approbata: Wenceslaus regnô Bohemiæ contentus, nihil de Imperio ultrà movit.

Hoc item anno Wilhelmus Archi-Dux Austriæ, Dux Stiriæ, Carinthiæ, Croatiæ, Comes Tirolis &c. concessit singulari gratiâ Monasterio in Zwetel libertatem propinandi vinum sub hædera tam in Monasterio ipso, quàm foris in tabernis suis sinè censu, qui Ungeld vulgò vocatur. Datum Viennæ Austriæ, feriâ tertiâ ante Ascensionem Domini, Annô Salutis humanæ 1400. [4.] Fuit hic filius Leopoldi apud Sempachium occisi, qui in absentia avunculi sui Alberti IV. Austriam regendam susceperat, unde apparet eundem Albertum de Hierosolymis nondum pervenisse domum, quo illum suprà dixi profectum fuisse.

Venerabilis porrò Monasterii hujus antiquitas hoc anno sequentia refert: „ Annô MCCCC. pridie Nonis Aprilis. „ A Petro Marchopolensi Johannis Baptistæ, Johannis Evangelistæ, Thomæ „ Apostoli, tempore Ottonis Grill. „ [5.] Hæc illa: vult dicere, consecrata est Capella. Sciendum est, tempore Ottonis Grill, qui non hoc anno, aut Sæculô novô, sed circa annum MCCCL. Abbatiam Zwetlensem tenuit, fuisse constructum Sacellum, quod hoc anno à Marchopolensi Episcopo Pataviensi autem tunc Suffraganeo consecratum fertur in honorem Joannis Baptistæ &c. Quæstio hìc oritur, ubi hoc Sacellum fuerit? an in Templo majori? an alio in loco Monasterii, aut etiam extra illud in grangiis? Hodierna die duo eidem Sancto inveniuntur Sacella consecrata exstare, unum in Monasterio extra Templum, alterum in grangia nostra Rafings juxta Pulka. In grangiario autem Sacello Patronus quidem primarius S. Joannes Baptista est, præter hunc tamen alii sunt, S. Nicolaus Episcopus, & S. Lucia Martyr Virgo, quod Annô Domini MCCCXXV. à Rudolpho Ciliquensi Episcopo de Ordine Prædicatorum consecratum fuit. In Sacello tamen altero præfati Patroni omnes esse possunt, cùm in Altaris hujus tabulis antiquis quoque duo Joannes tam Baptista quàm Evangelista picti repræsententur, quod Sacellum in horto propugnaculorum ad portam Campii situm est, & ex secto lapide constructum. Nam conjectura mihi est, cùm Abbas Otto Grillo Templum majus in hodiernam formam redegisset, sectíque superessent lapides, & Sacellum eo loci in horto, ubi hodie cernitur, vel nimìs humile, aut unà cum Hospitali ab Euphemia Chünringia Hadmari Fundatoris nostri II. conjuge (cùm domum pauperum ad portam exteriorem transferret) fuisse dirutum, Ottonem præfatum vel à fundamentis excitâsse aliud in area nuda, vel destructo humili antiquo novum superædificâsse. Hoc igitur Sacellum tempore Ottonis Grill constructum Annô quadringentesimô post mille in honorem SS. Joannis tam Baptistæ, quàm Evangelistæ; & S. Thomæ Apostoli sub Alberto I. Abbate Zwetlensi consecratum fuit.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Bonifacio IX. „ Celebratô deinde Romæ Jubilæô quartô, more „ veteri, annô 1400. quô in Urbem innumera „ ferè multitudo ex Gallia præsertim Religionis causâ venerat, anni fine Jubilæum „ inchoatum & indictum clausit, & quæ seminaverat, messuit, infinitam animarum „ multitudinem indulgentiis lucratus. Hoc „ tamen constat post tantam alluvionem, quæ „ partim superstitione Alborum, † partim frequentiâ Jubilei advenerat, magnam hominum multitudinem pestilentiâ consumptam „ fuisse. „

† De his Albis Spondanus ad annum præcedentem n. V. hæc refert: „ Præcessit autem „ præsenti (*annô*) immensa hominum congeries, magna devotionis specie Italiam circumcursantium, & à colore vestis, Albatorum „ dictorum, quod genus videtur fuisse antiquorum Flagellantium, sæpe novô zeli prætextu exurgentium, totiésque superstitionis „ eorum, vel etiam impiorum facinorum damnatione evanescentium. De quibus agens „ qui tum apud Bonifacium agebat Theodoricus Niemus, ait aliquos seductores de „ Scotiæ partibus in Italiam venientes, cruces

„ lateri-

„ lateritias, ſubtiliter per infuſum ſanguinem „ in conſpectum populorum exprimentes, „ etiam olei liquore intus madefactas æſtivo „ tempore ſudare feciſſe: finxiſſe unum ipſo- „ rum eſſe Eliam Prophetam, mundúmque „ brevì terræ motu periturum: totam penè „ Italiam, Romámque ipſam & Campaniam „ pervagantes, populos mirabiliter decepiſſe; „ ità, ut non ſolùm Laici utriusque ſexûs, „ & omnis ætatis, verùm etiam Clerici & „ Presbyteri; adeóque nonnulli Cardinales, „ ſaccis ſe ſeu albis camiſiis induentes, nová- „ que carmina in modum Litaniæ cantantes, „ proceſſionaliter irent per civitates per tre- „ decim continuos dies, antequam domum „ redirent: cubâſſe nocte in Eccleſiis, & Mo- „ naſteriis, ac Cæmeteriis, indiſtinctè viros „ cum fœminis, juvenes cum virginibus, abs- „ que ulla prava ſuſpicione, donec unô com- „ prehensô Pſeudo-Prophetâ, & flagitium „ tormentis detegente, is flammis combuſtus „ eſt, cæteríque complices clanculùm abiê- „ runt. Ità de his Niemus.

„ De quibus etiam intelligendus Wal- „ ſinghamus tunc in Anglia vivens, cùm ſub „ hoc eodem anno ait, Romæ imagines Cru- „ cifixi, & B. Virginis humorem ſanguineum „ ſudâſſe: ac Nobiles Italiæ cum plebe nova „ devotione tactos, indutos pannis lineis cum „ crucibus inſertis, ferentéſque alias mani- „ bus, proceſſionaliter prævió vexillô & ima- „ gine Crucifixi, circuiſſe Stationes Romæ „ die noctúque, & nudatis corporibus uſque „ ad umbilicum flagellâſſe ſeſe cum piis can- „ tibus latinis ac vulgaribus; fuiſſéque turmas „ diſtinctas decem, viginti, & quadraginta „ millium hominum, quæ ſibi invicem ſucce- „ debant; non autem dormîſſe in lectis tempo- „ re peregrinationis ſuæ, nec carnes ac lactici- „ nia comediſſe, diebúſque Sabbati jejunâſſe.

N. VI. „ Plura verò de iisdem S. Antoni- „ nus, qui propriis oculis ſe vidiſſe teſtatur: „ & habitum diſtinctiùs deſcribens, ait fuiſſe „ veſtes lineas albas, ad pedes uſque proten- „ ſas, cum caputiis ad modum capparum „ Religioſorum, quibus facies velabant, ad „ oculos tantùm foraminibus ad videndum „ relictis; cum cruce rubra ad humerum. In- „ credibili autem devotionis ardore longis „ agminibus proceſſionaliter binos pergentes, „ pacémque & miſericordiam ſupplici clamore „ ſæpè poſtulantes, laudes, & hymnos latino „ & vulgari ſermone decantâſſe, ac præcipuè „ ſequentia: Stabat Mater doloroſa, &c. „ Peregrinationem illorum ordinariam fuiſſe „ novem vel decem dierum, jejunantibus, „ qui poterant, & aliquibus in pane & aqua. „ Neminem per id tempus dolô fallere ten- „ tâſſe, neminem advenarum oppreſſum: taci- „ tas cum publicis hoſtibus inducias extitiſſe: „ innumeras paces inter privatos factas; aliá- „ que omnis generis bona exercita: quocun- „ que perveniſſent eorum agmina, mira ho- „ ſpitalitate excipi conſueviſſe; eorúmque lo- „ corum incolas ſimili exemplô moveri ad „ alia loca: atque ità ſingillatim plerasque „ Italiæ provincias peragratas ab iis eſſe: fu- „ iſſéque hanc quandam divinitus immiſſam „ hominibus præparationem ad mortem eis „ propinquam, quam annô ſequenti ex gra- „ viſſima peſte ſubiêrunt. Durâſſe porrò hunc „ motum tres circiter menſes: quem nonnulli „ in Hiſpania ortum, alii in Scotia, vel An- „ glia, aut Gallia dicerent, ex apparitione Bea- „ tiſſimæ Virginis facta cuidam ruſtico, ſignifi- „ cantis filium ſuum contra mundum propter „ ſcelera ejus valde commotum: undecunque „ autem id proceſſiſſet, negari non poſſe haud „ obſcurum Dei opus fuiſſe. „ Ita Antoninus.

Dubravius Hiſtor. Bojemic. lib. 23. „ An- „ nus fortè tunc milleſimus, quadringente- „ ſimus à Natali die Domini numerabatur, ludis „ quondam ſecularibus deſtinatus, quando „ unô ſeculô, hoc eſt, centum annis ſemel „ Romani illos pro ſalute ſuorum edebant. „ Romanis deinde Pontificibus meliore au- „ ſpicio, in Jubileum commutatus eſt, ut in „ eo omnium peccatorum eſſet remiſſio. Hoc „ denique nomine à Bonifacio Pontifice Ro- „ mæ initiatus eſt. Cujus ut Pragæ quoque „ Venceslaus eſſet particeps, à Bonifacio im- „ petravit, ut ad Romanum modum domi „ illum conſecratum haberet, celebravítque „ magnâ religione, ac mirâ hominum multi- „ tudine, quæ non Jubilæi ſolùm, verùm „ etiam Reliquiarum venerandarum gratiâ Pra- „ gam confluxerat. Hactenúſque recepta „ ſemel ab Sede Apoſtolica à Bojemis Chri- „ ſtiana Religio cum omnibus ceremoniis in- „ violata, incuſſáque in Bojemia perduravit.

[2.] Senſim inde vacillare & labaſcere „ ſimul, atque Joannes Hus, quod vocabulum „ anſerem ſonat, ſtrepere inter olores, eo- „ rúmque ſuavem cantum ſtrepitu ſuo propter „ invaleſcentem factionem ſuperare cœpit. „ Popularem enim cauſam inter populares „ ſuos agendam ſuſcepit adversùs Germanos, „ & adversùs Sacerdotes, quibus utriſque „ Bojemi non valde propitii erant, & ipſe „ quanquam Sacerdos, capitalis nuper ini- „ micus utriſque factus, dum impatientiſſimè „ fert, in honore cujusdam Sacerdotii præ- „ latum ſibi fuiſſe Germanicæ nationis can- „ didatum, ſuffragiô Germanorum, & favore

„ primorum Sacerdotum. Sic videlicet Carolus (*Parens Wenceslai*) ab institutione Pragensis Gymnasii constituerat, ut in ferendis suffragiis Germani tres voces, Bojemi quartam haberent; quoniam paucissimi Bojemorum tunc operam literis navabant: postremò tamen diplomate sic conclusit, ut mos Parrhisiensis Gymnasii Pragæ item servaretur. Exclamat Hus, morem hunc in Gallia retineri, ut externi suffragiô simplici, domestici autem triplici perfungantur. Ad Regem provocant Germani, atque utraque interim pars judicem muneribus corrumpere non cessat, adeò ut Rex sibi dicere permiserit, unde mihi hic tam beatus anser natus, qui tot subinde aurea argenteáque ova mihi excludit? Lata denique sententia secundùm anserem cum tanta Germanorum indignatione, ut plusquam viginti quatuor millia scholasticorum intra octo dies Pragâ excesserint, detestantibus artificum collegiis Anserem, cujus operâ fieret, ut labor illorum recideret ad tenue precium, cùm non adessent emptores.

„ Hâc re tam insigni designatâ, vertit hinc rostrum inquietum Hus, ad vellicandas Jubilei condonationes, quas Indulgentias vocant, taxandósque Sacerdotes de avaritia, luxu, ambitione, sinè ullo discrimine sontes, insontésque, ut omnibus ubique invidiam conflaret, ac præcipuè in aula Regia, ad quam cùm Sulco Præpositus Chotessoviæ, stipatus equitum peditúmque catervâ incedebat, Rege ad mensam discumbente, qui adstabant, ut Regis animum incenderent, vidésne, inquiunt, Rex, quantò superbiùs, quàm etiam tu, Monachus iste progrediatur? Quin tu pompam illo indignam detrahis, & ad te, quem decet, illam revocas? Sulconem ingressum Rex interrogat, cujusnam hoc tam frequens esset satellitium? ut, si suum responderet, mulctaretur. Non defuit ratio illi respondendi: Quemadmodum, inquit, tuus ego sum O Rex, sic isti omnes tui sunt, id quod nuper in bello Bavarico satìs declarârunt, sed & hodiè mecum in hoc apparent, ut ornamento tibi sint, & si opus fuerit, contra quoscunque auxilio. Stabat in mensa Regis patera aurea vinô plena, ad eam Rex manu porrectâ, præbibo, inquit, tibi Sulco, hanc pateram, ut tu reliquum exhaurias, insupérque eandem pateram tibi habeas, pignus erga te benevolentiæ meæ. Quô visô, auditóque invidiâ Hussitæ rumpebantur. At Magister eorum Hus quotidie insolentior fieri, maximè ubi nactus est libellum Vicleffi hæretici in Anglia damnati, cujus titulus est Alythia, per antiphrasim videlicet, quia verum minimè dicat, sicut Lucum nos, & Parcas nominamus, quòd neque ille luceat, neque istæ parcant; sed potiùs ad interitum omnium festinent, ità libellus ille ruinam & interitum omnium in Ecclesia rituum, atque cerimoniarum continet, à capite prosternendo orsus, dum Summo Pontifici authoritatem suam adimit, illúmque in ordinem aliorum Sacerdotum redigit. Imò inter ipsos quoque Sacerdotes omnem turbat ordinem, omnibúsque bonis illos spoliat, eleemosynâ tantùm contentos esse volens: Monachos verò haud secus atque dæmonis figmenta vitandos: nihil enim esse vota, nihil pudicitiæ, continentiæque vincula, nihil disciplinam tolerantiæ & innocentiæ, nisì mera hominum commenta. Confessiones autem auriculares, satisfactionésq; , tum extremas languentium inunctiones, & pro defunctis postulationes ad solum quæstum sacrificulorum pertinere, quemadmodum ad ambitionem sacrarum vestium ornatum. Et cætera quæ commemorare piget, inter quæ & illud, quòd liberam cuique verbi divini annunciationem concedit, cùm in Ecclesia alios quidem Deus posuit Evangelistas, alios Prophetas, alios Doctores, nè omnes omnia essent.

„ Hunc igitur, ùt diximus, libellum Hus assecutus, multa aliter, quàm Catholica docet Ecclesia in aures vulgi ad res novas arrectas detonabat, súsque déque faciens obnunciationes, quæ per Magistratus Sacerdotum fiebant, donec ipse Subinco Archi-Episcopus, vir magni animi Pragam descendit, vulgatóque Regiô edictô omnes citari jussit, qui descriptum Vicleffi librum penes se haberent. Ampliùs ducenti fuerant allati, atque in tanta æstimatione habiti, ut major illorum numerus fibulis argenteis, inauratísque infibularentur; cæterùm ad unum omnes igne consumpti. Ipsi Hus concionibus interdictum. Atque ille Pragâ discedens in pago Husinecz, unde oriundus erat, veteri Domino suo permittente, sermones, quos cœperat, in magno cœtu hominum sermocinabatur, glorians se ejusmodi colaphum Romanæ Ecclesiæ impacturum, ut livorem ejus, nè post centum quidem annos aboleat.

„ Interim Pragæ Hieronymus, & ipse liberalium Artium Magister, atque ipsius Hus collega, & consectaneus, communem Sectam contra Germanos Doctores, qui ibi remanserant, crebris disputationibus pro-

„ pugnare,

„ pugnare, multis bilem concire, alios argu-„ mentis & oratione tenere; nam & acutus „ & disertus habebatur, eandémque in Scho-„ lis, quam Hus in Templis palmam ab Au-„ ditoribus obtinebat. Fieri autem non po-„ tuit, quin multa in propatulum emanarent, „ quæ inter parietes disserebantur, quibus „ vulgo cognitis pro captu quisque suo, aut „ has, aut illas partes fovebant: tantâ postre-„ mò contentione, ut partium studiô plebs „ Urbana divisa, mutuis inter se pugnis, pla-„ gísque interdum & saxis concurreret. Se-„ natoribus urbis à Doctoribus Germanis, „ plebe autem à Hieronymo, ùt corporis sui „ membro (Pragæ enim natus erat) stante. „ Quæ omnia Venceslaus cùm sinè cura ha-„ beret, Subinco Archi-Episcopus, ut malis „ impendentibus obviam tempestivè iret, in „ Hungariam ad Sigismundum Regem se re-„ cipiebat, ut ab eo consilium & auxilium, „ periclitanti in patria Religioni imploraret. „ Veníque Posonium ad fines Hungariæ, ubi „ finem vitæ quoque suæ fecit, venenô, (ùt „ ferunt) potionatus: corpus ejus Pragam re-„ ferendum, & in conditorio familiæ con-„ dendum affines & cognati curàrunt &c. „

Æneas Sylvius Historiæ Bohemicæ c. 35. „ Rexerant Scholam Pragensem usque in ea „ tempora Teutones: id molestissimum Bohe-„ mis fuit, hominibus naturâ ferocibus atque „ indomitis. Ex quibus vir quidam genere no-„ bilis, ex domo, quam Putridi piscis vocant, „ apud Oxoniam Angliæ civitatem literis stu-„ dens, cùm Joannis Wiclevi libros offen-„ disset, quibus de realibus universalibus ti-„ tulus inscribitur, magnopere illis oblecta-„ tus, exemplaria secum attulit. Inter quæ „ de Jure Civili, déque Divino, de Ecclesia, „ de diversis quæstionibus contra Clerum, „ pleráque volumina, veluti pretiosum the-„ saurum patriæ suæ intulit. Imbutus jam „ ipse Wiclevitarum venenô, & ad nocen-„ dum paratus, tum quod erat familiæ suæ „ cognomen, Putridum piscem, id est, fœti-„ dum virus in cives suos evomuit. Com-„ modavit autem scripta, quæ attulerat his „ potissimè, qui Teutonicorum odiô teneban-„ tur; inter quos Joannes eminuit obscurô „ locô natus, ex villa Hus, quod anserem „ significat, cognomentum mutuatus. Hic „ cùm esset ingeniô peracri, & linguâ disertâ, „ multúmque dialecticis oblectaretur, & pe-„ regrinas opiniones amaret, avidè admodum „ Wiclevitarum doctrinam arripuit, eáque „ Teutonicos vexare Magistros cœpit, sperans „ eô modô confusos Teutones Scholam reli-„ cturos. Quod cùm succederet, à Vences-„ lao impetratum, ut Pragense Gymnasium ritu „ Parisiensis gubernaretur. Ea res Magistra-„ tum Scholæ Teutonibus abstulit. Quam ob „ causam commoti Magistri ac Discipuli Teu-„ tonici generis jurejurando adacti, unô die „ supra duo millia Pragam reliquere, nec diu „ pòst circiter tria millia secuti, apud Lipsiam „ Misniæ civitatem, trium dierum itinere à „ Praga distantem, universale studium ere-„ xere. Bohemis Scholæ suæ gubernatio li-„ berè patuit, quorum Princeps est habitus „ Joannes Hus, linguâ potens, & mundioris „ vitæ opinione clarus. Qui ubi satis fidei „ comparatum sibi existimavit, venenum, quod „ jam pridem occultè conceperat, palàm evo-„ muit.

„ Fundaverat opulentus quidam civis in „ urbe Pragensi, sub nomine Sanctorum Mat-„ thiæ & Matthæi haud ignobile Templum, „ quod Bethlehem appellavit, reditibus addi-„ tis, ex quibus duo prædicatores alerentur, „ qui festis profestísque diebus Verbum Dei „ Bohemico sermone plebibus insinuarent. „ Horum alter Joannes assumptus est. Qui „ cùm se libenter audiri animadverteret, mul-„ ta de libris Joannis Wiclevi in medium „ attulit, asserens in eis omnem veritatem con-„ tineri, adjiciénsque crebrò inter prædican-„ dum, se, postquam ex hac luce migraret, „ in ea loca proficisci cupere, ad quæ Wi-„ clevi anima pervenisset, quem virum fuisse „ bonum, sanctum cœlóque dignum non du-„ bitaret. Sequebantur Joannem Clerici ferè „ omnes ære alienô gravati, sceleribus ac se-„ ditionibus insignes, qui rerum novitate eva-„ dere pœnas arbitrabantur. His & nonnulli „ doctrinâ celebres juncti erant, qui cùm in „ Ecclesia consequi dignitatem non potuis-„ sent, iniquô animô ferebant, Sacerdotia ma-„ jorum censuum his committi, qui quamvis „ nobilitate præirent, scientiâ tamen videren-„ tur inferiores. Excæcavit eos invidia, ut „ qui viderant, non viderent; & qui intelle-„ xerant, non intelligerent. Proruperunt in „ blasphemias, & cum aliquibus ignavis for-„ tasse ac vitiosis maledicere possent, in omnes „ latrare Sacerdotes cœpère: & ab Ecclesia „ Catholica recedentes, impiam Valdensium „ sectam atque insaniam amplexi sunt.

„ Hujus pestiferæ ac jam pridem damnatæ „ factionis dogmata sunt: Romanum Præsu-„ lem reliquis Episcopis parem esse. Inter „ Sacerdotes nullum discrimen. Presbyte-„ rum non dignitatem, sed vitæ meritum effi-„ cere potiorem. Animas è corporibus ex-„ cedentes, aut in æternas evestigio pœnas „ mergi, aut perpetua consequi gaudia. Pur-

„ gatorium ignem nullum inveniri. Vanum „ esse orare pro mortuis, & avaritiæ Sacerdotalis inventum. Dei & Sanctorum imagines delendas. Aquarum, palmarúmque benedictiones irridendas. Mendicantium Religiones malos Dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, solâ contentos eleemosynâ. Liberam cuique prædicationem Verbi Dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratiâ tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari neque Ecclesiasticâ dignitate potiri, neque parendum ei. Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & Extremam Unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri. Auricularem Confessionem nugacem esse; sufficere sua quemque Deo in cubili suo conqueri peccata. Baptisma fluvialis undæ, nullâ interjectâ Sacri Olei mixturâ recipiendum. Cœmiteriorum inanem usum, questûs causâ repertum; quâcunque tegantur tellure humana corpora nihil distare. Templum Dei latè patentis ipsum mundum esse: coarctare Majestatem ejus, qui Ecclesias, Monasteria, Oratoriáque construunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales vestes, Altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasáque hujusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunque locô, quocunque tempore Sacrum Christi Corpus conficere posse, petentibúsque ministrare: sufficere, si verba Sacramentalia tantùm dicat. Suffragia Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustrà impetrari, quæ juvare non possunt. In Canonicis Horis cantandis, dicendísque frustra tempus teri. Nulla die ab opere cessandum, nisì quæ Dominica nunc appellatur. Celebritates Sanctorum prorsus rejiciendas. Jejuniis quoque ab Ecclesia institutis nihil inesse meriti.

„ Subinco cognomine Lepus, claris parentibus apud Bohemos ortus per idem tempus Pragensem Ecclesiam Pontificiô retinebat, consiliô & animô illustris. Qui orienti calamitati obviam ire cupiens, priusquam ampliùs debaccharetur, libros Joannis Wicleffi ad se ferri, omnésque doctorum virorum consiliô adhibitô publicè concremari jussit. Supra ducenta volumina fuisse traduntur, pulcherrimè conscripta, bullis aureis tegumentísque pretiosis ornata. Joanni prædicatio interdicta, & adjectæ minæ, si quando priores in populum errores vulgare auderet. Ipse Pragâ excedens, apud villam, unde sibi origo fuit ac cognomen, permittente loci Domino, qui ejus insaniæ favebat, vocare plebes, ac docere non destitit: multa in Romanum Præsulem, multa in reliquos Ecclesiæ Pontifices maledicta congerens. Utque populi animos sibi magìs ac magìs conciliaret, adstruebat, decimas haud aliter quàm eleemosynas Sacerdotibus debitas, liberum esse prædia possidentibus, si velint, eas dare; si nolint, nullo jure cogi posse.

„ Nondum error de Sacramento Altaris irrepserat, sed attulit novam pestem Petrus Dresdensis (id oppidum Misniæ super Albim situm) qui cum aliis Teutonibus paulò antè Bohemiam reliquerat. Cognitus inter suos, quia Valdensi leprâ infectus esset, patriâ pulsus velut hæreticorum asylum Pragam repetiit, puerorúmque docendorum curam accipit.

„ Apud Ecclesiam Sancti Michaëlis per id temporis populum prædicando instruebat Jacobellus Misnensis, literarum doctrinâ & morum præstantiâ juxtà clarus. Petrus hunc aggressus, mirari se, ait, doctum & sanctum virum, qui divina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertisse Communionis Eucharistiæ, qui jam pridem Ecclesiam pessundâsset, in qua sub una tantùm specie Dominicum Corpus populo ministraretur; cùm apud Joannem Evangelistam, & Apostolum Christo dilectissimum, sub duplici specie panis, vinique sumi jubeatur dicente apud eum Salvatore: Nisì manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Commotus his Jacobellus, cùm perquisitis vetustis Sanctorum Doctorum codicibus, Dionysii præsertim & Cypriani, Communionem calicis laudatam invenisset, prohibitus apud Sacellum Archangeli Michaëlis prædicare, in Templo majore S. Martini cathedram sortitus, publicè commovere populum cœpit, nè deinceps Communionem calicis, sinè qua salvari nemo posset, quoquô pactô negligerent. Huic omnes hæretici consenserunt, haud modicâ gestientes lætitiâ, quod articulum invenissent in Evangelica Lege fundatum, per quem Romanæ Sedis vel ignorantia vel nequitia coargui posset. Odiosô quamvis hæc animô Rex intelligeret, desidiâ tamen corruptus, & inertiâ torpens, impunè debacchari sinebat hæreticos.

„ Subinco Archi-Episcopus, ubi nullum adversùs tantum emergens malum in Venceslao præsidium invenit, ad Sigismundum

„ Hun-

„ Hungariæ Regem confugit, obsecrans atque „ obtestans, ut negligentiam fratris emendet, „ neque labefactari orthodoxæ fidei Sacramenta permittat. Dat fidem Sigismundus „ petiturum se brevì Bohemiam, Ecclesiæ Catholicæ consulturum. Sed dum dies die „ ducitur, Subinco apud Postinium (*Posonium*) „ in Hungaria moritur, & Albicus ei sufficitur, „ natione Bohemus, arte Medicus, & Sigismundo propterea charus, unicum extremæ „ avaritiæ barathrum. Qui claves cellæ vinariæ nulli alteri, quàm sibi ipsi credidit, „ & animalia viventia donô accepta mox vendidit; & quia sumptuosos esse coquos didicerat, abjectam anum popinæ suæ præfecit. „ Interrogatus aliquando, sonorum omnium „ quem molestiùs audiret, maxillarum, inquit, „ ossa frangentium. Idoneus profectò Pontifex, qui surgenti fomentum hæresi daret.

„ Infestabat eâ tempestate Romanam Ecclesiam Ladislaus Rex Neapolitanus, adversùs quem Joannes Papa Tertius & vicesimus „ bellum decernens, plenariam peccatorum „ remissionem indulsit his, qui ad tuendam „ Ecclesiam arma induerent. Recitabatur „ in Ecclesia Pragensi decretum Pontificis. „ Quod cùm quidam sordidæ artis homines „ audîssent, Joannem Papam Antichristum esse, magnâ voce clamaverunt, qui Crucem „ contra Christianos decerneret. Eos evestigiò Senatus in carcerem rapi jussit: populus verò susceptis armis dimitti omnes petiit. „ Sed placatus oratione Senatûs, tanquam vita captivorum in tuto esset, suam quisque „ domum rediêre; de illis clàm supplicium „ sumptum. At cùm sanguis extra Prætorii „ januam defluens judicium necis fecisset, „ iterum accurrens populus interemptorum „ corpora rapuit, & aureô circumvoluta pannô „ per omnes urbis Ecclesias detulit, clamantibus ejusdem Sectæ Sacerdotibus: Isti sunt „ sancti, qui pro testamento Dei sua corpora „ tradiderunt. Exin cadavera in Sacrario apud „ Bethlehem reposita, quasi Martyrum Reliquiæ aromatibus condita. „ Hæc Sylvius.

Hunc secutus est in compendio Cuspinianus in Cæsarib. sub Wenceslao, & Nauclerus in Chronica sua volumine 2. Generation. 39. ad litteram exscripsit.

[3.] Gerardus de Roó, Histor. Austr. lib. 4. ferè ad litteram exscriptus.

Sylvius ubi suprà c. 34. ad finem. „ Priori „ consuetudine (*Wenceslaus post fugam è Viennensi custodia regnô potitus*) vinô cibóque „ marcens, lucémque dormiendo nocti conjungens, ab Electoribus Imperii, comprobante Romano Pontifice, imperiô dejectus, „ domi torpens illaudatum egit ævum. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Wenceslao. „ Cùm ergo tyrannide, socordiâ, luxu omnia „ fœdaret, provinciales conquesti Sigismundo „ fratri, qui tum Rex erat Hungarorum, iterum est à fratre suo Sigismundo captus. „ Et, ùt securiùs custodiretur, Alberto Duci „ Austriæ traditus. Qui Viennæ in magnificè constructis ædibus, Danubio adjacentibus, quibus etiam hodiè nomen est „ Praga (quòd Pragensium hìc Rex fuisset captus) custodiendum præcepit. Sed cùm negligenter custodiretur, fugâ elapsus, regnum „ repetiit, rursúsque eô potitur. Neque vitam emendans, neque mores mutans iterum in antiquam transiit silvam: vino, ventri, Veneri dies noctésque inserviens. Et „ velut porcus Epicuri, domi tanquam in stabulo clausus ac saginatus, neque regni negotia solerter ordinavit, neque Ecclesiæ „ schisma extirpavit, neque Imperii coronam „ acceptare curavit. Ab Electoribus Imperii igitur crebrò admonitus, cùm nil curaret, Imperio est deturbatus: primúmque „ Fridericus Saxoniæ Dux suffectus. Quô „ mortuô Rupertus Palatinus Rex est Romanorum declaratus. „

Spondanus hìc n. 2. „ Cùm enim tractâssent jam antehàc Electores de alio ad Imperium ejus locô efferendo, rémque sæpè sæpiùs spe morum ejus emendationis, & timore novi in Imperio schismatis distulissent: „ demum malis in dies crescentibus, postquam nihil se vel admonitionibus, vel denunciationibus aut minis proficere perspexerunt: nè penitùs Imperium corrueret, re „ cum Bonifacio Pontifice communicata, ejúsque assensione habitâ, hôc annô convenientibus in unum apud castrum Lonstein ad „ Rhenum diœcesis Treverensis, Joanne Moguntino, Friderico Coloniensi, Wernero „ Treverensi Archi-Episcopis, ac Ruperto „ Comite Palatino Rheni, Ducéque Bavariæ, „ Electoribus Imperii, unà cum aliquot aliis „ Principibus, ac Civitatum Oratoribus, absentibus Duce Saxoniæ & Marchione Brandenburgico item Electoribus, qui vocati noluerunt adesse, ipsóque Wenceslaô rogatô, „ nec tamen aut per se, aut per procuratores „ comparente: de communi prædictorum „ omnium consensu, sententiam in eum exauctorationis, & privationis regni Romanorum & Imperii (ad quod electus fuerat „ ante quatuor & viginti annos) protulit cunctorum nomine Moguntinus, quæ extat data annô Dominicæ Incarnationis millesimô „ quadringentesimô, Indictione octavâ, fe-

„ riâ sextâ, die vigesimâ Augusti, Pontifica-
„ tûs Bonifacii Noni, annô undecimô, quæ
„ omnia videas præsenti annô quadrare con-
„ tra illos, qui aliis aut annis aut mensibus
„ rem gestam collocant. Causæ verò depo-
„ sitionis exprimuntur indecentes ac dete-
„ stabiles ejus in imperando mores, necessi-
„ tatum Ecclesiæ & Imperii neglectus; ejus-
„ dem Imperii membrorum aliquot mutilatio,
„ atque imprimis ditionis Mediolanensis &
„ Lombardiæ contra jus fásque acceptâ pe-
„ cuniâ facta: membranarum purarum, suô
„ tamen sigillô munitarum, amicis facta ven-
„ ditio, in quibus liceret, quicquid illi vel-
„ lent in detrimentum publicum & privatum
„ conscribere; omnium scelerum & injuria-
„ rum impunitas; denique sacrorum Antisti-
„ tum ac Sacerdotum, aliorúmque honora-
„ torum hominum, tam propriâ quàm socio-
„ rum impietatis manu neces, submersiones,
„ cremationes truculenter peractæ. Addit
„ speciatim alias causas Trithemius, sed quæ
„ sub prædictis contineantur. Meminerúnt-
„ que Nauclerus, Krantzius, Hartmannus, &
„ alii plurimi.

N. 3. „ Post depositionem promulgatam
„ tractantes Electores de substitutione digni
„ alicujus Principis in locum Wenceslai, con-
„ venêre in Fridericum Ducem Brunsuicensem,
„ egregium Principem, ac rei militaris peri-
„ tissimum, Imperatorem ejus nominis Quar-
„ tum. (Hunc enim multi agnoscunt Wen-
„ ceslao subrogatum; cùm plures, quòd de-
„ signatus tantùm fuerit, prætereant.) Eó-
„ que, cùm è comitio rediret, nefariè occisô
„ ab Waldekiano Comite (qua de re culpa-
„ tus Archi-Episcopus Moguntinus purgare se
„ habuit) coëuntes iterum Electores, quidam
„ Jodocum Moraviæ Marchionem, Wences-
„ lai Patruelem, alii Rupertum sive Robertum
„ superiùs nominatum Bavariæ Ducem &
„ Comitem Palatinum unum ex Electoribus
„ elegerunt. Mansitque hic Rupertus Rex,
„ nepos existens pronepósve ex fratre Lu-
„ dovici Bavari olim Imperatoris dicti: cogno-
„ mentô Parvus, vir belli pacísque artibus
„ clarus, sive in numero votorum prævalue-
„ rit, ùt ferè consentiunt auctores: sive ùt
„ nonnulli habent, obtinuerit tantùm post
„ Jodoci obitum, qui brevì contigit. Fuit-
„ que annô proximô die Epiphaniæ, sextâ
„ Januarii Coloniæ coronatus ab Archi-Epi-
„ scopo, quòd Aquisgranensis civitas, ubi
„ coronari ex more debuerat, eum Regem
„ nollet; sed à Wenceslao staret, unà cum
„ non paucis aliis tam civitatibus, quàm Prin-
„ cipibus, qui ei constanter diu adhæserunt:
„ quantumvis adeo eidem Ruperto studuerit
„ Bonifacius Pontifex, ut etiam aliquantò
„ pòst, multùm contra nitentibus Electoribus
„ Archi-Episcopis, exigendarum à Germanico
„ Clero decimarum potestatem ei concesserit;
„ prout inter alios à Serario narratur in rebus
„ Moguntiacis. Testatúrque Niemus, ad-
„ fuisse se in Consistorio, quando Bonifacius
„ electionem ejus confirmavit, promisitque
„ favores ei Apostolicos impendere. Quare
„ etiam ex Edmundo, qui cum Wenceslao
„ ac fratre ejus Sigismundo Hungariæ Rege
„ familiariter versatus est, intelligitur eundem
„ Sigismundum auditâ fratris privatione per
„ litteras conquestum esse Cardinalibus Bo-
„ nifacii, quòd Wenceslaus non vocatus,
„ non convictus, & sinè causæ cognitione
„ privatus esset; quódque Bonifacius die no-
„ ctéque nihil aliud cogitare videretur, nisì
„ ut modum inveniret ejiciendi pariter ipsum
„ Sigismundum à Regno Hungariæ, ut trade-
„ ret Ladislao Regi Neapolitano: tametsi
„ uterque frater semper adhæsisset tam Urba-
„ no Sexto, quàm ipsi Bonifacio, licèt per
„ multos Reges & Principes fuissent sæpiùs
„ adversùs eos sollicitati. Denique scribit
„ Wasseburgius in antiquitatibus Galliæ Bel-
„ gicæ, Gallos Rupertum pro Rege non ha-
„ buisse, sed Wenceslaum, ùt priùs; ideóque
„ fœdus Ruperti neglectum ab eis esse. Et
„ in Annalibus Agrippinensium proditur Ru-
„ pertum sextô demum annô Aquisgrani pro
„ Rege susceptum esse, quod interim illa ci-
„ vitas exemplô Geldriæ Ducis in fide Wen-
„ ceslai permaneret.

N. 4. „ At verò ipsum Wenceslaum pa-
„ rùm depositionem suam curâsse, plures ajunt.
„ Cùm intellexisset Jodocum patruelem suum
„ ab una parte Electorum nominatum fuisse
„ sibi successorem, ipsô Jodocô insciô; eidem
„ ad se in penitiores ædes evocato dixisse,
„ etsi satìs sciret non esse dignitatis suæ, quod
„ Electores fecissent, solatio tamen esse, quòd
„ familiam non egressi ipsum elegissent. Ad
„ hæc territo Jodoco, & in genua procidenti,
„ ac rei ignorantiam excusanti, ponere me-
„ tum jussisse; haud enim Imperium invitè se
„ deponere, neque si retinere cuperet, jura
„ sanguinis in eo violaturum: susciperet Im-
„ perium, séque ac suis uteretur, sibi suam
„ satìs esse Boëmiam: Jodocum autem sex
„ tantùm postea mensibus vixisse, ac in Mo-
„ ravia Regiô funere sepultum esse. At verò
„ Jodoci electionem nonnisì post Ruperti
„ obitum contigisse rectiùs alii: de qua rur-
„ sum eô locô. Wenceslaus autem vitam
„ pristinam in suo Boëmiæ regno agere perre-
„ xit,

„ xit, ingenti Principatûs dedecore, ac Re-
„ ligionis, literarum, & civilis Statûs detri-
„ mentô, ùt videbitur pleniùs: adeò quidem
„ regni Ruperti confirmationem flocci faci-
„ ens, ut cùm inter civitates Imperii Nurem-
„ bergenses pertinaciùs detrectarent ei obe-
„ dire nisi annuente Wenceslaô, & ut ipsos
„ Wenceslaus (quòd graviùs urgerentur à
„ Ruperto) absolveret, obtulissent aureorum
„ viginti millia, is contemptô aurô absolverit,
„ jussos tantùm optimi vini aliquot plaustra
„ sibi mittere. „ Hucusque Spondanus.

[4.] Ex diplomate ipsius Archi-Ducis.
[5.] Codex MS. Bibliothecæ Zwetlensis.

Annus Christi MCCCCI. Monasterii CCLXIII.

Pont. Rom. Bonifacius IX. *Imp. Rom.* Rupertus. *Archi-Duces Austriæ* Wilhelmus & Albertus IV.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Albertus I.

REferuntur ex antiquitate Monasterii sequentia: „ Annô Domini „ 1405. (*correctiùs Annô 1401.*) Wilhelmus Dux Austriæ, & Albertus Dux „ Austriæ † avunculi simul regnantes „ moverunt validum exercitum, & intraverunt Moraviam, & obsederunt „ castrum Weicherslag, quod ipsis Bohemi dolosè abstulerant, tandem „ cœperunt; & habitantes in castro „ suspenderunt, & tandem Deo adjuvante cœperunt. Videntes verò Domini Moraviæ, scilicet Heinricus „ de Nova-Domo, Heinricus de Geis„ pitz dictus Dürntewfel cum fratribus suis, & Albertus de Vetaw se „ non posse resistere prædictis Duci„ bus Austribus (*pro Austriis vel Austriacis*) obtulerunt se unanimiter „ prædictis Ducibus in gratiam, & „ castra, quæ eis Duces per vim ab„ stulerunt, reddiderunt ipsis, & spo„ ponderunt se prædicti Domini Mora„ viæ cum litteris sigillatis prædictis „ Ducibus fore semper obedientes, & „ eis apparere, quocunque eos voca„ verint, quæ omnia non tenuerunt „ rata, & mentiti sunt, & fecerunt „ contra proprias litteras suas & trew„ gas, ipsi verò unâ vice apparuerunt „ in Bohemia, scilicet eôdem annô, „ quô fuerunt coacti à supradictis Du„ cibus Austriæ. „ * [1.] Hucusque antiquitas. Sciendum hìc, non posse subsistere Annum Domini MCCCCV. præfixum, nam eô annô jam obierat Albertus, qui unà cum Wilhelmo avunculo rerum habenas in Austria moderabatur, sed potiùs hic annus præsens est, quod constabit ex relatione anni sequentis, in qua præcedentium continuatio narrabitur, annô certô expresso, & præfixô. Porrò causam hujus in Moraviam expeditionis invenio, Dominorum quorundam Moraviæ, prædonum instar, in Austriam excursus. Nam Jodoco Moravorum Principi erant discordiæ cum Procopio fratre, qui Moraviâ solus potiri cupiebat, fratre paternâ hæreditate expulso. Hæc occasio licentiam audacibus fecit, ut in prædationibus alter alterum superare conaretur, unde & in Austriam & in Moraviam sinè discrimine impunè grassabantur. Quam licentiam Archi-Duces conscriptô & eductô milite in Dominis illis prædonibus represserunt. Hi postmodum cum Jodoco (veriùs cum Procopio) contra Austriam steterunt, dum ab Austriaco Znoyma civitas oppugnaretur, sicut patebit.

Præterea Joannes Comes de Hardeck, S. Rom. Imperii Purkgravius in Maidburg; & Uthildis Comitissa ejusdem conjunx, Monasterio nostro Zwetlensi unam fundârunt vineam ad Pulka sitam, Viennensem dictam, à censu, à decimis, à jure montis liberam, eámque in manus Alberti Abbatis in Zwetel resignârunt. Dederunt etiam dimi-

dium talentum denariorum Pragensium à subditis in Niedern Nondorf & Niedern Waltenreith pagis in festo Michaëlis exigendum eum in usum, ut vinea præfata diligentiùs excolatur; & quod de pecunia prædicta superfuerit, in vestes aut usus alios solius Conventûs expendatur. Munita est littera sigillis donantium propriis, quibus in majus robur & testimonium Wolfingus dictus Dachpeckh Eques nobilis suum addidit. Data est Rhetii in Austria, Sabbato ante diem S. Colomanni, Annô Domini 1401. [2.]

Ex hac littera patet, Albertum Abbatem in Octobri adhuc vixisse, cùm ejusdem mensis decimâ tertiâ die Colomanni commemoratio fiat.

Donantem Comitem quidam villanus secutus est, nam Simon dictus Smutz de Erchenbrechts cum consensu uxoris suæ Agnetis dedit Monasterio vineam dimidiam, & de altera partem tertiam, sitam utramque ad Lewtacker in loco, qui Kaswasserpewnt dicitur, in manus Alberti Abbatis de Zwetel. Datum Annô Domini 1401. in festo Assumptionis B. Mariæ. [3.]

ADDITIONES.

* [1.] Chronic. MS. in Calendario.

† Avunculos vocat Antiquitas hos duos Archi-Duces (quos Tomo I. ad annum 1395. diximus ex Haselbachio, Strunone, & aliis defunctô Albertô III. simul suscepisse habenas regendæ Austriæ) fortè ideò, quia ex eodem avo descenderunt; nam Albertus III. parens Alberti IV. & Leopoldus III. parens Wilhelmi fratres germani erant, filii Alberti II., hodiè verò, & communiùs tales non avunculi, sed patrueles fratres vocitantur.

[2. & 3.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MCCCCII. Monasterii CCLXIV.

Pont. Rom. Bonifacius IX. *Imp. Rom.* Rupertus. *Archi-Duces Austriæ* Wilhelmus & Albertus IV.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Heinricus II.

„ ANnô novi Sæculi secundô Sigismundus, Wenceslai Ignavi frater, Ungariæ Rex, Alberto Austriaco, ob collata in se beneficia, successionem in regnum suum, eíque conjunctas ditiones decernit, si absque hærede masculo ipse moriatur. Quod si filiam unam vel plures susceptas reliquisset, iis Albertus conditiones genere dignas quæreret, centenáque aureûm nummûm Hungaricorum millia singulis in dotem numeraret: hujus rei testes sunt litteræ vicariatûs Imperii sigillô munitæ, quibus irritas facit alteras, quas olim Jodoco patrueli super eadem re concesserat. Hanc primam de regno illo ad Austriacos derivando mentionem inspectis litteris præterire nolui. „ * [1.] Hæc Gerardus de Roó, quæ potiùs de Alberto V. quàm IV. intelligenda & accipienda sunt, unde non hôc annô, sed sequentibus, Annô MCCCCXIX. fermè post decem & septem contigerunt, cùm Albertus V. Alberti IV. filius annos tutelæ fuit egressus; & Austriam propter suam tutelam turbatam pacavit.

Occurrunt porrò sequentia: „ Annô 1402. Heinricus Dürntewfel de Geispitz fecit contra jusjurandum, quod spopondit litteris & sigillis, & cœpit rebellare cum suis supradictis sociis scilicet Alberto de Vetaw &c. & cœpit dolosè, & nequiter, & furtivè, de nocte scandendo castrum in Cznam, quod emerat parvô pretiô à quodam vigili, qui avaritiâ ductus „ tradi-

„ tradidit ei castrum in silentio noctis; „ & sic furtivè cœpit scandere ad castrum cum suis satellitibus, cives verò urbis de ṣanè valde perterriti sunt „ de amissi[illegible] castri, & cœperunt se „ viriliter defendere, sed tandem non „ valentes resistere, obtulerunt ei civitatem, quam tenuit cum castro tres „ annos, sed tandem ab ea dolosè expellitur à Marchione Jodoco Moraviæ, ùt postea patebit. Ipse etiam „ Dürntewfel multa mala exercuit in „ Austria capiendo dolosè, & spoliando „ civitates & villas, scilicet Cystersdorf & Asparn, & alia multa oppida. „ Unde valde offensus Inclytus Dux „ Austriæ, scilicet Albertus &c. „ [2.] Hæc ex antiquitate. Causam igitur dedêre hi prædones, qui sunt: Heinricus Dürntewfel de Jewspitz Moravus cum fratribus suis, Heinricus de Nova-Domo, Albertus de Vetaw; & alii nobiles plures, qui continuò in Austriam prædandi gratiâ excurrentes cœperunt ante annum castrum in Austria Weicherslag dictum; & hoc anno oppida Cistersdorffium & Asparn cum aliis fraudulenter occupârunt, quare Albertus ad vindicandum injurias paratus exercitu comparato, cùm præsertim ex Znoyma, quam dolosè per proditionem cœperant, Austriæ vicina, multa mala finitimis tam Moravis quàm Austriis inferrent, eandem Znoymam obsedit, quæ obsidio anno sequenti primùm contigit, ùt eodem etiam referetur.

Gerardus ait, Procopium fratrem Jodoci Marchionis Moraviæ occupâsse postea contra fratrem Znoymam; [3.] verùm ille Jodocum barbatum ante Rupertum in Regem Romanorum electum ponit, quod antiquitas Monasterii nostri non sentit, quæ eodem tempore, quo hæc gesta fuêre, illa perscripsit. Dicit autem Jodocum occupâsse Znoymam, unde patet ipsum Jodocum adhuc vixisse, ac primùm post mortem Ruperti, non antè, fuisse in Cæsarem electum, ac post sex mensium Imperium quoque exspirâsse.

Quis demùm anno isto Abbatiæ Zwetlensi præfuerit, jam discutiendum est. Albertus I. hactenus præfuit, quem anno priori resignâsse aut depositum fuisse recentior Abbatum Zwetlensium Catalogus sentit, atque ideò anno eodem jam collocat Heinricum successorem. Chronosticorum author obiisse de more suo canit Albertum anno sæculi prioris ultimô, nimirum nonagesimô nonô, & eodem successisse eidem Heinricum. [4.] Verùm neque hic, neque ille scopum attigit, nam quòd Albertus hôc adhuc annô vixerit, demonstrat quoddam diploma Archi-Ducis Wilhelmi datum Alberto Abbati in Zwetel super lite, & compositione quadam annô Salutis MCCCCII. in die S. Agnetis Virginis Martyris, nimirum 21. Januarii; [5.] igitur neque annô nonagesimô nonô, neque quadringentesimô super mille primô resignâsse Abbatiam potuit. His astipulatur antiquitas, quæ Albertum usque ad decimum annum abbatizâsse commemorat, nam cæpit Annô MCCCXCII. & hôc annô cessavit. [6.] Alberto igitur vel ob senium, vel alia de causa resignanti Abbatiam, Heinricus ejus nominis II. cognomentô de Altensteig successit. De cujus successione omnes catalogi conveniunt, [7.] de anno tantùm quidam discrepant, quos suprà retuli, & discussi.

Confirmat hoc etiam quoddam emptionis instrumentum, in quo Heinrici Abbatis Zwetlensis fit mentio, cujus datum est Annô Domini MCCCCII. in festo Omnium Sanctorum. Cæterùm non judico fore necessarium subjicere Chronostica duo illius resignationem; & hujus successionem canentia, cùm in tempore discrepent, ùt suprà dixi.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 4. ad litteram.

[2.] Chronicon MS. in Calendario suo.

[3.] Gerard. de Roó ubi suprà ità prosequitur: „ Non multò pòst exortum est Alberto „ bellum Moravicum, ex hac præcipuè causa. „ Jodocus Barbatus, quem in Rom. Regem „ electum, obiisse diximus, utì Moraviæ solus „ potiretur, Procopium fratrem, paternâ hæ„ reditate expellere tentaverat. Is fratris vi„ ribus impar, multos sibi facinoribus, ac ærè „ alieno perditos, adjunxit, à quibus adju„ tus Znoymam ad Austriæ fines oppidum „ occupaverat, ex quo vicinos non Moraviæ „ tantùm, sed Austriæ quoque agros deprædabatur. Cúmque Jodocô è vivis sublatô, „ raptores avari, arreptam semel licentiam „ necdum deponerent, Albertus collecto se„ decim millium militum exercitu, in eos pro„ fectus, Znoymam arcta obsidione cingit. „ Neque dubium cuiquam videbatur, quin vel „ primo insultu oppidum capi potuisset, si „ res ex militaris disciplinæ ratione fuisset ad„ ministrata. „

[4.] Tabulæ Abbatum pictæ.

[5.] Diploma Archi-Ducis in originali.

[6.] Chron. MS. in Calendario suo.

[7.] Wolffgangus Abbas in sua Abbatum serie.

Annus Christi MCCCCIII. Monasterii CCLXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Duces Austriæ*
Bonifacius IX.	Rupertus.	Wilhelmus & Albertus IV.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Heinricus II.

OCcurrunt hôc annô sequentia: „ Annô Domini 1403. in Bava„ ria, in Gmunden, & Sancto Wolf„ gango Dominicâ post Ascensio„ nem Domini ceciderunt lapides gla„ ciales de cœlo instar trium pugno„ rum hominum, qui lapides multa „ tecta ædificiorum perforaverunt, & „ multos homines & pecora intereme„ runt. Eodem anno facta est susur„ ratio, id est, Terewn (*Treuga*) in „ Austria, ubi multi nobiles & ignobi„ les suspensi & decollati sunt, & mul„ ta castra destructa sunt. „ *[1.] Hæc antiquitas Monasterii, cujus susurrationis seu potiùs conspirationis causa non ponitur: credo ego hanc justitiam in reos exercitam exacuisse quorundam procerum Austriacorum animos, ut à Principe suo abalienarentur, machinantes ejus interitum clandestinè, sicut postea patebit in oppugnatione Znoymæ tunc prædonum receptaculi.

Item referuntur in citato loco sequentia: „ Annô Domini 1403. visa „ fuit stella, quæ dicitur Cometa, de „ nocte statim post occasum solis ex „ se mittens igneas comas, & luxit per „ unum mensem, & visa fuit circa aqui„ lonarem partem, & in ultima septi„ mana, quando volebat recedere, „ visa fuit de mane ante ortum solis ab „ oriente, & semper parùm præcede„ bat solem, & circa meridiem visa fuit „ etiam circa solem, & ista apparitio „ istius stellæ designabat multa mala, „ quæ super nos venerunt peccatis no„ stris exigentibus. Nam eodem anno „ captus fuit Illustris Rex Wenceslaus „ Bohemiæà fratre suo Sigismundo Re„ ge Ungarorum, non in prælio, sed do„ losè in civitate sua Praga, & Marchio „ Brocca Moraviæ. Isti ambo captivi „ (*ducti*) fuerunt à Rege Ungarorum „ Sigismundo in castrum, quod dicitur „ Schawmberch. Tandem Wenceslaus „ Rex Bohemiæ ductus fuit Wiennam, „ & positus in custodiam circa festum „ Marci & Marcellini Martyrum, & per „ integrum annum usque Martini per „ fugam occultè turpiter elapsus est. „ Sed prædictus Marchio de Moravia,

„ qui

„ qui dicitur Proco, qui multas lites „ suscitavit, captivus ductus fuit à supradicto Rege Sigismundo Ungarorum in Erspurkch, & ibi positus in „ carcerem, ubi miserabiliter defunctus est post duos suæ captionis an„nos. „ [2.] Hæc ex citato loco. De annis captionis variè Scriptores sentiunt, neque conveniunt: Dubravius sentire videtur Wenceslaum secundò captum & Viennam in Austriam deductum fuisse, [3.] ante quadringentesimum adhuc annum post mille, nam Aventinus ait, Sophiam Bojam fuisse Wenceslao desponsatam à Joanne Palatino Rheni Bavariæ Duce Annô Salutis MCCCXCIII. [4.] Et Dubravius citatus post secunda Wenceslai vincula nuptias præfatas collocat, igitur ipsum vel anno eodem, vel præcedenti MCCCXCII. captum esse vult. [5.] Sic quoque Struno in Annalibus suis Wenceslaum Regem Annô MCCCXCIV. in Wiltperg castro tentum fuisse à Stahrenbergicis Austriæ regulis contendit, [6.] ùt suprà retuli. Cæteri Scriptores nudam sinè anno secundam affirmant captionem à loco principaliori denominatam Viennensem. [7.] Quare præfatorum authoritati in nullo derogans, sequor Monasterii nostri antiquitatem, cujus annotator circa idem tempus vixit, qui captivitatem Wenceslai alteram in hunc annum conjicit, & simplici, sicut est, prosequitur stylo, veritatem amans. Adjungit verò socium captivum Wenceslao Broccam seu Procam ab eo dictum, à latinis verò Procopium Marchionem Moraviæ, fratrem Jodoci, qui à Gerardo supervixisse Jodoco scribitur & Znoymam occupâsse, [8.] cùm ubique in antiquitate Monasterii nostri Jodocus Znoymam occupâsse, & post RupertumCæsarem defunctum in Regem Romanorum electus reperiatur. [9.] Addit verò author meus causam, cur Sigismundus Procopium capi jusserit, quia nimirum multas lites suscitavit, tum cum fratre Jodoco, à quo apud Sigismundum tanquam pacis publicæ perturbator delatus fuit, tum cum Austriæ Archi-Duce, in cujus odium cum prædonibus Austriam continuò devastabat. Unde in carceribus Erdpurgæ in Ungariæ finibus sitæ dignam vitæ suæ mercedem recipiens miserabiliter exspiravit. Unde non consistit, quod Dubravius ait, Wenceslaum captum quæsitum fuisse, vindicatum & liberatum à Joanne fratre Wenceslai & Procopio patruele cum exercitu, ideóque primùm Pragam, quo illic non invento, vestigiis inhærentes in Rosenbergium Crumloviam tendisse, à quo jam captivo Viennam transmisso, cùm in regno non inveniretur, illos retrorsum abiîsse, quemlibet in domum suam. [10.] Demùm modum quoque placet addere, quo carceres Viennenses Rex Bohemus evasit, qui sic à Dubravio citato describitur: „ Erat senex quispiam piscator (*Viennæ*) qui pietate „ ductus frequenter miseros carcere inclusos cum jentaculo pisciculorum à „ se captorum revisebat. Hunc Wen„ceslaus propiùs fenestram admotum „ grandibus promissis onerat, si operâ „ ejus carcerem frustratus fuerit. Re„spondet ille, se nisi excussum non „ intromitti, ne unà cum cibo instru„menta secum ferret, quorum præsi„diô captivi queant elabi. Mihi qui„dem zonâ duntaxat sericâ opus est „ hac longitudine & hac crassitudine, „ atque utrumque piscatori indicat, „ eam tu facilè vel excussus cælare po„teris, si illâ ad nudum corpus præcin„ctus fueris. Recipit ad se negotium „ piscator, & paulò pòst zonam ad„fert: tum Wenceslaus paratam illum „ naviculam habere jubet, quâ Danu„bium trajiciat. Illóque trajectô, „ multis, inquit, peccatis meis ego in „ hanc alteram, mi senex, ærumnam „ incidi, sed iterum per oblatam mihi „ divinitùs navicularii operam, salu„tem me recuperâsse video. Dignus „ ergo & tu alter navita, qui dignum

„ à me operæ pretium accipias, sed in. „ loco suo, ad quem ut me deducas „ opus factô est, ac nè diutiùs qui sim „ hæreas, Rex ego Boiemiæ sum, cæte- „ rùm per viam tuum me socium esse „ assimilabo, & tu me nè aliter nomines „ aut honestes caveto. In via porrò „ hæc fuerat expiscatus: Sigismundum „ rebus Ungaricis impeditum, nondum „ in Boiemiam ad capessendum regnum „ venisse, Pragæ autem alteram arcem „ à nobilitate, alteram, quæ Vicegra- „ densis dicitur, à Pragensibus teneri, „ eísque lanium quendam præpositum „ esse. In hanc Wenceslaus mendici „ propemodum habitu cum piscatore „ suo se insinuat, occlusâque manu „ sua portâ ac personâ detectâ, excla- „ mat: Qui regius est, ad auxilium „ Regi suo ferendum accurrat. Plures „ quàm viginti præsto fuerunt, injectá- „ que Præfecto catenâ vinctum illum „ Regi tradiderunt. Jubet ille annu- „ lum detrahi de digito, illóque signari „ litteras, quas ad Magistratum Pra- „ gensem nomine Præfecti composue- „ rat, ut áliqui eorum in arce consi- „ liandi gratiâ properè apparerent, quo- „ rum ille neminem restituit incolumem. „ Piscatori verò hanc gratiam retulit, „ ut illum in ordinem equestrem ascri- „ beret cum censu equestri, quo se u- „ xorémque suam & liberos Viennâ Pra- „ gam translatos honestè aleret. „ [11.] Hæc ex Dubravio, quæ in gratiam Lectoris volui his Annalibus quoque inserere. Propero ad alia hujus anni gesta.

Dixi superiori anno quosdam Bohemiæ & Moraviæ regulos in finibus Austriæ residentes Cistersdorfium & Asparn, oppidáque alia multa oppugnâsse, diripuisse, & devastâsse. His author eo anno citatus subjicit: „ Unde valde offensus Inclytus Dux „ Austriæ scilicet Albertus collegit vali- „ dum exercitum, & intravit Moravi- „ am, & obsedit civitatem Znaym, „ scilicet Annô Domini 1403. circa fe- „ stum Margarethæ Virginis usque ad „ festum Exaltationis S. Crucis, & heu! „ nihil profecit, nam aliqui Magnates „ sui scilicet aliqui Domini Austriæ ac- „ ceperunt florenos in flasculis & in „ sacculis à supradicto Heinrico Dürn- „ tewfel, & defenderunt sibi civita- „ tem. Videns verò Inclytus Dux, „ quòd nil proficeret propter prodito- „ res, id est Holbanger, recessit ab ob- „ sidione Znoymæ, & pergens venit „ in Neunburgam, ibi venenô à pro- „ ditoribus extinctus est. „ [12.] Hæc antiquitas Monasterii nostri. Non tamen hôc annô, quo ab obsidione discessisse videtur Albertus, sed anno sequenti mortuus est Neoburgi. Confirmat hoc anni præcedentis relatio de expugnatione Znoymæ proditoria, nam Dürntewfel captam civitatem cum castro tres annos tenuisse dicitur, usque dum à Jodoco Marchione Moraviæ captâ Znoymâ, ipse sibi fugâ consulere cogeretur, sicuti ibi videre est. Sed eo quo Albertus anno discessit ab obsidione, urbs à Jodoco capta est; quod confirmat sequens antiquitatis monumentum ità se habens: „ Eodem an- „ no, quo prædictus Dux Albertus con- „ fusè recessit ab obsidione urbis, capta „ est urbs à Jodoco Marchione Mora- „ viæ, sed dolosè per proditores; & „ iste Heinricus Dürntewfel per fugam „ elapsus est. „ [13.] Hæc antiquitas: Hic author certum annum hunc præsentem non ponit, nimirum MCCCCIII. sed illum ipsum annum intelligit, quo Znoyma ab obsidione Alberti liberata est, scilicet anno sequenti MCCCCIV. quo circa Exaltationis S. Crucis festum obsidio ab Austriaco soluta fuit, cùm annô MCCCCIII. circa festum Margarethæ illam obsidere cœpisset. Annus autem MCCCCIV. erat tertius ab eo, quo Znoymam Dürntewfel proditoriè occupavit. Igitur Albertus Austriacus non hôc annô, sed sequenti obiît, igitur non hôc annô quoque, sed sequenti urbs à Jodoco capta fuit; & sic anti-

antiquitas venerabilis superiùs allata intelligenda est. Et sic obitus Archi-Ducis cum communi Scriptorum sententia convenit, qui eundem in annum rejiciunt sequentem. [14.]

Demùm anno isto fit mentio Heinrici Abbatis in Zwetel decimô sextô Septembris in quodam instrumento de impetitione super Parochia in Windigsteig per Georgium de Alentsteig presbyterum Patav. Dioec. facta sub Bonifacio IX. Papa. Factum autem est instrumentum à Berchtoldo Gleichner Clerico Herbipolensis Dioec. Notario publico, in grangia Chambarn in cænaculo Abbatis juxta Capellam ibidem sito. Unde hoc adhuc anno Abbatiæ præfuisse comprobatur.

ADDITIONES.

* [1.] Chron. MS. in Calendario suo.

[2.] Item ibidem.

Ciaconius in Bonifacio IX. „ Ante mortem ejus (*Bonifacii*) stella crinita per 40. dies apparuit, & horribiles tempestates, venti validi, grandines, tonitrua, & terræ motus, qui in urbe fuerunt, eam præsignâsse visa sunt. „

Spondanus ad ann præced. n. 1. „ Annô Christi millesimô quadringentesimô secundô, Indictione decimâ, mense Januariô, quindecim dierum spatiô grandis Cometa apparuit à Septemtrione velut descendendo Occidentem tendens, & sursum crines suos extendens; ùt eum descripsêre Monachus Dionysianus & Juvenalis. Niemus & Corius ad principium Quadragesimæ collocant, ac durâsse per quadraginta dies usque ad Pascha, quod celebratum hôc annô est 26. Martii. Denique Walsinghamus, mense Januariô. Quæ omnia satis sibi cohærent respectu durationis & locorum, quibus plùs aut minùs cometa visus est: quibus etiam tribuenda paucula differentia, quæ in ejus descriptione apud quosdam auctores reperitur. „

Bonfinius Decad. 3. lib. 2. „ Venceslaus vino potiùs quàm imperio deditus ità Principum à se animos abalienavit, ut ab omnibus odio & contemptui haberetur: quare captus à Proceribus, menses tres carcere affectus. Sed à Joanne Lusaciæ Duce, & à Procopio Moraviæ tyranno non sinè magno Reipubl. malo liberatus. In pristinam paulô pôst intemperantiam effusus, iterum à Sigismundo fratre captus, Albertíque custodiæ commissus, qui Ducatum Austriæ eâ tempestate gerebat. Cùm in magnificis ædibus Viennæ asservaretur, custodum incuriâ fugam rapuit, iterum regno potitus, in mores pristinos planè recidit: agebat perpetuos vinô crapuláque dies. Cùm Imperio indecorem omnes arbitrarentur, ab Electoribus haud invitô Pontifice, Augustali dignitate abdicatus est, reliquum ætatis pari infamiâ transactum. „

[3.] Dubravius lib. 23. „ Is quidem Sigismundus cùm priore captivitate in fortunas fratris spe & mente oculos defixos haberet, placuit conjuratis, ut ex voluntate ejus statuerent de injicienda iterum manu in Venceslaum. Quo non improbante facinus, & præterea Jodoco Marchione Moraviæ eadem clam sentiente (nam Procopius absens Brandenburgæ erat) conjurati suo ibi tempore, dum Venceslaus juxta Beraunam, in prædio Regio cum paucis deliciatur, in eum invadunt, captúmque in arcem Pragensem pertrahunt in turri sub diligentioribus, quàm priùs, custodibus asservandum. Sed nè huic quidem custodiæ fidei satìs habitum propter loci celebritatem. Inde igitur Crumloviam ad Henricum Rosensem abductus fuit: atque ille Viennam extra regnum tacitè transportandum curavit, ubi Albertus Austriæ Princeps habitabat, quem deinceps Sigismundus elocatâ ei filiâ generum habuit. Ab isto in latebras turris cujusdam Viennensis, ità abstrusus est, ut inveniri nisì à consciis non potuerit. Nam Joannes frater Venceslai, & Procopius patruelis, cùm ad vindicandum Regem in libertatem, copias ille in Lusacia, hic in Marchia Brandeburgensi comparâssent, atque ambo Pragam venissent, captivô ibi non repertô, insistebant vestigiis Crumloviam tendentes. Sed eis Henricus Rosensis cum valida armatorum manu occurrere non longè à Budvicio parabat. Quod ubi compertum, simúlque certum habuerunt, Regem apud Boiemos in custodia non attineri, progressu omissô retrò cesserunt. Ità Venceslaus ab omnibus desertus esse videbatur, suô verò judiciô etiam inter desperatos numeratus. „ Erat senex &c. Sequitur modus, quo Venceslaus è carcere Viennensi liberatus, quémque textus noster sub N. 11. ad litteram refert.

[4.] Aventinus Annal. Boior. lib. 7. „ Iisdem diebus Fridericus Boiemiam intrat, „ Sophiam neptem suam, filiam Joannis eò „ deducit, Cæsarique dat in manum. Con- „ fectísque nuptiis domum reversus, pridie „ Nonas Decembris Landshutæ moritur, re- „ lictô filiô impubere Hainrico cum matre „ Magdalena Mediolanensi, annô Christi „ 1393. „

[5.] Dubravius ubi suprà post modum liberationis è captivitate Viennensi enarratum ità prosequitur: „ Ad levandam autem in- „ vidiam, confirmandásque imposterum & „ tuendas opes suas, affinitatem cum Principe „ Bavariæ, quem Palatinum vocant, iniit, „ ductâ in uxorem filiâ ejus, quam Sophiam „ nominabant. „

[6.] Richardus Struno Annal. Superioris Austr. An. 1394. Cui consentit è Recentioribus Fuggerus in speculo suo dictô annô captivitatem Wenceslai Viennensem collocans.

[7.] Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 34. „ Captus & secundò per Sigismundum Hun- „ gariæ Regem fratrem suum, & Alberto Au- „ striæ Duci in custodiam datus. Custodia „ ejus in egregiis ædibus apud Viennam ha- „ bita, quibus exinde cognomen Praga da- „ tum, quòd eas Rex Pragensium incoluisset. „ Sed cùm parùm diligenter custodiretur, „ fugam arripuit, regnóque rursus potitus „ est, neque tamen vitam mutavit. Sed priori „ consuetudine vino cibóque marcens, lu- „ cémque dormiendo nocti conjungens, ab „ Electoribus Imperii comprobante Roman. „ Pontifice, Imperiô dejectus, domi torpens „ illaudatum egit ævum. „ Ex quibus ultimis verbis colligere licet Sylvium implicitè innuere idem, quod habet Dubravius citatus, captivitatem scilicet Wenceslai secundam, Viennæ, ex eáque liberationem contigisse ante annum quadringentesimum supra millesimum; quô primùm Imperio dejectus est Wenceslaus.

Octavius de Strada in Wenceslao. „ Ni- „ hil, quod memoratu dignum esset, in Im- „ perio gessit. Illud certum est, nisi à fratre „ Sigismundo captus, & Viennæ in carcere „ servatus esset, Imperiô Germanorum Pro- „ cerum consensu deturbatus, res Imperii diu- „ tiùs afflixisset. „

[8.] Gerardus de Roó sub n. 3. præcedenti anno relatus.

[9.] Magnum Chronicon Belgicum. „ Jodocus Marchio Moraviæ post mortem „ Domini Ruperti Rom. Regis An. Domini „ MCCCCX. XIX. Septemb. fuit electus in „ Regem Rom. sed non coronatus: & vixit „ electus ad quinque menses, & ità obiit ni- „ hil insigne faciens. Quapropter inter Im- „ peratores non est accensendus, & in præ- „ senti Chronographia novum numerum non „ facit. Sed sciendum Jodocum istum per „ Joannem Moguntinensem, Fridericum Co- „ loniensem Archiepp., & per procuratores „ Ducis Saxoniæ, & Marchionis Branden- „ burgensis fuisse electum. „

Octavius de Strada. „ Jodocus filius Jo- „ annis Henrici Marchionis Moraviæ, fratris „ Caroli IV. natus est in Moravia, annô Do- „ mini MCCC. --- Barbarus dictus: homo „ inutilis, & qui veritatem non præstabat. „ Hic, ùt alii tradunt, ante Rupertum, de- „ lectô Wenceslaô in Regem Romanorum „ creatus est. Alii verò post mortem Ruperti „ à Principibus Electoribus Francofordiæ Re- „ gem eum designatum afferunt. Non au- „ tem coronatus est, quoniam erat prove- „ ctioris ætatis, annum enim 89. & menses „ aliquot excesserat. Vix 6. menses in Im- „ perio transegit. Brumiæ, quæ civitas est „ Moraviæ, mortuus, & in Monasterio S. „ Thomæ cum patre suo, qui id construxe- „ rat, sepultus. Annô Domini MCCCCXI. „

[10.] Dubravius ubi suprà sub n. 3.

[11.] Idem per totum exscriptus.

[12. & 13.] Chronic. MS. in Calendario suo.

[14.] Lazius Genealog. Austriac. commentar. lib. 2. „ Qui (*Albertus IV.*) cum „ conciliatis fratribus rediturus in Austriam „ erat, apud Znoymam Moraviæ limitaneam „ urbem, acceptô lethali poculô, in dysen- „ teriam resolutus, Korneuburgæ ex itinere „ rebus humanis eximitur, annô 1404. relictô „ filiô cognomine, nondum quintum egressô „ annum. Cujus funus Viennam devectum, „ ac aromatibus differtum, in Basilica S. Ste- „ phani in crypta sub Choro, ad latus patris „ patruique Rudolphi, qui primi omnium „ ejus generis isthic conditi fuerant, depo- „ nitur, lætus Domini buccinam expectatu- „ rus. „

Gerardus de Roó lib. 4. „ Accurrit tan- „ dem in castra Sigismundus Rex, & socia „ cum Alberto arma jungit. Procopius verò, „ & qui cum eo erant, majorem belli molem „ in se parari videntes, ad dolum confugiunt, „ & per idoneos malarum operarum mini- „ stros, venenatam utrique potionem exhi- „ beri curant, ex qua Sigismundus medico- „ rum ope convaluit, Albertus soluta obsi- „ dione, lecticâ Neoburgum delatus, præter „ veneni vim, soluto in dysenteriam ventre, „ diem extremum clausit, ad Oct. Cal. Sept.

„ annô

„ annô Domini quartô ſupra mille quadrin-
„ gentos. „

Piespordius in Alberto IV.
Fuggerus in ſpeculo ſuo ad ann. 1404.

Annus Chriſti MCCCCIV. Monaſterii CCLXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Innocentius VII.	Rupertus.	Albertus V.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Georgius.	Heinricus II.

OBiit hoc anno primâ Octobris Bonifacius Papa IX. Romæ, ſepultus eſt in Baſilica Vaticana. * [1.] Succeſſit eidem à Cardinalibus creatus Coſmatus Melioratus Presbyter Cardinalis titt. S. Crucis in Hieruſalem, Sulmonenſis, decimô ſextô Calendas Novembris hoc anno, vocatus Innocentius VII. Sedit in Schismate contra Benedictum XIII. Antipapam. [2.] Hunc Pontificem B. Malachias ſic prædixit: De meliore ſidere. Nam antea vocatus Coſmatus de Melioratis, Sulmonenſis, cujus inſignia ſidus. [3.]

Antiquitas porrò Monaſterii ſequentia profert: „ Annô 1404. facta eſt „ inundatio aquarum, nam Danubius exivit uſque ad S. Stephanum „ in Wogran; & multas domos & agros & vineas deſtruxit. Eodem „ anno in Zwetla vendebatur frumentum pro tribus ſolidis & decem denariis. Item triticum pro dimidio talento. Item avena pro quadraginta quinque vel quinquaginta „ denariis, & magna peſtilentia ſecuta „ eſt, quæ vaſtavit totam Auſtriam. „ [4.] Hæc antiquitas, quæ annonæ caritas magni tunc æſtimabatur; & infauſtus annus erat, tum ob peſtem graſſantem, cùm ob Archi-Ducem Neoburgi extinctum venenô ad octavum Calendas Septembris. De hujus obitu conveniunt plerique Auſtriæ Scriptores, [5.] quem etiam non obſcurè antiquitas Monaſterii noſtri anno priori annotavit, rejiciens ipſum in hunc annum, ſicut fuſiùs ibi de illo egi. Fuit autem in caſtris ante Znoymam tum Alberto, tum Sigismundo Ungarorum Regi, qui Auſtriaco in auxilium aſcenderat, venenum propinatum, à quo protinùs Sigismundus ope medicorum convaluit, Albertus autem præter veneni vim lectica Neoburgum delatus, ſolutô in diſſenteriam ventre præfato menſe & die extremum diem clauſit. Corpus ejus Viennæ ad D. Stephanum apud patrem eſt conditum. Hunc Albertum cognomentô Patientem, & Mirabilia mundi appellatum reperio, quòd mira quædam ab eo perpetrata eſſe, fabulatores quidam, materia ex itinere Hieroſolymitano detorta, ſuis rythmis evulgârunt. Ex uxore Johanna Hollandica filium reliquit Albertum V. poſtea Regem Ungariæ, Bohemiæ, & Romanorum. A morte Alberti IV. filio ejus puero Wilhelmus tutor fuit, qui rei ſummam ſemel ſuſceptam reliquô bienniô, quo patrueli ſupervixit, retinuit. Ego autem ut ordinem Archi-Ducum obſervem, ſub titulo illius colloco Albertum V. ſub tutela conſtitutum, unicum hæredem Auſtriæ: nam annis ſequentibus poſt mortem Wilhelmi, cùm fratres inter ſe de tutela Alberti dicti digladiarentur, certus non erat tutor, ſic neque certus Auſtriæ adminiſtrator & rector collocari poſſet.

Ceterùm annus iſte videtur tuliſſe Hainricum II. de Alentſteig de Abbatia Zwetlenſi ſive ſpontaneum ſive coactum, cùm nulla ipſius fiat ampliùs mentio. Ratio ſe iſta offert, tum quia venerabilis Monaſterii antiquitas ipſi Hainrico Abbati pro regimine duos integros annos aſſignat, & ſucceſſori ipſius Ulrico I. tres annos integros cum tredecim

cim septimanis, istúmque obiisse ponit in Octava S. Bernardi Annô Domini MCCCCVIII. [6.] tum quia is Hainricus ultra duos annos sedisset Abbas, si Annô Domini MCCCCV. resignâsset, sicut chronosticorum & recentior quidam Author volunt. [7.] Cœpit námque Abbatiam regere Hainricus ante festum Sanctorum Omnium Annô Domini MCCCCII. uti ibi videre est, & sedit duos integros annos, ùt antiquitas retulit, id est, usque ad Annum MCCCCIV. & usque ad Octobrem, ùt conjicio, mensem. Igitur hoc anno resignavit Heinricus: vacavit autem Abbatia Zwetlensis sex aut septem menses integros cum aliquot septimanis, donec alius substitutus fuerat. [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Bonifacio IX. „ Bonifacius Pont. malâ corporis habitudine, „ gravissimis morbis vexabatur, tussi, raucedine gutturis, cholicâ, calculô, quô afflictatus, lecto decubuit, & triduô pòst, Kalendis Octobris, annô 1404. decessit, corpus „ solemni funere in Basilica Vaticana sepultum est in Sacello, intra quod sepulchrum „ marmoreum, vermiculato opere distinctum „ cum gentilitiis insignibus propinqui ei erexerunt, quod in Basilicæ Vaticanæ reædificatione cum aliis multis dirutum fuit. Præfuit Pontificatui annis 14. mensibus 11. „ &c. „

Platina. „ Bonifacius autem in tanta rerum perturbatione diu afflictatus, dolore „ laterum tandem moritur, Pontificatûs sui „ annô quartô decimô, mense nonô, millesimô quadringentesimô quartô. Sepelitúrque in Basilica Petri sepulchro marmoreo, vermiculato opere distincto, quod adhuc cernitur cum gentilitiis insignibus: quæ „ item indicant multa ædificia tum in mole „ Hadriani, tum in Capitolio, tum in palatio „ Vaticani hujus jussu & impensâ ædificata „ fuisse. Huic autem Pontifici ad summam „ gloriam nil certè defuisset, nisì affinium & „ cognatorum affinitatibus obtemperans aliquam notam contraxisset. „

Item supplementum seu additio ad modò relatum Platinam. „ Petrus, aliàs Perinus „ Tomacellus, gente nobili, ex Nidi curia „ ortus, ex Diacono S. Georgii in Velabro „ Presbyter Cardinalis tt. S. Anastasiæ ab Urbano 6. factus, Pontifex Romæ creatus est „ in conclavi Vaticano IV. Nonas Novembris, annô MCCCXXCIX. Cardinalium „ 13. suffragiis, annum agens (non, ùt ait „ Platina circiter trigesimum) sed quadragesimum quintum. Coronatus apud S. Petrum III. Idus Novembris.----- Primus Romanorum Pontificum post reditum Apostolicæ Sedis ex Gallia summum imperium Urbis Romæ civibus se dedentibus obtinuit, „ Mausoleô Hadriani arcis instar, & capitoliô munitis, Pontificum ditionem stabilivit, majestatem nutantem confirmavit. Ecclesiæ Romanæ patrimonium tyrannorum „ vi amissum recuperavit. Latium, Campaniam, Picenum, Etruriam, Flaminiam, & „ Aemiliam provincias: item magnas urbes, „ Narniam, Tuder, Spoletium, Urbem veterem, Viterbium, Perusiam, Forum Julium, „ Faventiam, Bononiam, Ecclesiastico Imperio restituit. Joannis Galeatii Vice-Comitis primi Insubrûm Ducis vires, toti Italiæ „ formidabiles repressit.---- Obiit Romæ in „ Vaticano Sexagenarius Kal. Octobris. Annô 1404. „

Spondanus hìc n. 5. „ Missi à Benedicto „ Pontifice Avenionensi (*Antipapa*) Massiliæ „ existente, ad Bonifacium Romanum (petitô „ priùs ab eo consensu, acceptísque tam ab „ illo, quàm à Populo Romano liberi commeatûs litteris) unitatis Ecclesiæ causâ Petrus Rabanus Episcopus S. Pontii Tomeriensis, Petrus Zagarriga Ecclesiæ Ilerdensis „ electus cum nonnullis aliis; ubi Romam advenerunt decimô Calendas Octobris ad eum „ admissi (coacti tamen honorem ipsi, sicut „ vero Pontifici, exhibere) rogârunt in præsentia Cardinalium ipsius partis, ut ambo „ simul Pontifices aliquô locô commodô convenirent de unione tractaturi, ad quam „ Benedictus paratissimus esset. Pro responso „ verò remissi in alium diem, eò quòd ægrotaret Bonifacius calculi dolore vehementi, „ festô S. Michaëlis iterum accedentes, haud „ satìs gratô acceptô responsô, quô asserebat „ Bonifacius se verum esse Pontificem, ac „ Benedictum Spurium: ingratiora & ipsis verba reddentibus, quibus (ùt Niemus ait) „ Simoniam Bonifacii arguebant: inde commotior factus Bonifacius, febre ad dolorem „ calculi accedente expiravit Calendis Octobris, sepultúsque est in Basilica S. Petri Vaticana. Nuntios autem Benedicti Præfectus arcis S. Angeli consanguineus Bonifacii, „ eidem

„ eidem arci contra fidem commeatûs inclu-
„ sit, nec nisi solutis quinque millibus flore-
„ norum auri dimisit. Qui dehortantes Car-
„ dinales à novi Pontificis electione, donec
„ Benedictum commonefacerent, cum spe
„ fore, ut eis satis ab illo in his fieret: non
„ auditi sunt, quòd existimarent Cardinales
„ hæc ab iis subdolè proponi. Ità námque
„ rem narrat Niemus, qui aderat, confirmát-
„ que Surita ex litteris Benedicti ad Wen-
„ ceslaum Boëmiæ Regem: ac referunt Galli
„ Monachus Dionysianus & Juvenalis; nun-
„ ciorúmque insuper captivitatem indicant
„ prætextam fuisse à Præfecto arcis, quòd
„ causam præbuissent repentino Bonifacii
„ obitui. Sed aliter rem se habuisse † scri-
„ psit postea Innocentius Bonifacii successor,
„ ad Universitatem Parisiensem, ùt dicetur
„ commodiùs eô locô. „

† Idem ad ann. sequentem n. 3. „ Quod
„ verò schisma Ecclesiæ spectat; cùm acce-
„ pisset Innocentius ex binis ad ipsum scri-
„ ptis ab Universitate Parisiensi literis, quæ
„ nuncii Benedicti retulerant de iis, quæ Ro-
„ mæ tractâssent, ac de sua ipsorum captivi-
„ tate: rescribens ad eam decimô tertiô Ca-
„ lendas Martii, imprimis schisma detestans,
„ & se ad illud extinguendum paratissimum
„ profitens, posteà de nunciis ait, eos nul-
„ lam aliam viam extinctionis ejus obtulisse,
„ quàm conventionis duorum contendenti-
„ um: cúmque morbis gravatus Bonifacius
„ obiîsset; & Cardinales ejus ab iisdem nun-
„ ciis sciscitantes, num mandatum haberent
„ ad cedendum ex parte Benedicti; quoniam
„ inter ipsos omninò decretum fuerat, si id
„ habuissent, non procedere ad aliam ele-
„ ctionem, quousque super extinctione schis-
„ matis provisum foret; audissent à nunciis
„ se mandatum ejusmodi non habere; ipsos,
„ nè Ecclesia Dei diutiùs Pastore careret, pro-
„ cessisse ad electionem, quâ ipse Innocentius
„ creatus fuisset. Quòd verò de sua captivi-
„ tate nuncii quererentur, eam procul dubio
„ ipsismet imputandam esse, qui nolentes in
„ Urbe manere, ubi omnis securitas præbe-
„ batur, maluissent abscedere; ínque ejus
„ manus incidissent, è quibus nec Cardinales,
„ nec ipsemet Innocentius potuisset eos eruere
„ in motibus Urbanis, qui mox eruperunt.
„ Hæc Innocentius ad Universitatem. Ea-
„ démque Nonô Calendas Maji ad Ducem
„ Bituricensem patruum Regis; cùm is etiam
„ Romam misisset ad rei gestæ veritatem in-
„ quirendam. Testantur enim ista sæpe recen-
„ siti & recensendi Monachus Dionysianus, &
„ Juvenalis in rebus gestis sub Carolo Sexto. „

[2.] Ciaconius in Innocent. VII. „ Sul-
„ mone è Pelignorum oppido diœcesis Val-
„ vensis in Aprutio, mediocri genere, fami-
„ lia Meliorata, & honestis parentibus pro-
„ diît Innocentius VII Cosmatus Melioratus
„ ante Pontificatum vocatus. 29. Papa Regni-
„ cola. Qui adolescens Juris disciplinæ ope-
„ ram dedit, & Doctoratûs utriusque Juris
„ insignia suscepit. Capuæ publicum Scri-
„ bam egit, & sub Urbano Papa VI. Clericus
„ Cameræ Apostolicæ, à quo Collector re-
„ dituum ejusdem Cameræ in regnum Angliæ
„ est missus; postea ab eodem Urbano Archi-
„ Episcopus Ravennas, in locum Pilei Card.
„ privati, mox Bononiensis Episcopus
„ cum commenda Ravennatis Ecclesiæ, de-
„ inde Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius, &
„ Vice-Camerarius creatus fuit. Demum à
„ Bonifacio Papa IX. in principio Pontifica-
„ tûs sui cum aliis octo Presbyter Card. tt.
„ S. Crucis in Hierusalem factus, aliquot an-
„ nis pôst, mortuô Stephanô Palosiô S. R. E.
„ Camerariô, Camerariatûs munus obtinuit;
„ Legatione Italica, ut pacem inter Venetos
„ & Joannem Galeatium Insubrûm Ducem
„ bellô certantes componeret, egregiè
„ functus. Mortuô autem Bonifacio IX.
„ Romæ in ejus locum in schismate, omnium
„ Cardinalium in conclavi existentium suf-
„ fragiis, XVI. Kal. Novembris, ann. 1404.
„ IX. vacantis Sedis die, Pontifex Max. re-
„ nuntiatur, jurejurando adactus, ut in Ec-
„ clesiæ unitate ineunda, etiam cum Ponti-
„ ficatûs depositione operam daret.

„ Annô Dominicæ Nativitatis 1404. IV.
„ Nonas Novemb. Romæ in Basilica S. Petri
„ consecratus, Pontificatûs insignia suscepit
„ solemni ritu Innocentius Papa VII. præsen-
„ tibus Cardinalibus, Clerô, Populóque Ro-
„ manô; sedit autem Roberto Cæsare, &
„ Venceslao Augustis annis duobus, diebus
„ 21. in schismate contra Benedictum XIII. „

Spondanus ad hunc ann. n. 7. „ Erant
„ omnino duodecim Cardinales ejus (*Boni-
„ facii*) obedientiæ tunc viventes: quorum
„ quatuor absentibus ab urbe, ceteri octo
„ conclave ingressi, ante omnia hoc sese ju-
„ ramento astrinxerunt, ut quisquis ipsorum
„ Pontifex renunciaretur, liberè Pontificatu
„ abdicaret, quoties alterius obedientiæ Pa-
„ pa idem faceret, schismatis tollendi causâ.
„ Ac licèt Rex Francorum Carolus confestim,
„ ùt audîsset Bonifacii obitum, cursorem ad
„ eos misisset cum litteris, quibus rogabat
„ differre successoris electionem, donec ho-
„ norabilem à se mittendam ad eos pro re-
„ rum accommodatione legationem accepis-

 „ sent;

„ ſent; nihilominus fuit priùs omnium votis „ electus (poſtquam Sedes vacâſſet quindecim diebus) Coſmatus Melioratus Sulmonenſis Valvenſis diœceſis in Aprutio..... „

[3.] P. Henriquez in Faſciculo SS. Ordin. Ciſtercienſ. Diſtinct. 3. c. 14.

[4.] Chron. MS. in Calendario ſuo.

[5.] Gerardus de Roó cum reliquis ad ann. præcedentem ſub n. 14. relatis.

[6.] Chronic. MS. ùt ſuprà.

[7.] Tabulæ Abbatum pictæ in Heinrico II. Item Catalogus Abbatum Zwetlenſ. recentior.

[8.] Chronic. ſuprà citatum.

Annus Chriſti MCCCCV. Monaſterii CCLXVII.

Pont. Rom. Innocentius VII. *Imp. Rom.* Rupertus. *Archi-Dux Auſtriæ* Albertus V.

Epiſcopus Patavienſis Georgius. *Abbas Zwetlenſis* Ulricus I.

ELectione Abbatis novi in Zwetel in hunc annum protracta tandem inventus fuit, qui fortè invitus onus Abbatiæ ſuſciperet. Fuit igitur electus F. Ulricus ejus nominis I. cognomentô dictus Offerl; & aſſumptus eſt ex Vicario in Parochia incorporata S. Laurentii in Windigſteig in Abbatem Domûs ſuæ in Zwetel profeſſæ. Salutatur autem Abbas ſeptimô Calendas Junii, quod inde conſtat. Rexit Monaſterium annos tres, & tredecim ſeptimanas; mortuus enim Abbas fertur Annô Domini MCCCCVIII. in Octava S. Bernardi, id eſt, ſextô Calendas Septembris, ſeu 27. Auguſti. * [1.] Tredecim autem ſeptimanæ ſunt à ſexto Calendis Septembris (retrò numerando) uſque in ſeptimum Calendas Junii, ſeu à 26. Maji uſque ad 27. Auguſti; incipe igitur numerare hoc anno MCCCCV. à 26. Maji uſque ad eundem 26. Maji Anni MCCCCVIII. invenies integros tres annos, his annis tribus adde ſuprà numeratas tredecim ſeptimanas, & habebis Ulrici Abbatis regiminis tempus. Igitur ſeptimô Calendas Junii Ulricus Offerl Abbatiam Zwetlenſem ſuſcepit. De cujus ſucceſſione omnes conveniunt Abbatum Zwetlenſium Catalogi, quòd nimirum Hainrico de Alentſteig reſignanti ſucceſſerit, [2.] non tamen omnes in anno concordant.

Porrò Venerabilis iſte Pater Ulricus animum primò adjecit ad Dei gloriam & honorem promovendum, atque apud Pontificem Romanum Innocentium VII. ſollicitari curavit licentiam & Authoritatem conſtruendi Sacellum aliquod ad honorem S. Thomæ Archi-Epiſcopi Cantuarienſis, Martyris Ordinis Ciſtercienſis glorioſi, quem pro libertate & juſtitia Eccleſiæ Romanæ glorioſè occubuiſſe poſt initium Annalium horum Annô MCLXXIII. ſcripſi. [3.] Nam cùm quidam fonticulus in loco, qui dicitur Dachsgraben, non procul à Monaſterio Zwetlenſi diſſito ſcaturire cœpiſſet, & in principio ſuæ ſcaturiginis uni aut alteri ſalubris ejus aqua fuiſſet, tanta demum ibidem confluxit multitudo hominum, ut vallis illa ipſis anguſta videretur. Quod cùm frequentiùs fieret, & miracula ibi facta ſpargerentur, tuguriolum de lignis conſtruxerunt ſibi pro Oratorio. Hæc Abbas Ulricus percipiens, & attendens, ſimúlque metuens, nè exinde aliqua idololatria ſurreperet tanquam in luco umbroſo nemore circumdato, & nullo paſtore rudem paganorum undique confluentium multitudinem doctrinâ erudiente, aut pabulô ſalutiferô paſcente ovis errabunda fieret, ſollicitavit apud Papam conſtruendi & inaugurandi Sacelli licentiam in honorem S. Thomæ Cantuarienſis, in cujus ſolennitate fortè miraculum aliquod contigit, aut in cujus honorem vel locum ipſum multitudo hominum frequentare ſtuduit, vel in cujus

cujus laudem conspiravit. Quas preces Abbatis Ulrici Pontifex Innocentius VII. gratanter accepit, referens sua in Bulla, quòd indulgeat Capellam in loco deserto dicto Dachsgraben ædificare in honorem S. Thomæ Cantuariensis Archi-Episcopi, [4.] qui ibidem magna & notabilia miracula ostendisse dicitur, unde confluxus populi magnus factus est. Deinde largitur Monasterio & ejus Abbati Ulrico in Zwetel jus patronatûs in prædicta Capella, atque ut eidem Capellæ unum ex Monachis suis Conventualibus perpetuò liberè & licitè præficere possit, qui omnia divina munia ritè peragat, concedit. Data est Bulla Viterbii, secundô Nonas Septembris, Pontificatûs sui annô primô. Incipit autem taliter: „ Inter cætera de-„ sideria cordis nostri &c. „ Fundator igitur hujus Capellæ Ulricus I. fuit, cujus restaurator deinde extitit Ulricus II. cognomentô Hackel, sicut suo tempore patebit. Quæ usque hodiè magnâ populi frequentiâ certis anni festivitatibus aditur, ubi Deus adoratur, & Sanctus ejus debitâ reverentiâ honoratur.

Occurrunt præterea hoc anno contigisse ea, quæ sequuntur: „ Annô 1405. „ Albertus de Vetaw cœpit dolosè sci-„ licet de nocte civitatem Drosendorf, „ & cœpit fortiter castrum in eadem „ civitate impugnare, sed Inclytus Mi-„ les Dominus Zacharias Haderer cœ-„ pit se de castro cum lapidibus & sa-„ gittis viriliter defendere, mittens ad „ Ducem Austriæ Wilhelmum pro au-„ xilio, qui misit sibi statim in auxilium „ magnam multitudinem rusticorum, „ & civium, & Baronum, qui intrepidi „ intraverunt per castrum in civitatem, „ & cœperunt fortiter Bohemos impu-„ gnare, & per portam vi rustici intrave-„ runt, & etiam portam fregerunt, & ci-„ vitatem intraverunt. Videns verò præ-„ dictus Albertus de Vetaw iram rusti-„ corum Austriæ non posse evadere, si-„ mulavit se esse unum civem de Lewbs, „ sed quidam terribilis rusticus eum no-„ vit, dixítque ad eum: Tu es ille pessimus „ Albertus de Vetaw, nam loquela tua „ manifestum te facit, & arripiens cu-„ spidem (*bastam*) percussit eum ad ca-„ put, qui cecidit de equo. At verò „ alii rustici concurrentes cœperunt „ cum lanceis, gladiis & cuspidibus per-„ forare, & sic idem in continenti mi-„ serabiliter à rusticis interemptus est. „ Sed aliqui Barones Austriæ ipsum li-„ benter eripuissent de manibus rusti-„ corum, sed non valuerunt. Item cùm „ corpus ejusdem Alberti de Vetaw ex-„ ueretur ad lavandum, ùt mos est Do-„ minorum, apparuerunt triginta sex fi-„ xuræ (*cicatrices*) in corpore exceptis „ vulneribus & plagis, quæ sibi omnia „ illata fuerant à rusticis, nam ipse eos „ sæpè spoliavit, & vinculavit, unde „ ipsi se in eo vindicaverunt, sed sui sa-„ tellites aliqui furtivè fugam dederunt „ de civitate, & multi submersi sunt in „ flumine, alii interfecti; & sic prædi-„ cta civitas Drosendorf erepta est de „ manibus Bohemorum. Nam rustici „ in uno cellario invenerunt quinqua-„ ginta duos Bohemos latitantes, quos „ statim sinè omni misericordia interfe-„ cerunt. „ [5.] Hæc antiquitas Monasterii nostri. Et ità Dei judiciô periit, qui multos pauperum dedit perditioni, caput unum ex perduellibus. Fuisset Austriæ maximo damno, si sceleratus hic prædo arcem unà cum civitate in potestatem suam redegisset. Nam sita est in loco à natura munito, nec facilis datur ad illam accessus, nisì ab una parte, qua profundâ fossâ & turribus grandibus, item arcis altis & duplicatis mœnibus munita est contra insultus militum, & impetus tormentorum. Ceterùm circum circa præcipitium ex rupibus præter occasum, ubi altera porta præstat incolis egressum ad Teyiam fluvium. Mœnia sunt ex lapide duro, antiquo opere constructa, quæ sæpè plurimos pertulit hostium insultus. Mea ætate perduelles Bohemi, qui Austriam sub Ferdinando II. Imp. omnem cædibus,

ſpoliis & rapinis integro exercitu defor-mârunt, per tranſitum putantes ſibi tradendam civitatem cum caſtro, Cæſareo Commiſſario Domino Valentino Præpoſito Perneccenſi Ducis Strenui officium intùs gerente, & cives animante, contráque ſpartam egregiè defendente, nihil effecerunt, nisì quòd tectum Sacelli S. Martini intra mœnia ſiti globis è colobrinis duabus miſſis perforârint, ligneósque in mœnibus ſuſpenſos militum alveolos dejecerint, muro quidem globos excipiente, ſed tanquam pilam reſpuente & rejiciente. Vidi loca caſtrorum, vidi etiam dejectos alveolos, vidi loca murorum tacta, ſed nec rimulas quidem agentia: cetera à Notario dictæ civitatis, qui inter obſeſſos fuit, tanquam ab oculato teſte percepi. Atq; hæc de oppugnatione arcis Droſendorſenſis.

ADDITIONES.

* [1.] Chronic. MS. in Calendario ſuo.
[2.] Wolfgangus Abbas in ſua Abbatum ſerie.
Recentior Abbatum Zwetlenſ. Catalogus.
[3.] Wolfgangus Abbas in ſua Abbatum ſerie.
[4.] Ex Bulla Innocentii Papæ VII.
[5.] Chronic. MS. ſuprà citatum.

Annus Chriſti MCCCCVI. Monaſterii CCLXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Gregorius XII.	Rupertus.	Albertus V.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Georgius.	Ulricus I.

DEceſſit hoc anno è vita Innocentius Papa VII. ſenex & grandævus Romæ. * [1.] Cui ſubſtituitur à 13. Cardinalibus Angelus Corarius, ex gente Patricia primus ex Venetis, Presbyter Cardinalis tit. S. Marci, eâ lege & conditione, ut primo quoque tempore Pontificatu ſe abdicaret, ſi idem Benedictus XIII. quemadmodum ſe facturum juraverat, præſtitiſſet: ità ut magis procurator ad deponendum Pontificatum, quàm Pontifex factus exiſtimaretur. Coronatus Nonis Decembris Annô Domini MCCCCVI. & Gregorius XII. appellatus eſt. [2.] B. Malachias Hibernus eundem prædixit ità: Nauta de ponte nigro. Erat enim antè Venetus Commendatarius Eccleſiæ Nigropontis & Monachus dicitur Ciſtercienſis fuiſſe. [3.]

Eodem tempore Neuſideli ad Ungariæ fines prædones quidam itinera & circumjacentes agros vaſtantes partim juſſu Wilhelmi cæduntur, partim capti Viennæ vel ſuppliciô promeritô vel pecuniâ plectuntur. Quod ægrè tulit Sigismundus Ungariæ Rex, à ſuis in germanos veteri odio frementibus inſtigatus. Unde jam rumor ſpargebatur exercitum ab eo contra Auſtriam parari. Wilhelmus igitur, ut facti ſui rationem redderet, neque bello cauſam dediſſe crederetur, Georgium Patavienſem & Berchtoldum Friſingenſem Epiſcopos, Præpoſitum Viennenſem Wilhelmum, & Reimbertum à Walſee legatos, Budam ad Regem miſit. Cùm verò Rex auditâ legatione rem nimis exaggerare videretur, Reimbertus in hæc verba locutus eſſe dicitur: „ Nolimus ſanè „ quemquam putare, Sereniſſime Rex, „ nos huc legatos veniſſe, quòd Princeps noſter bellum aut expaveſcat, aut „ deprecetur, ſed quòd publicæ quietis „ rationem habeat. Neque enim pacem aut fecialia jura abs ſe violata „ in eo exiſtimat, quòd noxios homines meritô affecerit ſuppliciô. Quòd „ ſi verò decreveris bellô injuriam (ità „ enim interpretari hoc ejus factum videris) perſequi, non imparatum

„ uſque

„ usque adeò invenies, nec à suis de-
„ stitutum auxiliô. Ego sanè, ut de
„ aliis, qui domi sunt, nihil dicam,
„ mille armatos per anni spacium alere
„ paratus, hos meos collegas, ùt me
„ potentiores, ità vel tantundem, vel
„ plus etiam præstaturos non dubito. „
[4.] Hæc cùm ingenuè ac liberè protulisset Reimbertus, Ungari re in consilio agitatâ pacatiùs legatis responsum dedêre, & à bello temperatum est.

Hoc eodem anno Wilhelmus nulla relictâ prole obiît. [5.] Sunt qui leonem ab eo educatum ferunt, ipso mortuo cibum à nemine sumpsisse, atque inediâ periisse. Wilhelmô mortuô Leopoldus, Fridericus & Ernestus fratres, Austriâ Alberto relictâ, reliquas inter se provincias partiti sunt. Sueviæ provinciæ quæque Rheno adjacent, Burgovia, Brisgovia, Alsatia, Ergovia, & Helvetiis conterminæ ditiones Leopoldo cedunt. Ernesto Stiria, Carinthia cum Carnis. Friderico Tirolensis Comitatus. Cùm verò Albertus V. puer admodum esset, tutelam ejus quisque pro se ambiebat. Leopoldo natu maximo Procerum Austriacorum arbitratu pueri tutela committitur, quam cum fratres, inprimis verò Ernestus, ad se quoque pertinere contenderet, multæ & graves turbæ per Austriam extitêre. Quæ annis sequentibus referentur.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Innocentio VII.
„ Confirmata autem suo Pontificatu pace,
„ Ludovicum nepotem Agri Piceni Cardina-
„ lem creat, eundémque Firmanum Princi-
„ pem constituit, ipse verò non diu pòst senex
„ & grandævus Romæ moritur, Pontificatûs
„ sui annô secundô, die 21. an. 1406. VIII.
„ Idus Novembris, sepelitúrque in Basilica
„ S. Petri in Sacello, quod olim Pontificibus
„ dicatum erat S. Thomæ titulô insignitum,
„ Pœnitentiariorum usibus nunc præcipuè ser-
„ viens, quod quidem vetustate & situ cor-
„ ruens, Nicolaus V. postea restituit. „

Spondanus hic n. 5. „ Interea verò con-
„ tigit Innocentium Romæ mori octavô Idus
„ Novembris ex apoplexia, ferè septuagena-
„ rium; cùm sedisset annos duos, dies vi-
„ ginti duos: Sepultúsque est in Basilica S.
„ Petri.

[2.] „ Cujus Sede vacante Cardinales
„ ejus, qui in Urbe erant (ùt narrat Leonar-
„ dus Aretinus, tam prædicti Innocentii
„ quàm Gregorii ejus successoris Scriba;
„ cujus epistolis summâ, ùt videtur, fide con-
„ tinentur pleræque res utriusque gestæ) de-
„ liberare inter se cœperunt, supersederéntne
„ electione, an alium in demortui locum
„ crearent? dubitationem faciente quòd Galli
„ sancta provisione, & à cunctis fidelibus me-
„ ritò commendanda Pontificem suum strictis
„ promissionibus adegerant sese abdicaturum
„ esse, sive Cardinales partis adversæ mortuo
„ Pontifice supersederent electione, sive Pon-
„ tifex ipse item se abdicaret, quo utriusque
„ collegio in unum conveniente, unica indubi-
„ tati Pontificis sequeretur assumptio: alia ve-
„ rò parte, cùm in supersedendo, & seditio-
„ num in urbe metus, & longior temporis di-
„ latio, & frustratio adversarii, & hujusmodi
„ multa timerentur; & in eligendo voluntas
„ ejus, qui assumptus esset, formidabilis vi-
„ deretur. His omnibus diligenter expensis,
„ vicit tandem eorum sententia, qui eligen-
„ dum quidem Pontificem suadebant, sed va-
„ lidissimè obligandum, quò adversario se
„ abdicare volente, ipse quoque Pontifica-
„ tum dimitteret. Ea mente conclave in-
„ gressi Cardinales numerô quatuordecim de-
„ cimô quartô Calendas Decembris, singuli
„ solemniter Deo voverunt, ac jurejurando
„ super sancta Dei Evangelia sanxerunt, si sibi
„ contingeret ad Pontificatum assumi, ad-
„ versario Pontifici statim scripturum, invita-
„ turúmque ad se invicem abdicandos, pro-
„ curaturum insuper bona fide, sinè ulla frau-
„ de, omni viâ & modô unitatem; & quò
„ omnes Reges Principésque testes haberet
„ obligationis suæ, promissionem, & votum,
„ & jusjurandum, quod ipse præstitisset iis
„ per suas litteras primo quoque tempore
„ significaturum. Ea cùm in libellum rede-
„ gissent, & chirographis suis firmâssent, agi-
„ tare deinceps de electione incipientes, nec
„ tam virum quærentes peritiâ rerum geren-
„ darum, quàm fide & integritate idoneum;
„ tandem in Angelum Corarium natione Ve-
„ netum mentem, consensúmque omnes ver-
„ terunt, virum prisca severitate & Sanctimo-
„ niâ reverendum. Ità Aretinus. Quæ ea-
„ dem contractiùs habet Niemus, qui æquè

„ aderat, & instrumentum ipsum de hac re à „ quatuordecim Cardinalibus confectum hoc „ anno Domini 1406. Indictione decima „ quarta, die Martis, festo S. Clementis vi- „ gesimò tertiò Novembris bis recitat; nem- „ pe lib. 3. de schismate, & Nemoris unionis „ tractatu primo, infensissimus ceteroqui ejus- „ dem Angeli Corarii hostis (quem Grego- „ rium in Pontificatu dictum, ipse continuè „ Errorium nominat) sive ob non servata ab „ illo, quæ adeo solemniter Deo voverat, un- „ de magna orta sunt scandala; sive ob aliquam „ injuriam, vel fortè etiam petitæ alicujus „ gratiæ repulsam ab eodem acceptam. Quo „ eodem instrumento (quod pariter Surita „ suo Indici verbatim inseruit) vovetur item, „ haud eum, qui electus foret, creaturum „ ullos Cardinales pendente tractatu unionis „ (qui tamen arctatur ad quindecim menses „ à die electionis Pontificis) nisi fortè causa „ coæquandi numerum sui Collegii cum nu- „ mero alterius.

N. 6. „ Erat prædictus Angelus Corarius „ genere Patricio Venetiis ortus; idémque „ ex eximio Sac. Theologiæ Magistro Epi- „ scopus factus Castellanus Venetiarum, & à „ Bonifacio IX. evectus in titulum Patriarchæ „ Constantinopolitani cum Chalcidensis in „ Insula Euboea Ecclesiæ commendatione; ab „ Innocentio ejus amantissimo creatus fue- „ rat Presbyter Cardinalis tituli S. Marci: qui „ ultima die Novembris Pontifex electus, „ septuagenariò major (dicunt aliqui octo- „ genarium jam tunc fuisse) nomen assumpsit „ Gregorii Duodecimi: & Nonis Decembris „ (ùt Onuphrius habet: de quo paulò pòst) suæ „ coronationis insigniâ suscepit ad S. Petrum: „ Vir utique à plerisque de doctrina, religio- „ ne, pietate, ac morum probitate apprimè lau- „ datus; nisì in tergiversationibus derelin- „ quendi Pontificatûs, ac collusionibus cum „ adversario contra præstitum juramentum, „ harum virtutum famam commaculâsset.

„ Statim nihilominus post suam electio- „ nem renovans votum ac juramentum præ- „ dictum (cui actioni se interfuisse non so- „ lùm Niemus scribit, verùm etiam auctor „ Burdegalensis aliquando à nobis citatus) „ magnam spem omnibus fecit restitutionis „ pacis Ecclesiæ; ità de unione loquens (in- „ quiunt Aretinus & Niemus) ut si cetera „ deessent, cimbulâ navigare, aut pedibus & „ baculô sese iturum ad eam conficiendam „ asseveraret. Habuisséque eum initio hanc „ mentem, facilè est credere: sed imperii „ dulcedine semel degustata, & suorum pro- „ movendorum affectu, fuisse postea in trans- „ versum actum. Interim verò sicut jurave- „ rat, scripsit festinanter, etiam antequam „ coronaretur, ad Benedictum Lunensem, „ per quendam Conversum Ordinis Prædica- „ torum hoc titulo: Gregorius Episcopus, „ Servus Servorum Dei, Petro de Luna, quem „ nonnullæ gentes in hoc miserabili schis- „ mate, Benedictum XIII. appellant, pacis „ & unionis affectum: exhortans ad unionem; „ & offerens cessionem dum & is cedere vel- „ let, & Cardinales ejus concordare cum „ suis Gregorianis ad electionem unius; pro- „ mitténsque abstinere pendente unionis tra- „ ctatu à creatione novorum Cardinalium, „ modò & Benedictus abstineret, (quæ erant „ conditiones appositæ voto ac juramento „ præstito) missurúmque se brevì Oratores, „ qui cum eo de loco ad hæc inter ipsos tra- „ ctanda idoneo agerent. Recitat bis has „ literas Niemus: habétque insuper Surita. „ Quæ cùm disertè datæ dicantur ante coro- „ nationis solemnia (ac propterea Bullam „ sinè impressione nominis iis appensam esse) „ diéque duodecima ab ipsius assumptione, „ undecimâ verò Decembris (qua etiam no- „ tatur, quam ad Universitatem Parisiensem „ scriptam recitat Monstreletus) cùm vix po- „ tuerit tot diversis locis error irrepsisse in „ numerum, est, ut inde corrigas, quod O- „ nuphrius & Ciaconius habent de die No- „ narum, seu quintô Mensis coronationis „ Gregorii.

„ Scripsit pariter eodem sensu ad Cardi- „ nales Benedicti hoc titulo: Gregorius &c. „ Universis, qui in hoc miserabili schismate „ P. de Luna, qui se Benedictum nominat, „ tamquam Cardinales adhærent, pacis & „ unionis consolationem, nec non ad omnes „ Reges & Principes, & Respublicas, ac præ- „ cipuos Prælatos, & Proceres, atque Uni- „ versitates, narrans ea, quæ facta essent, „ eadémque promittens, & in certam unio- „ nis spem erigens, & ad eam peragendam „ concurrere cohortans: commendatus pro- „ pterea ab omnibus in immensum. Scripse- „ réque insuper eâdem sententiâ Cardinales „ Gregoriani tam ad Benedictum, quàm ejus „ Cardinales. „

Ciaconius in Gregorio XII.

[3.] P. Henriquez in Fasciculo SS. Ord. Cisterc. ubi suprà ad ann. 1404. relatus.

[4.] Gerardus de Roó lib. 4. exscriptus.

[5.] Idem eodem loco ad litteram addens de Leone. „ Hoc genus animalis pri- „ mùm ab Hannone Pœno, & post eum ab „ aliis cicuratum legitur. Nec defuit quo- „ que nostra ætate Illustris belli Dux, qui „ Leo-

„ Leonem cicurem suis ipse manibus pavit. „ Piespordius sub Wilhelmo I. „ Wilhelmus I. Austriacus cognomentô Aulicus à „ primis pueritiæ annis in aula Ludovici I. „ Hung. & Polon. Regis educatus eam de „ præclara animi indole spem dederat, ut ei „ Rex Hedwigim minorem filiam impubem „ despondent; cum certa spe succedendi in „ regnum Poloniæ. Fuit hic filiorum Leo„ poldi natu maximus, & à morte Patris ejus„ dem ditiones suo & fratrum nomine, sic „ etiam Austriam mortuô Albertô III. com„ munibus cum Alberto IV. auspiciis, & eo„ dem absente in Palæstina, nec non ab ejus „ obitu tutorio nomine pro Alberto V. filio „ gubernavit. Obiit Viennæ An. 1406. aut „ 1407. Sepultus ad D. Stephani. Hoc de„ functo (Austriâ exceptâ) reliquas Provin„ cias inter se partiti sunt. --- Leonem cicu„ ravit & propriâ manu pavit. „

Megizerus Annal. Carinth. lib. 9. c. 37.

Richardus Struno Annal. Super. Austriæ hoc anno.

Annus Christi MCCCCVII. Monasterii CCLXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XII.	Rupertus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Ulricus I.

BEllum intestinum hoc anno in Austria exortum est, provinciales enim nonnulli, & qui in civitatibus Magistratus gerebant, de Leopoldi gubernatione, quam antè approbaverant, graviter conquerebantur, impotentiùs agere, nec pro tutore se sed pro Domino gerere, & rei summam ad se trahere dicebant. Hæc suorum litteris ac nuntiis edoctus Ernestus, Græciâ Styriæ, ubi tum erat, Viennam properè advolat. Præstò ei sunt Fridericus & Reimbertus Walseii fratres, quorum ille Alberti Principis aulæ Præfectus erat, & alii nonnulli, útque agnati tutelam in se, & rerum gubernacula suscipiat, hortantur. Leopoldus iræ plenus Neapolim se confert, & contracto raptim milite Ecclesiasticorum quorundam ac Procerum cum Ernesto sentientium prædia invadit. Interim Frisingensis Episcopus Leopoldi Dux militaris Ensesdorffii quàm plurimos ex equestri ordine & nobilitate viros ad se vocatos in Leopoldi fide confirmat. Hi ineunte autumno junctis viribus contrariæ factionis agros depopulati, Egenburgum, Drosendorffium, & Laam nec opinato adventu capiunt, magnâmque ex iis cladem vicinis agris inferunt. Adeò verò afflictus rerum status, adeò miseranda hominum conditio, ut nec cui tutò fidere, quémve timere deberet, quisquam scire posset, neque parentes à filiorum, neque vicissim hi ab illorum injuriis securi agitarent. Ut enim quævis factio quovis in loco armis superior erat, itâ subditi eam admittere cogebantur, quorum paulò pôst alterius factionis hominibus pœnas daturi essent. Itinera etiam omnia rapinis infesta fugam inire prohibebant. Interim adnitentibus utrinque Proceribus nonnullis conciliandæ pacis & concordiæ conventus indicitur Claustro-Neoburgi. In eo Leopoldi res superior fuit, itâ tamen, nè frater à tutela prorsus excluderetur. Itaque hic Græciam Styriæ petiît, ille magna cum pompa Viennam deductus est, unde Neapolim profectus Liberalia illic celebravit. * [1.]

Refert etiam antiquitas Monasterii sequentia: „ Annô Domini 1407. „ octavô Nonas Decembris à Nicolao „ Suffraganeo Pataviensi (*consecratur* „ *Sacellum vel Altare in Sacello in ho*„ *norem SS.*) Wolfgangi, Alexii, E„ rasmi, Erhardi Episcoporum, Hele„ næ, Barbaræ, Ottiliæ Virginum. „ [2.] Hæc illa. Altare vel Sacellum sive in Templo majori, sive extra illud intra Monasterii septa nullum his Sanctis dedi-

dedicatum reperitur, igitur credo ego Ecclesiam S. Wolfgangi in Pfaffenslag sitam, & à Fundatoribus Dominis Schaler matrici Ecclesiæ in Schöenaw tanquam filiam subjectam, indigitari, cujus jus patronatûs anno sequenti à Diœcesano Pataviensi Episcopo Parochiæ in Schöenaw fuit appropriata, utì apparebit.

Porrò anno isto quidam Chünringius de Fundatorum nostrorum progenie prodiit, nostrum Templum Reliquiis Sacris ditescens, qui quantùm conjicitur, in bello intestino pro Ernesto stabat. Fuit autem ille D. Achatius de Chünring in Seveld, qui varias numerô 771. Reliquias in manus D. Ulrici Abbatis tradidit, quas à Patre suo felicis recordationis nimirùm D. Nitzone de Chünring magno labore comparatas fuisse asseruit. Datum annô Domini 1407. in Octava Ascensionis Domini. [3.] Feci hujus mentionem unà cum patre Annô MCCCLXXXIII. & D.Schetsonis Annô MCCCLXXXII. & sic patet, jam defunctum fuisse vel hoc anno vel prioribus D. Nitzonem de Chünring, & utique hìc in sepultura Majorum suorum conditum, licèt de sepultura nullum extet monumentum.

Hoc demum etiam anno Liebhardus Tumbritzer dictus de Dietreichs fatetur se emisse laneum unum desolatum in Dietreichs situm, quod hospitali pauperum in Monasterio Zwetlensi quindecim denarios quotannis serviebat, ex quo ille laneo piscinam construxit. Datum annô Domini 1407. in festo S. Martini. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó libro 4. ad verbum.

[2.] Ex Codice MS. Bibliot. Zwetlensis

[3. & 4.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MCCCCVIII. Monasterii CCLXX.

Pont. Rom. Gregorius XII. *Imp. Rom.* Rupertus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Nicolaus III.

STruno in Annalibus suis refert hoc anno, Sigismundum Ungariæ Regem se in litteris propriis confœderationis cum Ernesto Austriaco factæ nominare Vicarium Imperii, & Regni Bohemiæ gubernatorem, quod sibi, vivente Wenceslao & Ruperto, admirationi est. *[1.] Verùm sciendum est, Sigismundum nunquam credidisse, quòd Wenceslaus ab Imperio deponi potuerit vivus, neque Rupertum pro Imperatore etiam agnovisse, sed potiùs se proximum fuisse, qui Imperiô dignus sit, & studiô à Principibus in electione prætergressum esse, ideóque Wenceslai nomine se Vicarium Imperii, siquidem ille otiô & desidiâ ità torpeat, ut non tantùm Imperium, sed quoque Regnum paternum negligat, constituisse, quod etiam constat ex Sigismundi ipsius posteà in Cæsarem electione, ubi Wenceslaus ipse confessus est, se spontè fratri cedere ab Imperio, nunquam verò Ruperto cessisse, quidquid contrà Principes Electores Papæ auspiciis fecissent. [2.] Suprà etiam Gerardus de Roó Vicarium Imperii Sigismundum vocavit. [3.]

Circa festa Liberalia Fridericus Waldseius Viennæ vi pulveris tormentarii, incertum cujus fraude, sub lectum abditi & incensi periit, insignis vir, magnáque in Principem fide. [4.] Hoc nuntio perculsus Ernestus itinere raptim facto Viennam accurrit. Ea Urbs in fide

fide Principis & Ernesti mansit, reliquæ ferè civitates pro Leopoldo stabant. Proceres item omnes (nam & ii, qui contrà senserant, post Friderici mortem aut minis aut promissis incitati consilia mutaverant) Leopoldi partes sequebantur, solus ex eis Reimbertus Waldseius apud Principem mansit. Conventus tum Neapoli, cùm ad D. Hippoliti fanum agitur ad bellum, quod jam recrudescere videbatur, sopiendum, sed frustrà: ex ultimo Conventu legati Viennensium redeuntes, inter quos erat Conradus Vorlauffius Consul Vir Strenuus, ex insidiis adorti capiuntur, donec tandem se multâ pecuniâ redemêre. Interea quærebantur causæ belli futuri, præsertim à Leopoldo, qui dum Viennæ ageret, multi ex plebe inquieti & seditiosi homines tempus, quod expectârant, adesse rati, ad Leopoldum se conferunt, Magistratum atque Senatum graviter accusant. Unde infensus antè in Viennenses Archi-Ducis animus, magìs exacerbabatur. Igitur ad Nonas Julias Conradus Vorlauffius Consul, Joannes Roccius, Conradus Rampelsdorffius, Rudolphus Angerfeldius, & tres alii in vincula conjecti sunt, nec ullis amicorum, aut cognatorum precibus, neque uxorum, filiorúmque lacrymis obtineri potuit, quò minùs quarto pòst die capitis supplicium de iis sumeretur. Cúmque Angerfeldius, qui ætate ceteros anteibat, primus ad necem duceretur, Vorlauffius intercedens: „ Ego „ vobis, *inquit*, Dux & consiliorum „ Author fui, in quibus etsi nulla fraus „ capitalis admissa est, æquum esse du- „ co, ut præsenti necessitati primus „ ego me offeram, vos Consulem ve- „ strum, eo quo soletis ordine, sequa- „ mini. Stupuit ad hanc vocem car- „ nifex, & officium facere jussus, edu- „ ctô gladiô in vestigio hærens substitit. „ Ibi Vorlauffius: Exequere, *inquit*, „ quod jussus es, & timorem omnem „ exue, ego hanc mortem, quam in- „ nocens feram, tibi ignosco. „ Hæc effatus protensâ cervice, magnô animô ferrum recipit. Idem & alii fecêre. Horum corpora ad ædem B. Stephani tumulo illata sunt, ubi ex orichalco Epitaphium visitur cum hac inscriptione: Sta, fle, plange &c. Vidi ego oculis meis illud in æde præfata. Post eorum hominum supplicium non Vienna solùm & reliqua Austria, offensos in Leopoldum animos sumpsêre, sed vicini quoque Principes, Hungariæ Rex, Bohemi & Moravi fœdus illi, & amicitiam renuntiârunt. Domi quoque Reimbertus Waldseius, accitô Rosenbergiô ac aliis nonnullis, quibus maximè fidebat, arma in illum sumit, tumultibus non tam bellô, quàm belli timore fervent omnia. Hæc fusiùs, quàm volui, explicanda fuêre propter sequentia faciliùs intelligenda.

Describitur à Senioribus Monasterii nostri tempus hujus anni, annonæque pretium, ac tandem tumultus Austriæ; qui quidem hoc anno non omnes contigêre, sed sequenti, meus tamen Author sub isto anno cuncta collectivè prosequitur, in fine tamen scriptura injuriâ temporum & incuriâ hominum legi non potest. Est autem talis narratio: „ Annô „ 1408. Yemps frigida fuit, quod nulla „ meminit ætas, nam Danubius per to- „ tam Ungariam & Austriam & Bava- „ riam gelidatus fuit, ità quòd in „ Krempsa & in omnibus partibus Au- „ striæ pervexerunt per Danubium cum „ curribus vinum portantibus & alia „ necessaria; & homines putabant, „ quòd omnes fructus arborum & omnia „ sata essent destructa propter nimium „ frigus, quod non fuit. Item quia „ Deus in modicis suis providebat, nam „ eodem anno urna vini per Austriam „ vendebatur per - - - - Item eodem „ anno metreta siliginis vendebatur in „ Zwetel pro quindecim denariis, ali- „ quando minus: triticum pro viginti „ quinque vel magìs. Item eodem an- „ no fuit facta abundantia frugum. „ Item eodem tempore & anno nescio

„ quo ſpiritu ducti conſpiraverunt alii Barones Auſtriæ ſcilicet milites & ſervi in unum, habentes in hoc fautores ſcil. Leopoldum Ducem Auſtriæ, Epiſcopum de Freiſing & Comitem de Hardegg, contra Dominos provinciales, ſcilicet Fridericum de Waldſee, & Reimbertum fratrem ejus de Waldſee, eodem tempore Capitaneus: Haubtman in Lintza, ſimiliter contra omnes Dominos Provinciales: wieder die Landherrn in Oesterreich / & contra totum Clerum, nulli ordini parcentes. Nam primò ſpoliârunt omnia Monaſteria in Auſtria nihil ipſis relinquentes in curiis & in villis, ſed omnia diripiebant, nam Monaſterio in Sancta Cruce intulerunt dampnum ſpoliando plusquàm quinque millia talentorum, ſimiliter & alia Monaſteria in circuitu adjacentia, ſcil. Campum-Liliorum, Gotwicum, Medlicum, etiam Monaſterium Zwetlenſe ab iisdem filiis diaboli ſpoliatum, cùm ante illam rapinam fuimus in univerſis debitis, ſeptem millibus talentorum. Sed ſtatim divina ultio ſecuta fuit prædictos Barones invaſores Eccleſiarum & Monaſteriorum. Nam Inclytus D. Reimpertus de Waldſee eodem tempore Capitaneus in Lintz, qui regebat totam provinciam Superioris Auſtriæ uſque ad Ibs ſub ſuo Dominio, ipſe gerebat curam omnium Religioſarum perſonarum ſive Eccleſiarum - - - conduxit exercitum de Bavaria & aliis provinciis, & oppoſuit ſe viriliter prædictis Leupoldo Duci Auſtriæ, & omnibus ſuis fautoribus, & extorſit ab ipſis aliquas civitates ſcil. Welſenſem propè Lintz ſitam, & Onaſſam, & Gemund, & - - & alia oppidula, quas ſibi divinô auxiliô ſubjugavit, quia ut pius Pater Orphanorum, & Strenuus defenſor omnium Religioſorum ac Clericorum. Deinde invaſit viriliter &c. legi nequeunt. „ [5.] Hucuſque antiquitas Monaſterii noſtri de Auſtriæ bello inteſtino, quod anno ſequenti majori ex parte geſtum fuit, licèt hoc anno inchoaretur.

Porrò D. Ulricus Abbas Zwetlenſis cùm Sacellum S. Thomæ Cantuarienſi ſacrum à fundamentis erexiſſet cum conſenſu Romani Pontificis, & populus majori frequentia conflueret, motus pietate quoque generoſus D. Joannes de Neudeck, Illuſtriſſimi Archi-Ducis Auſtriæ Leopoldi à Camera Præfectus donavit Monaſterio fundum, in quo dictum Sacellum ſituatur, nimirum locum Dachsgraben dictum, eúmque in manus D. Ulrici Abbatis tradidit &c. Munita eſt littera ſigillis patruelis ejus Wolfgangi de Neudeck, & avunculi ejus Joannis de Neudeck, Domini in Mewres. Teſtis autem eſt Nobilis Dominus Nicolaus de Sebecken Capitaneus Laabacenſis, qui ſuum quoque ſigillum addidit. Datum Annô Domini 1408. in feſto S. Georgii. [6.] Hæc littera, unde patet iſtum Auſtriæ Miniſterialem partes Leopoldi ſecutum, qui Raſtenbergæ ſedit, & teſtem adduxiſſe Capitaneum Laabacenſem, quæ Civitas à Friſingenſi Epiſcopo Duce ſummæ militiæ expugnata fuit, & à præſidio Leopoldi adhuc tenebatur.

Leopoldus Archi-Dux intereà aditur pro dicti fundi confirmatione, & hoc ad ſupradicti Neudekkii informationem, quem enim Archi-Ducum fratrum in tanta rerum perturbatione pro legitimo Domino Abbas & Conventus in Zwetel agnoſcere deberet, ignorabat, niſi qui verus eſſet comprobatus Auſtriæ gubernator ac Alberti V. tutor? Leopoldus autem tunc Crembſii conſiſtens, quia Viennam Erneſtus habebat, tale tali argumento diploma Monaſterio conceſſit: Leopoldus Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes Tirolis &c. [7.] nomine ſuo & patruelis ſui Ducis Alberti, cujus ſe tutorem dicit, confirmat eam fundi partem, quam ſuæ Cameræ Præfectus Joannes de Neudeck tradidit ad conſtruendum

in

In loco Dachsgraben dicto Sacellum in honorem S. Thomæ Cantuariensis, quod Abbas Zwetlensis à fundamentis secto lapide erexit, cùm anteà domunculam ligneam invenisset: insuper etiam confirmat eam fundi partem, quam ibidem in dicto loco Monasterium Zwetlense possedit. Datum Crembsii Annô Domini 1408. feriâ tertiâ in Pentecoste. Ex hac littera colligitur, Monasterium tunc partes Leopoldi secutum fuisse, quod tamen posteà ab ejus factionis satellitibus spoliatum est, sicut suprà enarravi.

His transactis festum Sanctissimi Patris nostri Bernardi adfuit, in cujus octava die Ulricus I. cognomentô Offerl Abbas Zwetlensis in Domino obdormivit. Fuit autem sepultus in Capitulo more Ordinis laudabili, cujus sepulturæ mentio talis habetur, cùm præmittitur sepultura præfati Ottonis Grillonis sequentibus: „ Et sepultus (scilicet Otto II.) in Capitulo nostro sub lapide, „ in quo est forma baculi pastoralis, „ & ossa sua sunt hæc. Item in eodem tumulo positus est Ulricus Abbas dictus Offerl, qui abbatizavit annos tres & quatuordecim hebdomadas, obiît in Octavis Bernardi Annô „ Domini 1408. „ [8.] Hucusque antiquitas: Sciendum hìc non quatuordecim septimanis integris cum triennio Ulricum sedisse, sed tredecim integras septimanas Abbatem fuisse, & quartâ decimâ ex hac vita & Abbatia emigrâsse. De cujus obitu omnes Abbatum Zwetlensium catalogi conveniunt, [9.] præter chronosticorum Authorem, qui sicut in electione, ità etiam in obitu ipsius toto rationis cœlo erravit, canit enim ipsum electum An. Salutis MCCCCXI. & obiisse MCCCCXIX. eodem anno successisse Nicolaum III. qui obiît secundùm ipsum An. Domini MCCCCXXIX. Verùm sicut in Ulrico, ità etiam in Nicolao à recta deviavit, quod in sequentibus annis manifestum apparebit. Fuit hic Ulricus Abbas Vir egregius, quod ex fundatione novi in Dachsgraben constructi Sacelli constat, ubi mirum in modum populi confluentis devotionem adauxit, si vita tantùm superstes fuisset, Monasterium à debitorum onere quantocyùs pecuniâ creditoribus numeratâ liberâsset, sed injuria temporum, qua Monasterium quoque in prædam cessit malignis, & vita brevis impedimento fuerunt. Porro omnes conveniunt Abbatum Zwetlensium catalogi de successione Nicolai III. cognomentô Gretzel in Abbatia, utrùm tamen hoc anno, non æquè constat: fortè ad festa Christi Natalitia Abbatiæ regimen suscepit. Fuit natus in civitate Zwetlensi, & aliis Fratribus dispersis ipse mansit Non tamen in Abbatia moritur, sed brevi tempore Abbas resignâsse putatur, ùt patebit in sequentibus.

Interea Georgius Pataviensis Episcopus ad petitionem Thomæ Schaler tunc Castellani in Weitra, & Joannis Schaler fratris ejus confirmat Sacelli ad S. Wolfgangum ædificationem, unionem, & dotationem, aliàs ad villam seu pagum Pfaffenslag situm, cujus fundatores prædicti Schaler, idem Sacellum Parochiæ in Schöenaw cum consensu Stephani ejusdem tunc Rectoris, tanquam filiam matrici Ecclesiæ subjicientes, sufficienter dotârunt, ut Capellanus commodè inde vivere posset. [10.] Cujus præsentationem dictus Episcopus fundatoribus ipsis ad dies vitæ concessit, ipsis verò decedentibus perpetuo Parocho in Schöenaw donavit, sibi autem investituram seu institutionem reservavit. Datum in Anaso, die duodecimâ Octobris, Annô Domini 1408. Hæc Parochia in Schöenaw unà cum Sacello S. Wolfgangi ad Monasterium nostrum devoluta fuit, de quibus suô locô & tempore mentionem sum habiturus.

ADDITIONES.

*[1.] Annales Richardi Strunonis Superior. Austriæ super hoc anno.

[2.] Magnum Chronic. Belgicum sub Wenceslao. „ Propter mala merita & alia „ maleficia Regno Romanorum privatus, & ab „ eodem destitutus fuit à Bonifacio Papa Nono Wenceslaus, datâ Electoribus Imperii „ potestate alium in Regem Rom. eligendi, „ postea in Imperatorem promovendum. „ Qui elegerunt Illustrem Dn. Rupertum „ Ducem Bavariæ in Regem Annô Domini „ MCCCXCIX. qui ab eodem Papa Bonifacio fuit confirmatus, & postea Aquisgrani „ cum maxima difficultate propter potentiam „ Principum, qui Wenceslao adhæserunt, „ coronatus: Wenceslaus enim semper magnam partem Principum & civitatum Almaniæ habuit pro se, quem pro Rege Rom. „ coluerunt. Quòd verò prædictus Sigismundus Rex Ungariæ frater ejus post discessum Ruperti contra Wenceslaum in Regem Rom. fuit electus, hoc contigit (ùt „ in Karlesteyn ipsemet nobis retulit) de suo „ consensu, & cum protestatione, ut prædictus Rex Ungariæ Imperator fieret, & ipse „ Romanorum Rex maneret. Est etiam verum, in sacro Generali Concilio Pisano „ Ambasciatores Wenceslai, quos ad Concilium destinaverat, fuisse nomine ipsius admissos, & in sessionibus, & aliis publicis „ actibus in locis debitis, tanquam Romanorum Regis nuncios collocatos, ùt vicissim „ Oratores dicti Ruperti, qui contrà ejusdem Concilii decretum partem Gregorii „ Papæ XII. fovebat, tanquam Schismatici, „ ex dicto Concilio turpiter ejecti & refutati „ fuerunt. Sic omnes, qui in obedientia Papæ Clementis VII. & Benedicti Papæ XIII. „ erant, tenuerunt Wenceslaum pro Rege „ Rom. De cujus quidem Regis Wenceslai „ privatione & contumeliis illatis dictus Rex „ Sigismundus germanus ejus per litteras fuit „ conquestus Cardinalibus dicti Papæ Bonifacii, videlicet quòd ipse Wenceslaus non „ vocatus, non convictus, & sinè causæ cognitione fuerit privatus, quòdque idem „ Bonifacius diu noctúque nihil aliud cogitare videretur, nisì ut modum inveniret, „ quo ipsum Sigismundum ex regno Ungariæ „ ejicere possit. Qui etiam conaretur Prælatos, & Barones suos pellicere, ut rupto „ fœdere ab ipso discederent, sibíque rebellarent, & Regi Ladislao Neapolitano adhærerent. „

Spondanus ad ann. 1404. n. 1. „ Annô „ Christi millesimô quadringentesimô quartô, „ Indictione duodecima, die decima sexta „ Aprilis, ut Meyerus scribit, datæ sunt litteræ à Sigismundo Hungariæ Rege, & Imperii (ùt sese indigitabat) Vicario, & Regni Bohemiæ Administratore ad Philippum „ Audacem Burgundiæ Ducem, & Flandriæ „ Comitem, Regis Francorum Patruum, per „ nuncios Nicolaum Episcopum Watziensem, Hermannum Comitem Cilii, & Nicolaum de Gara regni Hungariæ Palatinum: „ quibus inter alia significabat certas quasdam pactiones inter se & fratrem suum Wenceslaum Romanorum & Boëmiæ Regem esse „ factas: se cum Ostoya Rege Bosnæ pacem „ ac fœdus icisse &c. Hæc ibi: quorum ninil apud Hungaricæ historiæ Scriptores: „ sed nec ferè apud alios. Nisì quod de pactionibus cum Wenceslao initis apud Corium annô 1402. legimus eundem Sigismundum mense Martii litteras dedisse ad Galeatium Ducem Mediolanensem, quibus „ significabat inter se ac fratrem Wenceslaum ità de consensu plurium Germaniæ Procerum transactum fuisse, ut Sigismundus „ administrationem haberet Imperii, nomen „ ac titulum Wenceslaus retineret. „

Item ad ann. 1409. n. 5. „ Post solemnia „ celebrata (*in Concilio Pisano*) introducti sunt „ quidam Archi-Episcopus, duo Episcopi, & „ totidem Clerici, qui se nuncios dicebant „ Ducis Ruperti de Bavaria, quem Regem Romanorum nominabant (ità Monachus: Acta „ verò Maxentiana disertè Regem Romanorum vocant: edita in Tomis Conciliorum „ Rupertum de Bavaria Sanctæ Sedis Imperariæ Electorem; qualis videlicet erat ante „ Wenceslai abdicationem, quam hæc Synodus minimè approbavit: hos autem Ruperti nuncios fuisse Archi-Episcopum Rigensem, Episcopum Wormaciensem, & „ electum Verdensem, Niemus scribit, ac per „ Rupertum primùm ad Gregorium missos, „ indéque Pisas venisse ad causam Gregorii „ agendam) qui tamen cum aliis non sederunt; sed per quendam alium Episcopum „ proposuerunt viginti duas quæstiones ambiguitatibus plenas: quarum præcipuæ fuerunt: Utrùm Cardinales potestatem haberent se subtrahendi ab obedientia sui Pontificis, Pontificem evocandi; Concilium „ Generale convocandi: Duo Collegia se mutuò habilitandi ad celebrandum Concilium: „ concludentes demùm, Concilium debere „ differri in aliud tempus, & in alium locum „ trans-

„ transferri, ad quem Gregorius paratus erat „ accedere, & adimplere, quæ juraverat, dum „ & adversarius idem præstaret. Quibus nun- „ ciis cùm præscriptum à Synodo fuisset, ut „ scriptô traderent, quæ ore proposuissent, „ ostenderéntque mandatum, quod à Ruperto „ haberent: cùm id ægrè admodum præstitis- „ sent, remissi ad alium diem pro responso au- „ diendo, incipientes inter se altercari, clarè „ demonstrârunt non se venisse nisi ad unio- „ nem impediendam, & non expectatô respon- „ sô clanculò abiêrunt. Ità Monachus, & „ Acta Maxentiana: quæ eadem breviùs refe- „ runt edita. Niemus autem ampliùs habet, „ eos, antequam elaberentur, Ruperti nomi- „ ne appellâsse, innuentes convocationem „ Concilii Generalis spectare ad Regem Ro- „ manorum, vel saltem de ejus auctoritate „ convocari debere: ac propterea tam ipsum „ Rupertum, quàm ejus nuncios risui expo- „ sitos fuisse, & quasi fatuos ac juris ignaros „ existimatos, ob gravia incommoda, quæ se- „ cutura fuissent ex eorum propositionibus. „

Notæ ad Concilium Constantiense sub litera F. verbô: Causa schismatis tollendi. „ Utroque autem (*Benedicto XXIII. & Gregorio* „ *XII.*) contumaciter absente, creatus ab eis „ fuit Alexander V. quo intra annum defun- „ cto Bononiæ electus fuit Joannes XXIII. „ Cui adhæserunt ambo fratres, Wenceslaus „ & Sigismundus Reges, hic Hungariæ, ille „ Bohemiæ; uterque insuper Regis Romano- „ rum titulum gerens. Quamvis enim Wen- „ ceslaus depositus esset per Electores, tamen „ quoad vixit, Regem Romanorum & Bohe- „ miæ se scripsit. „

[3.] Gerardus de Roó suprà ad ann. 1402. in textu ad initium relatus.

[4.] Paucis mutatis, omissis & additis totus §. ex antè cit. De Roó locô citatô exscriptus est.

[5.] Chron. MS. in Calendario suo.

[6.] Ex copia quadam literarum.

[7.] Ex diplomate Principis.

[8.] Chron. MS. ut suprà.

[9.] Idem eodem. Recentior Abbatum Zwetlensf. Catalogus. Mortilogium Zwetlense.

[10.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MCCCCIX. Monasterii CCLXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Alexander V.	Rupertus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Nicolaus III.

GRegorius XII. imperii dulcedine allectus, & à propinquis depravatus, optimam voluntatem mutavit, atque in his, quæ ad pacem Ecclesiæ adferendam pertinebant, difficilem se & morosum præbuit. Cùm verò de loco eligendo, quo sine discrimine Benedictus XIII. & ipse de Pontificatu contendentes convenirent, mentio haberetur, Gregorius urbe exiens, Senas primùm, mox Lucam accessit, Benedictus Savonam, [qui locus statutus conventui erat, advenit. Ceterùm cùm de re inter eos non conveniret, ab utroque Cardinalium cœtu ùt collusores & perjuri deseruntur. Qui Pisis Generali Concilio indicto uno consensu Gregorium & Benedictum Nonis Junii Annô MCCCCIX. dignitate Pontificia privârunt, consentientibus in eandem sententiam omnibus ferè Christianis nationibus. Benedictus in Galliam Avinionem avolavit, & Gregorius locis munitissimis & securis apud amicos suos se continebat, modò in Regno Neapolitano apud Regem Ladislaum, modò apud Forum-Julii, modò apud Malatestas Arimini domicellos, sicque vixit annis continuis sex usque ad Concilium Universale Constantiense, in quo cùm sponte Pontificatu se abdicâsset, Cardinalis & Marchiæ perpetuus Legatus relictus est. * [1.] Interea in Concilio Pisano utroque Pontifice deposito, à viginti trium Cardinalium suffragiis creatur F. Petrus Philargi Cretensis, ex Archi-Episcopo Mediolanensi Pontifex Romanus hoc anno, & coronatur Nonis Julii Pisis vocatus Alexander Papa V. [2.] De hoc Papa B. Malachias ità

prophetavit: Flagellum Solis. Erat enim Græcus, Archi-Episcopus Mediolanensis, insignia illius Sol.

Dum hæc in Italia geruntur, in Austria afflictum rerum statum miseratus Georgius Liechtenstainius Episcopus Tridentinus, qui Præpositus Viennæ fuerat, de componendo hoc bello cogitare cœpit. Mox Proceres quosdam & Magistratus, quibus pacem cordi esse sciebat, ad se vocat, suáque cum ipsis consilia confert. Horum fideli opera eò res perducta est, ut duodecim viri arbitri legerentur, Principes verò sanctè promitterent, se suósque eò staturos, quicquid illi decrevissent, quibus ut major authoritas accederet, Sigismundus Ungariæ Rex præses adderetur. Tandem sub finem Mensis Maji capita pacis & concordiæ ab arbitris composita, & à Rege confirmata adferuntur, ísque per legatos fratribus significavit, si per alterutrum illa violarentur, eum sibi hostis locò futurum. Respiravit igitur Austria, & à latrociniis ac deprædationibus paulatim expurgata est. Viennenses verò Alberto ùt legitimo suo hæreditario Principi, Leopoldo autem ac Ernesto ut legitimis illius tutoribus fidem dare, ínque eorum verba jurare non recusârunt. [3.] Atque ità turbæ omnes per Austriam sunt sublatæ.

Demum anno isto in Conversionis S. Pauli Apostoli festo fit mentio Nicolai Abbatis in Zwetl, unde ipsum hoc anno Abbatem fuisse constat, licèt annum tantùm unum cum aliquot septimanis rexerit Monasterium, utì anno sequenti patebit.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius fermè ad litteram in Gregorio XII. & Benedicto XIII.

[2.] Idem in Alexandro V. „ Alexandro V. Cretensi Papæ, qui, duobus de Papatu contendentibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. in Concilio Pisano privatis, tertius Summus Pontifex omnium in Concilio existentium consensu, triúmque & viginti Cardinalium suffragiis creatus est. Insula Venetæ ditionis Creta in Græcia originem dedit, incertâ tamen stirpe & patriâ, Frater Petrus Philargi anteà vocatus. Is adhuc puer, neque parentes, neque affines ullos cognoscens, ostiatim victum mendicans à Viro Religioso quodam Ordinis Minorum Italo, Ordini in Monasterio Cretensi addictus & educatus altæ indolis & vividissimi ingenii adolescens evasit: omnia Ordinis Minorum Gymnasia, & præcipuè Oxoniense in Anglia, & Parisiense circumiens, ità in Liberalium Artium, Philosophiæ & Theologiæ studiis profecit, ut brevì Magisterii gradum consecutus, & publicam scholam habuerit, & in libros sententiarum doctè & acutè scripserit, magnus quoque Orator & Prædicator est habitus. ---- Ab aliis dicitur Petrus Philaretus Novariensis Crusinalio vico natus, de Candia vulgò nuncupatus, Ordinis Minorum, Vir Græcè & Latinè peritus, Theologus præstantissimus, primùm Vicetiæ, deinde Novariæ Episcopus factus, hujus nominis Octavus, qui illi Ecclesiæ præfuit annis 18. A Wenceslao autem Imperatore, nullo jure Regio, nulláque superiori auctoritate sibi reservata, non solùm multis privilegiis decoratus est, sed etiam Amplissimi Principis Imperii titulô, nominéque cohonestatus, posteà Patriarcha Gradensis. Qui in Pontificatu meritò Alexandri V. nomen consecutus est; cùm liberalitate & magnitudine animi cum quovis optimo Principe conferri posset. Adeo enim munificus erat in pauperes, & viros sua benignitate dignos, ut brevì nihil sibi reliquerit, unde per jocum dicere interdum solebat, se divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem fuisse. „

Acta & gesta ante & in Synodo Pisana, in qua duo de Papatu contendentes Gregorius & Benedictus proscripti, & Alexander suffectus est, fusè & de sessione ad sessionem enarrant Spondanus, & post ipsum Odoricus Rayñaldus, hic Italicus, alter Gallicus Scriptor, ad quos remittimus benevolum lectorem, cui nobiscum pro serie historiæ intelligenda sufficiat Scriptor Germanicus Joannes Nauclerus Volum. 2. Chronographiæ suæ Generatione 47. ità scribens:

„ Post honorabiles exequias (*Innocentii VII.*) Cardinales convenientes, se omnes obligaverunt sub gravissimis juramentis & solennibus, quòd quicunque esset electus, laboraret ad tollendum schisma, & unionem Ecclesiæ procurandam. Ingressi con-

„ clave

„ clave elegerunt Patriarcham Aquilegien- „ sem natione Venetum, qui vocatus est Gre- „ gorius XII. Vir à pueritia magnæ sanctita- „ tis & sapientiæ. Hic electus denuo juravit „ omnia facere sibi possibilia ad unionem „ Ecclesiæ dandam, de quo Principes quique „ plurimùm exhilarati sunt. Gregorius sta- „ tim adversario Benedicto scripsit, benignè „ illum ad pacem invitans, & ad abdicatio- „ nem mutuam. Benedictus verò eisdem fe- „ rè syllabis rescripsit, eadémque invitatio „ fuit. Tractatur de loco, ubi conveniant. „ Placet civitas Saona, quasi in medio con- „ stituta, & ut sequi videatur effectus, anno „ sequenti incipiunt appropinquare. Nam „ Gregorius non tam Comitiorum causâ, „ quæ erant dicta tollendo Schismati, quàm „ Urbicis factionibus compulsus, Urbe se- „ cessit. Adspirans enim ad dominatum La- „ dislai Regis auxiliô Columnen. Johannes „ sæpè Romam commoverat. Itaque Gre- „ gorius Senas profectus, hinc Lucam adiît, „ Benedictus verò Genuam.

„ Intereà patefactæ sunt Gregorio insidiæ „ sibi paratæ Saonæ à Benedicto, quod & „ civitas illa pro Gallico esset munita. Quare „ Gregorius accipiens Benedictum non verè „ unionem quærere, mutavit propositum; mi- „ serunt nihilominus nuncios alter ad alte- „ rum, tractantes de alio loco, sed conve- „ nire non potuerunt. Benedictus ut magìs „ simularet intentionem suam, adhuc ad Gre- „ gorium magìs appropinquavit, ad Portum „ Veneris veniens. Gregorius autem Lucæ „ permansit plures menses, ibíque creavit „ quatuor Cardinales. Oratores Principum „ plurimùm suaserunt Gregorio, ut iret Sao- „ nam, & præcipuè Regis Franciæ, qui me- „ ritò suspecti habebantur: alii contrarium „ suaserunt, ùt Ladislaus Rex Apuliæ, & alii „ amici. Et cùm post multa de loco conve- „ nire non possent, creavit Gregorius alios „ plures Cardinales, quod etiam conturbavit „ suos Cardinales antiquos &c.

„ Platina scribit, Galliæ plures Principes „ admonuisse Benedictum, ut sicut juraverat, „ unionem quæreret, quorum colloquia & „ consultationes Benedictus veritus, Avinio- „ ne existens, ædes Pontificias armis & „ commeatu munierit, in quibus aliquot men- „ ses obsessus, tandem paratis ad fugam tri- „ remibus per Rhodanum in Cathalaniam, „ unde oriundus erat, navigavit. Sunt, qui „ scribunt, Principes Gallicos id mollitos, „ instantibus Cardinalibus, qui oderant eum, „ quòd alterius nationis esset, & non Galli- „ cæ. Utcunque sit, Genuam venit, ùt est „ dictum. Dum utriusque Pontificis tam „ ambigua sunt cœpta, Cardinales taciti con- „ veniunt, Generali Concilio Patrum locum „ aliquem dicendum esse, ubi qui Pontifex „ authoritatem Ecclesiasticam unus debeat „ tueri, æquis votis constet. Et inter illos „ hæc res acta est tantisper, dum Romæ ab- „ sente Gregorio non minor calamitas acci- „ dit. Nam annô 1408. Rex Apulus Ladis- „ laus vexata Romana ditione Urbem cepit, „ occupatis etiam aliis Ecclesiæ Civitatibus. „ Cardinales verò Gregorii & Benedicti (ùt „ est prædictum) convenientes & conferen- „ tes, decreverunt Civitatem Pisanam, ùt lo- „ cum aptiorem pro Concilio Generali ce- „ lebrando, cui rei Florentini consenserunt; „ unde per nuncios & litteras vocaverunt ad „ concilium celebrandum Pisis omnes Epi- „ scopos, Prælatos & Principes, & commu- „ nitates, exhortantes ad mittendum Orato- „ res suos, ac ut subtraherent obedientiam „ Pontificibus illis, quos etiam citaverunt ad „ veniendum illuc. Quibus peractis paula- „ tim cœperunt Principes & Communitates „ obedientiam illis auferre de territoriis suis; „ remansit autem in obedientia & reverentia „ Gregorii Rex Ladislaus, ac etiam quædam „ civitates Italiæ. Benedictus autem penè à „ cunctis derelictus, nisì fortè non à Rege „ Aragonum.

„ Gregorius ex Luca Senas, deinde ad „ Urbem reversus est, execrans & pileô & „ omni dignitate & beneficiis privans omnes „ Cardinales, qui contra eum conspirave- „ rant, dicens hæreticos & schismaticos, ac „ etiam per orbem significans Regibus & Prin- „ cipibus de conjuratione eorum indebita, „ & quòd eis non crederent; quia verò Urbs „ erat in magnis seditionibus & rixis, Gre- „ gorius cum curia sua de beneplacito Regis „ Ladislai profectus est Cajetam, ubi ali- „ quamdiu moram traxit.

„ Congregatione igitur facta pro Conci- „ lio Pisis tempore statuto de diversis natio- „ nibus, & relatione omnibus facta de scan- „ dalo, quod inferebant duo Pontifices, col- „ ludentes ad invicem, & nolentes unionem „ Ecclesiæ quærere ùt promiserant, decretum „ est, ut Oratores mitterentur ad utrumque: „ quod factum est, quorum operam Benedi- „ ctus derisit dicens, controversiam fore de „ jure Papatûs inter se & Gregorium, & nihil „ ad eos spectare de re ipsa. Gregorius ve- „ rò respondit non ad eos pertinere congre- „ gationem Concilii, sed ad ipsum, utpote „ Pontificem Rom., quod & celebrare volebat „ non Pisis, sed in alio loco, videlicet in

„ Foro-Julii circa Aquilegiam, ipsósque Cardinales eum sequi debere. Unde Gregorius cum paucis, quos habuit, ex nuperrimè creatis Cardinalibus, ad Forum-Julii publicatione præmissa accessit, ibíque expleverunt, quæ visa sunt eis expedienda. Ex quo loco Gregorio redeunte Ariminum, insidiæ factæ sunt ad capiendum eum, sed avisatus habitu transformato cum aliis processit ùt privatus, aliúsque secutus in apparatu Papali, sed cognitus non sinè injuriis est dimissus. In tot autem adversis sic fixus erat in his, quæ sibi conscientia dictabat, ut nullus eum posset à suo proposito revocare.

„ Annô igitur 1409. Pisis inceperunt processum facere, & post legitimas modô suô citationes non comparentes, sed contumaces contra ambos Pontifices sententiam depositionis & privationis protulerunt, Gregorium & Benedictum ùt hæreticos & schismaticos, prohibentes Christicolis cunctis, nè quem eorum Papam nominarent, aut ei tanquam Rom. Pontifici obedirent. His peractis ad electionem alterius processerunt. Unde more solito intrantes Conclave Cardinales elegerunt Præsulem Summum Petrum Cretensem, Cardinalem Mediolanensem, Ordinis Minorum. Hunc nominabant Alexandrum V. qui annum circiter unum sedit. „

[3.] Gerardus de Roó lib. 4. ad verbum. Richardus Struno in Annal. Austriæ Super. hoc anno.

Annus Christi MCCCCX. Monasterii CCLXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Joannes XXII.	Rupertus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

ALexander Papa V. annum sui Pontificatûs primum nondum compleverat, & Bononiæ infirmatus graviter, tandem quintô Nonas Maji ibidem animam reddidit Creatori. *[1.] Cui à sedecim Cardinalibus creatus substituitur Balthasar Cossa, Neapolitanus, Diaconus Cardinalis tit. S. Eustachii, & Flaminiæ Legatus, vocatus Joannes Papa XXII. [2.] dictus autem XXIII. ab iis, qui Joannem Papam fœminam collocant & numerant. Coronatus est Bononiæ 8. Cal. Junii, anno isto. De quo B. Malachias Hibernus: Cervus Sirenæ. Erat enim Diaconus Cardinalis S. Eustachii, qui cum Cervo pingitur. Bononiæ Legatus Neapolitanus.

Ruperto Imperatori anno isto defuncto & Heydelbergæ sepulto à Principibus substituitur electus Jodocus, filius Joannis Heinrici Marchionis Moraviæ, fratris nimirum Caroli IV. Imp. [3.] qui vix menses sex in Imperio transigens, Brunnæ in Moravia moritur, & ibidem in Monasterio S. Thomæ cum Patre suo, qui id construxerat, sepelitur. Alii sunt, qui volunt hunc Jodocum cognomentô Barbatum fuisse Regem Romanorum electum ante Rupertum, sed non subsistit, quia adhuc post annos aliquot sub Ruperti Imperio supravixisse deprehenditur, cùm Znoymam occuparet.

Interea ob aëris salubritatem Albertus V. in arcem Starckenbergam rapitur, nam Viennæ & Neapoli pestis grassabatur, unde capta per Reimbertum de Walsee arce, Egenburgum Princeps deducitur, & convocatis illuc Austriæ Procerum ordinibus proponitur, jam Principem in sua potestate haberi, ipsúmque jam pubertatis annos attingentem, è tutela eximendum, & rebus imponendum esse. Leopoldus autem Viennæ in palatio graviter ægrotans, sanguine & sanie per os & nares ebulliente suffocatur, sepultus ad D. Stephanum. Fuisse proditur statura mediocritatem aliquantulùm excedente, corpore pleno & habitiore, unde Pinguis sive Crassus à quibusdam, ab aliis verò Superbus sive Ambitiosus dictus est, quòd Francofurti in Comitiis omnes Principes magnificentiâ superâsset, ubi

præter

præter aulicum famulitium, duos & quinquaginta Comites & Barones, in comitatu habuisse dicebatur. [4.]

Resignavit hoc anno Abbatiam Zwetlensem Nicolaus III. Abbas cognomentô Gretzel, nam cùm sub eodem Abbate Monasterium spoliatum fuisset non tantùm in pagis & grangiis suis, sed quoque ipse locus, vix erat residuum, quo Fratres superstites se sustentare, unde vivere valerent, insuper debita indies augebantur cum usuris suis, itâ ut vix esset, qui onus Abbatiale suscipere cogitaret, aut oblatum acceptare vellet. Unde cùm modus se non offerret solvendi debita contracta, neque è tantis miseriis & angustiis Monasterium erui posse videretur, Nicolaus spontè Abbatiam resignavit, aliúmque ut Fratres, qui Monasterium spoliatum erigere valeret, sublegerent, Patrem Abbatem de S. Cruce exoravit, quod etiam obtinuit. Nam quòd hoc anno resignârit Abbatiam, probat antiquitas Monasterii nostri dicens: Nicolaus Gretzel unum annum & novem hebdomadas, [5.] scilicet, rexit. Si igitur circa Christi Natalitia festa mense Decembri Annô MCCCCVIII. (ùt ego conjicio, certi enim nihil de ejus electione aut resignatione reperitur) Abbatiam suscepit, conveniens est, ut hoc anno circa initium Martii eandem resignârit, ubi annus integer, & novem septimanæ illius regiminis præterlapsa sunt. Deinde quòd anno isto resignârit, probatur etiam inde, quia in Inventione S. Stephani Proto-Martyris Annô MCCCCX. nimirum 3. Augusti Friderici Abbatis in Zwetl electi jam mentio habetur. [6.] Hic autem Nicolaus III. in Abbatia mortuus non est, sed resignavit, & resignanti successit in Abbatia Zwetlensi F. Fridericus Professus Ordinis Cisterciensis in Novo-Montensi Cœnobio in finibus Austriæ & Stiriæ sito, qui per Abbatem de S. Cruce & preces Nobilium fuit institutus, ut Wolfgangus Abbas loquitur, de cujus successione omnes Abbatum Catalogi præter Chronosticorum Authorem conveniunt, sicut etiam recentior catalogus in anno ipso mecum convenit. [7.]

Dum hæc circa Abbatiam geruntur, interim Monasterio unà cum grangiis suis spoliato ut subveniri possit, bona quædam vendere cogebatur Conventus, quæ tamen, quia penitus alienari non poterant, redimenda forent. Unde D. Purchardus dictus Druckses & filius ejus natu major Haydenricus tunc temporis in Grueb residens, fatentur se ad dies tantùm vitæ suæ emisse curiam seu grangiam Monasterii in Zwetl cum omnibus pertinentiis suis dictam Neuntzen, quæ pertinentia in littera eadem exarata sunt. Testes sunt, & unà cum sigillis suis hanc emptionis litteram muniunt patruus aut patruelis ejus Wlfingus dictus Druckses, & affinis ejus Otto Waser Præfectus in Wiltperg. Datum Annô Domini 1410. in festo Georgii. [8.]

Ordinis demum Carmelitarum Generalis, qua tamen occasione, nescitur, videns vel audiens devotionem Fratrum de Congregatione B. Mariæ V. sub titulo Campassionis ejusdem instituta in Ravings, quod Filiale Sacellum matricem respicit suam in Windigsteig, unde non procul dissitum est, eosdem Fratres de Congregatione dicta donavit eâ gratiâ, ut de bonis operibus, quæ per Ordinem de Monte-Carmeli universum fierent, participarent, ac si ipsi Fratres de Ordine præfato essent. Datum Annô Domini 1410. 10. Junii. [9.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciacon. in Alexandro V. „ Cùm „ autem Alexander graviter Bononiæ ægro„ tare cœpisset, cognovissétque mortem pro„ pè instare, Cardinales ad se venientes, ad „ concordiam, ad pacem, ad tuendam Ec„ clesiæ dignitatem adhortatur. . . . . . lacry-

„ mantibus omnibus, qui aderant, illud Sal- „ vatoris verbum ægrè proferens: Pacem „ meam do vobis, pacem meam relinquo „ vobis, susceptis piè Sacramentis moritur „ die Sabbathi ad V. Nonas Maji, noctis se- „ quentis horâ 5. annô 1410. Pontificatûs „ sui mense 10. die 8. ætatis verò suæ 71. se- „ pelitúrque Bononiæ in Ecclesia Fratrum Mi- „ norum cum hujusmodi Epitaphio:

„ Summus Pastorum Alexander quintus, & omnis
„ Scripturæ Lumen, Sanctissimus Ordo Minorum
„ Quem dedit, & proprio, Cretensis, nomine Petrus.
Migravit Annô MCCCCX.

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô „ Christi millesimô quadringentesimô decimô, „ Indictione tertia, Mense Maji ex hac vita „ quasi ex condicto obiêrunt tres Magni Prin- „ cipes, Alexander Pontifex, Rupertus Rex „ Romanorum, & Martinus Aragoniæ, eodem „ ordine, quo modò nominati sunt, quóque „ inter se incedebant. Prævivit enim, qui & „ ætate & dignitate ceteris anteibat, Ale- „ xander; cùm magna pro Ecclesiæ felici sta- „ tu meditatus, in procinctu rerum geren- „ darum in ægritudinem incidens Bononiæ, „ Cardinales ad concordiam & pacem, atque „ ad Ecclesiæ dignitatis tuitionem adhorta- „ tus, approbatisque rursum Concilii Pisani „ Actis, suis benedicens obdormivit in Domi- „ no die 3. Maji. - - - - - quem venenato „ clystere sublatum, existimatum esse, Anto- „ ninus scripsit; assentitúrque de veneno Mon- „ strelctus. „

[2.] Ciaconius in Joanne XXII.

Spondanus hìc n. 2. „ Finitis de more „ exequiis & Missâ de Spiritu S. celebratâ „ Cardinales 17. qui ibidem Bononiæ erant, „ ingressi Conclave decimâ quartâ die Maji; „ decimâ septimâ elegerunt in Pontificem „ Balthasarem Cossam, sive Coxam, dictum „ in Pontificatu Joannem XXIII. patriâ Nea- „ politanum ex nobili sed mediocri familia; „ præcipuúmque Synodi Pisanæ auctorem, „ & magnæ apud Alexandrum auctoritatis. „ Suscepit autem consecrationis & coronatio- „ nis solemnia die Dominicâ, vigesimâ quin- „ tâ ejusdem mensis Maji. Qui olim ex „ utriusque Juris Doctore, & Archidiacono „ Bononiensi (unde & Cardinalis Bononien- „ sis dicebatur) atque Papæ Protonotario „ & Cubiculario, creatus à Bonifacio IX. „ Diaconus Cardinalis S. Eustachii, & lega- „ tioni Flaminiæ Præfectus, illâ adeò præ- „ clarè functus fuit, ut Bononiam ac plures „ alias civitates à diversis tyrannis occupatas, „ recuperaverit. Tradunt námque virum fuisse „ armis quàm Religioni aptiorem, in tempo- „ ralibus magnum, in spiritualibus modicum; „ seu, ùt Leonardus & Antoninus habent, „ nullum. Quare & observat Gobelinus „ Persona in suo Cosmodromio, qui cum eo „ conversatus est, multos ex ejus electione „ scandalum passos esse. Et Auctor Burde- „ galensis, de quo aliàs, fuisse quidem eum „ à Cardinalibus Neapolitanis & Gallicis fa- „ cilè electum; at verò Cardinalem Burdega- „ lensem nunquam voluisse consentire, di- „ centem se potiùs eum in Regem vel Impe- „ ratorem electurum: sed & Cardinales Ro- „ manos, qui tres erant numerô, restitisse ei „ initiô, verùm postea acquievisse; at Burdega- „ lensem firmum in sua sententia permansisse.

„ Semper autem ad Pontificatum aspirâsse „ narrat Platina in ejus vita; adeò ut cum „ susceptis Bononiæ Doctoratûs insignibus „ Romam iter instituens interrogatus esset ab „ amicis, quò proficisceretur, responderit: „ ad Pontificatum. Sunt tamen, qui scripse- „ rint, eum violenter creatum esse, quod & „ legatus Bononiensis (ubi electio fiebat) „ esset, & armatos milites tum in urbe, tum „ in agris pro statione haberet: vel etiam lar- „ gitione, distributis Alexandrô mortuô „ muneribus pauperibus Cardinalibus Grego- „ rianis: aut denique ambitu, quòd Ludovi- „ cus Rex audito Alexandri obitu, cùm non „ longè abesset cum navium classe, quemdam „ Oratorem suum ad Cardinales, antequam „ Conclave ingrederentur, miserit pro com- „ mendatione ejusdem, quem suum singula- „ rem amicum esse dicebat. Denique ipsum „ semet Pontificem declarâsse, ceteris præ „ metu contradicere non ausis, Bergomensis „ narrat. Quorum tamen pleraque vana esse, „ nihil dubitamus; cùm nec Niemus ejus ho- „ stis, & in omnes maledicus, ei aliud obji- „ ciat, quàm prædictam commendationem „ Ludovici Regis, nec in criminationibus in „ eum in Concilio Constantiensi acerbissimè „ congestis aliud dicatur, quàm generatim, „ quòd tantum practicare sciverit, ut in Ro- „ manum Pontificem electus extiterit. Man- „ sit autem toto eo anno Bononiæ, tractans „ interim cum Ludovico & Florentinis de „ bello contra Ladislaum Regem, cui erat in- „ fensissimus, pro defensione Ecclesiæ geren- „ do; de quo dicetur anno sequenti „

[3.] Aventinus Annal. Boior. lib. 7. „ Iisdémque diebus cùm latiùs flamma discor- „ diæ perniciosæ proserperet, Alexander at- „ que Rupertus Cæsar naturæ concedunt,

„ annô

„ annô ab orbe fervatô 1410. Curiati Princi- „ pes Francofordiæ Cæfarea Comitia habent, „ Mogontinus atq; AgrippinenfisArchimyftæ „ Judocum Brandoburgenfis atque Moravici „ limitis Præfectum, filium Joannis: Treve- „ rorum verò Pontifex, & Ludovicus Præfe- „ ctus prætorio Rheni filius Ruperti Cæfaris, „ Sigismundum Regem Ugrorum rebus impo- „ nunt; fuêre itaque ea tempeftate tres Cæ- „ fares Wenceslaus Rex Boiemiæ, frater ejus „ Sigismundus Rex Ungariæ, & horum pa- „ truelis Judocus. Omnes pronepotes D. N. „ Imp. Hainrici Septimi Cæfaris Augufti. Item „ tres Pontificatu Maximo lethali ambitu di- „ fceptabant. „

Magnum Chronic. Belgicum fuprà ad ann. 1402. fub n. 9. à nobis relatum, ubi ità profequitur: „ Hæc ex Chronicis. Unde Go- „ blinus: Electores venerunt apud Franco- „ fordiam pro Rege eligendo. Et Archi- „ Epifcopus Treverenfis,Ludovicus Dux Hey- „ delbergenfis Palatinus Rheni, & Burgravius „ Nurenburg. ùt Procurator Marchionis Bran- „ deburgenfis (quantùm ad electionem per- „ tinebat) elegerunt Dn. Sigismundum Re- „ gem Ungariæ fratrem Regis Bohemiæ, ad „ quem fpectabat Marcha Brandeburgenfis, „ in Regem Rom. Archi-Epifcopis Coloni- „ enfi & Moguntinenfi adhuc in deliberatio- „ ne perfiftentibus. Sed Rex Bohemiæ & „ Dux Saxoniæ ad electionem non venerunt. „ Et ftatim Archi-Epifcopus Moguntinus „ mandavit nè oppidi Francofordiæ aperiren- „ tur Ecclefiæ, nè illi, qui elegerant, electio- „ nis factæ publicationem & folemnifationem „ confuetas perficiendi haberent facultatem. „ Unde illis venientibus ad fores Ecclefiæ, „ nec ingreffum habere valentibus, electio- „ nis illius publicatio retrò Chorum ipfius „ Ecclefiæ facta eft per eosdem. Sed poftea „ Moguntinenfi & Colonienfi Archi-Epifcopis „ iterum convenientibus, Jodocus Marchio „ Moraviæ vir grandævus per ipfos in Regem „ eft electus. Qui pòft eodem anno defun- „ ctus eft; & deinde prædicti Archi-Epifcopi „ Moguntinenfis & Colonienfis in Regem „ Ungariæ fuprà dictum cum aliis confenfe- „ runt. „

Item Octavius Strada ibidem relatus.

Cufpinianus in Cæfarib. fub Jodoco.

Spondanus hìc n. 7. „ Audito ejus „ (*Ruperti*) obitu confeftim Joannes Pon- „ tifex (ùt narrat Platina) Oratores ad Ele- „ ctores Imperii mifit, oratum, ut Sigismun- „ dum Hungariæ Regem Imperatorem crea- „ rent; Virum Strenuum (ùt dicebat) & ad „ omnia fortiter agenda promptiffimum: hac „ ratione fibi hominis gratiam aucupans, & „ ad fui Pontificatûs protectionem præparans. „ At nihilominus prælatum ipfi primò fuiffe „ patruelem ejus Jodocum Moraviæ Mar- „ chionem cognomine Barbatum à prolixa, „ quam geftabat, barba, multi fcribunt; „ cùm quidam eum ante Rupertum crea- „ tum dixerint, ficuti monuimus in de- „ pofitione Wenceslai. Eum tamen verè „ poft Rupertum non ante regnâffe, ut cete- „ ros taceamus, fidem indubiam Niemus fa- „ cit, tunc vivens & videns; dum in vita Jo- „ annis Papæ fcribit primò annô ejus Ponti- „ ficatûs mortuum effe Jodocum Marchionem „ Moraviæ, fratruelem Sigismundi, in Ro- „ manorum Regem pauco elapfo tempore „ priùs electum; & ejus locò electum fuiffe „ Sigismundum. Et inter Conftitutiones Im- „ periales reperiatur ejusdem Jodoci Roma- „ norum Regem fefe nuncupantis conftitutio „ de refiftendo Regiæ Majeftati, fi contra or- „ dinationes Imperii fecerit; quæ data poni- „ tur Francofordiæ annô millefimô quadrin- „ gentefimô decimô, Regni ejus primô.

„ Difficultatem diremiffe videtur Gobeli- „ nus Perfona, dum refert fchisma fuiffe inter „ Electores, duobúsque abfentibus tres ex „ aliis elegiffe Sigismundum, duos, nempe „ Moguntinum & Colonienfem reftitiffe, at- „ que impediffe, nè Sigismundi electio pu- „ blicaretur; eosdémque poftea elegiffe Jo- „ docum: cùm verò is obiiffet, confenfiffe „ cum ceteris in Sigismundum. Ponitur autem „ Jodocus ab Onuphrio creatus duodecimô „ Calendas Octobris; cùm inter-regnum à „ morte Ruperti (cujus obitum Calendis Ju- „ nii ponit) fuiffet trium menfium, dierum „ decem & novem, regnafféque fex menfi- „ bus. Fuifféque ætate valde provectum, ac „ propemodum nonagenarium, penéque ni- „ hili, auctores tradunt: unde & quòd brevì „ vitam finiêrit; fed nec ipsâ primâ coronâ „ argenteâ, quæ Aquisgrani fumi confuevit, „ fuerit infignitus; haud mirum, fi à multis „ non numeretur inter Romanorum Reges „ aut Imperatores. „

Struno in Annalib. Carinth. lib. 9. c. 48. ubi producit Epitaphium, quod in Heidelberg ad S. Spiritum in loco fepulturæ legitur: „ Rupertus Dux Bavariæ, Comes Rheni Palati- „ nus,Rom.Rex,juftus,pacis & Religionis ama- „ tor, dignus Deô vifus, qui pro juftitia pa- „ teretur; hujus facræ ædis & Collegii Infti- „ tutor; hìc cum caftiffima conjuge Elizabe- „ tha, Norici Montis Burgravia quiefcit. Vi- „ tâ functus, annô Chrifti 1410. Junii 15. „

Item c. 51.

[4.] Gerardus de Roó lib. 4. „ Anno „ sequenti (*1410.*) quo, Ruperto Imperatori „ defuncto, suffectus fuit Sigismundus Hungariæ Rex, ingens per æstatem pestis Viennæ ac Neapoli orta, sex menses tenuit. „ Albertus igitur relictâ Viennâ, in arcem „ Starckenbergam ab aëris salubritate commendatam à suis deducitur. Hanc occasionem, declarandi sui in principem studii, „ Rembertus haud negligendam ratus, arcem „ in suam potestatem redigit, adjutus ad hoc „ fideli opera Leopoldi Eckersavii.

„ Post paucos admodum dies, rebus pro „ præsenti copia ordinatis, Egemburgum unà „ cum Principe profecti, litteras inde ac nuncios ad omnes Austriæ Ordines dimittunt, „ Principem in sua potestate haberi, itaque „ veniant, ipsúmque jam pubertatis annos „ attingentem, è tutela exemptum, rebus imponant. Dum ea inter ipsos consilia agitantur, interim Leopoldus Viennæ in palatio graviter ægrotare cœpit. Habebat in „ altero crure fistulam, quam vocant suppurantem, ex vulnere olim arcûs displosi nervo illato, quam contumacem admodum, „ exquisitissimis quibusque remediis expugnari, fluxúmque sisti omnino volebat. „ Quamquam verò Medici, & Chirurgi summum in ea curatione vitæ periculum esse „ dicerent, ille tamen extrema adhiberi remedia jussit. Obducto itaque vulnere sanguis & sanies, quæ semel eò derivari adsueverat, intercluso meatu per os ac nares ea „ vi ebulliit, ut obitum illi, quod Medici „ prædixerant, ea res maturaverit. Corpus „ ejus ad D. Stephani Majorum sepulchro illatum. Uxor ei fuit Catharina Philippi „ Audacis, Sequanorum Principis filia, ex „ qua secundùm Lazium unicam reliquit filiam, Comiti Goricensi nuptam: alii nullam „ ei prolem fuisse dicunt. Fuisse proditur &c. „ *ut in textu nostro.* „

[5.] Chronic. MS. in Calendario suo sub mense Julio.

[6.] Ex littera quadam.

[7.] Wolfgangus Abbas in sua Abbatum Zwetlensium serie.

Chronicon suprà citatum.

Recentior Abbatum Catalogus.

[8.&9.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MCCCCXI. Monasterii CCLXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Joannes XXII.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

RUperto anno priore, atque etiam Jodoco Romanorum Regibus sublatis, Moguntinus Comitia Electoribus indicit, ad quæ cùm Sigismundus Rex Ungariæ, tanquam Marchio Brandenburgensis, qui unus Electorum habetur (licèt etiam Wenceslai Ignavi Bohemiæ Regis, fratris sui nomine, tanquam Regni Bohemiæ Administrator, penes cujus Regem electio quoque Cæsaris locum habet, adesset) venisset, dignitatísque Regiæ gratiâ primus sententiam esset rogatus de Cæsare nominando, ipse se nominavit: „ Me, *inquiens*, ego novi, alios non itidem, „ an æquè mecum imperium orbis digni sint, præsertim in tanto rerum „ motu, quo Italia quoque schismate „ ibi durante plurimùm laborat. „ Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem ceteri Electores, communíque assensu illam approbantes, ipsum Sigismundum Wenceslai fratrem Cæsarem consalutant. * [1.] Qui susceptô Imperiô verba factis complevit, utì postea patebit.

Leopoldo Archi-Duce mortuo, Proceres Austriæ jam neminem superesse putantes, qui moram rebus aut impedimentum esset allaturus, Viennam cum Principe Alberto V. jam annum quintumdecimum agente proficiscuntur. Cúmque in itinere essent, Archi-Ducis Ernesti litteræ superveniunt, quibus ipsorum consilia atque iter approbabat, ac Albertum ad suscipienda rerum gubernacula invitabat. Itaque cum celeberrima pompa Urbem ingressus, solemnissimè excipitur à Clero, à Magistratu, à populo, ab Universitate, è qua

Franco

Franco quidam Theologus eximiè perorans, in nomine Alberti lusit, quod sonat germanis Albrecht / quasi diceres, Allwegrecht / id est, semper æquus, quo nomine patrem suum, avum suum, proavum suum, abavúmque suum optimos pientissimósque Principes fuisse insignitos memoravit, in quorum mores vitæque instituta ipsum quoque abiturum spes esset. Hanc orationem non satìs æquis auribus Ernestus & Fridericus Archi-Duces excipere videbantur, quod sui nullam in ea mentionem factam audirent, atque ideò suam quisque domum abiêre. Interea Austriaci, ut sub novi Principis Imperio omnia essent tutiora, Reimbertum Waldseium spectata multis magnísque tempestatibus in Principem fide (erat hic de progenie Chünringiorum Fundatorum nostrorum) Præfectum aulæ creant, útque regio omnis latrociniis ac rapinis purgaretur, Peregrinum Puechaimium Magistrum Equitum (Mareschalcum Provincialem vocant) & cordatissimum quémque ex Proceribus, publicis muneribus præficiunt. Hinc à bellis civilibus Austria respiravit. [2.] Hæc Gerardus.

Struno addit Ernestum Archi-Ducem Reimberto de Waldsee multa castra ac bona in Stiria sita propterea occupâsse, quòd Albertum sine suo aut Friderici Fratris consensu tutelæ eximere & regimini præficiendum Proceribus tradere ausus fuisset, quæ tamen omnia ad Alberti cum Ernesto conventionem Annô MCCCCXVII. eidem restituta fuisse scribit, nomina illorum sunt: Utrumque Rakespurgum, Gebenicum, Stettenbergum, Eibeswalda, Gortschacum, Neoburgum ad Gercker (*fortè fluvius*) situm & Windischgrätz, aliáque bona Waldseii in Stiria sita. [3.]

ADDITIONES.

* [1.] Dubravius Histor. Bohemic. lib. 23. Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo. „ Sigismundus filius Caroli IV. Imperatoris „ ex Johanna conjuge ab ineunte ætate fra- „ trem Venceslaum indole, virtutum deco- „ re, ac eruditione superabat. Adeò ut illud „ Poëtæ: Fratrum quoque gratia rara est, ve- „ rum dici possit. Crevítque indies mirum „ in modum in Principem Strenuum, & ad „ fortissima quæque peragenda promptissi- „ mum. Facilè æquaturus Carolos & Otho- „ nes, si ad pacis artes (quibus excelluit) „ parem belli felicitatem addidisset. Nam „ & majestate Regia, quam in procero osten- „ tabat corpore, & liberalitate ac munificen- „ tia, quam multarum linguarum peritiâ in- „ signiorem reddidit, omnes facilè suæ æta- „ tis Reges antecellebat. Quibus effecit, ut „ Ludovicus Hungarorum Rex, cui unica erat „ filia Maria, ultima proles Divi Stephani „ Regis, hunc sibi optaret generum, eíque „ eam desponderet puero pene. Sed prius- „ quam adolesceret, Ludovicus diem suum „ obiit. - - - - - - Interim Imperii Principes „ crebrò convenientes Venceslaum tanquam „ ineptum Imperio deturbant, suffectis aliis „ Principibus, nunc Jodoco Marchione, nunc „ Friderico, nunc Ruperto. Sed hoc defun- „ cto Sigismundum concorditer (suasu, ùt „ aliqui tradunt Joannis XXIII. Pont. qui „ Electores rogâsse fertur) Romanorum Re- „ gem denunciant ac instituunt. „

Aventinus Annal. Boior. lib 7. „ Circa „ idem tempus Judocus, dum Francofordiam „ petere parat, absque liberis moritur, Brun- „ næ in Templo Augustinianorum sepelitur, „ Brandoburgium ad Sigismundum, Moravia „ ad Wentzeslaum redit. Et Francofordiæ „ rursus septem-viri coëunt, Sigismundum de- „ nuò Cæsarem consalutant. „

Megizerus in Annal. Carinth. lib. 9. c. 51.

Struno in Annal. Superior. Austriæ hoc anno.

Piespordius in Sigismundo. „ Sigismun- „ dus Lucemburgicus, Rex Ungariæ XXX. „ coronatus est annô 1386. Mortuô Rupertô „ Bavarô Rom. Imperator annô 1411, defun- „ cto etiam Venceslao fratre Rex Boëmiæ „ XIV. declaratus est. „

[2.] Gerardus de Roó lib. 4. fermè ad litteram.

Struno in Annal. Superior. Austriæ hoc anno.

[3.] Idem eodem.

Annus Christi MCCCCXII. Monasterii CCLXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Joannes XXII.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

SIgismundus Romanorum Rex ab initio Principatûs nihil antiquius esse ducens, quàm uti diuturna inter Ecclesiasticos dissidia componerentur, missis ad ipsorum Primates Legatis, Generale Concilium jam ante promissum urgebat, donec tandem à Joanne XXII. Constantia Sueviæ civitas Concilio locus constitueretur, quò ad statutum diem conveniretur. * [1.] Dubravius vult ipsum Sigismundum totam penè Europam Concilii convocandi gratiâ percurrisse, [2.] ut nimirum factô demonstraret, quod verbô in Electione sua declaraverat. Et præstantissimus omnium factus fuisset Imperator Sigismundus, si animi magnitudini ejus in gerendis bellis fortuna non restitisset.

Dum hoc labore Cæsar fungitur, interea bellum intestinum nascitur Friderico Austriaco in Tiroli sua, Rotenburgicus enim Comes infensissimus Archi-Duci factus, Bavariæ regulos in Athesinam vallem evocat, & ad evastandam terram inducit, qui tamen interveniente Georgio Pataviensium antistite arma rursum deposuêre bienniô, quo exspirante canales salis ad Halam invaduntur à Bavaro, quem rursum cum Austriaco composuit Eberhardus Kirchbergicus Episcopus Augustanus. [3.] Postmodum Friderico contra Tridentinum Episcopum Georgium Liechtenstainium militem educenti, & ipsum de Tridento cedere cogenti initium malorum fuit, quæ in Concilio Constantiensi ipsi multas civitates & ditiones devoravêre, utì suo tempore patebit.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 4. exscriptus.

Spondanus ad ann. 1413. n. 5. „ Joannes autem Pontifex de Concilii celebratione, quam Romæ faciendam indixerat, alio commodo loco habenda sollicitus; cùm audîsset Sigismundum in Lombardiam venisse (non quidem ùt Corius putavit, ad coronam secundam Imperii Mediolani accipiendam, cùm nondum hoc tempore, ùt aliàs vidimus, primam Aquisgrani accepisset; nisi fortè fictè id obtenderet, sed potiùs, ùt ex Niemo & Platina, atque Venetis & Hungaricis Scriptoribus intelligitur, occasione simultatum, quas possessionis Dalmatiæ causâ cum Venetis gerebat, quæ hoc eodem anno per quinquennales inducias prolationem acceperunt) & eum non minùs de pacificanda Ecclesia sollicitum, post rem litteris ac nunciis inter eos agitatam (ùt Antoninus, ipséque Pontifex literis indictionis Concilii Constantiensis declarat) misit Pontifex duos Cardinales prædictum Antonium de Chalanto tit. S. Cæciliæ Presbyterum natione Sabaudum, & Franciscum Zabarellam Patavinum Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, unà cum Emmanuele Chrysolora nobili Constantinopolitano, ac plena potestate conveniendi de loco & tempore celebrationis Concilii. Conventúmque demum fuit de loco Constantiæ civitatis provinciæ Moguntinæ (amplæ satis ad recipiendam magnam hominum multitudinem, ac situ, quasi in medio nationum, quæ ad Concilium accessuræ essent, positæ) ac de tempore Festi Omnium Sanctorum anni proximi 1414. Qua in re non videtur prætereundum (inquit ex Leonardo Aretino idem Antoninus, & ex hoc Nauclerus) eam aliter, quàm Pontifex cogitaverat, divino nutu contigisse. Nimirum cùm vellet ipse omnino locum statui, in quo non plus posset Sigismundus, adeóque ideo deliberâsset tradere quidem palàm amplissimam legatis suis facultatem, privatim tamen certa loca iisdem præscribere, proficiscentes hortatum ad munus legationis diligentissimè obeundum, quos sciret prudentiâ,

„ dentiâ, & fide ad optima quæque & salu-
„ taria deligenda excellere, momentô tem-
„ poris propositum diu cogitatum immutan-
„ tem dixisse iisdem: decrevisse se quidem
„ loca quædam indicare, à quibus nullo mo-
„ do discederent, sed in hoc temporis pun-
„ cto sententiam se mutare, ac ipsorum pru-
„ dentiæ totum committere: chartulámque
„ in qua loca scripta erant, in eorum con-
„ spectu lacerâsse, absque ulla alicujus loci
„ nominatione. Acceptâ autem à Legatis
„ Constantiâ, urbe Transalpina, & Imperio
„ subjecta, incredibiliter Pontificem indo-
„ luisse, quasi inde penderet ejus ruina.

N. 6. „ Re autem sic inter Sigismundum
„ & Legatos constituta, idem Sigismundus
„ literas publicas scripsit è loco Viglud Co-
„ manæ diœcesis die penultima Octobris an-
„ ni 1413. regníque sui Romanorum quarti:
„ quibus narrans quæ cum prædictis Legatis
„ Joannis Pontificis constituisset, universis
„ ad Concilium Constantiam venturis secu-
„ rum commeatum plenámque libertatem tam
„ in accessu, quàm statu & recessu promisit.
„ Aliásque speciales in eundem sensum dire-
„ xit postea Gregorio, hortans ad unionem
„ Ecclesiæ, & securitatem tam ipsi, quàm
„ omnibus ejus obedientiæ promittens. Sicuti
„ & Magistratus Constantiensis per acta pu-
„ blica juravit servare certa capitula à Joan-
„ ne Pontifice proposita pro eadem sui ac
„ suorum plenissima libertate accedendi, stan-
„ di, & recedendi, atque exercitio jurisdi-
„ ctionis & auctoritatis suæ. Idémque Jo-
„ annes convento post hæc eodem Sigis-
„ mundo apud Placentiam, inde cum illo
„ Laudam petiit. Ubi Joannes publico di-
„ plomate dato quintô Idus Decembris annô
„ Pontificatûs quartô prædictam loci & tem-
„ poris electionem auctoritate Apostolica
„ confirmans, Concilium Generale indixit;
„ ad ídque omnes Prælatos, Reges ac Prin-
„ cipes invitavit. Quando & Sigismundus
„ ad singulos pariter Reges ac præcipuos alios
„ Principes nuncios suos dirigens, quibus
„ eos de his certiores redderet, & ad consen-
„ tiendum hortaretur, ut sciri posset, quis ex
„ tribus contendentibus verus esset Ponti-
„ fex, misit etiam, (ùt ait Monachus Dio-
„ nysianus) ad Regem Francorum: qui re-
„ spondit se in tollendo schismate multùm
„ desudâsse, ùt notissimum universo orbi erat,
„ creato legitimè Alexandro V. adhæsisse, ac
„ postmodum Joanni; ac nihilominus votis
„ dilectissimi cognati sui Regis prædicti assen-
„ tiendo, permissurum se cuicunque volenti
„ ad Concilium ire. „

Nauclerus Generat. 48.

[2.] Dubravius lib. 23. „ Ut ostende-
„ ret (*Sigismundus*) non tam se honoris am-
„ bitiosum, quàm laboris pro Repub. Chri-
„ stiana subeundi cupidum esse, ut illam vide-
„ licet in pristinum statum erroribus & schis-
„ mate sublatis reduceret, laboriosissimam
„ peregrinationem obiit, qua magnam par-
„ tem Europæ peragravit. Dum Italos, Gal-
„ los, Hispanos, Britannos, & alias nationes
„ ad Concilium Constantiæ in Germania ce-
„ lebrandum contrahit. „

Cuspinianus in Sigismundo. „ Latitabat
„ tum (*Ladislao Rege Romam miserè devastante*)
„ Johannes Bononiæ, incertus, quò se verte-
„ ret. Sed Sigismundum audiens electum,
„ rogat ut urbem pro Concilio assignet. Est
„ itaque Constantia urbs Germaniæ insignis,
„ Italis, Gallis, & Germanis apta, & victua-
„ libus admodum abundans à Cæsare desi-
„ gnata pro futuro Concilio. Ad quam
„ omnis populus Christianus citatus est. Egit
„ dehinc facinus Augusto dignissimum, quod
„ nulla unquam ætas oblivifcatur. Peragra-
„ tis enim universæ penè Europæ provinciis,
„ totô trienniô omnes Principes, Reges, ac
„ Pontifices adit, quo schisma Christiano no-
„ mini calamitosissimum tolleretur, & Con-
„ cilium Constantiæ fieret omnes obtestatus,
„ ut per se, vel suos Oratores convenirent,
„ cum pleno (ùt ajunt) mandato. „

Notæ ad Concilium Constantiense sub
lit. F. Tomô Conciliorum nobis vigesimô no-
nô, editionis Parisiensis è Typographia Regia.
„ Pro eo igitur tollendo schismate Sigismun-
„ dus Romanorum & Hungariæ Rex, non-
„ dum factus Imperator, paternæ pietatis
„ æmulator, maximos subiit labores & sum-
„ ptus itinerum. Ejus enim rei gratiâ pera-
„ gravit primò Italiam, deinde Gallias, Hispa-
„ niásque & Angliam. In Italia sanè à Jo-
„ anne XXIII. obtinuit, ut Concilium indi-
„ ceret Constantiæ celebrandum, in quo po-
„ stea effecit, ut rejectis omnibus tribus, qui
„ Papæ auctoritatem sibi arrogabant, unus
„ legitimè in Concilio crearetur Papa, Otho
„ Cardinalis de Columna, dictus Martinus V.
„ Qua de re sic habet in vita Sigismundi Ba-
„ ptista Egnatius. Illud autem nulla unquam
„ ætas oblivifcatur, quòd per triennium ma-
„ gnam Europæ partem ipse peragrârit, dum
„ Principes Christianos ac Pontifices adit,
„ quò schisma Christiano nomini calamito-
„ sissimum tolleretur. Nec alterius Principis
„ opera magìs enituit in vera pietate vindi-
„ canda. „

[3.] Gerardus de Roó lib. 4. „ Fride-

„ ricum domi turbæ exceperunt, quarum concitator præcipuus erat Henricus quidam Rotemburgicus, magnâ potentiâ & clientelis subnixus, quísque inter omnes totius regionis Optimates maximè unus præeminebat. Erat enim Athesinæ ditionis, vetustæque arcis Tirolis (unde regioni nomen) & aliorum aliquot locorum Præfectus. Nec deerant ex Ecclesiasticis quoque & Equestri Ordine nonnulli, qui Principi minùs obsequentes, adversos de ipso rumores ferebant, neque alio ferè nomine, quàm Fridericum cum vacua pera, vulgò appellitabant. At horum contumelias facilè dissimulabat Fridericus; ab Henrico major metus incumbebat, ut qui Summo Magistratui absque collega præfectus, maxima secum momenta rerum traheret. Nec desunt exempla, quibus docemur summa ferè imperia ab iis vel everti vel occupari, quibus maximi honores à Principibus delati fuerant. Henricus igitur exasperatô in Principem animô, Stephanum Ingolstadiensem, Ernestum ac Wilielmum Monachienses, Bavariæ Regulos multis magnísque promissis, utì Friderico bellum inferant, inducit: tempus jam esse, quo provinciam à suis olim Majoribus, qui Romanorum inde arma depulissent, possessam, sibi vindicare sinè magno negotio possint, omnia prona atque facilia esse, imparatum à bello illum, móxque à suis, quibus odio esset, deserendum, se quoque vires non contemnendas ad hanc rem allaturum. Hanc occasionem arripiendam Principes rati, arma expediunt,& conscripto milite, Oeni vallem ingressi, Halam oppidum salis proventu nobile, obsidione cingunt.

„ Erat eo tempore Pataviensium Antistes, Georgius ex vetusta Comitum ab Hohenloë (aliàs alta flamma) gente oriundus, ejus interventu, factis in annos duos induciis, ab armis cessatum est. Henricus interim neque à contumeliis Principi faciendis, supersedebat ipse, & aliis utì idem facerent, exemplo & authoritate præibat, multósque sui ordinis, & ex reliqua nobilitate in suas partes pelliciebat, rusticos interim suis jurisdictionibus subditos, multis impositis oneribus impotentiùs divexabat. Sub finem induciarum Stephanus Boiorum Dux Halam redit, ac canales, quibus salis rivi ex vicino monte deducuntur, destruit. Intercedente Eberhardo Kirchbergico, Augustano Episcopo, res componitur, & Stephanus domum reversus, circa finem mensis Septembris ex hac vita migrat. Circa hæc tempora magnus Tridenti motus, & belli intestini initia extitêre. Tumultuabantur nonnulli è populo & plebe Tridentina contra Georgium Liechtenstainium Episcopum ab Ecclesiasticis electum. Eorum furori ducem se obtulit Rudolphus quidam ex nobili Bellenzonorum gente oriundus, summam rei, Episcopô ejectô, apud suos assecuturum se sperans, cujus rei haud inscius esse Fridericus à nonnullis dicebatur. Is cùm imperiosiùs jam agere, & Episcopo gravis esse inciperet, Henricus Rotemburgicus, qui fœdus & amicitiam cum Episcopo habebat, Tridentum profectus, urbem nec opinato impetu in potestatem redigit, plerisque locis incensis, & civibus motu quiescentibus, Rudolphum nullâ interjectâ morâ capitali supplicio affici jubet. Fridericus hæc suo injussu, in amica civitate, ab homine infensissimo facta, ægerrimè ferens, cum armis eò accurrit, ad cujus adventum Episcopus urbe excedit, oppidani Archi-Ducis fidei se suáque committunt. „

Annus Christi MCCCCXIII. Monasterii CCLXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Joannes XXII.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

ERant hoc anno tres, quorum quisque verum se Pontificem ferens, ceteros vitiô creatos contendebat. Joannes XXII. Romam cum Italia & Germania pleraque addictam sibi habebat, & majorem orbis Christiani partem; Gregorius verò & Benedictus Pisanâ Synodo exauctorati Cardinales nihilominus creabant, neque Pontificatui sese abdicare volebant. Ex iis Joannes Sigismundo intimaverat, Constantiam se venturum, ea lege & conditione, utì à Friderico Austriaco ab Alpium descensu deduceretur, cujus fidei se committere

tere

tere decrevisset. Inter conditiones hanc quoque fuisse quidam scripserunt, quòd si vel ob aëris qualitatem Constantia, vel alia quavis ex causa minùs ipsi placeret, aut securitati Pontificiæ non satìs opportuna videretur, ut in alia quavis civitate Imperiali sub fide & tutela Sigismundi esse ipsi liceret, aut si mallet, ex Friderici civitatibus aliquam eligeret, in qua moraretur, itâ tamen, nè ante Concilii finem longiùs abeat. Dies igitur ad conveniendum Constantiam statutus ad Calendas Novembris anno sequenti. [*]

[*] Gerardus de Roó ad præcedentem annum sub n. 3. relatus, paucis mutatis exscriptus.

Annus Christi MCCCCXIV. Monasterii CCLXXVI.

Pont. Rom. Joannes XXII. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

ITur hoc anno in magna frequentia à nationibus Constantiam, proficiscitur & Joannes Pontifex per Fridericum Austriacum ab Alpibus Italiæ deductus, qui honorificentissimè suscipitur die Dominica quintô Calendas Novembris. *[1.] Die igitur Nonarum Novembrium, Indictione octava, Missâ de Spiritu Sancto cantatâ, per Joannem Papam XXII. inchoatum est Sacrosanctum Generale Concilium Constantiense, & feriâ sextâ decimô sextô Calendas Decembris ejusdem anni prima sessio habita est, in qua pertractatum est de pertinentibus ad prosecutionem Generalis Concilii & unionis faciendæ. [2.] Ad hoc igitur accersiti Gregorius XII. & Benedictus XIII. in Concilio Pisano jam depositi, quorum alter sponte se per procuratorem suum Pontificatu abdicavit, alter pertinaciter agens, tamen à Concilio depositus est. [3.] Præterea ad hoc accersitus Hus, tametsi Romam anteà citatus ire noluerit, fide tamen publica à Concilio accepta, ipse primùm, deinde Hieronymus ejus Consectaneus Constantiam venit. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Joanne XXII. „ Eò „ (*Constantiam*) itaque ad certum diem ex in„ stituto proficiscuntur nationes, proficiscitur „ & Joannes Pontifex, admonentibus tamen „ quibusdam nè id faceret; quòd vererentur, „ nè cùm Pontifex accederet, privatus reverte„ retur, quod etiam contigit. Eò námque pro„ ficiscens cum viris quibusdam in omni gene„ re doctrinæ præstantibus, annô 1414. mense „ Octobri honorificentissimè suscipitur die „ Dominico 5. Cal. Novemb., qui Germanos „ multis disputationibus incertos & ambiguos „ tenuerunt, quid potissimùm decernerent. „

Cuspinianus ubi suprà ad ann. 1412. sub n. 2. relatus ità pergit: „ Veniunt itaque Impe„ ratoris Trapezuntini, aliorúmque Catholi„ corum Regum Oratores, & universæ Christia„ nitatis Principes, tantô numerô hominum, „ qui nonaginta novem millia excedere visus „ est. Venerat & Joannes Pontifex &c. „

Aventinus lib. 7. „ Imperator Sigismun„ dus eadem tempestate Venetis, Mediola„ nensibúsque bellum indicit, cum Ugrorum „ duntaxat manu fines illorum invadit, plera„ que castella in ditionem redigit. Teuto„ num Principes edictô socia arma secum ad„ versùs hosteis Reipublicæ jungere imperat. „ Nè unus quidem paruit. Quamobrem Cæ„ sar omisso tumultu bellico ad pacis studium „ animum adplicat. Joannem Pontificem „ Maximum adpellat, ut multorum capitum „ bellua è Templo Dei tollatur, Constantiam „ Rhetiarum quondam, nunc verò Sueviæ „ urbem, totius orbis Christiani Optimateis „ literis evocat. Ibidem igitur Cal. Novem„ bribus annô Christianæ Libertatis 1414. „ Ecclesiæ Latinæ frequentissimus Senatus un„ dique coit. Populus Christianus in quin-

„ que curias divisus est, Italicam, Hispanicam, „ Germanam, Gallicanam, Anglicam. Ex „ quaque tribu sex suffragiis delecti, penes „ quos foret arbitrium decernendi, atque co- „ gnoscendi, curialium consilia, causásque, „ & ad Collegas referendi potestas. „

Spondanus ad hunc ann. n. 7. „ La- „ dislai autem morte relevatus Joannes Pon- „ tifex (ùt Antoninus habet) cùm nihil jam „ esset, quod illum cogeret ad Sigismundum „ Regem Romanorum respicere; quia tamen „ Concilium solemniter fuerat promulgatum, „ & locus Constantiæ indictus, tempúsque „ præfixum prima dies Novembris, noluit „ promissis deesse, quamvis multi ei contra- „ rium suaderent, quod ei accidit, formi- „ dantes & prænunciantes. Itaque Calendis „ Octobris Bononiâ recedens per Veronen- „ sem Tridentinúmque agrum transmissis Al- „ pibus Constantiam accessit; civitatem Ger- „ maniæ provinciæ Moguntinæ ad Rhenum „ lacúmque amœnissimum sitam eâ parte, qua „ Helvetios respicit; quæ à Constantio Con- „ stantini Magni patre nomen accepisse dici- „ tur; ibíque solemniter acceptus est 28. Octo- „ bris, quæ erat dies Dominica, festúmque SS. „ Apostolorum Simonis & Judæ, cujus in- „ gressum specialiùs descripsit.

Nauclerus Generation. 48. „ Annô verò „ Domini 1414. Concilium Generale Con- „ stantiæ (quæ Suevorum urbs est) ad schis- „ ma tollendum, quod supra 30. annos du- „ raverat, Sigismundi Cæsaris jussu & indu- „ striâ, Joannis quoque XXIII. authoritate „ cœptum est celebrari. Tertia itaque die „ ante festum Assumptionis B. Mariæ Virginis „ venit illuc Jordanus Cardinalis Ostiensis „ Episcopus, sequebatur eum non multò pòst „ Johannes Papa, admonentibus quibusdam, „ nè id faceret, quòd vererentur, nè cùm Pon- „ tifex accederet, privatus rediret. Verùm „ his posthabitis circa Octobrem Bononiâ „ movens per Veronensem Tridentinúmque „ agrum transmissis Alpibus accedens, proce- „ dénsque in Vigilia Simonis & Judæ Con- „ stantiam applicuit, & prima nocte in Cœ- „ nobio Creutzlingen dicto, extra portas ur- „ bis mansit, ubi pro dono Abbatem Infula- „ tum fecit. Mane facto obviam illi venit „ Clerus totius urbis solenniter congregatus, „ in processione cum Reliquiis, quàm devo- „ tissimè potuit, totáque civitas effusa est, „ ducens eum honorificentissimè in Palatium „ Episcopale; subsequuntur eum novem Car- „ dinales, deinde civitas donum Italicum ob- „ tulit more patriæ, scyphum ex argento de- „ auratum quinque marcarum, vinum Itali- „ cum, Alsaticum, ac provinciale, & 40. mal- „ dra avenæ; sequenti feria sexta venerunt 6. „ Cardinales de ejus obedientia. Dominica „ ante festum Martini congregari fecit Johan- „ nes Papa curiam: aderant omnes Cardina- „ les, duo Patriarchæ, Archi-Episcopi plures. „ In Vigilia S. Martini Episcopi fecit proces- „ sionem solennem, venerunt iterum quinque „ Cardinales de obedientia ejus. Sigismun- „ dus Rom. Rex nondum aderat: is verò in „ Vigilia Nativitatis Domini venit in Uber- „ lingen / quod oppidum distat milliare Ale- „ manicum à Constantia. Sequebatur Re- „ gem Regina, inde Rex certiorem fecit Pa- „ pam de adventu suo, rogabátque, ut cum „ Missis adventum suum præstolari dignaretur. „ Noctu itaque ascendentes navem Constan- „ tiam circa mediam noctem advecti sunt Rex „ ipse cum Barbara Regina, Ciliæ Comitissa. „ Sequebantur eam Regina Bosnensis Eliza- „ beth, & Anna Comitissa de Wirttemberg ex „ Burggraviis Norinbergensibus nata. Associa- „ tus Regi Dux Saxoniæ Ludovicus. Erat enim „ frigus, unde ductæ sunt mulieres in æstuari- „ um, ut calefacerent se ad horam. Deinde „ cum faculis ardentibus intraverunt Ecclesi- „ am Cathedralem, in qua Papa Johannes can- „ tavit primam Missam; Rex verò legit Evan- „ gelium, *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, in ha- „ bitu Diaconorum. Eo quoque die Papa reli- „ quas ipse duas cantavit Missas, & solenniter „ benedixit populum. Circa novum annum ve- „ nit ad Concilium, Ludovicus Comes Palati- „ nus Rheni & Dux Bavariæ cum 400. equis, se- „ cutus est eum paulò pòst Ludovicus Dux Sle- „ siæcum 200. equis. Secuti sunt illos iñumeri „ Principes tum Ecclesiastici tum Sæculares. „

[2.] Ciaconius ubi suprà ad litteram.

Spondanus hìc n. 8. „ Die igitur prima „ Novembris, festo OO. Sanctorum celebratâ „ Missâ à Pontifice, inter ejus solemnia facto „ sermone per quendam Doctorem, Franci- „ scus Zabarella Diaconus Cardinalis SS. „ Cosmæ & Damiani (Florentinus vulgò di- „ ctus de Ecclesia quam rexit, Patavinus licèt „ Patriâ) schedulam, ùt vocant, sive libellum „ aut codicillum legit, de facta per eundem „ Joannem Pontificem indictione hujus Con- „ cilii, in continuationem Pisani, pro refor- „ matione Statûs Ecclesiæ; déque illo incho- „ ando die Sabbati sequenti tertiâ Novem- „ bris. Eo verò in diem Lunæ quintam „ mensis prorogato, tunc post solemnem pro- „ cessionem pro inchoatione Concilii, Mis- „ sam de Spiritu Sancto, & sermonem de ma- „ teria Concilii, indicta est Sessio in diem „ Veneris decimam sextam ejusdem mensis.

N. 9.

N. 9. „ Eáque adveniente celebrata est „ in Ecclesia Cathedrali Constantiensi Prima „ Concilii Sessio. Qua post Missam per Jor- „ danum Ursinum Romanum Cardinalem „ Episcopum Albanum dictam, cantatásque „ Litanias, & alias orationes factas, ipsemet „ Joannes Pontifex sermonem habuit ad Sy- „ nodum exhortans omnes ad solerter medi- „ tandum, quæ ad Ecclesiæ statum & pacem „ pertinerent. Deinde idem, qui suprà, „ Franciscus Cardinalis Florentinus alta voce „ legit indictionem Concilii factam (ùt vi- „ dimus) Laude quintô Idus Decembris anni „ Pontificatûs quarti proximè præteriti. Sub- „ jecítque item ex scripto admonitionem „ Pontificis de perpendendis iis, quæ ad pa- „ cem Ecclesiæ, & errores Wickleffianos „ spectarent, déque modestia in Synodo ser- „ vanda. Ac nè fortè occasione Sessionum tur- „ bæ concitarentur, eadem auctoritate de- „ claravit ex ordine sedendi nullum alicui Ec- „ clesiæ aut personæ præjudicium futurum.

„ Post hæc creati sunt Ministri & Officia- „ les Synodi; videlicet quatuor Protonota- „ rii, qui curam haberent, videndi & ordi- „ nandi omnia quæcunque in Synodo age- „ rentur, & scribenda forent; ac totidem „ Notarii, & Scribæ, qui prædictis subessent, „ & in scripta redigerent. (Quos quidem sin- „ gulos ex quatuor præcipuis Nationibus Ita- „ lica, Gallica, Germanica & Anglica dele- „ ctos esse habent Acta edita; quippe sub „ his quatuor Nationibus universæ aliæ com- „ prehensæ sunt, quousque recedentes Hi- „ spani à suo Idolo Petro de Luna, & ipsi ad „ Concilium accesserunt, & quintam Natio- „ nem confecerunt, ùt dicetur suô locô.) Itém- „ que unum Concilii custodem, qui fuit tunc „ Bertholdus de Ursinis Romanus Comes „ Suanensis & Palatinus; quatuor Scrutato- „ res votorum, Doctores Decretorum, quibus „ Scribæ semper deberent adstare: quatuor „ Juris Doctores Concilii advocatos, Petrum „ de Ancharano, Simonem de Perusio, Ra- „ phaëlem de Fulgosiis, & Ardecinum de No- „ varia: duos Concilii Procuratores seu Pro- „ motores; ac denique quatuor Magistros „ cæremoniarum. Hísque gestis indicta est „ futura Sessio in diem Lunæ decimum septi- „ mum Decembris. Utì hæc omnia pluribus „ describuntur in actis editis Synodi.

„ Prolata autem est Sessio in eum diem, „ eò quòd nondum advenisset Sigismundus „ Romanorum Rex, sive Imperator; qui his „ diebus, hoc est, octavô Novembris coronam „ primam regni Romanorum accepit Aquis- „ grani, ùt diximus alia occasione superiùs. „ Quoniam verò non appulit Constantiam „ ante festum Nativitatis, aliáque supervene- „ runt impedimenta, & expectarentur Anti- „ stites plures ac Principes, Regúmque Ora- „ tores, dilata est rursum Sessio usque ad men- „ sem Martii anni sequentis. Adeò ut præ- „ ambula hæc tantùm fuerint, sive præpara- „ tio celebrationis Synodi. „

[3.] Hæc hoc anno & in prima Sessione non contigerunt, verùm referuntur solùm incidenter.

[4.] Dubravius lib. 23. ad litteram.

Æneas Sylvius Historiæ Bohemic. c. 36. „ Placuítque tandem Sigismundo Imperatore „ suadente Joannem & Hieronymum ad Sy- „ nodum evocari, qui tum ceteris ejusdem „ regni doctiores, tum populi Doctores (*al. ductores*) ac hæresum Principes habebantur. „ Venerunt ambo non tam verecundè aliena „ discere, quàm sua impudenter ingerere pa- „ rati; docendi quippe quàm discendi cupi- „ diores, & popularis amantes auræ. „

Spondanus ubi suprà n. 11. „ De his ve- „ rò initiis agens Jacobus Cerretanus in suis „ Diariis MSS. inter alia narrat, die decima „ octava Novembris postulanti Cardinali Fra- „ tri Joanni Dominico Gregorii XII. Legato „ assignatum esse Cœnobium S. Augustini Or- „ dinis Eremitarum pro hospitio; cui cùm „ insignia Gregorii præfixisset, ea nocte inse- „ quente dejecta fuisse. Disceptatione ea de „ re facta, decretum esse, non debere ea poni, „ in loco obedientiæ Joannis Pontificis. Die „ verò 28. ejusdem mensis Joannem Huß, qui „ longè antè advenerat, quòd doctrinam „ Wickleffi in hospitio disseminaret, nec mo- „ nitus desistere vellet, ductum esse ad Pon- „ tificem, & quodam Palatii cubiculo con- „ clusum; cúmque miles quidam obtruderet „ salvum conductum, Pontificem negâsse se „ dedisse; ac nihilominus inde eductum Huß „ datum in custodiam esse Episcopo Lausa- „ nensi Apostolicæ Cameræ Regenti: commis- „ sósque esse ad eum examinandum quatuor „ Cardinales, unà cum Generalibus Ordinum „ Prædicatorum & Minorum, séxque Archi- „ Episcopis & Episcopis Viris doctissimis.

N. 12. „ Venerat autem ille Constantiam „ hortatu Sigismundi Regis ad purgandam & „ suam & regni Bohemiæ infamiam propter „ hæresim, quam profiteri dicebatur: cui & „ idem Rex literas commeatûs sive salvi-con- „ ductûs dederat die 18. Octobris præsentis „ anni, quo eum omnibus, per quos transi- „ ret, commendaverat, nè quid ei impedi- „ menti fieret. Cùm & jam antè idem Pragæ „ triplici perscripto publicè libello, Domi-

„ nicâ post festum S. Bartholomæi die 26. Augusti, professus iturum se Constantiam, ad „ respondendum de doctrina sua, rebúsque „ omnibus, de quibus accusabatur, omnes „ adversarios suos monuisset adesse ibidem ad „ eum coarguendum: qui si eum de aliquo vel „ minimo errore in fide convincerent, non „ recusare se quascunque hæretici pœnas ferre. Tanto fastu, támque impudenti arrogantia hæc præstans, ut eosdem libellos „ triplici lingua, Latinâ, Teutonicâ, & Boëmicâ ubique disseminâsset. Post quæ magnâ „ pompâ & multo amicorum comitatu Pragâ exiens in pervigilio S. Galli (nempe 15. „ mensis Octobris, triduò ante diem Salviconductûs Regis Sigismundi, atque adeo „ multò antequam eum reciperet: tanta erat „ sui rerúmque suarum fiducia) & toto itinere „ honorificè ubique habitus, Constantiam „ pervenit Sabbatò post festum Omnium Sanctorum die 3. Novembris; & liberè ibi agere „ permissus est, donec, ùt diximus, errores „ suos & Wickleffi propalare cœpit. Quando & videns jam diu sibi infensos è Clero „ Boëmico adversarios ad accusandum paratos & instructos, cœpit de fuga circumspicere, quam etiam quæsivit curru rusticano „ straminibus oppleto: sed interceptus, ac „ reductus, custodiæ traditus est. „

Nauclerus Generat. 48. rejicit dicta in sequentem annum, ubi sic habet: „ Circa hæc „ tempora Wenceslaus Rex Boëmiæ requisitus à Concilio misit Joannem Huß ad Constantiam cum Salvo-conductu Sigismundi „ Regis. Hic cùm vidisset Concilium attendere facta sua, timore perculsus auffugere „ parat, clámque ascendit currum rusticanum, „ & straminibus tectus exivit civitatem. Innotuit hoc Magistro Civium, qui convocatis „ satellitibus insecutus est eum: deprehensum „ in fuga reduxit: fit concursus populi ad „ spectaculum, & turbatione facta, inter manus reducentium elabitur, latibula quærens; „ sed mox deprehenditur, ac Johanni Papæ „ traditur, qui eum in Palatio tenuit octo „ diebus, deinde custodiæ mancipatur apud „ Prædicatores. Per hæc tempora & Hieronymus venit Constantiam cum uno Clerico. „

Annus Christi MCCCCXV. Monasterii CCLXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Joannes XXII.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

Concilium anno priori inchoatum hoc anno continuatur, in cujus Sessione secunda de abdicatione Pontificatûs transactum; eò res deducta est, ut in scripto Joannes Pontifex, quod coram Concilio legi jussit, abdicare se Pontificatu promiserit, cùm verò moram traheret, & de Sigismundo, qui ipsi fugam dissuaserat, portásque civitatis diligentiùs custodiri jusserat, spem omnem abjiceret, cum Friderico Austriæ Archi-Duce fugæ consilium iniît, & civitatem peregrini in habitu incognitus exiens, ubi ad lacum pervenit, lembum ad hoc paratum conscendit, & remigiô usus Schafhusium proficiscitur. * [1.] Quem Fridericus subsequitur. Vulgatâ hujus fugæ famâ, maximus per totam urbem tumultus exoritur, concurritur passim & clamatur: Joannem & Austriacum nefarios homines Concilii perturbatores, quovis supplicio dignos esse. Interim Imperatori & Concilio litteræ redduntur, quibus factum uterque suum excusare nitebatur. Schafhusiâ Pontifex discesserat, & Friburgum atque inde Brisacum abiît. Imperator igitur offensus & Concilium, Episcopis maximè contra Fridericum in propria causa etiam clamantibus, qui erant Tridentinus, Brixinensis, & Curiensis, Austriacum Imperii ac Ecclesiæ hostem, Concilii perturbatorem pronuntiat, cui quicunque damnum atque incommoda inferre studeret, is non impunitatem solùm, sed gratiam quoque & laudem sibi propositam esse sciret. [2.] Inde passim à vicinis Principibus & Comitibus ditiones ipsius invaduntur, simul etiam ab Imperatore Helvetii, cum quibus tamen fœdus illi erat, in eundem excitantur. Horum motibus auditis Fridericus tandem

dem

dem auxilia circumſpicere cœpit, cui operam ſuam Pontifex promiſit in ſubminiſtrando belli nervo pecuniâ. Dum hæc inter ipſos agitantur, commodùm illi venit Palatinus Ludovicus, qui unicam rerum ſuarum recuperandarum viam reſtare Friderico demonſtrat, ſi ſecum ad Sigismundum veniam petiturus proficiſcatur, ſe velle pro ipſo ſupplicem quoque fieri. Venit unà cum Palatino Conſtantiam, quibus ſe ſupplicaturus adjunxit Fridericus Norimbergæ Burggravius. Hi in Franciſcanorum Monaſterio ad Cæſarem ſupplices admiſſi, eò rem deduxerunt, ut pacem & veniam Fridericus impetrârit, atque ſua omnia in ſpem recuperationis ipſi Cæſari reſignârit. [3.] Verùm cùm ab inimicis maximè impeteretur, & ab Imperatore etiam nil niſi verba & ſpem meram obtinere poſſet, Conſtantiâ in Tirolim abiît. Erneſtus enim frater ejus Tirolim occupaverat, timens nè & ipſa provincia in alienas deveniret manus. Ubi cùm Oeniponti Erneſtus ordinum conventus ageret, natus eſt ei ex Cimburga Semoviti Maſſoviæ Ducis filia, Fridericus Romanorum poſtea Imperator. Fridericus verò in Tirolim veniens etiam cum fratre in diſſidium ſuæ provinciæ venit, qui tamen tandem cum Tridentino & fratre in gratiam rediît. Atque ideo pluribus exutus provinciis cognominabatur Fridericus cum vacua pera, vulgò mit der lähren Taschen. [4.] Interea ſub Alberto Auſtria tranquillo rerum ſtatu florebat, omnibus latrociniis mutuíſque injuriis legum vigore ac pœnarum metu ſublatis.

Pontifex interea Cellis ſeu Ratolficellæ à Friderico in Concilii poteſtatem deductus, ibi à Concilio contra eundem formatus proceſſus, & articuli multi ſufficienter probati. Quare coactus eſt à Concilio ſervare ea, quæ antea in ſecunda Seſſione promiſerat & voverat. Pontificatu igitur pridie Calendas Junii An. MCCCCXV. in eodem oppido Ratolficella ſe abdicavit, poſt cujus abdicationem Apoſtolica Sedes vacavit annos duos, menſes & dies aliquot, uſque ad legitimam electionem Martini Papæ V. [5.] Nam Concilium à Gregorio XII. & à Benedicto XIII. Papatûs quoque ceſſionem quærens tantum temporis conſumpſit. Gregorius quidem ſponte 4. Nonas Julii, An. MCCCCXV. per Malateſtam Arimini Domicellum Pontificatum reſignavit, Benedictus tamen adduci non potuit, ut ſeſe abdicaret. [6.] Joannes igitur quondam Papa cùm fugam multoties moliretur, Ludovico Bavaro nomine Concilii cuſtodiendus traditur, qui An. MCCCCXIX. tandem liberatus, ad Martini Papæ V. pedes veniam & gratiam impetravit, qui eundem mox Epiſcopum Cardinalem Tuſculanum & Cardinalium Collegii Sacri Decanum creavit, atque in memoriam Pontificatûs, quem aliquando juſtè poſſederat, ſedes ejus propè Sedem Papæ paulò eminentior quàm ceterorum Cardinalium poſita eſt. [7.] Gregorius autem quondam Papa poſt abdicationem ſuam à Concilio Conſtantienſi Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Collegiíque Decanus, & Piceni Legatus perpetuus factus eſt: obiît Recanati Annô MCCCCXVII. paulò ante Martini V. creationem.

In hoc præterea Concilio cùm Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis ejus collega à Sigismundo citati comparuiſſent, convictíque de hæreſi, neque errores ſuos agnoſcerent, neque palinodiam canerent, ſed pertinaciter agerent: latâ ſententiâ, Joannes primùm utì hæreſiarcha ad rogum projectus, deindè cùm in ſpem converſionis Hieronymus aliàs vir doctrinâ & facundiâ excellens, diutiùs in cuſtodia ſervaretur, tandem contumax quoque inventus igni etiam adjudicatus eſt. Pertulerunt ambo conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas invitati ad incendium properârunt, nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinêre, quem vix

flamma & fragor ignis intercipere potuit. Paulò ante mortem Pragam Hussus suæ sectæ asseclis scripsit: Illos tandem reperisse poculum, quod sibi mortem accelararet. [8.] Verè Hussitæ ex horum suppliciis ita sunt perversi, ut omnia potiùs everterent & perverterent, quàm converti vellent. Inde in Ecclesias, inde in Monasteria, adeóque in Clerum totum, calicem unà Laicis non porrigentem, debacchati sunt, ut vestigia sua non tantùm in florentissimo Bohemiæ regno, sed quoque in finitimis provinciis reliquerint suæ crudelitatis testes. Sicut etiam Monasterium Zwetlense illorum furias satìs persensit.

Fit porro hoc anno mentio Friderici Abbatis in Zwetl Sabbato nimirum proximo diei S. Erhardi Episcopi, circa Idus Januarii, unde constat ipsum hoc adhuc anno vixisse Abbatem, qui in pace provinciæ constitutus unicè curavit Monasterium è debitis & à creditoribus molestis reddere absolutum & liberum, cùm à prædecessoribus suis ità desolatum & debitis aggravatum fuisset. [9.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciacon. in Joanne XXII. „ Habita prima Sessione, Papa Joannes XXIII. „ requisitus est à S. Synodo, ut sequentem „ schedulam acceptaret, juraret & voveret, „ prout in ea scriptum erat, pro bono unionis, pace Ecclesiæ, schismate tollendo: „ quam cùm per multos dies idem Pontifex „ accipere renuisset, tandem videns totum „ Concilium in hoc consensisse, & præsertim „ Prælatos Italicos, ut hanc schedulam acciperet, & simul timens se coactè facturum, „ quod tunc liberè facere poterat, hanc omninò acceptare decrevit, & quod in ea contineretur, approbare.

„ Quapropter in secunda Sessione, quæ „ die Martis VI. Nonas Martii, annô 1415. „ convocata est, cùm priùs ipse Pontifex Missam de Spiritu S. celebrâsset, eandem schedulam à se priùs probatam per D. Vitalem „ Patriarcham Antiochenum publicè legi „ fecit alta voce coram toto Concilio, cujus „ tenor hic est:

„ Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani, profiteor, „ spondeo, promitto, juro, voveo Deo, & „ Ecclesiæ, & huic Sacro Concilio spontè & „ liberè dare pacem Christianæ Ecclesiæ per „ viam meæ simplicis Cessionis Papatûs, & „ eam facere, & adimplere cum effectu juxta „ deliberationem præsentis Concilii, si, & „ quando Petrus de Luna Benedictus XIII. „ & Angelus Corarius, Gregorius XII. in suis „ obedientiis nuncupati, Papatum, quem prætendunt, per se, vel per procuratores suos „ legitimos simpliciter cedant, & in quocunque casu cessionis, vel decessûs, aut alio, „ in quo per meam cessionem poterit dari „ unio Ecclesiæ Dei, ad extirpationem præsentis schismatis.

Abdicatio Joannis XXII.

„ Cùm autem requireretur ab omni Concilio, ut juxta tenorem prædictæ schedulæ „ Pontificatum deponeret, hoc facere nolens, noctu clàm habitu mutato de Constantia fugit, habitô fugæ consiliô cum Friderico Austriæ Duce, à quo etiam comitatus est usque ad Schafusam, quod erat oppidum ditionis ipsius Friderici Ducis Austriæ, in Burgundiam paulò pôst profecturus. „

Spondanus ad hunc ann. n. 5. „ Die „ secunda Martii celebrata est secunda Sessio „ Concilii in Ecclesia Cathedrali (ubi etiam „ aliæ Sessiones generales haberi sunt solitæ: „ ceteræ autem Congregationes vel in aliis „ Ecclesiis, vel certis locis, quibus singulæ „ quatuor Nationes, de quibus posteà, coire „ consueverant) quâ post dictam à Pontifice „ Missam, lectásque preces, ac solemnitates, „ quæ fieri consueverunt in Sessionibus, idem „ Pontifex sedens in Cathedra ante Altare „ conversus ad Concilium ibidem congregatum alta voce legit schedulam, sibi die præcedenti in præsentia Regis Romanorum, & „ quatuor congregatarum Nationum per Joannem Patriarcham Antiochenum natione „ Gallum, præsidentem tunc Nationis Gallicæ, ex parte totius Concilii oblatam, & ab „ eo acceptatam; quâ professus est, spopondit, promisit, vovit ac juravit (tot enim „ diversis verbis rem firmavit: quæ proferens „ genua flexit versùs Altare, ponendo manus ad pectus) Deo, Ecclesiæ, & Concilio, „ dare pacem Ecclesiæ per viam suæ simplicis „ cessionis Papatûs, eámque reipsa adimplere, „ si, & quando Petrus de Luna, Benedictus „ XIII. & Angelus de Corario Gregorius „ XII.

„ XII. in suis obedientiis nuncupati, Papatui, quem prætendebant, per se, vel per procuratores suos legitimos simpliciter cederent, atque etiam in quocunque casu cessionis, vel decessûs. Eóque factô, surgens Rex de Cathedra sua, depositâ coronâ, flexísque genibus, & pedem Pontificis osculando, gratias ei egit, tam suo, quàm Concilii nomine: ídque ipsum præstitit ex parte universi Concilii prædictus Patriarcha. Ac demum fuit confecta ea de re bulla: quam integram referunt Acta Victorina, nec non Monachus Dionysianus, datam secundô Nonas Martii: pars tantùm minima, sed præcipua, extat in Actis editis Concilii. Addunt autem Victorina: Post gratias Pontifici sic actas, eundem Regem, omnésque aliorum Regum ac Principum Oratores, totúmque Concilium promisisse Joanni, si duo alii se non humiliarent ad cessionem, sicut ipse fecerat, adstaturos se ipsi perpetuò adversùs illos tam spiritualibus favoribus, quàm temporalibus auxiliis.

N. 6. „ Die 5. Martii (ùt habent eadem Acta Victorina) Regis Francorum Oratores Constantiam ingressi sunt (nempè, ùt Cerretanus numerat) Ludovicus Dux Bavariæ, frater Reginæ, Archi-Episcopus Rhemensis, Episcopi Carcassonensis & Ebroicensis) occurrentibus eis obviam ceterorum omnium Regum Oratoribus, unà cum Duce alio Bavariæ & Duce Lotharingiæ, magno Camerario Papæ, plurimísque Archi-Episcopis & Episcopis ad duo millia equorum.

N. 7. „ Die verò decimâ quintâ (ùt eadem Acta referunt) petitum fuit à Papa. Primò, nè dissolveretur Concilium, donec unio perfecta esset. Secundò, nè transferretur aliò. Tertiò, nè Papa inde abscederet. Quartò, ut constitueretur procurator ad renunciandum efficaciter ejus nomine. Quintò, ut de præmissis daret bullas. Sextò, nè Prælati aut alii ad Concilium vocati recederent, nisi fortè propter infirmitatem aut paupertatem. Ad quæ die sequenti respondens Papa; ad primum annuit. Ad secundum videri commodiùs Concilium transferri ad locum aliquem, Niciæ vicinum, ubi debebat fieri colloquium Regis Romanorum cum Benedicto & Aragonio. Ad tertium utilius esse ipsum cum Concilio Niciam versùs accedere. Ad quartum, velle se facere id per se ipsum: id enim honestiùs fore respectu rei, personæ, Ecclesiæ, & Concilii. Ad quintum, & sextum nulla ponitur responsio, sed patet ex prædictis. Nec omittendum ex Cerretano, grave in his fuisse initiô inter 4. Nationes dissidium ob modum renunciationis, utrum deberet fieri per procuratores (quod Rex Sigismundus urgebat) an verò personaliter; & utrum per Nationes aut per suffragia in Concilio deliberandum esset. Cùm autem non esset à Pontifice per suas responsiones satisfactum Nationibus; institerunt illæ rursum pro syngrapho seu procuratorio, nè fortè Papa mutaret sententiam, & ad evitandas collusiones. Sed & Legati Gregorii contestati sunt, Dominum suum nequaquam iturum Niciam, sed potiùs venturum Constantiam aut daturum procuratorium ad cedendum. Itémque Legati Benedicti se nihil acturos cum Concilio aut Joanne Papa; sed tantùm cum Imperatore, ad quem solum missi erant.

N. 8. Quibus sic stantibus, dum expectaretur, ut Joannes, sicut promiserat, Nationibus satisfaceret, subitò auditum est eum abiisse: qui nocte præcedente diem festum S. Benedicti vigesimum primum Martii, re cum Friderico Austriæ Duce secretò compositâ, dissimulato habitu urbem egressus, Schaffusiam aufugit oppidum prædicti Friderici diœcesis Constantiensis ad eundem fluvium Rheni, quatuor milliaribus Constantiâ distans. Qua de re cùm omnes turbarentur, Sigismundus congregatis Nationibus metum deponere jussit; se enim protecturum Concilium, & unionem usque ad mortem procuraturum. Strenuum planè Principem, dignúmque immortali laude ob perpetuam in adjuvanda Republ. voluntatem! absque quo fuisset, nullum est dubium, quin Concilium dissolutum esset, ac schisma perniciosioribus conatibus auctum &c. „

[2.] Spondânus hic n. 12. „ Plurima alia nobis eadem Acta Victorina de eodem Joanne exhibent cognitu digna. Atque imprimis epistolam ad Wladislaum Poloniæ Regem (secundùm cujus formam putamus ad alios Reges suæ obedientiæ pariter scripsisse) datam illam confestim post suum recessum die vigesimâ tertiâ Martii Schaffusiæ. Qua quidem narrat, quomodo studiô procurandæ pacis Ecclesiæ indictô Conciliô Constantiæ viam cessionis ibi obtulisset ac juràsset; quamvis nullatenus ad eam adstrictus esset, eò quòd Petrus de Luna & Angelus Corarius fuissent à Sancto Concilio Pisano damnati & ejecti: Cùm autem existimaret ex tanta sua liberalitate favores & auxilia omnia pro effectu tam generosi operis promereri, qui pro aliorum quiete

N 2 „ unicam

„ unicam toto orbe dignitatem non dubita„ ret dimittere: nonnullos tamen appetitum „ rationi præponentes, & propria sectantes „ commoda, non sicut in Generalibus Con„ ciliis hactenus observatum fuisset, per vota „ voces (seu suffragia) habentium, opinio„ nes colligi permisisse; verùm ùt in quatuor „ Nationes (nempe Italicam, Gallicam, An„ glicam & Germanicam) quæ per quatuor „ voces totam auctoritatem Concilii repræ„ sentarent, quod nunquam auditum fuerat, „ nè quis contra cupita eorum vota repulsam „ dare valeret, rem sic ad libitum deducere „ satagisse: & si qui illorum inordinatæ volun„ tati contradicerent, eos minis & conviciis „ terrere consuevisse: quin imò contra liberta„ tem Sacri Concilii machinantes, portas civi„ tatis Constantiæ per diem integrum, nè ali„ quis Prælatus vel Clericus exire posset, claudi „ fecisse: ac denique contra libertatem & „ salutem ipsiusmet Pontificis palàm conspi„ rare ausos esse. Se itaque talia intuentem, „ cùm nulla videretur via Salutis, de dicta „ civitate incognitum recessisse; & Schaffu„ siam, quæ erat temporalis dominii Fride„ rici Austriæ Ducis, accessisse, ubi plena „ utebatur libertate &c. „

[3.] Nauclerus Generat. 48. ad an. 1415. „ Unde altera post Benedicti diem convocari „ fecit (*Sigismundus*) Principes, & accusavit „ Fridericum Ducem Austriæ, quòd Author „ & Adjutor Papæ in fugiendo fuerit, in „ Concilii injuriam, Christianæque Reipu„ blicæ periculum maximum, adjecit dictum „ Ducem offendisse etiam privatos plurimos. „ Citatur itaque Fridericus publicè in Con„ cilio pro abductione Papæ. Cæsar verò „ eundem per edictum citari in Dominica, „ *Quasimodo*, curavit, & ejus citationis virtu„ te Cæsar absolvit omnes subditos Friderici „ ab obedientia ejus; privavit eum feudis, „ & omnibus bonis, corpus & bona illius „ exposuit omnibus, sine mora quoque Rex „ occupari fecit oppida Ducis Stain / Frau„ enfeldt / quidam alii occupaverunt oppi„ dum Feldkirch & Curuassen / Suitenses „ & Waldenses cum suis confœderatis oc„ cupaverunt oppida & munitiones in terra „ dicta Ergoia / quæ hodie est in potestate „ eorum, Baden / Mellingen / Bremgar„ ten / Wallenstadt / Diessenhofen. In„ terea Papa in Schaffhusen territus in Pa„ rasceve post meridiem abiit, ac in oppidum „ Losenberg pervenit, ab eo loco in Fribur„ gum confugit, iturus inde, si tutò fieri pos„ set ad Burgundiæ Ducem. Scripsit autem „ ex Friburgo Concilio in hæc verba: Johan„ nes Episcopus Servus Servorum Dei: Uni„ versis innotescat; quòd cùm propter me„ tum, qui cadere potuit in constantem vi„ rum, de civitate Constant. recesserimus, „ ne hac occasione Petrus de Luna, & An„ gelus Corarius in suis obedientiis nomi„ nati, allegantes impressionem nobis factam, „ se quovis modo ab accessione retraherent, „ & sic protraheretur effectus pacis & unionis „ Ecclesiæ, ad quorum effectum desideria no„ stra tendunt. Ex Friburgo &c. „

Gerardus de Roó lib. 4. „ Imprimis „ verò Imperator ipse offensam illam gravissi„ mè ferens, de utroque ad Concilium que„ stus est. Propositô inde edictô, ne quis„ quam discederet, missis ad Joannem litte„ ris ac nunciis, ne longiùs abiret, cavit. In „ Fridericum verò, infensi multorum animi, „ reliquos quoque exasperabant. Itaque „ conviciis passim proscinditur, ut qui malè „ de Religione sentiret, pejus de ea merere„ tur, & negotium tam arduum, & Reipubl. „ Christianæ non solùm utile, sed planè ne„ cessarium perturbaret, absque eo nunquam „ Pontificem fugæ consilia initurum, nec, „ quà aut quò fugeret, sciturum fuisse. In„ dignum esse, qui paulò antè ad Episcopo„ rum querelas, apud Judices à Concilio da„ tos, se responsurum promisisset, clam abiisse. „ Erant præter Episcopos, quos suprà memo„ ravi, non pauci Comites ac Nobiles, qui „ veteri in Principes Austriacos simultate, „ hoc rerum statu, apertam in eorum perni„ ciem esse fenestram gaudebant, nihil ob„ stiturum arbitrati, quò minùs in ipsorum „ ditiones involarent. Quod enim intra „ paucos annos, eorum opes cum dignitate „ in immensum creverant, multi nulla in re „ ab ipsis læsi, quidam etiam beneficiis affe„ cti, occultis invidiæ stimulis agitantur. Hi „ Sigismundum in ultionem hujus tam insi„ gnis contumeliæ instigabant, jam anteà in „ id propensum. Itaque dies Friderico di„ citur, ad quem diem coram Cæsare & Sy„ nodo compareret. Cùm verò non veniret, „ contra Rempubl. fecisse, & Majestatis reus „ peragitur, omnésque ejus subditi à fideli„ tatis Sacramento absolvuntur, omnia ejus „ oppida & ditiones prædæ ac direptioni pro„ scribuntur. Dantur etiam ad vicinas Sue„ viæ, Helvetiæ & tractûs Rhenani civitates „ litteræ: Fridericum Ecclesiæ ac Imperii ho„ stem, Concilii perturbatorem, cui quicun„ que damnum atque incommoda inferre stu„ deret, is non impunitatem solùm, sed gra„ tiam quoque ac laudem sibi propositam „ esse sciret &c. „

[4.] „ Dum hæc in Suevia geruntur, „ Tirolenses ac Athesini, ne & ipsi novum

„ acciperent Dominum, & ab Austriacis di-
„ vellerentur, Ernestum Archi-Ducem ad se
„ vocârunt. Is, nè omnia simul fraternæ di-
„ tionis loca ab aliis occuparentur, in Tiro-
„ lim venit, ac Oeniponti Ordinum conven-
„ tum agit, ubi nascitur ei ex Cimburga Se-
„ moviti Massoviæ Ducis filia, Fridericus Ro-
„ manorum postea Imperator, nonô Calend.
„ Octobris, annô ejus æræ decimô quintô.
„ Ernestus inde Bocenum atque alia loca adit.
„ Cúmque & in Tirolim legati à Cæsare cum
„ literis Friderici venissent, Ernestus eos re-
„ trò, unde venerant, abire, & Cæsari nun-
„ ciare jussit: satìs ipsum à fratre magnificè
„ muneratum tot civitatibus, quam rem si
„ antea scivisset, in tempore se occursurum
„ fuisse; jam verò & sibi aliquid relinqui,
„ haud iniquum videri. - - - - - -

„ Fridericus facilè intelligens, nullam sibi
„ in Sigismundo spem, nullum in reliquis
„ Principibus præsidium esse, suósque omnes
„ non defecisse solùm, sed quòd vindictam
„ & pœnas timerent, hoc agere, nè ex ea
„ fortunæ iniquitate emergere sibi liceret;
„ præterea & literis & nunciis apud Tirolen-
„ ses rem suam non satìs securè in statu ver-
„ sari admonitus captata occasione Constan-
„ tiâ discedere decrevit. Ferebat enim ru-
„ mor nonnullos Oeni ac Athesinæ vallis in-
„ colas, occulta cum Cæsare consilia habere,
„ quod etsi vel falsum esse, vel minimè pro-
„ cessurum putaret, de Procerum tamen quo-
„ rundam fide & propensioribus in fratrem
„ Ernestum studiis sollicitus conscensô equô
„ cum paucis consciis civitate excedens, in
„ Tirolim evasit. Sunt qui ab hospite quo-
„ dam suo adjutum ac deductum esse di-
„ cunt. - - - - - - -

„ Interim Fridericus, cùm in Oeni vallem
„ ad suos venisset, turbata omnia per absen-
„ tiam suam invenit. Nobiles plerique & Ec-
„ clesiastici Ordinis Primates, Ernesto fidem
„ dederant, cúmque ùt legitimum suum Prin-
„ cipem agnoscebant. Civitates verò non-
„ nullæ, & rustici plerique Friderico adhæ-
„ rebant, neque ab eo, cui semel fidem &
„ obsequium juraverant, nullâ injuriâ la-
„ cessiti deficere volebant. Apud hos igitur
„ gravissimas de fratre Ernesto ac ceteris Or-
„ dinibus querelas instituit Fridericus: illum
„ non jam pro curatore se gerere, sed
„ Principem ab his ad rerum gubernacula col-
„ locari, qui se vivô, hæreditatem suam cer-
„ nerent, graviùs se atque indigniùs hoc fer-
„ re, quàm si Cæsar omnia in suam potesta-
„ tem redegisset. Hæc & alia queribundus,
„ successum rei atque exitum expectabat, plu-
„ res quotidiè ad suas partes adjungere stu-
„ dens. - - - - Jámque res ad bellum intesti-
„ num atque adeò fraternum spectabat. Pro
„ Ernesto Ecclesiastici ac Nobiles stabant: Fri-
„ dericum civitates & agricolæ juvabant, sub
„ quo mitiùs se habitos, quàm sub Præfectis,
„ palàm testabantur.

„ Hunc rerum statum miserantes nonnulli
„ ceteris cordatiores fratrum animos ad con-
„ cordiam sollicitare, & impium hoc bellum,
„ ex quo Cadmæa tandem victoria, & cer-
„ tus Reipubl. interitus expectandus erat, de-
„ precari non desinebant, neque fratres ipsi
„ rem in ultimum adducere discrimen aut ex
„ re sua aut ex dignitate esse arbitrabantur. Te-
„ nuit tam diu hæc controversia, donec tan-
„ dem sub anni ejus finem, conciliatis ipso-
„ rum animis omnia amica disceptatione
„ transacta sunt, & Friderico hæreditarius
„ Tirolensium Principatus cessit. Ernestus
„ in Stiriam rediit. „

[5.] Idem cit. loco.

Ciaconius in Joanne XXII. „ Conci-
„ lii & Imperatoris Sigismundi studiô de fuga
„ retractus (*Joannes Papa*) in oppido Cellis
„ Constantiensis diœcesis in honesta custodia
„ ex Concilii & Imperatoris decreto servatus
„ est. In quo loco existens, formatus est con-
„ tra eum processus, & articuli multi per Con-
„ cilium sufficienter probati.

„ Quare coactus est à Concilio servare
„ ea, quæ per dictam schedulam in secunda
„ Sessione promiserat, & voverat. Pontifi-
„ catum pridie Kalendas Junii annô 1415.
„ in eodem oppido Cellis abdicavit, abroga-
„ tionémque à Concilio de se factam post fu-
„ gam suam de Constantia, & abrogationis
„ causam ratificavit, & approbavit, cùm ad
„ eam diem ab initio suæ creationis sedisset
„ annos quinque, & dies quindecim: post
„ cujus abdicationem cùm Concilium Con-
„ stantiense cessionem Papatûs à Gregorio
„ XII. primùm, mox à Benedicto XIII. quæ-
„ rendo tempus tereret, Apostolica Sedes
„ vacavit annis duobus, mensibus quinque,
„ & diebus decem; videlicet usque ad legi-
„ timam electionem Martini V. „

Nauclerus ubi suprà. „ Juravit etiam
„ Dux ipse (*Fridericus*) Papam Johannem
„ Concilio repræsentare: fecit in eo quan-
„ tùm potuit, & eundem Johannem usque
„ ad Cellam Rudolphi perduxit. Nunciavit
„ inde Concilio, quòd nisi vi adhibita non
„ posset eum ultra perducere. Hæc scripsi
„ ex Actis Concilii. Curante post hæc Con-
„ cilio, Johannes capitur, & in insula S. Marci
„ propè Constantiam vulgò Reichnaw / car-

„ ceri mancipatur. Causam fugæ disquirere „ Concilium tum cœpit, certósque Judices, „ viros gravissimos delegit, qui crimina homini objecta discuterent, eadémque ex „ ordine referrent. Ad quadraginta capitula „ contra hominem probata sunt. Venientibúsque omnibus in eandem sententiam, „ Johannes meritò Pontificatu ejectus, sententiam in se latam approbat, Pontificatu „ sive spontè sive invitus se abdicavit. „

Spondanus hìc n. 30.

[6.] Ciaconius in Gregorio XII. „ Annô Domini 1415. Gregorius Papa XII. „ spontè per procuratorem suum Carolum „ Malatestam Arimini Domicellum, pro bono pacis, schismatéque tollendo IV. Nonas Julii absens in Concilio Constantiensi „ ob eam causam congregato, Pontificatu se „ abdicavit. In aula enim Concilii thronus „ Pontificius statutus, in quo sedens Pontificali habitu ejus procurator Carolus Malatesta, Pontificatum procuratorio nomine „ deposuit; cùm etiam Joannes XXII. dictus „ XXIII. pro eadem causa idem paulò antè „ fecisset. „

Nauclerus. „ Missus itaque Carolus Malatesta, vir certè insignis, cùm videret „ omnes in hanc sententiam venire, ut Gregorius quoque Pontificatu se abdicaret, in „ publicum prodiens, ac in Sede Gregorii non „ aliter extructa, ac si ipse adesset, collocatur, perlectáque renunciandi facultate, „ Gregorium Pontificatu abdicat, quem statim conventus omnis pro tam libera abdicatione agri Piceni legatum creat. „

Spondanus hìc n. 38. „ Die decimâ quintâ Junii (ùt habent Acta Victorina) intravit Constantiam Carolus de Malatestis Legatus Gregorii XII. (erat is Dominus civitatis Arimini, in qua Gregorius residebat, „ & pro Sede Apostolica rector Flaminiæ, „ sive Romandiolæ) cui multi nobiles obviam „ occurrerunt unà cum primis Gregorii nunciis, qui venerant initio anni. Ingressus „ est autem cum summa magnificentia ac splendore. Exhibitô postridie Sigismundo Regi Salutatoriæ Venerationis officiô, significavit missum se esse à Gregorio ad dandam „ pacem Ecclesiæ, directúmque ea de causa „ ad ipsum Regem, non ad Concilium, quòd „ illud Gregorius non approbaret. Deinde „ visitavit Nationes, dicens se habere facultatem renunciandi Papatui nomine Gregorii.

N. 40. „ Sessione decima quarta celebrata „ die quarta mensis Julii, alius servatus fuit „ ordo, quàm in præcedentibus; eò quod „ actum est de renunciatione Gregorii XII. „ quam voluit fieri in manibus Sigismundi Romanorum Regis, non autem Synodi. Quare „ non præfuit ei initio Cardinalis, aut alius „ Prælatus, sed ipse Rex; nec facta est mentio „ Concilii aut Sedis Apostolicæ, sed tantùm „ Regis: ùt Acta declarant. Quæ habent: Annô „ à Nativitate Domini 1415. Apostolica Sede „ vacante, regnante Serenissimo & Invictissimo „ Principe Domino Sigismundo Romanorum „ & Hungariæ Rege &c. die autem Jovis quarta „ mensis Julii, habitam esse Sessionem generalem per Sanctam Synodum Constantiensem in Ecclesia Cathedrali, præsente ibidem dicto Serenissimo Rege cum insignibus „ Regiis, & Nobilibus sibi in iis ministrantibus; præsentibúsque septemdecim Cardinalibus, & Patriarchis, Archi-Episcopis, „ Episcopis, Abbatibus, atque aliis Patribus „ in copiosa multitudine. In ejus principio „ eundem Regem de sua solita Sede transiisse „ ad aliam positam in fronte Altaris, tanquam præsidentem ea vice in Concilio; Joanne Dominici Cardinale Ragusino obedientiæ Gregorii & Carolo de Malatestis „ Domicello Ariminensi, procuratoribus ejusdem, sedentibus juxta Regem in quodam „ scamno facie versa ad congregationem Synodi. Deinde invocato S. Spiritu & Collectâ de pace per Cardinalem Ostiensem „ dictâ, per Protonotarium Comitis Palatini „ lectas esse de mandato Regis duas *Bullas* „ Gregorii datas Arimini tertiô Idus Martii, „ annô Pontificatûs sui nonô: quarum alterâ „ prædicto Joanni Cardinali tituli S. Sixti, „ & alteri Joanni in Patriarcham Constantinopolitanum electo, nunciis suis, itémque „ Wernero Archi-Episcopo Treverensi, nec „ non Ludovico Comiti Palatino Rheni, & „ Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, „ & provinciæ Romandiolæ pro Sede Apostolica Rectori, facultatem tribuerat, ipsius „ vice ad pacem & unionem Ecclesiæ promovendam Concilium Constantiæ collectum, in quantùm per Regem & non per „ Balthasarem Joannem XXIII. dictum convocatum esset, suo item nomine convocandi & comprobandi, & quæ in eo fierent „ pariter confirmandi; remotâ tamen omnino „ prædicti Balthasaris præsidentiâ & præsentiâ: Alterâ dicto Carolo de Malatestis specialiorem ac pleniorem tribuebat facultatem prædicta sive per se, sive per alios exequendi: Ejus vi Carolum dicto Joanni Cardinali vices suas commisisse ad approbandum Concilium: quod ipse publica declaratione fecerit: Móxque ipsum ex decreto „ Synodi cooptatum esse in consortium ceterorum Cardinalium. Hísque peractis, „ Regem de Sede præsidentiæ ad solitam „

„ præ-

„ præsentiæ Concilii recessisse; & Cardinalem Ostiensem reliquæ actioni de more præsedisse; celebratámque esse Missam, ac cetera solemnia servata.

N. 41. „ Post hæc lectô Syngraphô seu procuratoriô Gregorii ad renunciandum, directô eidem Carolo de Malatestis; cùm is quæsîsset, num magìs expediret abdicationem Pontificatûs modò fieri Constantiæ; an verò expectari quousque cum Petro de Luna tractatum foret Niciæ, decretúmque à Concilio esset, utilius esse pro unione Ecclesiæ eam mox Constantiæ fieri: Lectis interim aliis Concilii decretis de non procedendo ad electionem futuri Romani Pontificis absque consensu Concilii, nec nisì modô, formâ, materiâ, tempore & locô ab eo designandis; déque non dissolvendo Concilio antequam unus Pontifex eligeretur, & auxilio à Rege ad hæc præstando; itémque de confirmatione omnium, quæ Gregorius aliàs ritè in sua administratione gessisset; ac receptione Cardinalium ejus obedientiæ (qui sex numerantur, ipséque Gregorius Septimus) in ceterorum consortium & ordinem; confirmationéque omnium ejus officialium & curialium in suis officiis & gradibus: denique de unione utriusque obedientiæ Joannis & Gregorii, ut esset deinceps unum corpus, & una societas; & abrogatione omnium pænarum & censurarum invicem decretarum. Tandem dictum Carolum præclara habita oratione purè, liberè, ac sincerè procuratorii sui virtute renunciâsse, ac cessisse expresse juri, titulo, & possessioni eidem Gregorio in Pontificatu Ecclesiæ Romanæ competenti. Eámque renunciationem Concilium admisisse, & collaudâsse cantatô hymnô: Te Deum laudamus. Demúmque decretum edidisse de requirendo Petro de Luna, ut eandem cessionem à se toties promissam faceret intra decem dies ab ejusmodi requisitione eidem facienda: quod si non faceret, declararet eum Synodus notorium Schismaticum, incorrigibilem, & pertinacem hæreticum à Catholica fide devium, omni honore & dignitate indignum & ejectum. Hæc prolixè in Actis Synodi. Carolum autem ità cessisse Platina ait, ut in Sede non aliter structa, quàm si ipse Gregorius adfuisset, collocatus, perlecta renunciandi facultate ab ea Sede abiêrit; sic à Pontificatu se abire professus. Habent etiam nonnulli sedisse cum Pontificio habitu velut personam Gregorii gerentem, depositísque sacris insignibus Pontificatum pariter exuisse.

N. 42. „ Quod tamen magìs de ipsomet Gregorio accipi libet: quem Niemus ait, memineruntque alii post eum, ubi intellexit cessionem per Carolum factam, convocatis suis curialibus & Cardinalibus, nec non Prælatis & Clero, qui sibi ùt Papæ tunc adhærebant in partibus illis, in publico Consistorio gaudenter & spontè approbâsse, laudâsse, & confirmâsse omnia in ea parte gesta pro ipso per dictum Carolum, eóque factô, illicò deposuisse mitram Pontificalem, colobium, & omnia insignia Pontificalia; cum solemni protestatione nunquam se illa resumpturum, imò quantùm posset, procuraturum unionem Ecclesiæ. Quæ satis sunt contra ipsum Niemum, qui eum continuè tanquam hostem infensissimum unitatis insectatus est: cujus nihilominus zelum semper Antoninus, multíque alii prædicaverunt. Et si quid collusionis, ùt plerisque visum fuit, cum Petro de Luna ad Pontificatum retinendum exercuit, totum illud hac voluntaria cessione eluisse existimandus est. Quamvis non desit Platina, Pontificibus nec ipse parcere sciens, qui scribat eum non multò post renunciationem mortuum esse, dolore animi, ùt ferebatur, propter subitam abrogationem ante constitutum tempus à Carolo factam; quam ipse in longum protrahi volebat in mora spem aliquam ponens. Cur verò non magis ex grandi ætate mortuum dixerit? quem octogenarium, nonnulli etiam nonagenarium decessisse affirmant. „

[7.] Ciaconius in Joanne XXII. „ Balthassar Cossa olim Joannes XXIII. Papa in custodia positus honesta in Castro de Cellis Constantiensis Diœcesis, multoties clàm fugere tentavit: quod cùm à Concilio intellectum esset, nè seditio aliqua oriretur, seu unio impediri posset, statim decretum est, ut traderetur custodiendus Ludovico Bavariæ Duci Concilii nomine. Qui ipsum in fida custodia recludens, tenuit in munitissimo castro Golebes seu Manheita, (*Manheim*) ubi triennium in rerum omnium necessitate peragens sinè ullo cubiculario famulóque Italico diligenter asservatus est. Teutones erant custodes omnes, quibuscum Joannes nutibus & signis loquebatur, cùm nec ipse linguam Teutonicam, nec illi vicissim Italicam scirent, coëmptâ tandem triginta millibus ducatorum fugâ, annô Christi 1419. liber factus; rectâ Florentiam venit, ubi Martinus V. erat, ejus in Pontificatu Successor cum tota curia sua. Illic non sinè omnium admiratione, ac simul commiseratione, quia in fugitivi hominis

„ forma, lacrymabundus, humi genibus fixis, „ & ad ejus pedes procumbens, eum ùt Chri„ sti Vicarium veneratus est; omniáque tam „ de se, quàm de D. Martino Quinto in Con„ cilio Constantiensi facta denuò approbavit, „ & ratificavit. Is supplicare aliis cerne„ batur, cui Principes, Reges, Imperatórque „ ipse non modò paruerat, verùm etiam pe„ des venerabundi consueverant deosculari, „ qui præterea multos ad Cardinalatûs ho„ norem evexerat, qui tunc in eo Concilio „ Pontifici assidebant, Pontificatu privatus, „ ingentis muneris locò eôdem annô 1419. „ Florentiæ à Papa Martino V. die Veneris „ IX. Kal. Julii S. R. E. Episcopus Cardinalis „ Tusculanus, & Sacri Collegii Cardinalium „ Decanus creatus est, atque ob memoriam Ro„ mani Pontificatûs, quem aliquando justè „ possederat, Sedes ejus prope Sedem Papæ „ paulò eminentior, quàm ceterorum Cardi„ nalium, posita est; vixítque Cardinalis us„ que ad diem Veneris XI. Kalend. Januarii „ anni ejusdem 1419. in quo Florentiæ mor„ tuus est, ibíque in Baptisterio S. Joannis, „ sepulchro marmoreo eleganti sepultus: cùm „ post Pontificatûs abdicationem vixisset an„ nos quatuor, menses sex, dies viginti qua„ tuor. Vir maximô fortunæ ludibriô ve„ xatus, & ingens rerum vicissitudinis exem„ plum. „

Nauclerus ubi suprà. „ Quo facto (*abdicatione Pontificatûs*) statim ad Ludovicum „ Comitem Palatinum custodiendus mittitur, „ donec aliud decerneretur, ac in Manheim „ oppido trienniô sine cubiculario famulóve „ Italico diligenter asservatus est. Teuto„ nici erant custodes omnes, quibuscum Jo„ hannes nutu & signis loquebatur; cùm nec „ ipse linguam Teutonicam, nec illi vicissim „ Italicam scirent. - - - - - - - - - Interim „ verò quatuor illi Cardinales, qui olim cum „ Petro de Luna adulterino Pontifice sense„ rant, Florentiam ad Martinum venientes „ cum honorificentissimo comitatu, publico „ Consistorio suscepti, dignitatem suorum „ titulorum retinuêre: Et Balthasarem Cos„ sam, Joannem XXIII. dictum ajunt tum à „ Palatini carcere liberatum, ad Pontificem „ Martinum venisse supplicem, à quo benignè „ exceptus, in Cardinalium numerum adsci„ tus, Episcopus Tusculanus est creatus. Equi„ dem & Sigismundi & Ludovici Palatini „ precibus permotum Martinum crediderim, „ hunc, antequam Italiam adiêrit, Palatino „ carcere eduxisse, id quod Papæ ad utrum„ que literæ testantur: & in Italia Cosmæ „ Medicis operâ, suæ dignitati restituisse; „ nec superfuit his rebus Cossa diu, vitâ ex „ animi (ùt ajunt) dolore excedens. „

Spondanus ubi suprà n. 37. ità prosequitur: „ Addit autem Niemus eundem Bal„ thasarem principio mensis Junii ductum „ fuisse ad castrum Gotlevem propè Constan„ tiam; traditúmque custodiæ Ludovici Du„ cis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, con„ stituti à Rege Sigismundo Custodis Con„ cilii (locô Bertholdi de Ursinis absentis, „ quem vidimus ad id muneris primò per Con„ cilium delectum) à quo benignè habitus „ est, datis ei duobus Capellanis ad Divi„ num officium, & quibusdam Nobilibus ad „ ministerium mensæ, in loco spatioso & de„ lectabili. Ità Niemus ab aliquibus se au„ divisse ait. At verò Platina, Nauclerus, „ & alii pessimè ipsum vel in eo habitum vo„ lunt, quòd privato omni famulitio Italico „ tributi sint ei comites & custodes Teuto„ nici, & non alii, quibuscum non linguâ, „ sed nutibus agendum esset, ut qui nec „ ipsum intelligerent, nec ab eo intelligeren„ tur. Locus autem carceris quo ferè qua„ drienniô detentus fuit, à Nauclero Man„ heim, à Platina Heidelberga nominatur: „ ut intelligas sæpiùs mutatum fuisse. „

Idem ad ann. 1419. n. 3. „ Quo eodem „ anno receptis à Martino 16. Calend. Apri„ lis quatuor illis Cardinalibus Benedictinis, „ de quibus dictum est anno superiori, longè „ gratius ei contigit, quòd (ùt narrant An„ toninus, Platina, Onuphrius, & alii) Bal„ thasar Cossa olim Joannes XXIII. sive ejus„ dem Martini tacitâ operâ (ùt quidam ha„ bent) nè fortè diutiùs in Germania deten„ tus novas aliquando turbas cieret, pretiô „ triginta millium aureorum carcere exem„ ptus est, eo animo, ut eundem rursum „ Martinus securiori custodia Mantuæ deti„ neret: sive, ùt ceteri, dato aliunde auro „ Comiti Palatino, qui eum in custodia ha„ bebat, liber abire permissus in Italiam ve„ niens; dum rursum timeri inciperet à no„ vo schismate, quòd & vir magni animi esset, „ & qui privatam vitam nequaquam pati posse „ videretur: nec deessent, qui hominis au„ daciam ad res novas moliendas concita„ rent, quasi nonnisi coactè injuriáque Pon„ tificatu cedere visus fuisset; nihilominus „ sive conscientiâ ductus, sive desperans ali„ quid proficere, seu quòd periculum illis „ esset, qui juverant fugam; vel potiùs Deo „ Omnipotente Ecclesiæ suæ misertο eum „ impellente: idem ipse propria sponte, nul„ lis pactionibus interpositis, nulla requisita „ cautione Florentiam ad Martinum profe-

„ ctus

„ ctus est; ac in Vigilia Corporis Christi decimâ quartâ Junii, publicè ad pedes ejus procumbens, eum ùt Pontificem verum, & unicum, canonicéque electum professus & veneratus est; cunctis præ gaudio simul & commiseratione hominis lacrymantibus, maximè verò iis Cardinalibus, qui vel ab eo creati, vel eum utì Pontificem secuti fuissent. Creatus à Martino Cardinalis Episcopus Tusculanus, & Collegii Decanus, ac deinceps ab eo in honore habitus; non multò pòst ibidem Florentiæ dolore animi, vel venenô adjutus, diem obiit vigesimâ secundâ Decembris ejusdem præsentis anni, cùm post abrogationem Pontificatûs vixisset annos quatuor, mensésque ferè septem: honorificentissimè sepultus procurante Cosmo Medice, cive Florentino charissimo ipsius amico, quem (ùt Platina & Sabellicus scribunt) homines existimârunt pecuniâ Balthasaris opes suas in tantùm auxisse, ut & primarius apud Florentinos cives, & ditissimus omnium apud Italos, ac fortassis apud exteras quoque nationes deinceps sit habitus. „

[8.] Æneas Sylvius Hist. Bohemic. c. 36. „ Dum hæc aguntur *(quæ ad ann. 1400. ex ipso Authore sub n. 2. in fine retulimus)* Generale Concilium apud Constantiam Suevorum urbem cogitur. In quo de rebus Bohemicis sermo habitus, Patrum mentes ingenti cura confecit, volventium animo, quonam modo sanari provincia posset. Placuítque tandem Sigismundo Imperatore suadente, Joannem & Hieronymum ad Synodum evocari, qui tum ceteris ejusdem regni doctiores, tum populi doctores *(al. ductores)* ac hæresum principes habebantur. Venerunt ambo non tam verecundè aliena discere, quàm sua impudenter ingerere parati, docendi quippe, quàm discendi cupidiores, & popularis amantes auræ. Auditi sunt in consessu Patrum. Joannes ætate & authoritate major habitus, doctrinâ & facundiâ superior Hieronymus. Lecti ex omni natione Patres, divini atque humani Juris Doctores: sæpe cum his colloquium habuêre; dogmata eorum à lege divina aliena esse monstrârunt, neque bonis conducere moribus. Rogaverunt nè plus sapere quàm Ecclesia vellent, sed saperent ad sobrietatem; peregrinas opiniones relinquerent, ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima, Wicleffitarum insaniâ nè fœdarent; eloquentiam, quâ præditi essent, in corroborandis Ecclesiæ institutis, non evertendis, in edocendis populis, non dedocendis exercêrent: posse eos & in conspectu Dei & in Ecclesia militante sublimem consequi locum, si rejectis novitatibus Patrum vestigia sequerentur, inventionésque suas universali Concilio submitterent.

„ Steterunt in proposito pertinaces Bohemorum animi, neque victi rationibus vinci voluêre. Se veraces, se S. Evangelii æmulatores, se Christi discipulos esse: Romanam Ecclesiam, cetérásque per orbem dispersas longè à traditionibus Apostolorum abiisse; quæ opes ac delicias sectarentur, dominatum in populo, & primos in conviviis accubitus exquirerent: canes, equos alerent, Ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus deberentur, per lasciviam luxúmque consumerent: aut nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere. Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt, membra Ecclesiæ putrida, quæ sanari non poterant, nè reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu Patrum adversùs contumaces sententia: cremandos esse, qui doctrinam Ecclesiæ respuerent. Prior igitur Joannes combustus est, Hieronymus diu postea in vinculis habitus, cùm resipiscere nollet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati ad incendium properârunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinêre, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quàm isti incendium. Poggius Florentinus, ætatis nostræ nobilis scriptor de morte Hieronymi ad Nicolaum Nicolai concivem suum elegantem scripsit epistolam, quamvis paululùm sua consuetudine in mores Cleri invectus videatur. Cineres exustorum nè raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulêre, in quo ignis fuit, eámque veluti sacram secum attulêre in Patriam. Joannes ac Hieronymus apud Bohemos Martyrum honores meruêre, nec minores quàm Petrus & Paulus apud Romanos habiti. Nunciatis enim in Bohemiam, quæ Constantiæ gesta fuerunt de Johanne ac Hieronymo, discipuli eorum sequacésque omnes in unum convenientes, memoriam in primis Defunctorum consecrant, celebrandámque quotannis decernunt. Exin per amicos nonnullas sibi Ecclesias à Rege tradi poscentes

„ extorquent, in queis suæ prædicari plebi, „ Sacramentáque ministrare liberè possint. „ Neque hoc modo contenti apud Sclavo- „ niam (*al. ad Glacoviam*, *al. Opatoviam*) no- „ bile Monasterium Fratrum Prædicatorum „ extra mœnia oppidi situm, à fundamentis „ dejiciunt: eáque primâ Ecclesiarum ruinâ in „ Hussitarum novitate factâ, decurritur in Ec- „ clesias, Monasteriáque passim: nobilissima „ Superis dicata Templa ferrô atque igne va- „ stantur.

„ Nullum ego regnum ætate nostra in to- „ ta Europa tam frequentibus, tam augustis, „ tam ornatis Templis dotatum fuisse, quàm „ Bohemicum reor. Templa in cœlum ere- „ cta, longitudine atque amplitudine mira- „ bili, fornicibus tegebantur lapideis Altaria „ in sublimi posita, aurô & argentô, quo San- „ ctorum Reliquiæ tegebantur, onusta, Sa- „ cerdotum vestes margaritis textæ, ornatus „ omnis dives, pretiosissima suppellex: fene- „ stræ altæ, atque amplissimæ conspicuô vi- „ trô & admirabili opere lucem præbebant. „ Neque hæc tantùm in oppidis atque urbi- „ bus, sed in villis quoque admirari licebat. „ Fuit inter cætera Monasterium Aulæ Regiæ „ (*hodie* Königsſaal *Ord. Cist.*) apud ripam Mul- „ taviæ, qua Mosa fluvius illi jungitur, situm, „ in quo Regum corpora condebantur, sin- „ gularis excellentiæ; nam præter ædem ma- „ gni & memorabilis operis, amplum dormi- „ torium, ceterásque Monachorum officinas „ magnificè constructas, quadrata porticus „ fuit, quæ non parvum conclusit hortum, „ ambitum vocavêre. In cujus lateribus ve- „ tus novúmque Testamentum ab initio Ge- „ nesis usque ad Apocalypsim Johannis literis „ majusculis in tabulis scriptum contineba- „ tur, notis quò altiùs iret, paulatim crescen- „ tibus, ità ut à summo usque deorsum fa- „ cilis lectio præberetur. Sed hoc decus post „ Venceslai mortem Hussitarum rabies dele- „ vit. Qui postquam Ecclesias quàm pluri- „ mas dejecerunt, Monasteria incenderunt, „ castellum petentes, cui Bechingen nomen „ est, octavô ferè milliariô ab oppido, quod „ nunc Thábor appellant, triginta circiter „ millia hominum convenêre, atque ibi tre- „ centas mensas in patentibus campis erexêre, „ ex quibus populo Sacramentum calicis mi- „ nistrârunt. Terruit ea congregatio Ven- „ ceslaum verentem, nè tumultu facto in se „ arma converterent, regnúmque sibi adime- „ rent: nec sua res periculo caruit. Ven- „ ceslao saluti fuit cognomentô Coranda „ singulari facundia Presbyter, & in plebibus „ auditus. Qui dum populum de Repub. ad- „ moneret, inter cetera, quæ locutus est: „ Quanquam, inquit, viri fratres, ebriosum „ atque inertem sortiti Regem sumus, si ta- „ men ceteros expendere Principes pergimus, „ nemo est, quem nostro Regi anteferamus, „ quem rectè omnium Regum specimen di- „ xerim, quietum, benignum, nostri aman- „ tem: nam quis eo regnante nos lacessere „ audet? licet nobis ex voto vivere nostro. „ Si non est eadem sibi, quæ nobis de Reli- „ gione, sententia, ritum nostrum neque ipse „ perturbat, neque alios perturbare sinit. „ Quibus de rebus par esse arbitror preces „ pro eo ad Deum fundamus, utque singuli „ ei vitam rogemus, cujus desidia, nostra sa- „ lus, nostra quies est. Quod cùm ab ex- „ ploratoribus Rex cognovisset, quietô ani- „ mô fuit, & factus ex tepido frigidus, Co- „ randam inter amicos habuit. „

Spondanus hìc n. 43. „ Sessione decima „ quinta habita die Sabbati sexta Julii, præ- „ side Joanne Cardinale Ostjense, ac præsente „ Sigismundo Rege, quòd eâ de fide & hæ- „ resiarchæ condemnatione agendum esset, „ ac propterea quietiùs ac attentiùs res au- „ diri deberet, post solemnia introducto in „ medium Synodi Joanne Huss, accusatô & „ per delegatos convictô hæreticô, altóque „ sedili, ut ab omnibus conspici posset, con- „ stitutô; ante omnia indictum est auctori- „ tate Synodali sub pœna excommunicatio- „ nis latæ sententiæ, & carceris duorum men- „ sium, nè quis cujuscunque gradûs aut præ- „ eminentiæ, etiamsi Imperiali, Regali, Car- „ dinalitia, Archiepiscopali præfulgeret digni- „ tate, in ea Sessione loquentes jussione Sy- „ nodi perturbaret, murmuraret, impediret, „ surgeret, disputaret, aut quemvis strepitum „ voce vel manibus aut pedibus faceret; sed „ omnes placidè & tranquillè rem diligenter „ tractatam & Spiritu S. dirigente unanimiter „ & concorditer per omnes Nationes & Pa- „ tres conclusam audirent, &c.

N. 44. „ Deinde contra Joannem Huss ibi „ præsentem Wickleffi hæresiarchæ discipu- „ lum, ac defensorem, seditiosum, obstina- „ tum & incorrigibilem, aliorúmque errorum „ (qui magnô numerô, præter alios olim „ commemoratos, de Ecclesia, Pontif. Ro- „ mano, ordine Sacerdotali, dominio civili „ & Ecclesiastico, operibus, præscitis & præ- „ destinatis, munere prædicationis, defensio- „ ne hæresum Wickleffi &c. examinati & con- „ futati recensentur) pervicacem defensorem, „ ac vafrum inversorem, improbum dictorum „ inficiatorem, & callidum cavillatorem, re- „ pertum, & per testes convictum hæreticum „ de-

„ denunciavit, ejúsque scripta omnia publicè „ cremari statuit: ipsúmque degradari & curiæ „ seculari relinqui decrevit. A qua post consueti ritus degradationem abductus, combustis priùs ejus scriptis, ipse etiam vivus per rogum & incendium è vivis sublatus est. Cujus rei circumstantiæ cùm non extent in Actis Concilii, referunt aliquas Æneas Sylvius, & Antoninus, sed prolixè ex aliis ejus temporis testibus, ipsisque etiam Hussitis Joannes Chochlæus in historia illius hæresis.

„ Ex quibus abundè intelligas rem longè diligentiùs examinatam fuisse, quàm hæretici calumniantur. Tradunt autem multis eum precibus & Psalmorum cantibus interitum prævenisse, magnáque animi fortitudine suscepisse rogum. Quod minimè mirum, cùm habeat etiam diabolus suos Martyres. Denique & Prophetam fuisse alii habent; cùm paulò ante mortem dixit (quod & Hussianæ monetæ inscriptum ferunt) centum revolutis annis Deo respondebitis, & mihi. Itémque: Nunc quidem anserem comburitis (id enim Huss significat) sed post centum annos cygnus existet (nempe ùt intelligi volunt, Lutherus) quem non comburetis. Quæ figmenta fuisse ex pòst factis ad decipiendas simplicium animas, nec facta dictis respondere, inter alios docuit apprimè Gretserus libello de numismate ab hæreticis Germaniæ cuso in laudem Hussi, Lutheri, & Rabi, sub figura anseris, cygni & corvi. Interim combusti cineres, reliquiæque rogi conjectæ fuère in flumen Rheni præterfluens, nè ab hæreticis ejus sectatoribus ad venerationem servarentur: qui nihilominus terram, in qua ignis accensus est, non omiserunt ad idipsum eradere, atque in patriam deferre, ac pro sacra habere. Cujus & tanti martyrium, ùt vocabant, fecerunt; ut narret Cochlæus eò impudentiæ quendam eorum Sacerdotem, in ipsorum Ecclesia Metropolitana, Bethlehem dicta, in qua Huss sermocinari consueverat, concionantem erupisse, ut ex putido stomacho eructare non dubitaverit, ex omnibus Martyribus, qui præcesserunt, nullius eorum passionem, sed solius Christi posse Hussi passioni æquiparari. Barones quoque ac Nobiles, qui ejus sectæ adhærebant, atroces & minaces scripsisse ad Concilium literas, & inito inter sese fœdere ad defensionem pessimæ doctrinæ conspirâsse; tam ex iisdem, quæ extant, literis cum subscriptione omnium intelligitur, quàm ex citatione Concilii contra eos decretâ, & Sigismundi Regis ad eosdem scriptis literis.

N. 45. „ Quod verò objiciunt de fide salvi-conductûs non servata, factóque à Synodo decretô servandam eam non esse hæreticis; id verò utrumque calumniosum est. Nihil enim aliud Concilium de salvis-conductibus declaravit, præterquam Ecclesiasticam potestatem in suo legitimo exercitio, nulla ratione à sæculari Magistratu impediri posse; ac proinde si quis secularis Princeps det alicui hæretico salvum-conductum, hoc non debere obstare, quò minùs liceat Ecclesiastico Judici suum officium exercere in hujusmodi hæretici examinatione & damnatione. Non autem dixit, aut statuit, fidem hæretico ab Ecclesiastico Magistratu datam non esse servandam: quia tunc quod ipse in suo foro promisit, sanctè etiam præstare obligatur: sicut & fecit postea in Conciliis Basileensi & Tridentino. Paritérque Princeps aut Magistratus Politicus fidem abs se datam, quantùm in se est, observare debet; quamvis Ecclesiasticam potestatem ad id cogere nequeat, cùm sit extra forum ejus. Quare & Sigismundus Rex, qui salvum-conductum Husso tradiderat, licèt initiò videretur minùs æquè ferre ejus damnationẽ; tamen postquam ejus obstinatissimam mentem vidit, adeò ut nec ipsemet cum eo agens potuerit eum flectere ad abjurationem errorum; Concilii Patribus (ùt ex Cochlæo intelligitur) facultatem concessit, quinimò eos hortatus est, in eum agere ad combustionem. Quem nec ampliùs ad fidem salvi-conductûs servandam obligatum fuisse constat, postquam, ùt superiùs narratum est, Huss salvum-conductum violavit fugiendo è Concilio; è qua fuga retractus, custodiæ traditus est. Denique nihil Concilium egisse contra fidem aut Husso, aut Hieronymo, de quo postea, datam ostenderunt propriis opusculis de fide hæreticis servanda Joannes Molanus Theologus Lovaniensis, & Martinus Becanus, ac Heribertus Rosweidus Societ. JESU, quæ etiam tetractavit Abrahamus Bzovius in suis Annalibus, cósque Authores legat, qui ea uberiùs probata cupit. Synodus autem, nè fautores & complices falsam de gestis in ea tam in Boëmia, quàm vicinis provinciis famam spargerent, epistolas ad eas scripsit, quibus tam ejus quàm Wickleffi damnationem narrans, ab eorũ erroribus abstinere mandavit; quarum exemplar, ut scriptum est ad Episcopum & Ecclesiam Wratislaviensem recitat idem Cochlæus, simul & alios pandens utriusq; Hæresiarchæ errores.

[9.] Ex littera quadam.

Ann. Christi MCCCCXVI. Monasterii CCLXXVIII.

Pont. Rom. Vacat. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

ANnum istum Sigismundus Imp. fermè consumpserat in Galliis, conatus quidem unà cum Rege Aragonum Ferdinando Benedictum Papam XIII. ad meliorem revocare mentem, sed frustrà, Perpiniani enim ipsum convenerat unà cum legatis Concilii Constantiensis, ut sese sisteret Concilio, aut per Procuratorem suum sese pro bono pacis & unitatis Ecclesiæ Pontificatu abdicaret. Quorum consilio cùm Benedictus non acquiesceret, sed indies durior efficeretur, decrevit eum Imperator relinquere tanquam mortuum, cui emollire cor, nec mentem ferream flectere ullo modo posset. Conventum igitur inter Imperatorem & Regem Ferdinandum, ut per publicum præconium indiceretur regno sub gravibus pœnis, nè ullus ei obedientiam præstaret. Ille statim, ùt comperit edictum Regium adversùs se publicatum, navigationi se commisit, & rectà ad oppidum & arcem Penischolæ Regni Valentiæ se recepit, naturâ & arte munitum, in rupe quadam situm, undique cinctum mari; angustissimum aditum terrâ præbens, ubi mansit toto tempore vitæ suæ, ubi procedens contra Regem eum anathemate notatum regnô privavit Aragoniæ. Imperator igitur iter suum Concilio explicans, curavit ut ultima sententia in Benedictum ferretur, qua Pontificatû depositus, tanquam Schismaticus damnaretur, perturbator quietis, & pacis Ecclesiæ universalis & totius Reipub. Christianæ, damnatis unà cum illo asseclis ipsius. * [1.] Obiît autem in hac sua pertinacia ibidem Penischolæ octogenariô major, mense Septembri, Annô Domini MCCCCXXIV. cùm triginta annos in Anti-Pontificatu transegisset; unde singulis Pontificibus in coronatione dicitur: Pater sancte non videbis annos Petri, præter Petrum de Luna illegitimum. [2.]

Gerardus de Roó Friderici Austriaci à Constantia discessum collocat in hunc annum, & adducit in testimonium litteras à Jacobo Laudensi Episcopo Italicæ nationis Præside Concilii nomine ad Ecclesiæ Tridentinæ Syndicos datas, quibus vult, ut laborent pro restituenda Georgio Liechtenstainio sponsa sua Ecclesia, quam potenter occupare & possidere Austriacus dicitur, nimirum ut in gratiam Episcopus & Fridericus redeant. Datum Constantiæ octavô Calendas Junii, annô decimô sextô suprà mille quadringentos. Verùm hoc anno propter novum Friderici cum Ernesto fratre dissidium pax Ecclesiæ Tridentinæ data non est, unde graviùs apud Cæsarem Episcopus illius Ecclesiæ conquestus, quòd Fridericus clàm Constantiâ ideò elapsus esset, nè juri se sistere, nè sibi adempta reddere cogeretur. Cæsar igitur nova iterum diplomata, novas proscriptionis tabulas fieri, & ad Templorum valvas, ità ut de plano legi possent, proponi jubet. [3.]

Interfuit Annô MCCCCXV. Georgius Pataviensis Episcopus Concilio Constantiensi, ubi Sigismundo Imperatori familiarissimus fuit, à quo Cancellarius Imperii constitutus est, mortuo autem Joanne Strigoniensi Archi-Episcopo Imperatoris beneficiô est eidem Sedi suffectus. [4.]

Fit demum hoc anno binis vicibus mentio Friderici Abbatis in Zwetl, prima in festo Purificationis B. Mariæ; altera

altera feriâ tertiâ post festum S. Martini Episcopi; unde constat ipsum hoc anno Abbatem Monasterii dicti adhuc vixisse. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Benedicto XIII. Antipapa. „ Legatos Concilium Constantiense „ ante ejus (*Benedicti*) depositionem misit, „ quos secutus piissimus & Religiosissimus Imp. „ Sigismundus peregrinatione diuturna & „ laboriosa suscepta, si quo modo posset suâ „ præsentiâ & verbis inclinare hominem in „ abrogationem Pontificatûs. Exiit igitur „ Imper. Sigismundus Constantiâ ann. 1415. „ mense Julio: Legati Concilii Perpiniani legationem suam exposuerunt, responsum „ habuerunt aliquantulùm spei ostendens, „ postea die Jovis 16. mensis Septembris an. „ 1415. Imp. Sigismundus Perpinianum appulit, ubi tum aderant Benedictus & Rex „ Ferdinandus, qui lecto æger jacebat, quod „ in causa fuit, nè transire Nicæam posset, „ ubi conventum erat conveniendi de negotio hoc pertractando. Magno apparatu & „ pompâ susceptus, apud Minores hospitiô „ exceptus; sequenti die ad visitandum Regem lecto decumbentem perrexit, ubi publicè cum Legatis Concilii verba ad Regem „ fecit, postea solus cum solo sermocinatus „ est, deinde ad arcem, ubi Benedictus habitabat, qui ad portam aulæ occurrit, & „ ipsum submissionis gratiâ adoravit, non ùt „ Pontificem, sed ùt virum, qui hanc dignitatem usurpabat, præsentibus Legatis Concilii, qui legatione sua ex parte Concilii expositâ, quam rationibus efficacibus Imperator „ adstruebat, recesserunt. Quinquaginta diebus „ mansit Imp. Perpiniani partim cum Benedicto, partim cum Rege Arragonum Ferdinando, partim cum ambobus simul negotium, „ ad quod venerat, 50. diebus, quibus Perpiniani moratus est, tractans: demum videns se nihil proficere, & duriorem in dies „ Benedictum evadere, decrevit illum relinquere tanquam mortuum, cujus mentem „ ferream flectere nullo modo posset. Conventum inter Imperatorem & Regem Ferdinandum, ut per publicum præconem indiceretur Regno sub gravibus pœnis, nè ullus ei obedientiam præstaret, neque haberet eum pro Papa, judiciô & sententiâ priùs „ virorum doctorum adhibitâ, præsertim Fratris Vincentii Ferrerii, qui tunc præsens „ Perpiniani aderat. Statim, ùt comperit, edictum Regium adversùs se publicatum, navigationi se commisit, & rectâ ad oppidum „ & arcem Penischolæ Regni Valentiæ se recepit naturâ & arte munitum, in rupe quadam situm undique cinctum mari, angustissimum aditum terrâ præbens, & ideo Peniscola corruptè vocatum, quasi pene Insula, ubi mansit toto tempore vitæ suæ: „ ubi procedens contra Regem, eum anathemate notatum Regnô privavit Arragoniæ. „ Qui ad Regem Joannem Secundum profectus, „ ut eum ab obedientia abduceret Benedicti „ XIII. cùm valde ægrotaret, in itinere Igualadæ mortuus est, die Jovis secunda Aprilis annô 1416. Imperator per dispositos „ equos certum consilium fecit itineris suscepti & legationis suæ ad Benedictum, & „ mense septimo pervenit Constantiam. „ A Patribus Concilii, habita pro vacante Sede Apostolica, sententia ultima adversùs Benedictum prolata, & Pontificatu depositus „ est, & declaratus schismaticus, perturbator „ quietis & pacis Ecclesiæ universalis, & totius Reipubl. Christianæ, damnatis tanquam „ schismaticis Rege Scotiæ, & Comite Armeniacensi, & omnibus, qui illum tanquam „ Pontificem colebant. „

Spondanus ad ann. præced. n. 54. „ Sessione Concilii 16. habita die Jovis 11. Julii, præside Cardinale Ostiensi ceteris antiquiore constituti sunt procuratores Concilii Jacobus Turonensis Archi-Episcopus, „ aliique nonnulli Episcopi, Abbates & Doctores, omnes numerô duodecim: qui unà „ cum Sigismundo ad Regem Aragoniæ, & „ Petrum de Luna Benedictum XIII. proficiscerentur, quò eum ad cessionem inducerent exemplô Joannis & Gregorii. (non „ enim, ùt ex Psalmo Davidico lepidè consueverat in Concilio dicere Gersonius, futura erat pax Ecclesiæ, donec auferretur „ Luna.) Dataque nonnullis potestas citandi eos, qui clàm se à Concilio subducerent. Et adversùs quosdam nobiles prædones, qui ex Synodo missos à Sigismundo „ ad Regem Francorum spoliaverant, processus decreti. 17. celebratâ die Lunæ 15. Julii eodem Ostiensi Præside, pro itinere Sigismundi ad eundem Benedictum; idem Rex „ habitu quotidiano flexis genibus ante Altare, Benedictionem Synodi solemnibus „ precibus per os dicti Cardinalis accepit. „ Deinde Processiones generales & Missarum „ celebrationes pro ejus felici itu & reditu „ decretæ sunt: & impedimentum aliquod,

Q „ aut

„ aut damnum ei aut comitibus itineris inferentes gravi excommunicatione perculsi; „ contrà verò pro iis orantibus indulgentiæ „ concessæ. Factâque prima supplicatione „ seu Processione generali die Dominica 21. „ Julii, Joannes Gersonius sermonem seu „ orationem habuit; qua nonnullis propositionibus, quas Directiones vocat, egit de „ auctoritate Concilii Generalis etiam supra „ Pontificem. Quod tamen accipiendum „ de tempore schismatis, cùm dubitaretur „ quis esset verus Pontifex, jam antea simili „ occasione monuimus. Non enim alioqui „ hæc quæstio unquam introducta fuisset, quæ „ acriter postea hinc inde tractata est. De „ qua semel dicimus, cùm apud diversos, „ plurésque ejus temporis auctores reperitur „ assertum: Concilium esse supra Papam, aut „ Papam subesse Ecclesiæ, intellexisse omnes, „ (si diligenter verba eorum expendantur) „ intelligendúmque omnino esse, quando agitur de fide aut tempore schismatis; quoniam si Papa fieret fortè hæreticus, desineret esse Papa; tempore verò schismatis, „ incertus est: Ecclesia autem nec unquam „ in errorem labi potest, nec ejus auctoritas „ est unquam incerta.

N. 55. „ Quod verò iter Sigismundi spectat, imprimis habet Cerretanus eum Constantiâ discessisse die 18. Julii. Acta verò „ Victorina iter describentia, imprimis narrant Petrum de Luna jam antea se apud „ eum per nuncios excusâsse, quòd non posset accedere Niciam, ùt conventum fuerat, „ propter nimiam loci distantiam: sed futurum se Perpiniani unà cum Ferdinando Aragoniæ Rege mense Junii. Rursúmque Ferdinandum ob infirmitatem, qua detinebatur, eundem Sigismundum monuisse, nè „ iter acceleraret, donec ipse convaluisset. „ Itaque Sigismundum mense tantummodo „ Julii Narbonam îsse, non longè distantem „ à Perpiniano, opperiturum ibi tempus, & „ commoditatem congressûs. Petrum autem, „ cùm ad finem Junii ex condicto Perpiniani „ expectâsset, media nocte ultimæ diei proclamare fecisse per urbem, num quis adesset pro Rege Sigismundo: cúmque nemo „ sese exhibuisset, accusâsse velut in publicis „ criminibus aut litibus ejus contumaciam, „ & abscessisse: Sigismundum nihilominus „ Narbonâ Perpinianum accessisse: Cúmque „ Petrum sollicitaret, petiîsse illum ab eo „ salvum-conductum, ut posset liberè cum „ habitu Pontificali venire: respondente Rege „ non suum esse in alieno regno salvum-conductum concedere; nec recepturum se illum ùt Pontificem, sed tantùm ùt Cardinalem; Regem Aragoniæ facultatem misisse „ Sigismundo dandi salvum-conductum. Verùm quòd non daret, nisi ùt Cardinali; „ Petrum noluisse venire, sed misisse plures „ articulos: quibus inter alia volebat, ut irritis & nullis declaratis, quæcunque adversùs eum ac suos fuissent hactenus decreta, „ novum à se Concilium totius Ecclesiæ Catholicæ, omniúmque obedientiarum convocaretur Lugduni, vel Avenione, aut una „ alia civitate provinciæ Narbonensis, in quo „ fieret per eum habilitatio & absolutio, de „ consensu pariter ejusmodi Concilii, si & in „ quantum oportuisset; & immediatè pòst eadem Sessione ipse renunciaret Papatui: Post „ renunciationem remaneret in statu Cardinalis, haberétque legationem à latere cum „ pleno dominio in spiritualibus & temporalibus in tota obedientia, quam tunc actu „ habebat: forétque super omnes mundi Prælatos ac Principes post Papam; nec ab ipso „ appellare fas esset. Sed his à Sigismundo „ rejectis, & congressu iterum postulato; demum accessisse Petrum Perpinianum; ibíque inter ipsum ac Reges, missósque à Concilio Constantiensi nuncios varios ac multos tractatus habitos de via cessionis: verùm „ ob multiplicia Petri subterfugia ac delusiones, & ambiguitates re infecta omnes recessisse: Petrúmque sibi ab eo Regéque Aragonio timentem, aut timere fingentem sese „ Paniscolam (sive Peninsulam oppidum firmissimum regni Valentini, ad maris oram rupi „ impositum, Chersonesum antiquis dictum, „ nunc alio nomine Roccha de Truena) proripuisse: Sigismundum nihilominus Narbonæ „ substitisse, rursúmque egisse de Petro evocando, sed eum recusâsse redire. Inter „ Regem autem Sigismundum & delegatos „ Concilii ex una parte, & oratores Regum „ Aragoniæ, Castellæ & Navarræ, ac Comitum Fuxi, & Armaniaci, qui Benedicto obediebant (adstantibus pariter & cooperantibus Regis Francorum oratoribus) post „ longos & diversos tractatus demum concordatum esse in duodecim articulos, qui „ tam iisdem Actis Victorinis, quàm etiam „ editis recensentur: fuisséque eosdem juramentô firmatos, & subscriptos à Sigismundo Rege, Alfonso filio primogenito Ferdinandi Aragonii ob patris infirmitatem, & „ aliis omnibus: factô de iis instrumentô die „ 13. Decembris præsentis anni 1415. „

Idem ad ann. 1416. n. 1. „ Annô Christi „ 1416. Indictione nona, die Jovis trigesima „ Januarii facta est Constantiæ congregatio „ gene-

„ generalis ad audiendam relationem nunciorum missorum unà cum Sigismundo Romanorum Rege in Aragoniam. Quâ factâ per Jacobum Archi-Episcopum Turonensem lecti sunt duodecim illi articuli, quos diximus inter eosdem Regem Romanorum, nunciósque, & Regem Hispaniarum, alósque Benedicti Lunensis sectatores, constitutos; qui in Actis Concilii referuntur. Quorum primò ferebatur, ut per Patres Constantienses fieret nova convocatio respectu prædictorum Regum, & Prælatorum obedientiæ Benedicti sistendorum Constantiæ intra tres menses; ita tamen, ut literæ convocationis mitterentur Regibus, & per ipsos distribuerentur Prælatis in ipsorum regnis constitutis. Secundò cavebatur, nè quid in eo Concilio tractaretur de rebus eosdem Reges, aut Prælatos, ceterósque obedientiæ prædictæ tangentibus, sed tantùm de schismate extirpando, & Ecclesia unienda. Tertiò, ut quicunque eorum ad Concilium accederent, confestim unirentur ejus corpori, sicut aliarum obedientiarum; & per Concilium sic unitum procederetur juridicè contra Benedictum nolentem, aut refugientem renunciare purè & liberè. Quartò, ut omnes processus formati, aut sententiæ latæ contra Benedictum ejúsque sequaces irritæ essent ac nullæ. Quintò, ut confirmarentur collationes omnes & gratiæ quæcunque à Benedicto impertitæ in sua obedientia. Sextò, ut Cardinales Benedictini venientes ad Concilium admitterentur etiam cum aliis ad electionem novi Pontificis. Septimò, ut officiales à Benedicto Romæ constituti non deponerentur; dum tamen non adhærerent ei post subtractionem faciendam. Octavò, si interim Benedictus ante abdicationem decederet, non esset alius Pontifex, quàm qui à Concilio eligeretur. Nonò, ut provideretur super titulis Cardinalium, ad quos bini vel plures ex diversis obedientiis fuissent nominati. Decimò, ut Benedicto volenti ad Concilium ire, alisve ipsius obedientiæ provideretur de salvo-conductu Regum ac Principum, per quorum ditiones transiturus esset. Undecimò, ut conventa utrimque juramentô firmarentur. Duodecimò, ut instrumenta conventorum cuilibet parti traderentur, quot necesse forent. Hi porrò articuli coram omnibus lecti, fuêre quoque secundùm conventa ab omnibus juramentô confirmati, atque subscripti, qui in Actis recensentur Cardinales numerô viginti, Patriarchæ duo, Constantinopolitanus & Antiochenus; ac ceteri Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, nuncii Regum ac Principum, & procuratores Episcoporum absentium, Universitatum & Ordinum, atque Ecclesiarum particularium & Capitulorum, quotquot tunc Constantiæ erant; cùm plurimi Episcopi ex absentia Regis occasionem accepissent suas Ecclesias visitandi. Scriptæque sunt pridie Nonas Februarii literæ convocationis secundùm formam inter partes constitutam.

N. 4. „ Interea Sigismundus Romanorum Rex post satis felicem Ecclesiasticarum rerum in Aragonia ad unionem Ecclesiæ tractationem, de pace etiam aut induciis inter Reges Francorum & Angliæ procurandis sollicitus, antequam Constantiam ad Concilium reverteretur, dum tempus constitutum sectatoribus Benedicti elaberetur, decrevit utrumque Regem invisere. Pervenítque Lutetiam Calendis Martii, ùt Juvenalis habet, confirmátque Monstreletus, dum Dominicam Quinquagesimæ signat, magnificè de more Francorum susceptus; adeóque honoratus, ut & permissus fuerit locum in curia Parlamenti occupare, quem Rex tenere consuevit; & ibidem publicè militem creare, hoc est, Ordinem Equestrem cuidam conferre, qui ejus defectu causâ quæ agitabatur casurus erat: non tamen (ùt iidem auctores ajunt) sinè plurimorum murmure; quòd hæc viderentur tantumodò Regum esse, nec Rex Francorum ullum agnoscat superiorem aut parem in regno. Quare & cùm postea in reditu idem Romanorum Rex Lugduni constituisset Comitem Sabaudiæ magna celebritate Ducatûs insignibus exornare; intercesśere (inquit Æmilius post Monstreletum) Regii Magistratus, nè in regno Francico quicquam pro Imperio agere decernerévе posse viderentur Imperatores. Quem extra regnum non procul inde in arce Monluetana in Ducem evexit, evehendum postea in Pontificem dictum in schismate Felicem V.

N. 5. „ Transmisit quoque Sigismundus in Angliam; pervenítque Londinum (ùt Walsinghamus habet) die 7. Maji, magno pariter honore exceptus. „

Item ad ann. 1417. n. 2. „ Vigesima nona, quæ celebrata fuit die Lunæ, octavô Martii, centesimô à citatione contra Petrum de Luna decreta, accusata est ejus contumacia, atque ulteriores contra eum citationes decretæ: consentiente pro toto Concilio Joanne Cardinale ejus præside. Quippe ob discordiam Nationum Hispanicæ & Anglicanæ de prærogativa responsionum, aliorúmque actuum, fuit per Nationes & Car-

„ dinales statutum, ut præsidens solus pro „ toto Concilio responderet: habitô tamen „ priùs scriptô tam Cardinalium, quàm singu- „ larum Nationum sententiâ & consensu &c.

N. 4. „ Sessione 32. habita, die Jovis pri- „ mâ Aprilis & quatuor sequentibus celebra- „ tis duodecimâ Maji, quintâ, & decimâ „ octavâ Junii, ac vigesimâ 2.dâ Julii, nihil „ aliud gestum apparet, quàm quæ causam „ Petri de Luna respiciebant. Qui post mul- „ tiplices citationes, contumacias, testium „ auditiones, & alia ritè ac juridicè acta, de- „ mum Sessione 37. habita die vigesima sexta „ Julii, cui præfuit de more Joannes Cardi- „ nalis Ostiensis, interfuítque Sigismundus „ Rex, post solita solemnia, lecta est per Car- „ dinalem S. Marci sententia definitiva ipsius „ depositionis, & absolutionis omnium ab „ ejus obedientia. „

[2.] Ciaconius ubi supra in fine. „ An- „ nô Christi 1424. Antipontificatûs sui annô „ trigesimô, mense Septembri Petrus de Lu- „ na, Benedictus XIII. in sua obedientia no- „ minatus, Penischolæ oppidô regni Valen- „ tiæ munitissimo, diœcesis Dertucensis, diem „ clausit extremum, octuagenariô major, us- „ que ad ultimum vitæ spiritum in sua obsti- „ natione permanens, ibíque cadaver sepul- „ tum est, quod postea translatum est Iglue- „ cam Arragoniæ oppidum, ibíque intra ar- „ cem loco profano repositum, quo in loco „ integrum hodie perseverat, in ditione Co- „ mitis Moratæ; & cùm in Antipontificatu „ exegisset annos triginta, illegitimus Papa „ ex eo etiam visus est, quia nemo ex legi- „ timis Pontificibus annos Petri (ùt vulgò „ dicitur) vidit.

Spondanus ad ann. 1424. n. 3. „ Exces- „ sit è vivis hoc item anno (non superiori, „ ùt ibi ostendimus: sicuti & de mense con- „ trovertitur; cùm nonnulli Septembrem, alii „ extremum Novembrem, quidam diem Pen- „ tecostes, qui incidit in undecimam Junii, „ ponant) inveteratus ille dierum malorum, „ Petrus de Luna, olim Pontifex in sua obe- „ dientia Benedictus nuncupatus; adeò in „ sua obstinatione perseverans, ut & suos Sa- „ cramentô adjuraverit alium in suum locum „ eligere, quin immò, ùt habet auctor Bur- „ degalensis illius temporis, etiam postquam „ loquelam amisit, nè fortè rem negligerent, „ acceptô calamô suis, qui aderant, Cardina- „ libus injunxerit sub pœna maledictionis „ æternæ alium post mortem suam eligere in „ Papam. Quem quidem vel ex eo, quòd tri- „ ginta annos explens sui Pontificatûs (ele- „ ctus, ùt vidimus, mense Septembri anni „ millesimi trecentesimi nonagesimi quarti) „ transierit annos Petri, pro illegitimo ha- „ beri debere, Antoninus & alii existimârunt. „ Haud enim mysteriô vacare putatur, quòd „ nullus in tanto numero legitimorum Pon- „ tificum, quamvis juniori ætate permulti „ creati, inventus hactenus fuerit, qui an- „ nos Romanæ Sedis Petri, non solùm non „ prætergressus sit, sed necquidem attigerit. „ Non tamen, ut propterea (quod nonnulli „ fabulantur) consueverit dici Pontificibus „ in creatione: Non videbis dies Petri. Quis „ enim futurorum adeò securus, ut nulla „ præcedente revelatione Divina rem tantam „ possit asserere? Mortuus est autem hic Pe- „ trus ex veneno (ùt quidam Hispani habent) „ à Thoma Monacho ei propinato; de quo „ supplicium sumptum sit: consilii nefarii au- „ ctore Cardinale Pisano, qui ad capiendum „ Benedictum venerat, auditáque morte con- „ festim aufugit.

N. 4. „ Aderant ei duo tantùm reliqui „ suæ partis Cardinales Julianus Dobla, sive „ de Loba, & F. Dominicus de Bona-spe „ Ordinis Carthusiani. Qui post ejus obi- „ tum, ex ejusdem viventis præcepto, Ægy- „ dium Sancii Munionis, sive Munotii, Ara- „ gonensem, militari genere natum, Decre- „ torúmque Doctorem, & Canonicum Eccle- „ siæ Barcinonensis Catalaniæ, ibidem Pa- „ niscolæ in Pseudo-Pontificem elegerunt. „ Quem, pudendam ejusmodi dignitatem, „ contra totius orbis terrarum consensum, „ suscipere recusantem, Alfonsus Aragoniæ „ Rex Martino Pontifici, ùt vidimus, infen- „ sus, heroicô, ùt sibi visum est, facinore „ admittere impulit; tunc amittendam, cùm „ sibi Martino reconciliari complaceret. Hæc „ enim sunt ludicra & oblectamenta Regum, „ qui commoda sua Religioni, & conscien- „ tiæ anteferunt. Idémque Clementis VIII. „ nomine accepto, mimum præclarè agens; „ & coronatus est, & Cardinales creavit, „ omniáque fecit, quæ veri Romani Ponti- „ fices facere consueverunt. De cujus abdi- „ catione dicetur postea: quem interim Mar- „ tinus, ubi ejus accepit intrusionem, ana- „ themate unà cum auctoribus & fautoribus „ percussit; diémque omnibus Romæ dixit, „ parùm hæc præ nimia, scilicet, religione „ curantibus. „

[3.] Gerardus de Roó lib. 4. „ Post „ ejus (*Friderici*) discessum (*Constantiâ in Tyro- „ lim*) Jacobus Laudensis Episcopus, Italicæ „ Nationis Præses, Sacrosanctæ generalis Sy- „ nodi nomine literas dedit ad Petrum Spo- „ rum militem, Simonem & Erasmum de Thun-

„ no,

„ no, Hiliprandum Glesium & reliquos In „ Ananiæ ac Solis vallibus, Tridentinæ Ecclesiæ Syndicos ac fiduciarios hoc argumento: Cùm omnis potestas ex Deo sit, nihil „ ad humani generis conservationem utilius „ esse, quàm ut iis, qui Magistratum gerunt, „ parcatur, qua una in re vera ac solida laus „ consistit. Cùm igitur Georgius ipsorum „ Episcopus à Friderico Austriæ Principe multis magnisque incommodis affectus, vindictæ omni cupiditate vacuus, nihil aliud in „ votis habeat, quàm ut sublatis inimicitiis, „ in pristinum dignitatis gradum restitutus, „ suámque sponsam recuperare possit: dandam ipsis operam esse, ut Fridericus cum „ illo in gratiam redeat, & Ecclesiam illis suam malè affectam restituat: Ea in re, si quod „ sui officii est, fecerint, id Deo Opt. Max. „ & Synodi patribus, Ecclesiam Dei repræsentantibus, gratissimum fore, sin minùs, pro „ conservanda Ecclesiæ tranquillitate, se, etsi „ cum animi dolore, processuros. Datum „ Constantiæ VIII. Calend Junii, annô decimô sextô supra mille quadringentos. . . . . .

„ Eodem anno circa medium autumnum, „ adnitentibus præcipuè Ludovico Palatino, „ Bavariæ Duce, ac Eberhardo Neuhusio Salisburgensi Præsule, omnis controversia, „ quæ Udalrico Brixinensi Episcopo cum Austriacis fratribus fuerat, composita est, „ & Udalricus Cancellarii officiô ac titulô, „ quo antea functus, etsi cum Friderico in „ gratiam redièrat, partibus tamen Ernesti „ addictior fuit. Ut verò & inter fratres „ omnia transigerentur (neque enim aliter „ rerum status incolumis conservari poterat) „ Merani Statuum conventus est habitus, in „ quo cùm de rei summa nihil convenisset, „ alius Oeniponti indicitur. Antequam verò is dies adveniret, Udalricus Præsul cum „ Ecclesiastici & Equestris Ordinis primoribus, non insciô Ernestô, fœdus facit, & de „ communi consiliô decernit, in proximo conventu provinciales de omni controversia sine „ provocatione arbitros fore, quorum judiciô „ uter Principum stare noluerit, in eum se arma ùt in hostem, pro alterius defensione sumpturos. Quinque item Præfectos constituunt, quorum singulis binos consiliarios „ adjungunt. Id fœdus cùm in fraudem suam pactum esse, multósque ipsius assensu „ omnia fieri persuasos, subscribere videret, „ vulgatis literis ostendit, nullum se fœdus, „ nulla fœderis decreta agnoscere, quæ ab „ adversæ factionis hominibus, se inconsulto, „ essent composita. Obtestatur itaque omnes, „ ut datum semel fidei Sacramentum servent, „ neque famæ suæ perjurii perfidiæque notam inurant; Ernestus contrà, missis ad quinque Præfectos ac reliquos conjuratos literis, ut in fœdere permanerent, hortabatur. „ Jámque res ad bellum intestinum, atque „ adeo fraternum spectabat &c. . . . .

„ Cæsar itaque nova iterum diplomata &c. *ut in textu nostro.*

[4.] Hundius in Metropol. sua Salisburg. sub Episcopis Pataviens. in Georgio ad litteram.

[5.] Ex litterarum monumentis.

Ann. Christi MCCCCXVII. Monasterii CCLXXIX.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

Cum schisma sæpè memoratum in Ecclesia jam diu duràsset, atque Sedes ipsa Pontificia post abdicationem Joannis XXII. vacàsset, tandem hoc anno viginti octo Cardinalium, & triginta Prælatorum, nationum quinque suffragiis creatus fuit Romanus Pontifex Otto de Columna, Romanus, Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro. *[1.] Cujus electio incidit in festum S. Martini Turonensis, unde Martini nomen placuit assumere, qui ejus nominis Quintus dictus fuit, cùm reverà Tertius dicendus esset. Nam duo Marini fuerunt, non Martini, qui ante Martinum dictum III. sederunt, uti ex eorum Bullis & aliis monumentis liquet, quæ perspexit Ciaconius egregius in vitas Pontificum Romanorum Commentator. Igitur Martinus hic III. non V. dicendus est. [2.] De hoc Pontifice B. Malachias sic prophetavit:

Corona veli aurei. Erat enim Familiâ Colonna, cujus insigne corona super columnam posita, & Diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum. Mox inito Pontificatu Petrum de Luna Antipapam ut schismati finem imponeret, admonuit, verùm illum recusantem & pertinacem permanentem Martinus publicè per Concilii sententiam ultimam Pontificatu dejecit, ac contumacem diris maximis devovit. [3.]

Intereà Fridericus Austriacus proscriptus hoc anno Tetnangam, Wilhelmô Montfortiô eum deducente, pervenit, ubi post unum aut alterum colloquium, intercedentibus quibusdam Principibus, cum Cæsare in gratiam rediit, & suarum ditionum possessionem solemni ritu ab eo publicè accepit octavô Calendas Maji. Erant inter civitates Friderici, quæ sese Imperio perpetuò tradiderant, néve unquam ad suum Dominum antiquum redirent, diploma à Sigismundo impetrârant; eæ tunc penitus à Domo Austriaca abalienatæ fuerunt: hæ sunt Schafhusium, Rheinfelda, Dissenhovium, & Cella. [4.] Atque ita tunc Austriaci quatiebantur: verùm Deus recompensavit illis duplô magìs hoc damnum, duobus nimirum florentissimis Regnis, Ungariæ & Bohemiæ, sicut suo loco sum scripturus.

ADDITIONES.

*[1. & 2.] Ciaconius in Martino V.

Magnum Chronicon Belgicum. „ Demum annô Domini 1417. mensis Martii die „ 16. Concilium Constantiense cum Regis „ Sigismundi consensu contra Petrum de Luna citationem emisit, & citavit eum ad primum diem mensis Aprilis, sed terminus continuatus usque in mensem Julium fuit, ut „ interim mitterentur viri idonei ad accedendum præsentiam ejus, & ut ipse sufficiens „ haberet tempus præparandi se ad viam, & „ veniendi ad Concilium. Sed permanens „ in pertinacia sua per Concilium in pœnam „ contumaciæ Papatu privatus est, quamvis „ dudum per Pisanum Concilium privatus videretur. Post hoc electi sunt viri literatissimi ex omnibus illis Nationibus, qui nomine totius Ecclesiæ reformationem Status Ecclesiæ ordinarent & conscriberent. „ Illis autem moram facientibus, orta est seditio inter Regem, & Nationem Germaniæ „ parte ex una, & ceteras Nationes parte ex „ altera, Rege cum suis volente, ut priusquam ad electionem Summi Pontificis procederetur, fieret reformatio Ecclesiæ tam „ in capite quàm in membris, contendentibus ex adverso reliquis, ut priùs procederetur ad electionem Papæ, per quem reformatio Ecclesiæ esset deducenda ad effectum. Tandem reformatione concepta, „ nondum tamen publicata, processum est ad „ electionem Summi Pontificis: quo ex qualibet Natione electi sunt viri literatissimi „ & devoti sex, ut essent numerô triginta, „ qui unà cum Cardinalibus omnibus eligerent Papam. Simul igitur sunt ingressi „ Conclave Cardinales quidem numerô 21. „ (al. 28.) & ceteri triginta, die Lunæ, octavâ mensis Novembris, postquam jam per „ tres annos integros continuatum Concilium fuisset. Undecimô verò dicti mensis „ die concordes effecti elegerunt Dominum „ Ottonem de Columna nobilem Romanum „ Cardinalem, qui de obedientia Urbani „ Sexti descenderat, & appellatus est Martinus V. Eodem quippe die festum B. Martini Episcopi celebravit Ecclesia, & in octava S. Martini coronatus fuit Pontifex annô „ Domini prænotatô, & sedit annis 13. mense uno, diebus 18. Postquam verò Dominus Martinus Papa prædictus fuit coronatus, per Nationes Concilii urgebatur reformatio Ecclesiæ tam in capite quàm in „ membris, prout in reformatione per electos „ conceptum priùs erat: sed quia non omnes „ æquè ardenter instabant, Cardinalibus „ etiam in hoc torpentibus, parùm profecerunt. Unde Natio Gallicana Regem adiit „ petens ab eo, ut Papam ad reformandam „ Ecclesiam solicitaret. Qui respondit: Dum „ nos, ut reformatio fieret Ecclesiæ, priusquam ad electionem Summi Pontificis procederetur, instabamus, vos à nobis dissensistis, & Papam priusquam fieret reformatio „ Ecclesiæ, habere voluistis. Ecce igitur Papam habetis, quem & nos habemus; illum „ pro expeditione hujus reformationis adite; „ cùm nunc nostrâ non ita intersit, ut interesset Sede Romana vacante. Huc usque „ Chronica Goblini quondam Decani in Bilenvelde in Bœdeken sepulti in Monasterio „ Canonicorum Regularium Wyndesemen-

„ sium,

„ sium, quæ Cosmodromium, id est, mundi „ cursum inscripsit.

„ Martinus iste fuit Papa potentissimus, „ super omnes dives, & Justitiarius magnus, „ plateas & stratas publicas securas reddidit, „ hæreticos delevit, multa bona patravit ad- „ juvante Inclyto Principe Sigismundo: ùt & „ pro Terra Sancta recuperanda multos the- „ sauros congregavit, sed morte præventus, „ res impedita fuit. „

Nauclerus Generation. 48. „ Cùm de „ restituenda Ecclesia, emendandísque mori- „ bus Clericorum mentio haberetur, fieri id „ non posse existimârunt vacante Sede. Unde „ de eligendo novo Pontifice sermo est ha- „ bitus. Ordinatum est Spiritu S. suggeren- „ te, quod aliàs non putatur servatum, & hoc „ ad majorem concordiam, ut ultra voces „ Cardinalium, qui erant de triplici obedi- „ entia, scilicet Gregorii, Johannis, & Bene- „ dicti, adderentur ex qualibet Natione quin- „ què Prælati, qui vocem cum Cardinalibus „ in electione fienda haberent. Conclave „ igitur intrantibus infra paucos dies electus „ est ab omnibus post aliquam discussionem „ & vocum variationem unanimiter & con- „ corditer Otho Cardinalis de Columna, vo- „ catúsque Martinus V. annô 1417. mense „ Novemb. Effusus nimiô gaudiô Imperator, „ nullô habitô dignitatis suæ discrimine, Con- „ clave ingressus, gratias omnibus egit, qui „ tantum virum, & tam necessarium Reipub. „ Christianæ propè extinctæ delegissent: & „ ante Pontificem prostratus cum summa „ veneratione ejus pedes osculatus est, quem „ contrà Pontifex amplexus, non secus ac „ fratrem in pretio habuit, gratias egit, quòd „ suâ operâ & industriâ pax tandem Ecclesiæ „ Dei reddita est. „

Spondanus hìc n. 6. „ Sessione 40. cele- „ brata die Sabbati 30. Octobris, decretum „ est futurum Pontificem cum delegatis sin- „ gularum Nationum, antequam Concilium „ dissolveretur, reformare debere Ecclesiam „ in capite & in membris, & Curiam Roma- „ nam super certis articulis expressis &c. ----- „ Deinde decretum, ut non obstante absentia „ Cardinalium Petri de Luna procederetur ad „ electionem novi Pontificis: qui tamen si ad- „ venerint, antequam facta esset electio, & Con- „ cilio adhærerent, admitterentur cum aliis. „ Deniq; & forma electionis statuta; ut scilicet „ ad firmiorem rei certitudinem, & plenissimam „ insinuandam unionem, hac duntaxat vice, „ & de expresso consensu Cardinalium, unà „ cum ipsis Cardinalibus, sex Prælati, aliæve „ honorabiles personæ Ecclesiasticæ in sacris „ ordinibus constitutæ de singulis quinque „ Nationibus in Synodo tunc existentes ad „ electionem admitterentur: ut & quicunque à „ duabus partibus Cardinalium, & à cujuslibet „ Nationis delegatarum duabus item partibus „ eligeretur, verus esset, & indubitatꝰ Pontifex.

N. 7. „ Sessione autem 41. habita die „ Lunæ octava Novembris (cui ùt in ceteris „ præsedit Joannes Cardinalis Ostiensis, & „ interfuit Sigismundus Romanorum Rex) „ post solemnia peracta, lectâmque Consti- „ tutionem Clementis Papæ VI. de modo & „ forma Conclavis, emissâque juramenta eâ „ contenta; nominati sunt Electores Natio- „ num Cardinalibus adjungendi; & promul- „ gata excommunicatio, atque beneficiorum, „ officiorum & dignitatum privatio contra „ eos, qui ex abusiva (ùt inquiunt) licentia, „ res & bona electi, quasi culmen divitiarum „ adepti, invaderent & occuparent. Eadém- „ que die Cardinales, quotquot Constantiæ „ erant ex triplici obedientia Gregorii, Jo- „ annis & Benedicti (qui viginti numerô ex- „ primuntur in Actis editionis Romanæ, vi- „ delicet quinque Episcopi; undecim Pres- „ byteri, & quatuor Diaconi, si his Colu- „ mnensem addideris, qui fuit in Pontificem „ electus: quamvis viginti tres à nonnullis „ numerentur) unà cum ceteris triginta Ele- „ ctoribus: nempe Patriarcha Constantino- „ politano, quinque Archi-Episcopis, unde- „ cim Episcopis, & uno electo, ac duodecim „ Abbatibus, aut aliis in dignitatibus Eccle- „ siasticis sive Secularibus, sive Regularibus „ constitutis, qui in Actis recensentur, in- „ gressi sunt Conclave paratum in domo com- „ munitatis civitatis Constantiensis. Ac „ tertio pòst die, nempe Jovis, undecimâ No- „ vemb. elegerunt in Summum Pontificem „ Odonem (*seu Othonem*) de Columna Roma- „ num de nobilissima Columnensium familia „ patre Agapeto, Diaconum Cardinalem S. Ge- „ orgii in Velabro, sive ad Velum aureum: qui „ in honorem S. Martini, in cujus festo electus „ fuit, Martinus dici voluit, ejus nominis „ Tertius. Quintus tamen nuncupatus, ob „ confusionem duorum Marinorum, de qui- „ bus aliàs. (*ad annum 1281. n. 2.*) „

[3.] Ciaconius ubi suprà. „ Adeptus „ itaque tantum Magistratum, cùm restare „ adhuc caput renascentis hydræ cerneret Pe- „ trum Lunam, cum aliquot Cardinalibus & „ Prælatis Penischolæ tanquam in arce schis- „ matis se continentem, quibusdam Arrago- „ niæ populis in utram partem inclinarent „ titubantibus adhuc, approbante Concilio, „ Alamannum Ademarium, virum doctissi- „ mum,

„ mum; cujus ſepulchrum in S. Maria nova „ adhuc cernitur, patriâ Florentinum S. Eu- „ ſebii Presbyterum Cardinalem, Legatum à „ latere ſuo in Arragoniam mittit, qui ſub „ pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis Petrum ad- „ moneret, ut ſe Pontificatu abdicaret; Car- „ dinales autem, qui cum Petro ſentiebant, „ intelligentes ultimam Concilii & Pontificis „ ſententiam, Petrum ipſum adeunt, rogánt- „ que, ut de Eccleſia Dei tandem omne ſchis- „ ma tollat; quo tam multis annis Chriſtiana „ Reſpub. magnis calamitatibus afflicta erat. „ Id autem ob ſalutem labentis Eccleſiæ à „ Gregorio & Joanne factum eſſe. Reſpon- „ dit Petrus cavillationibus quibusdam, id „ ſibi nequaquam integrum eſſe, ſibi autem „ cum Martino conventurum, ſi vera eſſent, „ quæ de hominis integritate & humanitate „ dicerentur, ſinerent ſibi id negotii, nec am- „ plius ea de re ſolliciti eſſent. Ex ſex verò „ Cardinalibus quatuor pertinaciam Petri de „ Luna inſpicientes, eo relicto ad Martinum „ ſtatim defecerunt. Qui autem in fide man- „ ſerunt, Pſeudo-Cardinales ſunt habiti, quo- „ rum alter Carthuſienſis fuit, alter verò Ju- „ lianus de Dobla appellatus eſt. Martini quo- „ que authoritatem Hiſpania omnis ſecuta „ eſt; idem fecerunt non multò pôſt Scoti, „ & Armeniaci, atque ita omnis Reſpub. Chri- „ ſtiana, unâ duntaxat Peniſchola exceptâ, „ Martini auctoritatem ſecuta eſt. „

Idem iisdem verbis recitat Nauclerus ex Platina & poſt ipſum Spondanus ad ann. ſe- quentem n. 1.

[4.] Idem Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô Chriſti milleſimô quadringenteſimô „ decimô ſeptimô, Indictione decima, die „ Sabbati vigeſima Februarii celebrata eſt Seſ- „ ſio 27. Concilii generalis Conſtantienſis „ præſidente Joanne Cardinale Oſtienſi. Qui „ poſt conſueta in ſingulis Seſſionibus ſole- „ mnia, accuſata fuit contumacia Friderici „ Ducis Auſtriæ. Et Seſſione 28. celebratâ „ die Mercurii tertia Martii (cui præſedit „ idem Joannes, interfuítque Sigismundus „ Romanorum Rex ab itinere ſuo redux) idem „ Fridericus unà cum ſuis complicibus & fau- „ toribus ob invaſa jura, & bona Eccleſiæ „ Tridentinenſis, ſacrilegium & perjurium in „ prædictum Sigismundum, declaratus eſt in- „ cidiſſe in excommunicationem, nec non „ pœnas privationis & inhabilitatis in Con- „ ſtitutione Carolina contentas incurriſſe, & „ pro tali ubique denunciari juſſus, invocatô „ in eum auxiliô Sigismundi. „

Gerardus de Roô lib. 4. „ Tandem verò „ Fridericus, ut & Suevicis rebus conſuleret, „ ac Sigismundum Cæſarem placaret, Merſpur- „ gum ſe contulit, ubi primùm actio inter ipſos „ inſtituta eſt circa medium Aprilem. Mox Cæ- „ ſarem Conſtantiam reverſum ſecutus, Guili- „ elmo Montfortio ipſum deducente Tetnan- „ gam uſque poſt unum atque alterum collo- „ quium intercedentibus quibusdam Princi- „ pibus cum Cæſare in gratiam rediît, & ſua- „ rum ditionum poſſeſſionem ſolenni ritu ab „ eo publicè accepit octav. Calend. Maji, nu- „ meratis (ût quidam prodidêre, mulctæ no- „ mine) triginta aureûm nummûm millibus. „ Sigismundus verò acceptâ pecuniâ promiſſi „ fidem ſe liberâſſe adfirmabat, ſi operam da- „ ret, ut Friderico eæ civitates reddantur, „ quæ in ſua poteſtate etiamnum eſſent, ne- „ que ad ipſum redire detrectarent, neque „ inter Imperii civitates aſſcriptæ eſſent. *Erat* „ enim varia civitatum fortuna, & *diverſa* „ aliarum ab aliis conditio, quarum nonnul- „ las Cæſar aliis oppignoraverat, in quibus „ erant Veldtkirchia, Frauenfelda, Heilgen- „ bergum, & pleraque Ergoviæ oppida: qui- „ busdam verò diplomata dederat, quibus „ cavebatur, nè unquam ab Imperio, cui ſeſe „ tradiderant, diſſociarentur, eæ erant Schaf- „ huſium, Reinfelda, Diſſenhovium, & Cella. „ Igitur Fridericus ſummam in recuperandis „ iis locis difficultatem eſſe videns, hoc ne- „ gotio in aliud tempus dilato, ad compo- „ nendas Tirolenſium res, & compeſcendam „ nobilium quorundam contumaciam animum „ intendit.

Ann. Chriſti MCCCCXVIII. Monaſterii CCLXXX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Georgius.	Fridericus.

CONcilium Conſtantienſe, cùm trien- niô, menſibus quinque, & diebus quindecim durâſſet, An. MCCCCXVIII. Pontificatûs Martini Papæ III. primô, duodecimô Calendas Maji diſſolutum eſt, & decimô ſeptimô Calendas Maji horâ

horâ tertiarum Martinus Constantiâ discessit, licèt multùm tum ab Imperatore, cùm ab aliis Germaniæ Principibus rogaretur, ut aliquamdiu in Germania Ecclesiæ præesset, excusavit se de perturbatæ Ecclesiæ Italicæ statu, atque adeò ipsius Romanæ desolationem ex diuturna Pontificis absentia exortam. Unde cùm Romam ire impediretur, Florentiæ ad Basilicam S. Mariæ Novellæ resedit. * [1.]

Item hoc anno circa Epiphaniæ festum fit mentio Friderici Abbatis in Zwetl, unde hoc adhuc anno vixisse reperitur. [2.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciacon. in Martino III. „ Omnia „ autem decreta ante Pontificatum suum in „ schismate facta, nisi ad fidem & bonos mo„ res pertinerent, omninò sustulit. - - - - - -

„ Cùm autem Pontifex, hinc ab Impera„ tore & Germanis rogaretur, ut in Germa„ nia aliquamdiu remaneret, hinc à Principi„ bus Gallicis, ut in Galliam proficisceretur, „ ostendit sibi id nequaquam integrum esse, „ quòd diceret patrimonium Ecclesiæ absente „ Pontifice à tyrannis quibusdam in Italia „ occupatum, distrahi & lacerari: urbémque „ Romam Religionis Christianæ Caput, cùm „ Rectore suo careret, penè ad interitum re„ dactam esse peste, fame, ferro, igne, sedi„ tionibus. De Basilicis verò ac Sanctorum „ Martyrum Sacellis nolle dicere, quæ ab„ sente Pontifice, aut jam corruerent, aut „ paulò pòst collapsuræ viderentur; proinde „ sibi abeundum esse dicebat. Ferrent æquô „ animô, quod vellent ratio & necessitas, „ paterentùrque eum sedere in solio Petri, „ quem Pontificem omnium consensu decre„ verant. Ecclesiam Romanam Caput esse, „ & Matrem omnium Ecclesiarum, proinde in „ ea immorandum Pontifici esse, nè verus gu„ bernator à puppi ad proram transferatur, „ cum magno navigantium (hoc est, in Chri„ stiana Repub. viventium) periculo & detri„ mento.

„ Annô 1418. die Lunæ XVII. Kal. Maji „ horâ tertiarum Papa Martinus V. discessit „ Constantiâ, ac per Sabaudiam iter faciens, „ dum Italiam petit, Mediolanum pervenit, „ ubi à Philippo Duce, populóque Medio„ lanensi nullo non genere honoris adhibito „ perbenignè suscipitur. Mense deinde Octo„ bri Mantuam venit, ubi per aliquot men„ ses commoratus est. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo. „ Itaque consensu Imperatoris annô Salutis „ 1418. dissolutum est Concilium, Pontifice „ in Italiam ad componendos urbis tumul„ tus proficiscente, Cæsare verò in Boëmiam „ ad sedandas Hussitarum insanas corrupte„ las. Creavit autem Sigismundus in hoc „ Concilio Adolphum II. ejus nominis Co„ mitem Ducem Clevensem, Hermannum Ci„ liæ Baronem socerum suum Comitem, Ame„ deum Comitem Ducem Sabaudiæ, Fride„ ricum Burgravium Norinbergensem Mar„ chionem Brandeburgensem. Ericum verò „ paulò antè Venceslai primi filium, Ducem „ Saxoniæ in Lewenburg, & Wittenburg, „ ob aliquos excessus rebellionis ac inobe„ dientiæ privavit Electoratu. Idque jus Cæ„ sarem eligendi, ac Ducatum Saxoniæ Mar„ chioni Misnensi Friderico contulit: cujus „ prosapia etiam hodie hoc jure utitur. „

Spondanus ad hunc ann. n. 9. „ Hícque „ finis esto Concilii Generalis Constantien„ sis: quod tribus annis, séxque ferè men„ sibus celebratum est, ingenti Patrum con„ stantia & patientia; immortalíque laude Si„ gismundi Regis, absque quo funestiori Tri„ umviratu periclitata fuisset Ecclesia Roma„ na, quàm olim Respublica. Ejus autem „ operâ & laboriosissima sollicitudine factum „ est, ut universus orbis Christianus, unicô „ exceptô scopulô Panischolæ, sub unius veri „ & legitimi Pontificis Martini obedientiam „ reductus sit. Qui quidem Martinus, cùm „ post absolutam Synodum (ùt narrat Pla„ tina) hinc à Sigismundo Rege & Germanis „ rogaretur in Germania aliquamdiu remo„ rari; hinc à Principibus Gallis in Galliam „ proficisci; ostendit sibi nequaquam id inte„ grum esse, quòd patrimonium Ecclesiæ ab„ sente Pontifice à tyrannis distraheretur: „ Urbsque Roma penè ad interitum redacta „ esset. Ut tamen aliquo modo videretur „ utrisque gratificari, Constantiâ discedens „ (regente Sigismundo Rege frœnum mulæ „ usque ad civitatis egressum) Gebennam sive „ Genevam in Sabaudia inter Galliam & Ger„ maniam sitam petiit, ubíque usque ad men„ sem Septembris permansit; ùt narrat Mon„ streletus, confirmátque author Burdegalensis „ in vita Martini &c. „

[2.] Ex litterarum monumentis.

Ann. Christi MCCCCXIX. Monasterii CCLXXXI.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

ANno isto quatuor ex Cardinalibus Petri de Luna, qui usque ad finem Concilii Constantiensis cum eo permanserant, videntes ejusdem Petri pertinaciam, relicto eo ad Martinum Florentiam accesserunt, ubi Papæ pedibus osculatis ab eo in cæterorum collegium conscripti sunt. * [1.] Eodem tempore Balthasar Cossa quondam Joannes Papa XXIII. qui ex sententia Concilii apud Palatinum in Germania in vinculis tenebatur, intelligens Martini Papæ circa se liberandum voluntatem, numeratis triginta millibus nummûm aureorum in Italiam liber rediit, atque Florentiæ ad Papæ pedes se projecit, sicut suprà (*An.* 1415.) retuli. [2.]

Sigismundus autem Cæsar post Constantiensis Synodi exitum ad regnum Bohemiæ sibi asserendum animum adjecit, nam Wenceslaus Rex ejus frater hoc anno nullis relictis liberis diem obiêrat. Apud Bohemos verò & sub Regis decessum & in ipso interregno turbulentissimus erat rerum status, omniáque intestinis fervebant tumultibus. Nam post Hussii & Hieronymi supplicium Hussitæ irritati in Monasteria & Templa irruunt, sacram suppellectilem diripiunt, vetustos Ecclesiæ ritus abolere, suos stabilire satagunt, mox affluente hominum multitudine arcem Vicegradensem Pragæ Novæ mœnibus vicinam expugnant, præsidia opportunis Pragæ minoris locis collocata deturbant. D. Wenceslai arcem in monte sitam obsidione cingunt. Hunc rerum statum Sigismundus Sophiæ Reginæ fratris viduæ ac aliorum nunciis edoctus, Brunnæ in Moravia conventum indicit, eóque se ipse confert. [3.] Fuit Dux & Author furendi Hussitis Joannes Trosnavius honestô apud suos locô natus, & in aula Regia educatus, armis à primis adolescentiæ annis assuetus & exercitatus. Huic ob amissum casu oculum patrio idiomate Cisca, quod monoculum denotat, cognomen datum. [4] Ejus primum facinus vivente adhuc Wenceslao istud erat, quo sibi Pragensium animos maximè Hussitarum conciliavit. „ Nam Rex à civibus arma omnia sibi „ tradi postulârat, unde hospitem suum „ paululùm tristiorem Cisca de causa „ tristitiæ interrogat: Illo respondente, „ Jussi, inquit, sumus, arma quæ ha„ bemus omnia in arcem ad Regem de„ ferre; si jussa facimus, præsidiô do„ mesticô in seditione intestina nos nu„ damus, sin imperium detrectamus, „ veremur, ne armatos regios in nos „ concitemus. Ad hæc Cisca: Bonum „ habe animum hospes, adest mihi con„ silium ad liberandum vos cura ista, „ si unusquisque vestrûm arma induc„ rit sua, séque Regi coràm in armis „ repræsentaverit, non audebit ille po„ stulare, ut arma exuatis, sed gratus „ præterea erit, ut armati inde quam„ primùm discedatis. „ [5.] Atque ita res cecidit, eadémque Ciscam mirificè Pragensibus commendavit. Sunt, qui privato quodam in Monasticæ Professionis viros odio Ciscam incitatum fuisse asserunt, ob allatum à quodam Monacho sorori ipsius Virginibus sacris ascriptæ vitium: constat sanè, eum ordinem magnis ab illo incommodis vexatum. Qui post secundas aliquot velitationes ac Monasteriorum expugnationes castra ad Lusinitium amnem, locô naturâ munitô, murô circumdat; &

& qua parte amnis non erat, arce ac fossa munit, Tabor à castris vernaculo sermone appellatur. [6.]

Circa hæc tempora adnitente Reimberto Waldseio ac aliis nonnullis Alberto Archi-Duci desponsa fuit Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia admodum adolescentula. Credibile est Cæsarem propter Bohemos assiduè tumultuantes hanc affinitatem sibi oportunam duxisse. Sunt, qui Polonicas nuptias ultrò oblatas recusâsse Albertum ferunt, nondum fortasse oblitteratâ ejus contumeliæ memoriâ, quam Guilhelmo ipsius agnato factam esse Gerardus [7.] aliíque Austriæ Scriptores referunt.

Fatetur demum Wolfgangus de Czell Plebanus in Waltenstain fundatos esse ad Ecclesiam ibidem à Petro Wagner sexaginta denarios redituum de uno laneo sito in Newsidel. Datum annô Domini 1419. Dominicâ tertiâ Quadragesimæ. [8.] Item invenitur in aliis litteris, quòd tempore Friderici Abbatis in Zwetl talis fundatio dictæ in Waltenstain Ecclesiæ facta sit, quam præfatus quoque Wolfgangus Plebanus contigisse fatetur, nimirum à Margaretha Stephani Widmer relicta, quæ obtulit sæpe fatæ Ecclesiæ viginti septem denariorum reditus super una desolata area in Waltenstain sitos. Datum annô Domini 1418. in die S. Margarethæ. Præterea exinde colligitur Parochiam in Waltenstain tempore hujus Friderici Abbatis jam ad Monasterium Zwetlense spectâsse.

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Ciaconius in Martino V. „ Annô 1419. quatuor ex Cardinalibus Petri „ de Luna, qui usque ad finem Concilii Con„ stantiensis cum eo permanserant, videntes „ ejusdem Petri pertinaciam, Concilii sen„ tentiam secuti, eo relicto Florentiam, „ ubi tunc curia Romana residebat, accesse„ runt, & die 16. Kalendas Aprilis, osculatis „ pedibus Papæ Martini ab eo in ceterorum „ collegium conscripti sunt, nam usque ad „ eam diem pro Cardinalibus habiti non ex„ titerant; fuerunt autem hi:

„ Domnus - - - Hispanus, Canonicus Re„ gularis, Abbas montis Arragonum, Presbyt. „ Card. tt. S. - -

„ Carolus de Urrias, Hispanus, Diaconus „ Cardinalis S. Georgii in Velabro.

„ Alfonsus Carriglius, Gometii filius, Hi„ spanus, Diacon. Card. S. Eustachii.

„ Petrus Fonseca, Portugalensis Hispanus, „ Diacon. Card. S. Angeli.

„ Cùm autem Balthassar adhuc in vincu„ lis in Germania à Comite Palatino detine„ retur, quidam Florentini cives, quorum de „ numero Cosmus habitus est, rogare Pon„ tificem Martinum omnino non desistebant, „ ut tandem è carcere Balthassarem liberaret, „ facturum se id Pontifex pollicitus est. Ve„ rùm dum eò Legatum ob eam rem mittit, „ Balthassar moræ impatiens triginta millibus „ nummûm aureorum Palatino Comiti per„ solutis se è vinculis redimens in Italiam „ rediens, ut rectà Florentiam proficiscere„ tur, apud Petrum Rubeum Agri Parmensis „ Baronem, veterem amicum divertens, pa„ rari sibi insidias intelligit. Hanc ob rem „ noctu cum Legato Pontificis, qui cum in „ via convenerat, ad Thomam Fregosum ve„ terem amicum confugiens, magnam injecit „ omnibus suspicionem, ne rursus schisma in„ novaretur. Erat enim vir magni animi, sa„ gacissimíque, & qui privatam vitam nequa„ quam pateretur. Non deerant præterea, „ qui hominis audaciam ad res novas moli„ endas concitarent, adeo tum rebus novis „ studebatur. Sed Deus Omnipotens Eccle„ siæ suæ consulturus Balthassarem impulit, „ nullis pactionibus interpositis, nulla requi„ sita cautione, Florentiam ad Martinum pro„ ficisci, quò cùm venisset, admirantibus omni„ bus, exosculato Pontificis pede eundem „ audientibus omnibus, ut verum Pontificem, „ & Christi Vicarium canonicè electum sa„ lutavit. „

Item in Joanne XXII. suprà ad annum 1415. ubi & Spondanus & Nauclerus à nobis relati.

[3.] Gerardus de Roó lib. 4. „ Sigis„ mundus verò Imperator &c. *ut in textu no„ stro.* Omniáque intestinis fervebant tumul„ tibus hac præcipuè ex causa: Joannes qui„ dam Hussus cum assecla suo Hieronymo Pra„ gensi à Concilii Patribus hæreseos conde„ mnatus, flammísque exustus fuerat; ejus „ verò doctrinam multi passim in Boëmia am„ plexi, arma in imbelles Monachos ac Sa-

„ cerdotes sumpserant, suámque hæresin mordicus retinere, ac cum vitæ, fortunarúmque periculo tueri animum induxerant; Sigismundum autem maximè oderant, ejúsque imperium detrectabant, genti suæ iniquum esse, & Hussum fraude & perfidia in mortem adduxisse palàm criminabantur. Hussus enim Constantiam vocatus, fiduciæ tabulas à Cæsare acceperat, quibus cùm satis sibi cautum esse putaret, in vitæ periculum se dedit, decernente Synodo, non servandam hæretico fidem. (*Fallitur in hoc Gerardus; hoc enim Concilium nunquam decrevit; quomodo autem Concilium non obstante salvo-conducto Husso à Sigismundo dato usque Constantiam, jure potuerit eum condemnare, videatur suprà à nobis ad annum 1415. relatus Spondanus.*) Hussitæ igitur in Monasteria & Templa irruunt, sacram suppellectilem diripiunt, vetustos Ecclesiæ ritus abolere, suos stabilire satagunt, mox affluente hominum multitudine arcem Vicegradensem, Pragæ novæ mœnibus vicinam expugnant, &c. - - - - - Adfuit & Regina vidua & Boëmorum magna frequentia, Pragæ enim inter factiones induciæ quadrimestres factæ erant. Post solutum Brunnæ conventum Cæsar Vratislaviam Silesiæ urbem profectus est.

Æneas Sylvius Histor. Bohem. cap. 37. „ At hæretici pridie Cal. Julii apud Ecclesiam Carmelitarum (*Pragæ*) convenientes ad ædem S. Stephani Eucharistiam per plurimas plateas atque Ecclesias armati circumtulêre, ibíque domum Sacerdotis suis ineptiis non consentientis diripuêre, & sublato clamore ingenti, furentes prætorium petiêre. Consules undecim metu perculsi fugâ salvati sunt: septem, qui remanserant, & cum his judex urbis, atque alii nonnulli cives raptim intercepti, ex altissimis fenestris in forum præcipitati, lanceis ac verubus irati populi excepti, dirum spectaculum dilaniati præbuêre, stante in foro Joanne Monacho, & Sacrum Christi Corpus sanguinario populo ostentante. Camerarius regni, qui cum trecentis equitibus ad sedandum tumultum accurrerat, ubi furentem plebem animadvertit, de sua vita solicitus, fugâ sibi consuluit. Ea cùm Regi nunciarentur, cunctíque circumstantes attoniti facinus detestarentur: At ego, inquit Pincerna, futura hæc præscieram. Quem Rex indignatus correptum repente ante pedes suos prostravit, & arrepto pugione conatus est interficere: sed impeditus à circumstantibus ægrè illi vitam dimisit. Nec mora, paralysi correptus, ægrotare cœpit, atque infra 18. dies signatis nominibus hæreticorum, quos neci destinaverat, fratrem assiduè vocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, antè vitâ excessit, quàm vocati Principes adessent; cùm regnâsset annis 55. vixisset annis duobus ampliùs. Consueverunt corpora Regum apud Bohemos, priusquam sepelirentur, octo diebus aromatibus condita per sacraria urbis circumferri, plangíque, & sequentibus amicis & Baronibus conclamari. Hoc in Venceslao neglectum, non audente Regina novam ingredi civitatem. Delatum est cadaver ad Ecclesiam S. Viti in arce, & inde ad aulam Regiam (de qua pauló antè meminimus) ibíque conditum in sepulchro, quod ipse sibi delegerat. Sed posteà cùm Monasterium ipsum ab hæreticis diriperetur, & sepulchra Regum effringerentur, cadaveráque abjicerentur, pisciculos quispiam cognomine Musca Venceslao vendere solitus, Regis, quem amaverat, corpus clam collegit, & in loculo apud se domi condidit. Interjecto deinde tempore, rebus in meliorem formam redactis, cùm Venceslai corpus inquireretur, acceptis 20. aureis illud reddidit; túmque circumgestatio ex more facta, & justum Regi funus exhibitum.

Cap. 38. „ Recens obiêrat Venceslaus, cùm Joannes Zischa nobilis genere, ex loco, cui Trosnovia nomen, censu tenui, in curia Regis à puero enutritus, & bellis exercitatus, uno carens oculo, quem strenuè pugnans jam pridem amiserat, infectus Hussitarum venenô, & rapinarum avidus, collecta perditorum hominum multitudine, in Ecclesias, quæ restabant, impetum fecit, simulachra Sanctorum, & imagines Magni Dei perfregit: Monasterium Carthusiensium Pragæ vicinum invasit, & direptum incendit: Monachos ejus ordinis tanquam populo inutiles, qui veluti sues in claustro saginarentur, migrare aliò jussit. Venerunt per idem tempus ex montibus Pragam 400. circiter viri cum mulieribus leprâ Hussitarum infecti, atque in foro sedentes, cibum ex Magistratibus petiêre. Consulatus metu plebis, quæ advenarum miserebatur, cibaria eis publicitus ministravit. Zischa hos sibi adjunxit, & arcem Vissegradensem, quæ negligenter custodiebatur, invadere cupiens, ad locum, quem Cruces appellant, profectus est. Ibi supra quadraginta millia virorum ex hæreticis convenêre. Qui suam multitudinem conspicati, animum ad omne facinus audacem sumpsêre. Multa ibi adversùs Sigismundum

„ dum Cæſarem, quem regni hæredem ſuis „ conatibus infenſum nôrant, excogitata atque decreta.

„ Exîn Ziſcha duce Coranda (de quo „ ſuprà meminimus) Pelzinam (*Pilſen*) ubi „ complures eſſe ſuæ factionis amicos non „ ignorabat, raptim contendit, eámque urbem in poteſtatem receptam validô præſidiô muniît: qui apud Cruces remanſerant, „ arcem Viſſegradenſem invasêre. Sophia „ interim anxia, quo ſe pacto tueretur, crebris nunciis ac literis Sigismundum vocare, „ vicinorum auxilia petere, atque in omnes „ partes mentem dirigere. Sigismundum „ malô uſum conſiliô, in Turcas, qui ſe jam „ pridem caſtris exuerant, arma priùs movere, „ quàm Bohemiam petere, libido inceſſit. „ Quòd ſi mox exercitum Pragam duxiſſet, „ antequam vires hæreticorum convaluiſſent, „ (*al. coaluiſſent*) nunquam ea incendia, quæ „ poſtea vidimus, Germaniam exuſſiſſent. At „ dum ille Turcas laceſſere parat, Bohemiam „ amiſit, & Hungariam non defendit. Eapropter, cùm ſerum eſſet ejus auxilium, „ Regina cum Cenchone Wartenbergenſi „ regnum gubernans, ex theſauro Regio copias comparavit: arcem Pragenſem, & minorem civitatem, quæ arci adjacet, præſidiô firmavit: ponti Multaviæ, ne tranſitus „ illac eſſet hæreticis, ligneas turres ac januas „ adjecit. At illi paſſim per regnum conventus agitare, ſolicitare populos, hos minis terrere, illos blanditiis allicere, implere „ Novam Civitatem ſuis hominibus, dies noctésque conſultare, quibus modis ſummam „ ſibi rerum acquirerent. Cum quibus Petrus Sterembergicus apud inſulam Benedicti „ confligens, æquo Marte prælium diremit. „ In Praga aucta hæreticorum colluvie, pro „ ponte pugnatum, multísque utrinque cadentibus, pons denique in poteſtatem Huſſitarum factus, & pars declivior Pragæ minoris: fideles in altiorem ſeſe partem receperunt, atque inde converſi acribus animis „ inſtauravêre certamen. Pugnatum eſt die „ noctúque continuis quinque diebus ſæviſſimis ac crudelibus auſibus: multi utrinque „ cæſi, magnificæ domus exuſtæ, prætorium „ infimô locô ſitum, incenſum atque deletum.

Cap. 39. „ Cùm hic eſſet rerum ſtatus, „ Legati Sigismundi ſupervenêre, qui regni „ gubernationem accipientes cum civitate „ Pragenſi ea lege inducias fecêre; ut arce „ Viſſegradenſi reddita, liceret civibus ad „ Sigismundum oratores mittere, déque re „ ſua cum eo tranſigere: Ziſcha Pelzinam, Pieſtam, & alia quæ occupaverat loca reſtitueret. Conditionibus acceptis atque completis, externi hæretici urbem reliquêre: „ Conſulatus ex priſco more gubernationem „ iniît, quietior reddita civitas: non tamen „ Catholici, qui exceſſerant, redire auſi. Expectabant enim Sigismundi adventum, cujus præſentiâ ſeſe tutos fore arbitrabantur. „ Sed interrupêre ſpem omnem litteræ ab eo „ miſſæ, in quibus ſcriptum erat, ipſum brevì „ venturum, regnúmque eo modo gubernaturum, quo pater Carolus provinciam gubernâſſet. Quibus ex verbis intellexerunt „ hæretici ſectam ſuam excluſum iri, quæ regnante Carolo nondum ortum habuiſſet: „ proinde magis ac magis indignari. Sigismundus autem ad feſtum Nativitatis Dominicæ Brunnam, quod eſt Moraviæ „ oppidum, petiît: ibíque Pragenſibus veniam petentibus ea lege pepercit, ut catenas & repagula tota ex urbe deponerent, „ ſuóſque Magiſtratus acciperent. Paruit attonita civitas; cùm primores regni elevatis „ in cœlum manibus adventum novi Regis „ gratulabundi expoſcerent, ejúſque rectores „ ſine controverſia reliquæ urbes admitterent. „ Nec dubium videbatur, quin totâ Bohemiâ „ Huſſitarum labes exceſſiſſet, ſi ex Brunna „ Sigismundus rectâ ſe Pragam contuliſſet. „ Sed divertit ille (ùt fortaſſis in fatis erat) „ Vratislaviámque Sleſiæ caput acceſſit. Quo „ in loco populus urbanus non diu antea Conſulatum à Venceslao fratre ſuo conſtitutum „ per ſeditionem obtruncaverat, cujus ſceleris authores ſecuri percuſſit. Quod ubi „ Pragæ renunciatum eſt, diffiſi de venia cives, exemplum Vratislavienſium veriti, manifeſtò deſciverunt, & allecto præmiis Cenchone, qui arci Pragenſi præerat, in totum „ regnum literas dedêre: Ne quiſpiam Sigismundo aditum præberet, qui Dalmaticæ „ linguæ hoſtis eſſet: nec aliâ curâ teneretur, „ quàm regni perdendi; qui antiquam Prutenorum civitatem (*al. Marchiam novam Prutenorum*) Ordini jure pignoris obligâſſet, „ Brandenburgenſem autem à Corona Bohemica alienâſſet, Joannem ac Hieronymum „ in Conſtantienſi Concilio cremari non ſolùm permiſiſſet, verùm etiam procurâſſet, „ dogmata fidei, quæ ipſi ſequerentur, totis „ conatibus impugnaret. „ Hæc Sylvius.

Dubravius lib. 23. prope finem. „ In „ tantum autem Huſſitarum factio Pragæ contra Senatum invaluerat, ut quod dici ſolet, „ ubi res præpoſterè geritur, plauſtrum ibi „ bovem traheret, adeo videlicet imbecilla „ erat Senatûs authoritas, & valentiſſima populi audacia: cujus audax Apoſtata ſignifer

T „ fuit,

„ fuit, signum calicis per vicos & plateas præferens, turbámque antegrediens, & interim observans calicis contemptores aut irrisores. Venerat id temporis Pragam Zisco, malum patriæ fatale, sed hactenus bene reconditum, ne malè facere posset. Natus in Boiemia, loco quidem equestri, sed re & censu tenui, quales non facilè emergunt, nisi omnes difficultates audacter superaverint, juxta illud dictum: Aude aliquid, si vis esse aliquid. Is Zisco, quod monoculus sonat, cùm in Nova civitate apud hospitem divertisset anxium & sollicitum, causam præsentis curæ ejus interrogat. Illo respondente, Jussi, inquit, sumus arma, quæ habemus, omnia in arcem ad Regem deferre: si jussa facimus, præsidiô domesticô in seditione intestina nos nudamus; sin imperium detrectamus, veremur, ne armatos Regios in nos concitemus. Ad hæc Zisco: bonum habe animum hospes, adest mihi consilium ad liberandum vos cura ista, si unusquisque vestrûm arma induerit sua, séque Regi coràm in armis repræsentaverit, non audebit ille postulare, ut arma exuatis, sed gratus præterea erit, ut armati inde quamprimum discedatis.

„ Atque ita res cecidit, eadémque Zisconem Pragensibus mirificè commendavit, ad omnem occasionem bene de illis merendi intentum. Incedebat apostata, de quo statim dictum est (*Joannes*) cum pompa sacrorum per forum juxta domum prætoriam, in cujus vestibulo Accensus prætoris sedebat, calici non assurgens, neque caput denudans: quod ubi animadvertit Zisco, comprehendi Accensum jubet, fugam ille in domum cœptat, sed in vestibulo adhuc corripitur. Adest confestim Nicolaus Prætor, rogátque quid sibi velit hic impetus? hæc vis? an se, an præsentem Senatum non habeant? ad quem sine tumultu querimonias deferant? At illi Prætorem per contumeliam Germanum appellant, calicísque osorem, & unà cum Accenso multis ibidem vulneribus confodiunt. Irrumpunt deinde in curiam, & ceteris quoque Senatoribus manus injiciunt, deorsum illos de fenestris præcipitantes, gladiísque & pilis, atque telis excipientes. Pulsô inde regni etiam Camerariô, qui cum trecentis equitibus ad comprimendum motum accurrerat. Prandebat tunc Rex, cùm ei tam atrocis rei nuncius de improviso supervenit, ad quem ille consternatus à mensa surgebat. Ibi adstans Prægustator; triduò, inquit, antè hoc ego futurum esse sciebam. Arripit per capillos Prægustatorem Rex, illúmque ante pedes suos prosternit, pugione occisurus, tanquam tanti facinoris conscium. Qui circumsteterant, ægrè pugionem extorserunt, admonentes, ne cæde administri Rex majestatem suam coinquinaret. Qui statim apoplexiâ inter manus adhuc illorum tangitur, & non post multos dies moritur. Corpori ne Hussitæ illuderent, Sophia Regina clam illud noctu sine ullo exequiarum honore in Aula-Regia, quemadmodum superstes exoptabat, sepeliendum curavit. Nam reliquis Monasteriis cultu & splendore Aula-Regia anteibat. „

Lib. 24. „ Interregnum sequitur, quod impia facta, è religione læsa impiè profecta, & plusquam civilia bella continet, qualia videlicet Gigantea fuisse feruntur, in quibus non cum hominibus modò, verùm etiam cum diis, eorúmque sedibus pugnabatur. Vix enim in hunc diem Monasterium paulò nobilius integrum in Boiemia invenias, cùm tot & tanta, támque magnificè extructa & adornata habuerit, ut cum quovis regno de splendore & multitudine illorum certare potuerit. - - - - - - - - Ab obitu statim Venceslai, cùm jam Hus & Hieronymus exusti essent, Concilium Constantiense literas hortatorias ad Boiemos scripserat, ut schismate impio tandem posito ad unam veram Catholicam redirent Ecclesiam. Quibus acceptis non Boiemi soli, sed cum illis Moravi quoque Pragam conveniunt, ac de communi consilio totius factionis, ad quam multi jam Procerum nomina dederant, concilio respondent contumeliosè, quasi injustô judiciô viros insontes, dum Monachis accusatoribus & testibus gratificatur, condemnâsset in magnum Boiemorum contemptum, cujus tam properè oblivisci nequeant. „

„ Facta Monachorum inter Hussitas mentione, ruit turba incondita & temulenta in Monasteria Prædicatorum & Carthusiensium, quos utrosque velut præcipuos ipsius Hus delatores suspectos habuit, bona Monasterii rapuit, Monachos tundit, ædificia sternit, postremò utrisque ignem subjicit. Ac mox vertit impetum in Templa, ritum Romanum in omnibus ceremoniis retinentia, in quibus nudat Altaria, confringit organa, delet imagines, pellit foras pastores, & in locum illorum fures & latrones substituit.

„ Transtulerat se Regina Sophia de arce Vicegradensi in arcem Divi Venceslai à tumultibus plebejis aliquantò sedatiorem, quia „ mino-

„ minoris Pragæ oppidani huic arci subjecti, „ haud dum consilia sua cum Veteri & Nova „ Praga consociaverant, sed antiquam mor- „ dicus tenebant religionem. Ut igitur cum „ ipsa Regina illi quoque magìs in tuto ab „ hostili insultu essent, suasore Udalrico Ro- „ sense, præsidia locis idoneis imponuntur, „ ut ad Templum Divi Thomæ, ad domum „ Archi-Episcopi, ad domúmque Saxonum, „ cùm fortè Pragenses à Calixtinis invitati, „ rursus ad montem secederent, quò maxima „ hominum multitudo convenerat, qui de- „ inde omnes Thaboritæ cognominati sunt, „ ii quasi Pragensium vicem dolerent, quòd „ liberè domi calicem attrectare non aude- „ rent, obsessi à duabus arcibus Regiis capiti „ illorum impendentibus, ad demoliendas il- „ las, simúlque tollendum in Boiemia Regi- „ um nomen, & pro illo statum popularem „ constituendum, ut tandem verè liberi sint, „ operam suam pollicentur. Talibus ver- „ bis persuasi, redeunt cum Thaboritis „ Pragam, ductoréque Nicolao Husentio ar- „ cem Vicegradum majore vi adoriuntur, „ quàm ut præsidium Regium ei posset resi- „ stere, qua per deditionem recepta, ad Mi- „ norem Pragam oppugnandam, Ziscone præ- „ terea sibi adjuncto convertuntur. Domus „ Saxonum, quæ pontem tutabatur, aditúm- „ que prohibebat, impetum illorum prima „ excepit, diúque illum sustinuit ope bom- „ bardarum, quod genus machinarum, ùt „ novum, ita terribile, ac omnium maximè „ exitiabile apparuit. Ejus metu oppugna- „ tione in noctem dilata, per quam tela certo „ ictu dirigi non poterant, Thaboritæ pro- „ piùs domum accedentes, pugnam cominus „ gladiis conferunt, evadúntque, sed non „ absque suorum sanguine, superiores.

„ Eadem fortuna ad Templum & ad do- „ mum Archi-Episcopi fuit, cædibus omnia „ fœdans, donec utrumque præsidium diffi- „ paretur, & quæ cuique patebat ad arcem „ via, confugeret. Regina casu suorum „ territa, arcíque diffisa, inde se cum Udal- „ rico ad loca securiora subducit. Instant „ Thaboritæ contendere, diéque noctúque „ pugnare, ut arce potiantur, sed feliciore „ defensorum contentione ab illa retrò in „ Minorem Pragam repelluntur, quam deinde „ utrique maximis incommodis affligunt, dum „ pro possessione ejus acerbissimè certant, Si- „ gismundo occultè subsidia arci submittente. „ Interventu tandem Procerum nonnullorum „ tantæ cladi domesticæ graviter indolenti- „ um, factæ sunt ad quatuor menses inter „ Præfectos arcis & Pragenses induciæ in hanc „ legem, ut ne Præfecti communionem utri- „ usque speciei interturbent, atque è diverso „ Pragenses, ne Sacerdotes veterem ritum ob- „ servantes suis sedibus, néve Monachos & „ Sanctimoniales Monasteriis expellant, & „ inprimis, ut Vicegradum restituant. Quo „ facto Pragæ rixandi, mutuísque cædibus „ sæviendi pausa aliquantisper fuit, sed forìs „ Thaboritæ nullam intercapedinem nocendi „ faciebant, nec ulla ipsi invicem quiete per- „ fruebantur. Montanis præcipuè, quorum „ maximus numerus in montibus Cuthnis me- „ talla mercede fodiebant, illis venatorum „ more insultantibus, dum omnibus viis eos „ indagant, captant, captósque in altos pu- „ teos conjiciunt, brevi tempore ampliùs „ mille sexcentos.

„ Antequam igitur induciæ prætervola- „ rent, dat Sigismundus Cæsar è Constantia „ ad omnes in Boiemia Ordines literas, ut in „ Moravia Brunæ in conspectu suo appareant: „ nondum enim maturum videbatur, ut in „ Boiemiam ad capessendum regnum iret. „ Conveniunt tam multi, ut vix ullo alio „ tempore Brunna tot hospitibus completa „ fuerit. Aderat & Sophia Regina. Pragen- „ ses seorsum ab aliis urbem ingressi sunt, ut „ paràm tempestivam ambitionem, Domino „ suo præsente, tubis, fistulis, tympanis præ- „ cedentibus ostenderent: sequebantur Sa- „ cerdotes prævaricatione insignes, ad quo- „ rum adventum Sacris in omnibus Templis „ à Legato Romani Pontificis interdicitur; „ nihilominus illi in diversoriis suis orgia „ concelebrant, calicem aliter, quàm conve- „ nit, propinant, donec mitterentur, qui di- „ cerent, non idcirco evocatos esse, ut ex „ domibus profanis nova Templa constituant, „ Sacráque in illis sua peragant, quæ nisi fa- „ cere intermiserint, audituros statim tale ali- „ quid, quale vetus sonat hoc proverbium: „ Foras canes, non ampliùs Antistheria. Ter- „ tio die Pragenses ad Sigismundum admissi, „ fausta omnia, ùt Domino suo, precantur, „ sibíque gratiam ejus & favorem multis ver- „ bis conciliare student, vocántque ad regni „ possessionem accipiendam ut Pragam veniat. „ Dein queribundi mortem ipsius Hus deplo- „ rant, querentes indignissimô suppliciô de „ medio cum ipso Hieronymo sublatum esse. „ Postremò, communionem utriusque speciei „ super cetera Sacramenta extollunt. Sigis- „ mundus, qui in ore habere solebat: Nescit „ regnare, qui nescit dissimulare, læta facie „ renidens: Supersedete istis, inquit, chari „ Boiemi, nihil ad rem in præsens pertinen- „ tibus, quæ non hìc Brunnæ, sed potiùs

„ Constantiæ dicenda erant, ubi Concilium „ adfuit, quod vobis respondere ad querelas „ istas poterat: ceterùm, quod ad regni successionem attinet, satis ad tempus veniam, „ illámque jure meo capiam. Interim jubeo, „ ut columnas, ut catenas, & alia platearum „ vincula atque impedimenta de vicis omnibus auferatis, útque ab injuriis Monachis „ & Monasteriis inferendis abstineatis. Quæ „ ubi se facturos receperunt, commutatis quibusdam in Boiemia Magistratibus, & pro „ Hussitis rursum in locum repositis, qui Romanam colebant Religionem, flexit hinc „ iter in Slesiam, Vratislavienses invisurus. „ Erat ibi civis quispiam Pragensis rerum suarum satagens, quarum causâ Vratislaviam „ venerat: is apud Legatum Romani Pontificis, tanquam Hussita, & Concilii Constantiensis calumniator delatus pertrahitur „ ad causæ dictionem. Fatetur ille, discipulum se esse ipsius Hus, disciplinámque ejus „ vehementer approbare, nec ullo mortis supplicio adduci posse, ut Hussita esse desinat, „ traditur carnificibus, & cum majore Sigismundi, quàm Legati invidia, equis per civitatem tractus ad rogum comburendus deducitur. Inde continuò deliberari cœptum, „ quomodo Sigismundus militiam, quam vulgò vocant Cruciatam, adversùs tam pertinaces Boiemos excitaret, conflarétque. „ Nova interim insania Thaboritas invasit, „ prævaricatoribus stupidos illorum animos „ falsâ doctrinâ infatuantibus, quasi jam ultimus immineret dies impiis ad interitum, „ piis autem, quales ipsi se esse fingebant, ad „ salutem. Salvari autem non posse, nè pios „ quidem, nisi in quinque civitatibus, nominabántque civitates, Pelsinam, Launam, „ Slanam, Glatoviam, Zatium; Primam Solem, alteram Lunam, tertiam Stellam, quartam Auroram, quintam Segor cognominabant: ceteras verò omnes cum vicis, pagis, „ arcibus, hiatu terræ pessumituras, denunciabant. Ad quam denunciationem mirificus ex Boiemia Moraviáque virorum & „ mulierum cum liberis concursus in illas civitates fuit; aliis ultro bona sua donantibus, aliis vili pretio distrahentibus, certásque res pro vanissima spe permutantibus, „ ut quæ plerosque eò perduxit, ut ad extremum propter famem & sitim, rerúmque „ omnium inopiam viribus ac vita deficerent. Hucusque Dubravius.

[4.] Gerardus ubi suprà ferè ad literam. Item Æneas Sylvius & Dubravius sub priori n. relati.

[5.] Item Dubravius ibidem.

[6.] Gerard. de Roó cit. loco exscriptus. Item Dubravius.

[7.] Gerardus ibidem ad literam.

Lazius in Genealog. Austriaca lib. 2.

Cuspinianus in Austria sub Alberto V.

Piespordius rejicit has nuptias in ann. 22. inquiens: „ Elisabeth Lucemburgica unica „ Sigismundi filia, nupta Alberto V. Austriaco, annô 1422. eidem ad Ungariæ & Boemiæ regna aditum dedit.„

[8.] Ex Autographis ipsius.

Annus Christi MCCCCXX. Monasterii CCLXXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

PElzinâ ab Hussitis astu captâ, tumultibus in Bohemia plena erant omnia, & Czenco Wartembergicus Divi Wenceslai arcem, cui præerat, Hussiticæ factionis civibus tradidit. Mox facti pœnitentiâ ductus exoratâ per litteras veniâ submissis à Cæsare Legatis eandem restituit. Cæsar verò collecto per Silesiam milite & auxiliis convocatis Bohemiam ingressus Cuthnam primùm duxit, ubi arcem à Pragensibus obsessam esse audiens eò accurrit, ac ferrô viâ apertâ commeatum suis jam fame propè confectis invehit, atque ut Pragenses ab oppugnatione arcis averteret, urbem eorum obsidet. Erant in ipsis castris Albertus Saxoniæ, & Fridericus Brandenburgicus Marchio. Albertus item Austriacus cum quatuor equitum millibus, qui toto eo bello egregiam socero operam navabat. Tenuit ea obsidio ad sex ferè septimanas, neque ad rei summam aliquid tentabatur. Pragenses enim ab oppugnanda arce ad suarum

rum quoque rerum defensionem conversi pro aris & focis pugnabant, strenuè ipsos juvantibus Thaboritis, magnáque hominum multitudine indies cum armis confluente. Itâ tandem Cæsar post aliquot pugnas non satis feliciter tentatas hoc obtinuit, ut pactis induciis arcem ingressus coronam regni susciperet, quo facto æquiores in se Bohemorum animos fore sperabat. Cùm verò præter spem nihil eos de pervicacia sua remittere videret, relictâ Pragâ Cuthnam rediît fortunæ cedens. *[1.] Albertus quoque in Austriam reversus quæstionem de Judæis quibusdam instituit, qui Sacrum Eucharistiæ panem impiis manibus temerè violâsse convicti flammis ultricibus exusti sunt. [2.] Locus, ubi hæc contigêre, à Gerardo non exprimitur, nec alibi quicquam de Judæis ejusmodi hoc tempore reperi.

Fit demum mentio hoc anno pridie festi Conversionis S. Pauli Friderici Abbatis in Zwetl, unde adhuc vixisse probatur. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerard. de Roó lib. 4. „ Pelsinam deinde civitatem astu capit. (*Zisca*) „ Inter hæc Pragæ quoque tumultibus plena „ erant omnia &c. *ut in litera textûs nostri.*

Æneas Sylvius c. 42. „ Sigismundus interea convocatis Slesiæ Ducibus ingressus „ Bohemiam, Græcium, exinde Cuthnam infesto exercitu petit. Cenchonem, ut arcem Pragensem sibi reddat, magnis sponsionibus allicit, equitum quatuor millia, „ qui urbem lacessant, ibidem collocat. Cencho bina proditione insignis domum revertitur: Pragenses Zischam accersunt, qui „ cum Thaboritis nihil moratus, urbem accepit in potestatem. Duo tantùm ex Baronibus Hilco Cruffina Lituburgensis, & „ Hilco Valdesteinensis, ac pauci nobiles „ Pragensium signa sequebantur: reliqua multitudo ex plebe collecta. His primum studium fuit arcem oppugnare. Locus ipse „ naturâ munitus non aliter quàm fame vinci „ posse apparebat. Clausi aditus, ne quid „ commeatûs importaretur. Sigismundus „ ferrô iter aperuit, obsessísque necessaria „ præbuit, nec diu postea civitatem ipsam „ accersitis ex Imperio auxiliis obsidere decrevit. Fuerunt in castris ejus Saxoniæ Duces, Marchionésque Brandenburgenses, & „ gener ejus Albertus Austriæ Princeps. Oppugnata est civitas sex hebdomadibus. Ipse „ verò Sigismundus in æde Metropolitica, „ quæ in arce sita est, regni coronam accepit. Conradus natione Westphalus Archi-Episcopus, qui postea in hæresim prolapsus „ est, sacris solennibus ritè peractis, diadema „ ei imposuit. „

Spondan. ad hunc an. n. 1. „ Annô Christi millesimô quadringentesimô vigesimô, „ Indictione decima tertia, Hussitis Boëmis malitiâ & potentiâ crescentibus, Ziska præcipuus eorum Dux civitatem à se Thabor „ nuncupatam, inter duo flumina veluti in „ peninsula arte & natura munitissimam construxit, atque ornavit. Nam & comites „ ejus Fratres Thaboritæ appellabantur, tanquam cum tribus Apostolis Salvatoris Christi transfigurationem in monte vidissent, „ indéque suas opiniones mutuati essent, „ quas fidei veritates appellabant. Quamquam enim Thabor sic vocatam Bonfinius à „ castris velit, quòd Hungaricè, Tabor, castra „ significet, & tutissimum id hæreticorum asylum Ziska esse voluerit: prior tamen significatio magis apta est. Vocatus à Pragensibus in auxilium contra Sigismundum civitatem obsidentem (qui interim in æde Metropolitica, quæ in arce sita erat, coronam „ accepit regni Boëmiæ per manus Conradi „ Archi-Episcopi, qui adhuc catholicè vivens, „ postea in hæresim prolapsus est) postquam „ Rex obsidione soluta abiît, cùm omnia dirueret sacra, profanáque celebriora loca, „ objurgatus à Pragensibus, quibus servandum „ ædificiorum decus videbatur: orta dissensione reversus est ad suos Thaboritas, multáque fidelium loca expugnavit; & quodam oppido viros ac mulieres cum pueris „ & infantibus, cunctósque loci Sacerdotes „ in Ecclesia conclusos immisso igne combussit. Alii quemdam è Proceribus Catholicis captum, humíque prostratum flagellis „ rusticanis in modum manipuli flagellârunt, „ ad singulos ictus vociferantes: Non ultrà „ insultabis Hussitis: posteáque manibus truncatum flammis exusserunt. - - - Narrátque - - „ Krantzius Judæos quoque per Bavariam „ arma pecuniásque subministrâsse Boëmis, „ quò promptiùs infestarent Catholicos: sed „ Fridericum Ducem re comperta Judæos „ omnes captos misisse in carcerem, rebúsque „ exutos

„ exutos docuisse alienis malis non gaudere, „ nec insultare Christianis. „

Cuspinian. in Sigismundo. „ Convocatis „ Slesiæ Ducibus, Sigismundus Bohemiam ingressus, Græcium & Cuthnam hostili exercitu „ petit. Præfecto arcis Pragensis ab schismaticis „ obsesso suppetias fert igne obsidionem dissolvens. Accersitis deinde ex Imperio auxiliis „ à Saxoniæ Duce, Brandeburgensi Marchione, „ & genero suo Alberto Duce Austriæ brevì „ obsessa civitas expugnata est. Ipse dehinc „ à Conrado Westphalo Archi-Episcopo Pragensi, ceremoniis solennibus (ùt Boëmiæ „ Regem decet) diademate est insignitus, annô humanæ Salutis vigesimô post mille quadringentos, cùm triginta quatuor annis jam „ regno Hungariæ præfuisset. Sigismundus „ dehinc Cuthnam profectus, dimissa obsidione, &c. „

Dubravius fusè ad finem libri 24.

[2.] Gerardus de Roó ubi suprà.

[3.] Ex literarum monumentis.

Ann. Christi MCCCCXXI. Monasterii CCLXXXIII.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Georgius. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

Romanus Pontifex Martinus hoc anno Florentiâ, ubi hactenus sederat, relictâ, Romam profectus est, ut Urbi ac Basilicis & ædibus jam fermè tum vetustate, cùm civili bello collabentibus subvenire posset, atque aliam Urbi faciem novam redintegrare. * [1.]

Idem Summus Pontifex utique requisitus omnia Monasterii Zwetlensis privilegia confirmavit sub dato apud Urbem-Veterem Calendis Junii, annô Pontificatûs sui quartô, nostræ verò Salutis MCCCCXXI. [2.]

Circa hæc tempora Sigismundus editis publicè tabulis, quibus parentis sui Caroli IV. singulare in Austriacos studium & præclara Alberti in se merita recensens, Elisabethæ hæredi filiæ ejus conjugi de Ungariæ, Bohemiæ & Moraviæ possessione cavit, quas unica hæres esset accessura, si absque mascula prole ipse decederet. Quòd si alteram adhuc filiam nasci contigerit, tum Elisabetha, utrum vellet è duobus regnis unà cum Moravia eligens, alterum sorori relinqueret. Datæ Posonii die Dominico ante Michaëlis, Annô 1421. [3.]

Intereà in Bohemia Hussitæ grassabantur Duce Zisca in Monasteria passim impunè, & pro libidine sua quælibet sacra æquè ac prophana demoliebantur, quorum furorem etiam Cisterciensis Ordinis Monasteria sine discrimine sentiebant. De quorum numero unum Menologium Cisterciense refert taliter: „ Quintô Calendas Junii, hoc „ est, vigesimâ octavâ Majii in Monasterio Zedelitzensi passio beatorum Monachorum Cisterciensium, qui ob fidei Catholicæ professionem ab *Hussitis* martyriô affecti, coronam immortalitatis promeruerunt, quibus associati sunt Monachi Carthusiani, qui „ à nostris hospitiô charitativè excepti, „ eodem die, eodem in loco, & eandem ob causam Martyres evolârunt „ in cœlum. „ [4.] Langius id factum esse hoc anno affirmat. [5.] Erant enim Carthusiani præfati Pragâ è Carthusia trans pontem expulsi, nam Hussitæ post sumptum de Joanne & Hieronymo supplicium culpam præcipuam Monachis Carthusianis & Prædicatoribus imputârunt, atque ideo ipsorum Monasteria primùm involârunt, diripuerunt, concremârunt. Zedelitz autem Monasterium Cisterciensis Ordinis ad Cuthnitz montem situm, octo milliaribus à Praga Moraviam versùs distat, filia Waldsassensis Cœnobii. Nec hoc tantùm Cœnobium Hussiticos furores pertulit, sed quoque aliud singularis excellentiæ in ripa Muldaviæ, qua Mosa fluvius

fluvius illi jungitur, situm, Aula-Regia dictum, in quo Regum corpora condebantur. De cujus laude & eversione Æneas Sylvius quoque scribit. [6.] Menologium autem cædem Monachorum ibidem Cisterciensium anno priori factam unà cum miraculo sic describit: „ Aula-Regia est Cœnobium Ordinis „ Cisterciensis, duobus circiter à civi„ tate Pragensi distans milliaribus, in „ quo ab hostibus fidei Christianæ su„ spensi sunt Monachi in arboribus, quæ „ tiliæ nominantur: & in perpetuam „ rei memoriam arborum rami, in qui„ bus fuêre suspensi, folia ferunt ad in„ star caputiorum, quibus utuntur Ci„ stercienses, ùt testantur multi, qui „ ante paucos annos id viderunt. „ [7.] Hæc Menologium. Ad Zwetlense Monasterium quoque in occidentali plaga extra muros post hospitale pauperum tres arbores similes ante Bohemorum tumultum Annô MDCXVIII. cœptum steterunt, in modum caputiorum ferentes folia ex integro, quas ipse vidi, sed modò excisæ sunt radicitùs, nè hostibus possent fore aliquo emolumento, sicut etiam quercus maximæ & pinus prope mœnia stantes ab ipsis Bohemis sunt dejectæ. Credo ego fruticem aut ramum cum ejusmodi foliorum figura ex Aula-Regia huc translatum eodem in loco plantatum, in has arbores excrevisse. Porro ut de Hussitis plura referam, aliud in Bohemia Monasterium diruerunt Monachis occisis, de quibus sic Menologium: „ Nonô Ca„ lendas Octobris, hoc est, vigesimâ „ tertiâ Septembris. Apud Bohemos „ passio beatorum Monachorum S. Ma„ riæ de Osech Ord. Cist. qui in Con„ fessione fidei constanter persistentes „ ab Hussitis immaniter interempti cum „ palma Martyrii victores ad cœlos evo„ lârunt, „ Meminit Æneas Sylvius quinque Monasteriorum in Pelzinensi territorio per Hussitas combustorum, quæ ait, opibus & structuris insignia fuisse; in Monasterio verò Claronensi, quod munitius fuit, Ziscam posuisse præsidium, ante quod per eundem Ziscam Sigismundus fugatus fertur. [8.] Dubravius etiam commemorat in Bechinensi & Pelsinensi regionibus Thaboritas furiis actos esse, ferrô & igne Templa, castella, arces, Monasteria devastantes, inter quæ Nepomucense (*S. Ord Cisterciensis*) Clodronense, Milewcense, Hradischtinense combusta sunt cum plerisque Monachis, ac multi præterea mortales occisi. [9.] Atque hæc de Hussitis, qui ex nostro quoque Monasterio Zwetlensi post aliquot annos bustum simile fecerunt.

Habetur etiam mentio hoc anno in die Petronillæ Virginis ultimâ nimirum Maji, Friderici Abbatis in Zwetl, unde patet adhuc ipsum Abbatem extitisse. [10.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Martino Papa III. „ Abiens itaque Florentiâ Romam tandem „ pervenit Sabbathô, & per portam Populi „ ingressus, in Cœnobio S. Mariæ de Populo „ pernoctavit. Dominicâ de manè per fo„ rum Columnæ usque ad S. Marcum, deinde „ per viam Pontificiam palliô exceptus ad „ Palatium Vaticanum pervenit, summis ho„ noribus à Senatu, Populóque Romano co„ mitantibus exceptus, multis noctibus equi„ tatus facibus accensis inclamabat frequen„ ter: Vivat Papa Martinus. Passim effusa „ obviam omni urbana multitudine, effusis „ Principibus tantæ urbis, qui hominem non „ secus, ac quoddam salutare sidus, vel uni„ cum patriæ parentem expectabant. Diem „ illum in fastis adnotavêre Romani, decimô „ Kalendas Octobris annô Domini 1421. Ur„ bem Romam adeò diruptam, & vastatam „ invenit, ut nulla civitatis facies in ea vide„ retur. Collabentes vidisses domos, colla„ psa Templa, desertos vicos, cœnosam & obli„ tam urbem, laborantémque rerum omnium „ caritate & inopia. Quid plura? nulla ur„ bis facies, nullum urbanitatis indicium in „ ea videbatur; dixisses omnes cives, aut in„ quilinos esse, aut extremam omnium fæ„ cem eò commigrâsse. Civium itaque suo-

„ rum calamitate permotus optimus Pontifex, „ animum ad exornandam civitatem, componendósque civium mores ita adjecit, ut „ brevì convalescens meliorem faciem præ se „ tulerit. Hanc ob rem civitas ipsa eum non „ modò Summum Pontificem, verùm etiam „ patriæ parentem appellavit. „

Spondanus ad ann. præced. n. 9 „ Martinus recuperatâ per deditionem Bentivoli „ Bononiâ; cùm ex cantilenis puerorum „ Florentinorum passim dicentium suâ linguâ „ rythmicè: Papa Martino, non val un quatrino; hoc est, Papa Martinus non valet „ unum quadrantem; existimaret hoc à pueris „ non ex se ipsis, sed impulsu hominum malevolorum concini: inde nonnihil in Florentinos commotus; demotus ea opinione „ fuit per Leonardum Aretinum Secretarium „ suum, quanta ei prospera Florentiæ contigissent enarrantem, quæ non facilè alio loco consequi potuisset. Rebus igitur pro „ tempore pacatis, Romam petere constituens, in munus incolatûs sui plusquam annui, civitati id supplicanti concessit, ut Ecclesia Florentiæ ex Episcopali promoveretur „ in Metropolitanam, addictis tunc ei Fesulana & Pistoriensi tantùm, ùt Antoninus „ habet; cùm Platina etiam Volaterranam „ adjiciat. Recedens autem Florentiâ mense „ Septembri, Romæ non secus ac quoddam „ salutare sidus (ùt idem Platina refert) vel „ unicus patriæ parens receptus est, &c. „ ùt suprà Ciaconius paulò aliis, & pluribus verbis refert.

[2.] Ex Bulla ipsius.

[3.] Gerardus de Roó lib. 4. ad literam.

[4.] Menologium Cisterciense authore P. Henriquez 28. Maji.

[5.] Paulus Langius in Chron. Citizensi. „ Annô Domini 1421. Hussitæ rursus in furiam „ versi, circumpositas fidelium terras igne & „ ferro vastaverunt, & etiam in ipsa Bohemia „ Catholicos Laicos & Religiosos eâdem vesaniâ exturbârunt, eorum prædia, villas, „ oppida, & Monasteria flammâ & gladiô „ destruentes. Qua tempestate Carthusiam „ trans pontem subverterunt. Item circa „ Pentecostes festum obtinuerunt montem „ Cuthnitz, & honorabile Cœnobium Ordinis Cisterciensis ibidem Sedelitz nuncupatum funditùs diruerunt: in quo quidam „ Carthusienses præfati Monasterii expulsi fuerant recepti ad tempus ùt hospites. Quapropter Hussitæ excandescentes ipsos Monachos receptores cum omnibus interfecêre „ Carthusiensibus. Eodem etiam anno præfati hæretici oppidum Belyn cum castro, „ quod fuerat de dominio Comitis Alberti „ de Colditz, & Monasterium Osseck sub castro Rosenberg combusserunt, & Monachos „ Ordinis Cisterciensis in eodem Deo militantes occiderunt. Et eodem impetu Brux „ oppidum fidelium expugnare machinabantur. Sed Marchiones Misnenses Fridericus „ & Wilhelmus id audientes, & exinde terris suis malum timentes, collecta armatorum multitudine contra eos processerunt, „ & congressione facta duo millia Hussitarum „ interfecerunt, ceterósque omnes in fugam „ turpem verterunt. Ex parte autem Misnensium vix quinquaginta occubuerunt. „

[6.] Æneas Sylvius suprà ad ann. 1415. sub n. 8. relatus.

[7.] Menologium Cisterciens. cit. 14. Maji.

[8.] Æneas Sylvius Histor Bohem. c. 44. „ Erant in territorio Pelzinensi complura cœnobia opibus & structuris insignia, ex quibus Zischa quinque combussit. In Monasterio verò Claronensi, quod munitius fuit, „ præsidium posuit. Huc Sigismundus exercitum admovit, Zischâ autem in eum copias ducente, turpi fuga recessit. nec diu „ postea, Bohemiam quoque reliquit. Zischa ad Pelzinam duxit. Sed cùm civitatem egregiè defensam expugnare desperaret, inde solvens Comitaviam petiit, non „ parvi nominis oppidum. Quo vi capto, „ populares cum Sacerdotibus in ædibus ligneis reclusos frustrà veniam petentes exussit. Cùm verò ante oppidum, cui Rabi „ nomen est, convocatis Fratribus Thaboritis & † Orebitis castra teneret, obsessósque summa vi oppugnaret, oculum, quo „ uno lumen cœli videbat, sagittâ confossus „ amisit. Inde Pragam ad Medicos vectus, „ quamvis ex vulnere curatus, vitam retinuit; „ lucem tamen haudquaquam recuperavit. „ Nec propterea castrensem laborem, aut rei „ militaris curam omisit. Cæco populo cæcus placuit ductor: res apud posteros plus „ admirationis habitura quàm fidei. „

† Spondanus ubi suprà n. 4. ex citato Sylvio c. 43 & Cochlæo lib. 5. „ Et ùt est hæresis fæcunda, peperit illa quoque in eadem „ Boëmia aliam factionem, sed diuturniorem „ Orebitarum, qui Thaboritarum æmulatione, sicut ii ex monte Thabor, ubi facta fuit „ Transfiguratio Domini, denominationem „ suam accipere voluerunt; sic isti à monte „ Oreb, in quo legem à Deo Moyses accepit. Fuêre verò ceteris crudelitate nulla „ ex parte inferiores, Catholicos ubique magnis afficientes cladibus Sacerdotes igne „ cre-

„ cremantes, aut nudos rigenti hieme super „ glaciem colligatos dimittentes; quos verò „ parvî æstimarent defectis virilibus abire per- „ mittentes. Adversùs quos (*ùt Æneas c.* „ *52. ait*) Martinus Pontifex nominatim Cru- „ cem decrevit; neque tamen in plures annos „ extirpari potuêre. Cúmque sibi istiusmodi „ homines in montibus complacerent, pro- „ diît & alius non longè pòst Joannes qui- „ dam Roatius (*Æn. c. 52.*) nobili genere, sed „ ingeniô malô & mente pessima; qui inter „ silvas in edito colle castellum exædificavit, „ vocavítque montem Sion, asserens ex eo „ loco veritatem aliquando exituram, quæ „ gentem Boëmicam libertate donaret. „

[9.] Dubravius lib. 24. „ Hæc dum „ Pragæ fiunt, majora iis foris Thaboritæ de- „ signabant, præcipuè in Bechinensi & Pelsi- „ nensi regionibus ferro & igne Templa, ca- „ stella, arces, Monasteria devastantes, inter „ quæ Nepomucense, Cladronense, Milew- „ cense Hradißtiense combusta sunt cum ple- „ risque Monachis, ac multi præterea mor- „ tales occisi. Arx deinde firmissima Rabi „ vocabulô expugnata, in quam multas opes „ vicini congesserant, sperantes tuto se illas „ loco credere, quæ omnia à Thaboritis di- „ repta, & fœdè distracta sunt. Septem in- „ super Monachi, qui depositos ibi Mona- „ steriorum thesauros custodiebant, igne con- „ sumpti fuerunt; subditæ postremò arci quo- „ que faces. „

Item lib. 26. „ Pragenses arcem ingressi, „ solito tunc sibi more in sacra prophanáque „ impetum faciunt; & postremò ignem arci „ subjiciunt. Interea temporis Zisco, Mo- „ nasteriorum vastator & eversor in Pelsinensi „ regione versabatur, ibíque Chotiessoviam, „ & Cladronam, Plassoniam (*vulgò Plass Ord. Cisterciensis*) tria bene peculiata Monasteria „ pulsis inde Regiis præsidiis expugnavit; & „ quartum in oppido Rokyezana evertit &c. „

[10.] Ex litterarum monumentis.

An. Christi MCCCCXXII. Monasterii CCLXXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

ANno isto Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia Viennam adducta est, & nuptiæ solenni ritu celebratæ sunt. *[1.] Interim Bohemi aliquot Proceres ac Senatus Pragensis abdicatô Sigismundô Vitoldum Lituaniæ Ducem per Legatos in regnum vocant, is Coributum patruelem eò misit. Zisca verò hoc ipsorum consilium minimè approbans, nullum potiùs Regem malebat. Móxque arreptis armis per Moraviam prædabundus in Austriæ fines excurrit, cúmque pecora omnia ab incolis in proximam Danubii insulam transportata audivisset, callidô commentô, quos habebat boves & porcos in ripæ marginem adactos verberibus affici jussit, quoad clamore sublato reliquì ex insula ad ipsum tranarent, cum præda domum revertitur. [2.]

Obiît porro anno isto Reimbertus de Walsee Alberti V. Archi-Ducis Austriæ consiliorum director ac aulæ Præfectus & Capitaneus Austriæ Superioris, Vir suum in Principem fide usque ad aras constantissimus & celeberrimus, qui de sanguine Chünringiorum nostrorum Fundatorum descendit, habuit filium sui nominis, qui eidem in officio Austriæ Superioris successit. [3.] Obiît autem in festo Visitationis B. Mariæ, fortè in Monasterio fundationis suæ, seu Majorum suorum dicto Valle-Dei sepultus, unde ipsius obitus constat.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó ad præcedent. annum sub n. 3. relatus.

[2.] Æneas Sylvius lib. 44. „ Per idem „ tempus Castellum Purgellinum, in quo par- „ vum Sigismundi erat præsidium, & quò „ multi Pragenses rectæ fidei cultores cum li- „ beris & uxoribus confugerant, per incuriam „ arsit: qui superfuerunt incendio, Pelzinam „ se

„ se contulêre. His actis nonnulli Bohemorum reguli, & Consulatus Pragensis Legatos ad Vitoldum Lituaniæ Ducem misêre, eúmque sibi Regem asciverunt adversante Zischa, ejúsque factione, qui liberis hominibus Regem habendum esse negabat, & eum potissimè, qui gentium ritu viveret. Vitoldus Sigismundum Coributum cum duobus millibus equitum in Bohemiam misit, qui apud Pragenses magnis exceptus honoribus, civitatem brevì ad meliorem formam redègit: Nobilibus, & qui quietè vivere vellent, blandus atque amicus: in obsidiosos atque facinorosos asperrimus vindex. - - - - - - - - - Ferunt Zischam in Austriam profectum, cùm Agrestes armenta quæque navibus in insulam Danubii transportâssent, vitulos, suésque nonnullos per negligentiam in villis dimissos ad ripam fluminis tamdiu diverberâsse, donec pecus insulam depascens, mugitum, grunitúmque audiens, desideriô similis animantis fluvium transnatavit, eóque modo magnam prædam abactam. „

Dubravius lib. 26. „ Pragenses cum Thaboritis in mutandis novandísque rebus inquieti, de Rege novo deliberant, quem Sigismundo æmulum opponant: major factio in Polonum inclinabat, equestribus copiis potentem, & Sigismundo non valde amicum: contrà Nicolaus Hus cum quibusdam Thaboritis pugnabat, ne extra Boiemiam Rex quæreretur, ignarus consuetudinum regni, ac præcipuè ipsorum Religionis, cujus conservandæ gratiâ alio Rege opus sit. Vicit frequentior numerus, missíque Legati sunt ad Regem Poloniæ, qui regnum præterea Boiemiæ ad illum deferrent. Quibus ille brevibus respondet: Se regno, quod in præsens habebat, contentum esse, utinámque uni illi satisfacere queat. Cæterùm regnô Boiemiæ, quod sciat ab Ecclesia propter hæresin condemnatum esse, nihil se egere. Vadunt illi ad Vitoldum Lithuaniæ Ducem non ita religiosô stomachô præditum, ut regnum propter crudam nonnullorum Religionem concoquere non posset, oblatum illud sibi promptè suscepit, ac protinus cum ipsis Legatis Sigismundum Korybuthum affinem suum ire in Boiemiam ad accipiendam regni possessionem jubet, additis ei delectis equitum turmis. Eum Pragenses & Thaboritarum complures læti excipiunt, gaudentes de equestrium copiarum accessione. Cæterùm Korybuthus, cùm nullos præterea ordines insigniores adesse videret, qui comitiis indictis Vitoldum Regem Boiemiæ declararent, non diu Pragæ moratus est, sed retro, unde venit, abiit. - - - - -

„ In hoc deinde (postquam Pragenses magnam à Misnensibus ad pontem passi essent stragem) omnes Ordines una mente consensêre, ut data fide publica utriusque factionis fautoribus, Moravis quoque accersitis, Czislaviam convenirent, de summa rerum consultaturi; fuítque consultatio ista in Regem contumeliosissima, quasi tam magnanimus Rex, quàm erat Sigismundus, ullâ contumeliâ de statu suo deterreri potuerit. Major tamen Boiemorum pars cum Pragensibus contra eum censuit, ut regnum ei abrogaretur, ac Legati rursus ad Vitoldum mitterentur, qui eum Regem salutarent, & ut in regnum maturè veniat, invitarent, tametsi Moravi extra paucos, indignum sibi videri dicerent, ut fidem Sigismundo, tanquam hæredi datam, mutare, ac se novô Sacramentô Vitoldo, quem nunquam viderint, obligare deberent. Nam Zisco nullum potiùs, quàm aliquem Regem volebat, quòd diceret, nihil opus esse Rege libero populo. Nihilo secius clam submissi, qui in Lithuaniam ad Vitoldum irent, atque ii in via, quâ Oppaviam ambulatur, à Johanne Oppaviensium Duce intercepti, ad Sigismundum abducuntur, qui celeberrimum Principum conventum Norbergæ celebrabat, Legato Romani Pontificis præsente, ac denuo vexillum Crucis contra hæreticos Boiemos erigente. „

[3.] Richardus Struno in Annalibus Austriæ Superioris hoc anno.

An. Christi MCCCCXXIII. Monasterii CCLXXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Georgius.	Fridericus.

CUm Martinus Papa III. incorporationes Ecclesiarum quarumcunque tum à se, tum à suis prædecessoribus factas, nondum autem ad effectum suum dedu-

deductas, certas ob causas revocaret & annullaret, Monasterium Zwetlense à Bonifacio (*Annô 1396.*) Papa IX. quatuor Ecclesiarum Parochialium incorporationem primò factam, deinde (*Annô 1399. ut in I. Tomo videre est*) ab eodem renovatam accepit, nimirum sequentium Ecclesiarum, S. Mariæ in Cistersdorf, S. Ægidii in Schweickers, S. Laurentii in Windigsteig, & S. Joannis Evangelistæ in monte ad Zwetl oppidum, quam ultimam Ecclesiam, quia ad Episcopi Pataviensis collationem jus patronatûs spectabat, & sine ipsius consensu Monasterio nostro incorporata fuerat, ipsemet recepit; alterius verò Ecclesiæ S.Laurentii in Windigsteig incorporatio jam suum fuerat deducta ad effectum, cùm Ulricus Offerl (*Annô 1398.*) ante susceptam Abbatiam de Conventu Zwetlensi Vicarius post ultimi Rectoris ibidem decessum fuerat solenniter à Monasterio institutus. Ecclesiarum igitur in Cistersdorf & Schweickers incorporatio, quia Rectores earundem adhuc in vivis erant, neque sponte de iis cedere cogitabant, nondum ad suum effectum deducta fuit, & sic per Bullam Martini Papæ V. (rectiùs III.) annullata est, quâ omnes incorporationes quomodocunque à se, vel à suis prædecessoribus factas quibuscunque, nondum tamen ad effectum suum deductas sustulit & revocavit. Quapropter Fridericus Abbas egit in Curia Romana apud Pontificem per procuratorem suum, ut dictas duas Ecclesias in Cistersdorf & Schweickers denuò Monasterio suo in Zwetl perpetuò incorporaret, annecteret, uniret. Quod etiam impetravit per Bullam, in qua tum Bonifacii IX. tum suæ revocatoriæ mentionem facit, séque motum Monasterii inopiâ & præsertim vastatione Hussitica, qui hostes Religiosorum omnium per duas dietas à Monasterio tantùm absunt, incorporationem duarum in Cistersdorf & Schweickers Ecclesiarum Parochialium perpetuò Monasterio in Zwetl confirmare modô & formâ, quibus Bonifacius IX. Antecessor suus easdem incorporâsset. Data est Bulla ista Romæ apud Sanctam Mariam-Majorem, 13 Cal. Septembris, Annô Pontificatûs sui sextô, Salutis verò nostræ 1423. * [1.] Notandum, ubi in hac Bulla fit mentio devastationis Hussitarum, intelligendum id esse de deprædatione subditorum, non verò de Monasterii ipsius destructione, quæ post annum unum & alterum primò contigit; nam cùm Archi-Dux Austriæ gener Imperatoris Albertus ipsis Hussitis hostis esset, & bellum unà cum Sigismundo contra eos gereret, hæreticos vicinos Austriæ, ejusdem fines prædandi gratiâ, sæpe transgressos esse, sicut suprà de Zisca quoque retuli.

Zisca ex Austria anno superiori cum præda domum reversus, intestinum in Pragenses, eorúmque socios bellum suscepit, cúmque castra jam ad urbem haberet, Joannes quidam Rochezanus ad ipsum egressus, omnia composuit dissidia, & Zisca cum Pragensibus in gratiam rediit. Cæsar verò hæc percipiens astu Ziscam aggreditur, regni gubernationem, magnósque honores cum peramplo stipendio offerens, quæ dum parantur, Zisca pestilenti vulnere tactus obiit. [2.] Hæc ùt & sequentia Cæsaris cum Bohemis bella, Hussitarúmque rabiem cùm mei instituti non sit exactè omnia persequi, breviter meminisse propter Alberti cum ipso affinitatem, belliique societatem, & propter Monasterii nostri destructionem satis esse duxi, reliqua ex Bohemiæ Scriptoribus peti possunt.

ADDITIONES.

*[1.] Ex Bulla ipsius.

[2.] Gerardus de Roó lib. 4.

[3.] Æneas Sylvius cap. 45. „ Oppi„ dum est Pragensis Ecclesiæ, non longè à „ Pelzina, cui Rochezana est nomen. Ex „ hoc loco puer obscuris parentibus, censúque „ tenuissimo natus, Joannes nomine, Pragam „ venit, mendicatúque victum quærens, Gram„ mati-

„ maticam & Dialecticam didicit. Cùm adoleviſſet, nobilis cujusdam pueri pædagogus factus eſt; & cùm valeret ingeniô, linguáque promptus eſſet, in collegio pauperum receptus, auditor Jacobelli fuit. Poſtremò Presbyter ordinatus, prædicare verbum Dei Pragenſibus cœpit, ex oppido, unde ortum habuit, Rochezanæ cognomen ducens. Et jam nomine & authoritate valebat, cùm Ziſcha Pragam obſideret. Exiit ergo conſentientibus civibus, & in caſtra profectus, civitati Ziſcham conciliavit.

Cap. 46. „ Sigismundus autem, ubi Ziſchæ cuncta ex ſententia cedere animadvertit, & jam illum eſſe unum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentavit, gubernationem ſibi totius regni, militiæ quoque ducatum, & ingens auri pondus quotannis promittens, ſi ſe Regem nominaret, & in verba ſua civitates jurare cogeret; in magnam profectò Regiæ Majeſtatis ignominiam, & Imperialis gloriæ dedecus, atque infamiam Reipubl Chriſtianæ ſempiternam. Sigismundum pluribus regnis Præfectum, ex Imperatoribus natum, & ipſum Imperatorem, cujus nomen Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa venerata eſt, quem barbaræ nationes timuerunt, ſupplicem vidit noſtra ætas homini ex parentibus haud admodum nobilibus nato, ſeni, cæco, hæretico, ſacrilego, & in omne ſcelus audaci, pecuniam & ſummos honores offerre, ut ſuarum eſſe partium dignaretur. Sed avertit Divina pietas eam peſtem, & tantum malum è medio Chriſtianorum eripuit. Nam Ziſcha conditionibus annuens, dum conventa completurus Sigismundum petit, inter eundum apud Caſtellum Priſcoviam, divinitùs (ùt par eſt credere) peſte tactus expiravit: monſtrum deteſtabile, crudele, horrendum, importunum; quod poſtquam manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum, cùm ægrotaret, interrogatum, quonam loco mortuus ſepeliri vellet: juſſiſſe cadaveri ſuo pellem adimi, carnes volucribus ac feris objectari, ex pelle tympanum fieri, eóque duce bella geri; arrepturos fugam hoſtes, quamprimum ejus tympani ſonitum audiverint Thaborenſes, qui reliquas picturas abominantur, Ziſchæ tantummodo, & Angeli cujuspiam calicem manu tenentis effigiem ſupra portam urbis pinxêre, eíque ſacra quotannis agunt. „

Dubravius lib. 26. propiùs à fine. „ Porro Ziſconi, cùm ſciret Brodæ vicinam eſſe Moraviam, iter proſequi in illam placuit, - - - - à pagis & vicis benignè ac ſibi obnoxiè acceptus eſt, donec Cremſirium perveniret, quod Pontifex Olomucenſis præſidiô nobilitatis vicinæ, cujus ſibi fidem jure (ùt vocant) feudi addictam habet, bene firmaverat, ita ut aculeus ferociæ Ziſconis, dum nullo aſſultu oppidum capere poteſt, hactenus retunderetur, ut diceret: Non tam lenem ſibi in Moravia, quàm in Boiemia ſpirare auram; inſcenſóque curru temonem Boiemiam versùs converti juſſit. In qua denuo cum Pragenſibus conjunctus, ſpoliis, ferróque & flammis, ac cædibus cuncta miſcebat inter eos, qui diverſa ab utrisque ſentirent. Quæ ſecum maximo cum animi dolore Sigismundus reputans, ſéque imparem hoſtibus, non uno experimento cognoſcens, ſubire tandem (juxta ſuum proverbium) perticam, quam tranſilire non poterat, ſtatuit, ut levi damno honeſtatis detractæ, ingentem utilitatem patriæ rependeret. Ablegat igitur occultè ad Ziſconem, qui ei mentem ſuam declararent, ſibi in animo videlicet eſſe, poſteaquam mille cotidie Imperii & regni Hungariæ curis diſtineatur, ut Ziſconem pro ſe Vicarium atque adminiſtrum in regno Boiemiæ præficiat, ſi is ad obſequium Regium, ceteros ordines cum civitatibus hactenus contumacibus adigat. Applauſit cyclops tam lauto bolo, ſed hìc demum ſuppuduit fortunam tantùm illi induliſſe, ut nimiâ indulgentiâ ad participatum Regiæ poteſtatis aſpirare ſibi permiſerit, ídque antequam conficeretur, tactum priùs Ziſconem ulcere peſtilenti extinxit, ſed haud inteſtatum. Teſtamentum fuit rebus geſtis dignum, ut Fratres, ſic enim Thaboritas compellabat, poſt mortem ſuam ſibi pellem detraherent in uſum tympani, quo in acie uterentur, ad propellendos ſtrepitu illius hoſtes, præcipuè Germanos: quaſi eadem vis illius foret, quæ fuit Oris Meduſæ, cujus aſpectu homines in lapides vertebantur: corpus verò ſuum ut inſepultum relinquerent volucribus & feris devorandum. „

Annus

An. Christi MCCCCXXIV. Monasterii CCLXXXVI.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Fridericus.

INcorporationem duarum Parochialium Ecclesiarum in Cistersdorf & Schweickers Monasterio nostro Zwetlensi per Martinum III. anno priori factam, hoc anno Dominus Conradus Abbas Altenburgensis Ordinis S. Benedicti executioni dedit, qui à præfato Papa præmissarum suarum super incorporatione datarum litterarum Commissarius nominatus est. Et hoc mandatum Apostolicum Altenburgensis Abbas executus est per Notarium Publicum Nicolaum Petri de Zwetl Clericum Pataviensis Diœcesis instrumentô desuper confectô. Datum & actum in Monasterio Zwetl in cœnaculo Friderici Abbatis ibidem majori, 25. Junii, annô Christi 1424. Pontificatûs verò Martini Papæ V. (*aliàs III.*) septimô, præsentibus testibus DD. Joanne Episcopo Nazoracense, D. Thoma Priore in Altenburg, Joanne Gruppel armigero, Joanne Mülknecht de Moyderantz Presbytero, &c. *[1.] His transactis mox 11. Julii hujus anni Dominus Fridericus Abbas totúsque Monasterii in Zwetl Conventus post obitum Ulrici Perl Ecclesiæ S. Mariæ in Cistersdorf Vicarii ultimi extra Romanam Curiam defuncti, vi Bullæ Martini Papæ V. (*veriùs III.*) elegerunt, deputârunt, & assumpserunt F. Stephanum Grabner Presbyterum Monachum ejusdem Monasterii Professum in Vicarium perpetuum præfatæ Ecclesiæ; eundémque per D. Petrum Gasner Plebanum in Paltendorf in corporalem, realem & actualem possessionem jurium & pertinentiarum omnium dictæ Parochialis Ecclesiæ, ut & tanquam perpetuum Vicarium induxerunt, & plebizanis commendârunt, confectô desuper instrumentô publicô per Notarium Nicolaum Petri de Zwetl Patav. Diœces. Clericum. Acta sunt hæc in loco Capitulari Monasterii Zwetlensis, anno, die & Pontificatu prænotatis, præsentibus D. Joanne Nazarocensi, & Petro Behaimb, Stephano Pickhl, Joanne Gruppel Laicis Patav. Diœces. testibus. [2.]

Georgius Strigoniensis Archi-Episcopus Pataviensis Episcopus, & Imperii Cancellarius, hoc anno Strigonii in Ungaria constitutus, cùm huic Sedi paucis annis præfuisset, ætate jam ad senium vergente febre correptus obiit, funus ex Inferiori Pannonia Viennam, & inde lugubri pompa Pataviam deductum apud S. Stephanum sepulturæ traditum est. [3.] Quo defuncto Leonardus à Layming unà cum Hainrico Flogkelio Decretorum quondam Doctore & Ecclesiæ Pataviensis Decano per discordem electionem à minore tantùm Canonicorum parte nominatus fuit: sed quia major & potior pars neutri suffragari vellet, idcirco Eberhardo Salisburgensi Archi-Episcopo res commissa est, ut is Episcopus esset, quemcunque ille authoritate sua nominaret. Hainricus, quia Albertum Austriæ Ducem clementem promotorem habebat, & Salisburgensem veluti singularem suæ felicitatis fautorem, in spem optimam veniebat, se fore Episcopum. Sed Leonardus per Hainrici Bavariæ Ducis intercessionem à Salisburgensi Antistes Pataviensis declaratus est. [4.] Quem ob eandem declarationem sub titulo Episcopi Pataviensis jam colloco, licèt Canonici sese fortiter opponerent, sententiámque suam retractarent, neque illum pro Episcopo acceptarent. De quo anno sequenti plura.

Redeo ad Bohemos. Ziscâ è vivis

sublatô Thaboritæ, qui Orphanos sese vocabant, duos in ejus locum Præfectos creant, nomen utrique Procopius, alteri Rasus, Minor alteri cognomen fuit. Rasus, quem & Magnum postea vocârunt, primos sub Zisca ordines duxerat, & ab exorto primùm bello Moraviæ à suis præfectus, ut in ea Hussi doctrina propagaretur, operam dederat. Eam verò provinciam Cæsar Alberto genero suo dotis nomine, aut (ùt quidam volunt) quòd ægrè illam à Thaboritarum injuriis defendere posset, donô dederat. [5.] Hæc Gerardus. Dubravius & Æneas Sylvius sectas eorum enumerant tres aut quatuor, qui nimirum exercitus singulares habebant: Thaboritæ antiquum nomen servabant sub Duce suo Procopio Magno Raso, apostata. Orphani ob mortem Ducis Ziscæ nomine novo gaudebant, horum præcipuus erat Procopius ob staturam corporis Minor cognominatus. Orebitæ fratres alii se cognominabant, his ductor erat Bredricus Presbyter Strasmicensis, natione Moravus, apostata, qui bellis assiduis Silesiam affectavit. Et Pragenses suis auspiciis & sub ducibus suis exercitum singularem ducebant. Qui etsi aliquando inter se dissentirent, ubi tamen extrinsecus vis ingruit, junctis viribus in unis castris sese defenderunt. [6.]

Obiît hoc anno Fridericus de Novo-Monte Professus, Abbas Zwetlensis Nonis Octobris. Ità recentior Abbatum Catalogus. Mortilogium autem vult ipsum anno sequenti obiîsse; sic enim post ceteros Monachos defunctos ait: „ Annô Domini &c. 25. Ob. Abbas „ Fridericus in die S. Marci Papæ, re- „ quiescat in pace. „ Quod non consistit; nam instrumentum quoddam publicum in manus meas devenit, in quo Thomæ Abbatis in Zwetl fit mentio, nimirum Annô Domini MCCCCXXV. 1. Septembris. Igitur cùm obiîsse in Abbatia Fridericus constanter asseratur, & hoc à citati Mortilogii Authore in die S. Marci Papæ „ Nonis Octobris, Anni MCCCCXXV. contigisse scribatur, non potuit anno eodem vigesimo quinto Thoma jam abbatizante, sed anno præcedenti nimirum vigesimô quartô Fridericus ex hac vita migrâsse. De die obitûs ipsius etiam convenit Mortilogium alterum commune, ita illum referens: „ Nonis „ Octobris Fridericus Abbas Zwetlen- „ sis, Professus in Novo-Monte, qui rexit „ tempore Hussitarum. Item in Chronico MS. annotatur ipsius obitus, cujus memoria ad Nonas Octobris talis est: „ Obiît Dominus Fridericus quondam „ Abbas Zwetlensis, in Novo-Monte „ Professus. Obiît post annum „ Domini 1424. ante combustionem „ Monasterii. „ [7.] De eodem Abbate Wolfgangus Abbas sequentia commemorat: „ Fridericus 24. Iste ven- „ didit Viennæ domum Maroltinger „ sine Capella & domuncula, quam „ hodie tenemus, & multas vineas Vi- „ ennæ, multásque possessiones alie- „ navit à Monasterio, fecit tamen cum „ consensu Capituli Generalis, maximè „ domum supradictam, nos enim vi- „ dimus Papalia transmissa Visitatori „ S. Crucis pro venditione domûs, „ utrum fuerit tamen necessitatis, igno- „ ratur. Fuit enim hospes & Professus „ in Novo-Monte per Dominum de S. „ Cruce, & per preces Nobilium insti- „ tutus, sicut missivæ, quas vidimus, „ canunt. „ [8.] Hæc Wolfgangus Abbas. Mitiùs fuisset locutus de hospite hoc Friderico Abbate, si Monasterium in tantis debitis constitutum, si grangias devastatas, si ipsum Monasterium in Austriæ tumultu super tutela Alberti V. exorto spoliatum scivisset, nam necessitas fuit, ut quæcunque bona Monasterii distraherentur ad vitam sustentandam, quàm ut Monasterium Fratribus atque adeo Ordine sacro denudatum fuisset relictum, cùm ea tempestate alia non erat spes emergendi. Fuerunt autem usque ad obitum hujus

Abbatis

Abbatis defuncti Monasterii Zwetlensis ab obitu Ulrici Offerl, qui annô Domini MCCCCVIII. in octava Bernardi Abbatis obiît, sequentes: „ F. Thomas Payninger „ in Curia Romana. F. Joannes Matthiæ „ in Ungaria. F. Nycolaus quondam „ Abbas. F. Ulricus in Sytich. F. Ste- „ phanus de Schweickers. F. Joannes „ Smydel in S. Bernardo. F. Joannes „ Grüenbach. F. Christiannus Custos. „ F. Fridericus de Revinga. F. Nicolaus „ Cantor. F. Thomas Rasoris. F. Joan- „ nes Longus de Leubs. F. Wolfgan- „ gus de Ottenhaym. F. Ulricus Heub- „ ler. F. Georgius de Neunburga. F. „ Joannes Rastenvelder. Annô Do- „ mini &c. 25. Ob. Abbas Fridericus in „ die S. Marci Papæ. Requiescat in pa- „ ce. „ [9.] Hæc Mortilogium Monachorum. Ubi ponitur Nicolaus quondam Abbas, intelligendum est de Nicolao Gretzel, qui ante Fridericum ultimus Abbatiam vacuam resignavit, ùt suprà Annô MCCCCX. scripsi. Obiît autem hìc Nicolaus quondam Abbas in Zwetl ejus nominis III. septimô Calendas Octobris, nam Nicolaus I. circa Annum Salutis MCCCLXXXII. in via Curiæ Romanæ mortuus est; Nicolaus II. de S. Cruce resignans Abbatiam Annô MCCCXCII. in domum suam professam rediens, ibidem quoque obiît. [10.] Nicolaus autem III. Gretzel cognomine de civitate Zwetl ante hunc Salutis Annum nimirum MCCCCXXIV. obiît, de quo suprà citata mentio habetur. Friderico igitur Abbate defuncto, & more Ordinis nostri in Capitulo sepulto, institutio novi Abbatis in sequentem annum protracta est, de quo Abbate successore Friderici ibidem faciam mentionem.

ADDITIONES.

* [1.] Ex Autographo & instrumento ipsius Abbatis ac Notarii.

[2.] Ex instrumento publico.

[3. & 4.] Hundius in Metropoli sub Episcopis Pataviensibus in Georgio & Leonardo. „ Interfuit (*Georgius*) annô 1415. Concilio „ Constantiensi, ubi Sigismundo Imperatori „ familiarissimus fuit, à quo Cancellarius Im- „ perii constitutus est: mortuo autem Joanne, „ Strigoniensi Archi-Episcopo, Imperatoris „ beneficiô suffectus est eidem Sedi; cui cùm „ paucis annis præfuisset, ætate jam ad senium „ vergente, febre correptus obiît, funus ex „ Inferiori Pannonia Viennam, & inde lugu- „ bri pompa Pataviam apud S. Stephanum se- „ pulturæ traditum est, annô 1424. in absìde „ ante Altare S. Mauritii extra Chorum.

„ Leonardus à Layming, patre Erasmo „ Laymingero, viro nobili apud Bavaros; „ matre verò Chunegunda de Schonstet na- „ tus, unà cum Henrico &c. „ *ùt in textu nostro, qui exscriptus est.*

[5.] Gerardus de Roó lib. 4. ad litteram.

[6.] Æneas Sylvius cap. 47. „ Zischâ „ mortuô ingens mœror invasit exercitum, „ trepidare, lamentari milites, accusare for- „ tunam, quæ ducem invictum, morti vincen- „ dum dederit. Nec mora, duæ factiones „ exortæ. Altera Procopium Magnum, quem „ Rasum quoque vocavêre, cujúsque suprà „ meminimus, sibi ducem præfecit. Altera „ nullum inveniri posse dictitans, qui jure „ Zischæ succederet, selectis paucis, qui com- „ muni consilio bellum administrarent, sese „ Orphanos appellavêre, inter quos potior „ habitus est Procopius, cognomentô Minor. „ Atque ita Thaboritæ in duos exercitus di- „ visi, alii vetus nomen retinuêre, aliis Or- „ phanorum (ùt diximus) ob mortem ducis, „ inditum nomen. Qui etsi aliquando inter „ se dissentirent, ubi tamen extrinsecus vis „ ingruit, junctis viribus in unis castris sese „ defenderunt. Murô circumdatas urbes, „ nisi necessariorum emendorum gratiâ, per- „ rarò ingredi, cum liberis & uxoribus in ca- „ stris vitam agere: carros quàm plurimos ha- „ bere, his pro vallo uti. Procedentes ad „ pugnam duo ex his cornua facere, in me- „ dio peditatum claudere, alæ equitum extra „ munitiones propè adesse. Ubi congredi „ tempus visum, aurigæ qui cornua duce- „ rent, ad Imperatoris signum, comprehensa „ sensim quà voluerunt hostium parte, or- „ dines quadrigarum contrahere: intercepti „ hostes, quibus sui subvenire non possent, „ partim gladiô à peditatu, partim missilibus „ ab his, qui erant in carris viris ac mulie- „ ribus, necari. Equitatus extra munimenta „ depugnare, quem si fortè hostis oppressisset „ fugientem, mox aperti currus excipere, in-

„ déque velut ex civitate mœnibus cincta defendi, eóque modo victorias quàm plurimas consequi: cùm eam pugnandi peritiam vicinæ gentes ignorarent, & ager ille Septentrionalis latè patens, ad explicandos bigarum quadrigarúmve ordines peridoneus haberetur. Egrediebantur duo exercitus, alter Slesiam, alter Moraviam populabatur, vicinásque regiones assiduis excursionibus infestabant. Theutones, per circuitum habitantes, alios Philistæos, alios Jdumæos, Moabitásque vocabant. Bohemiam, terram promissionis esse dicebant. Cúmque in proximam provinciam exîssent, priùs cum præda depopulatis agris revertebantur, quàm hostis cognovisset adventum.

„ Erat & tertius Exercitus, quem Fratrum Orebitarum appellari diximus. Huic ductor fuit Bredricus presbyter Strasmicensis natione Moravus, qui bellis assiduis Slesiam affectavit. Hîc etiam hodie vivit, & urbem Coloniam appellatam possidet. Qui spreta Religione Christiana, calcatóque Pontificio Jure, uxorem publicè duxit, & illâ mortuâ, alteram ex Polonia superduxit, ex qua filios, suæ nequitiæ sectatores, sustulit. „

Dubravius ad initium libri 27. ubi tamen, nec ullibi aliàs, mentionem facit Orebitarum, fortè quia Dux istorum Moravus, apud quos ille (*Dubravius*) ad Episcopalem Cathedram evectus fuit.

[7.] Chronicon MS. ad Nonas Octobris.

[8.] Wolfgangus Abbas in sua Abbatum serie.

[9.] Mortilogium antiquum Monachorum Zwetlensium.

[10.] Mortilogium in Zwetl antiquum.

An. Christi MCCCCXXV. Monasterii CCLXXXVII.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Thomas.

MArtinus Pontifex Romanus Jubilæum celebravit, multis ad Urbem concurrentibus, quòd pax & tranquillitas universim esset, & magna copia annonæ. * [1.]

Furunt interea in Bohemia Hussitæ, Pelzinámque fortiter rem contra hæreticos gerentem incessanter oppugnant; verùm coacti fame cum ignominia solvunt obsidionem. [2.] At Martinus Pontifex Maximus, ubi armatam hæresim crescere in dies animadvertit, priusquam pestis ampliùs invalesceret, Cardinalem Vintoniensem, natione Anglicum, Regia stirpe natum, in Germaniam proficisci jussit, qui contra Bohemicam labem vicinas gentes in arma conciret: cui & Imperator adjumento fuit. Unde Saxones, Francones, Bavari, Suevi, Rheníque accolæ, atque etiam Austriaci sese contra ipsos armârunt. [3.] Verùm metus & timor hostis adventantis, tantos exercitus tot populorum, non viso adhuc hoste, in fugam effusam convertit, Cardinale frustrà fugientes ad reditum adhortante, qui & ipse fugæ comes deinde fieri coactus est.

Porro priori anno duo à Pataviensibus Episcopi electi dissidium in ea Sede magnum excitârunt, dum neuter cedere, sed uterque Episcopus esse contendit; ii erant Hainricus Decanus Pataviensis, & Leonardus à Layming. Canonici sententiam Archi-Episcopi Salisburgensis pro Leonardo stantem respuentes Viennam Austriæ concedunt, (nam Leonardus favorem civium Pataviensium consecutus, in urbem eorum intromissus plenissimè jam illic dominabatur) patrociniô igitur Alberti Austriæ Principis Episcopales proventus intercipiunt, & ad sese pertrahunt. Mittuntur Legati insuper ad Romanum Pontificem, quibus Laymingerum apud Pontificem Maximum criminantur graviter, hos Legatos Leonardus interceptis, lectis & discerptis litteris custodiæ tradit. Ipse Romam è vestigio profectus rem omnem Pontifici Martino III. expo-

exponit, à quo cùm confirmationem facilè impetrâsset, mox in Germaniam reversus est. [4.] De quo annis sequentibus plura.

Defuncto anno priore mense Octobri Friderico Abbate in Zwetl hoc anno in Abbatiæ regimine substitutus fuit per canonicam electionem F. Thomas Paynger, cujus patriam ignoramus, infelicissimus Abbas, quippe sub eodem Monasterium in Zwetl à nefandis hæreticis Hussitis & prophanatum & combustum est, & terra circumquaque devastata. Illius successionem omnes Abbatum in Zwetl Catalogi affirmant, non tamen in anno consentiunt. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Martino Papa V. „ Annô 1425. Martinus V. Annum Jubilæum „ celebravit, multis ad urbem concurrentibus, „ quòd pax & tranquillitas universim esset, „ & tanta copia annonæ, ut onus tritici bajochis 20. hordei 12. distraheretur Romæ. „

Ciaconio, & ejusdem sequaci textui nostro contradicit quoad Chronologiam Spondanus ita scribens: „ Annô Christi millesimô quadringentesimo vigesimô tertiô, Indictione „ prima, celebratum esse Jubilæum Romæ, „ Onuphrius ponit in suo Chronico de Roman. Pontif., probatúrque Constitutione „ Pauli II. quâ disertè ait Martinum V. reductionem per Urbanum VI. factam ad triginta tres annos ratam habuisse, & ad effectum deduci anno illo ingruente permisisse. „ Cùm enim reductionem Urbani annô 1390. „ factam viderimus, Martini celebrationem „ in hunc incidisse necesse est; non post biennium annô 1425. ùt sunt, qui ponunt: „ (*Ciaconius & Bzovius*) cùm alioqui paucissimi „ sint, qui hujus Martinianæ celebrationis meminerint: fortè quòd ob bella, quæ tam „ in universa Italia, quàm Gallia, & Germania, alíisque regnis & provinciis vigebant, „ pauci Romam accedere potuerint. „

[2.] Dubravius lib. 27. „ Pelsinenses, „ qui assiduè suspectam à Thaboritis obsidionem habebant, pecus, frumentúmque, unde „ panis, unde etiam potus fieret, atque alia „ tuendis mœnibus necessaria, largè providerant, quódque horum maximum, pro „ religione mori parati erant. Itaque alacri „ & constanti animo, quæ difficillima obsidionis habentur, tolerabant, nimirum tres „ hostium indomitorum exercitus, vim ingentem tormentorum, crebras oppugnationes, adversùs quas difficultates solatio fuit, „ quòd crebris invicem eruptionibus, malum „ hostibus pro malo reddebant, hoc præsertim læti prælio, quo victores camelum illis, quem secum velut novum in Bohemia „ spectaculum circumducebant, vi ereptum „ in civitatem pertraxerant, occisis non minus trecentis in ea violentia Thaboritis. „ At illi exasperati, negant se priùs, quàm „ capta civitate, receptóque camelô inde abituros; & cùm assequi, quod proposuerant, „ tempore idoneo nequîssent, consilium capiunt, hyemando continuare obsidionem, „ atque statim hybernacula ædificari cœpta: „ decretúmque, ut pars exercitûs Clatoviam, „ quæ pronæ voluntatis esse dicebatur, ad accipiendas Pragensium ceremonias mitteretur. Qui missi erant, fœdere civitatem in „ amicitiam receperunt: mox & Domaslicium. Nam Milna iisdem legibus Pribiconi „ Clenoviensi se dediderat: tantò validiùs „ urgebant Pragenses; ne soli Pelsinenses plus „ sapere quàm ceteræ in regno civitates „ vellent; sed darent tandem manus calici, „ & bona pace rebus suis salvis fruerentur. „ Respondent illi; haud nos, inquiunt, à vobis, sed vos à nobis recessistis, proin multò „ æquiùs fuerit, ut vos eò redeatis, unde „ desciscere non oportuit. Utrique deinde in „ magnis annonæ versabantur angustiis. Nam „ obsessi, dum de pleno sine modo promunt, „ nihil de hyberna obsidione cogitantes, se„ [illegible] in fundo instituêre parsimoniam. Ipsos „ item obsidentes, horrea in pagis vicísque „ frumentô exinanita non multùm adjuvabant. Quam illi inopiam non tolerantes, „ decimo exacto mense cum ea ignominia à „ mœnibus recesserunt, ut in hunc diem Pelsinenses glorientur, se à Cæsare Sigismundo „ habere diploma laudis & gratiæ plenum, „ in quo sit ad contemptum hostium hoc Epiphonema adjectum: ut hoc nomen, Pelsina, „ in faucibus hæreticorum perpetuò amarescat. „

[3.] Æneas Sylvius cap. 48. „ At Martinus Pont. Max. &c. *ùt in textu nostro.* Instituti sunt tres exercitus. Saxoniæ Duces, „ & quas vocant Stagnales civitates (Seestädte) in primo militavêre: Secundum ex „ Franconibus constitutum Marchio Brandenburgensis ductavit: tertio præfuit Otho „ Trevirensis Archi-Episcopus, quem Rhenenses secuti sunt. Bojarii quoque & civitates Suevorum Imperiales, ingressi Bo-

„ hemiam tribus locis: postquam silvam penetravêre, juncti simul, ante Misnam castra metati sunt. Hanc urbem Prichicho Elenotensis (*al. Prierchо Clenonensis*) inter hæreticos quantùm doctior, ac facundior, tantùm crudelitate ac perfidia nequior, præcedenti nocte ex fidelium manibus eripuerat. Erat igitur consilium exercitûs, hanc urbem prius recuperare, quàm ultrà procederent. Sed cùm hæretici collecto raptim milite, in eos properare nunciarentur, non visum hostem fugerunt: Thacoviamque (*Dachaw*) petentes instrumenta bellica cum præda ibi dimiserunt. Nondum Cardinalis in exercitu fuerat: sed ad Thacoviam fugientibus occurrens, admiratus est tot Ducum, tot fortium virorum pavidam fœdámque fugam; magnis precibus, ut redirent in hostem omni ex parte debiliorem, hortatur. Quod cùm frustrà niteretur, & ipse turpis fugæ comes effectus. Vix sylvam ingressi erant, cùm supervenientes Bohemi postremum agmen lacessere cœperunt. Facta est profusior ac pavidior fuga; nec prius Theutones fugere, quàm Bohemi persequi destiterunt. Hostes impedimentis direptis, Thacoviam expugnantes, machinísque bellicis potiti sunt. Exîn Misnam populati, cùm per Franconiam redirent, ne Bambergensem agrum, Norimbergensémque vastarent, pecuniâ placati divitem exercitum reduxêre. „

[4.] Hundius ubi suprà ad priorem annum exscriptus.

Aventinus Annal. Boiorum lib. 7. „ In Boiaria eodem tempore (*an. 1424.*) Georgius Episcopus Bathavensis ex hac vita migrat. Duo eliguntur, Leonardus de Layming, & Hainricus Flock, uterque Pontificatum ambiunt, Eberhardum de Neuhausen Archi-Episcopum Salisburgensem arbitrum capiunt, utrum Episcopum censeat, ratum esse, dant fidem. Hainricus fretus amicitiâ Archimystæ, qui eum antè Chiemensi Pontificatu donârat, solus Salisburgium cum paucissimis advocatis venit, sed spe sua frustratus est: nam Leonardus illuc Hainricum Landshutensem deduxit, prece, precio Archi-Episcopum suum fecit, ab eóque Episcopus vocatur, Bathaviáque potitur. Porro Albertus Austriacus, ad quem se Hainricus contulit, repugnat, cuncta infra Anasum occupat. Post annos octodecim Fridericus Truchsassius Archimystes Boiorum litem componit. Leonardus, quem plurimùm Æneas Sylvius commendat, cum Austriaco in gratiam redit. „

[5.] Chronosticorum Author. Recentior Abbatum Zwetlensium Catalogus. Abbas Wolfgangus in sua Abbatum serie. Mortilogium antiquum Monachorum.

An. Christi MCCCCXXVI. Monast. CCLXXXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Thomas.

HUssitæ anno præcedenti ex fuga Germanorum animosiores facti, non jam domi contenti erant bellum gerere, sed quoque in finitimas provincias excursionem decrevêre. Nam ut magìs suorum in Teutones per circuitum habitantes animos incenderent, alios per contemptum Philistæos, alios Idumæos, Moabitásque vocabant, Bohemiam terram promissionis esse dicebant. Unde Orebitæ sub duce suo Bredrico in Silesiam excursionem tentant, Pragenses contra Misnenses arma sumunt, Thaboritæ unà cum Orphanis per Moraviam in Austriam usque prædabundi grassantur. * [1.] De Silesiæ & Misniæ incursionibus alii scribunt, de Austriæ verò incursione & deprædatione, in qua quoque Monasterium nostrum Zwetlense Vulcano cessit, accuratiùs jam mihi scribendum incumbit. Sciendum Hussitas duas in Austriam excursiones fecisse, primam circa finem hujus anni, alteram anno sequenti, quò etiam ea, quæ facta sunt, pleniùs referentur; hujus autem anni gesta sic in antiquitate Monasterii nostri descripta reperiuntur cum tali titulo: „ Historia de vastatione Monasterii Zwetl ab Hussitis facta. Universis Christi „ fide-

„ fidelibus præsentes inspecturis Salu„ tem. Cùm secundùm Joannem mun„ dus iste temporibus labentibus discin„ ctus cum omnibus quæ in eo sunt, „ quotidie defluere non desistat, non „ immeritò à sapientibus facta & gesta, „ nè simul cum tempore transeant, Scri„ pturæ testimoniô confirmantur. Hinc „ est, quòd ad omnium notitiam per„ venire cupimus, consultiùs imitari „ volentes. In nomine Domini, Amen. „ Noverit tam præsens ætas quàm fu„ tura posteritas, quòd annô ab Incar„ natione Domini millesimô, quadrin„ gentesimô, vicesimô sextô, ultima „ die mensis Decembris, quâ annus vi„ cesimus sextus finiebatur, contigit, „ ut nefandi Hussitæ, Hainricus de „ Platz unà cum fratre & complicibus „ suis numerô quasi quatuor millia, „ equites & pedestres, sine omni ab„ renuntiatione in terram Austriæ pro„ fecti sunt, pervenientes ad villam „ Alten-Weitra, ibíque circumquaque „ pernoctantes. Exinde cives Zwet„ lensis civitatis præmoniti à fidelibus „ modô occultô eadem nocte, altera „ die summo mane duos nuncios equi„ tes direxerunt, ut scilicet explora„ rent, quam viam intenderent profi„ cisci, quibus appropinquantibus am„ bo Hussitarum præmissi obviam sese „ dederunt, quos videntes prædicti „ nuntii considerabant, quòd viam, „ quæ ad Zwetlam ducit, incedebant. „ Ultro ergo terga dantes veloci cursu „ equorum versùs Zwetlam declina„ bant, unus ad civitatem, alter verò „ ad Monasterium Zwetl, ipsi intiman„ tes adventum inimicorum. Quô „ auditô totus Conventus pariter per„ territi, immediatè invicem consulti, „ omnia clinodia Monasterii scilicet li„ bros, ornatus, Reliquias aurô & ar„ gentô inclusas congregabant, & quàm „ citissimè poterant, ad currus ponen„ tes, per silvámque ducebant, quo„ usque pervenerunt ad castrum Liech„ tenfels, ibíque custodienda & refer„ vanda deponebant omnia clinodia „ cum omnibus aliis, quæ de Monaste„ rio exportare poterant, & omnes de „ Monasterio fugam dederunt, præter „ duos Fratres ibidem remanentes, vi„ delicet Fratrem Erhardum Virtzker „ & F. Paulum tunc Sacristianum & Mo„ nasterii custodem. Interea hostes „ ad Monasterium venientes destructis „ omnibus portis & valvis cum impetu „ irruerunt, sperantes sese omnia bona „ Monasterii inventuros; & arripien„ tes F. Paulum cum clavibus captivum „ ducebant, ut ipsis bona Monasterii „ demonstraret, qui cum illis transiens „ usque dum perveniret ad quendam lo„ cum Monasterii competentem, ubi „ exitum habere potuit, clandestinè se „ ab ipsis abstulit, & per murum ad „ silvam perveniens manus eorum eva„ sit. F. verò Erhardus in Monasterio „ permansit, erat enim obtusis sensibus „ & hebes, quem interficientes in horto „ prope balneum jacere dimittebant, „ qui deinceps post aliquot dies à Fra„ tribus in antiqua Ecclesia ante Altare „ S. Crucis sepultus est. Demum ho„ stes totaliter Monasterium spoliantes „ rebus & ædificiis, insuper civitatem „ invadebant & expugnare volebant, „ sed gratia Dei præveniente & custo„ diente nihil mali civitati inferre po„ tuerunt, sed multi Hussitarum inter„ empti sunt, specialiter unus de Platz, „ quem in Hospitali prope civitatem „ sepeliêrunt. „ [2.] Sequentia re ferentur anno sequenti. Ex his constat, primùm non venisse Hussitas per Moraviam in Austriam, neque tunc oppugnâsse & expugnâsse Rhetium, sed rectà de Bohemia Austriæ fines per agrum Budvicensem ingressos esse, & primo impetu Zwetlam tentâsse. Neque hi Thaboritæ fuêre, sed tantùm Orphani, aliis suæ sectæ & factionis hominibus sibi adjunctis, quorum tunc dux erat Placensis regulus ejusdem hæreseos labe infectus & fautor præcipuus. Quo duce Monasterium primùm invaserunt, quo

quo eodem die ad mœnia civitatis occiso cæde sua Monasterio parentatum fuit ultrice Deipara, cujus sacratam domum in desertum redegerat. Nondum tamen hoc anno illam combusserunt, & ita quoque ego de incendio illius & conflagratione taceo. Exploratores porro illi missi fuêre pridie Calendas Januarii, id est, in festo S. Sylvestri summo mane, cùm pridie nimirum, quàm Monasterium spoliârunt, Zwetlenses de hostium adventu præmoniti fuissent, unde ita textus ille de exploratoribus intelligendus est. Porro de cæde F. Erhardi ad balneum facta non constat, ubi tunc temporis balneum illud steterit, sic in hac parte sit liberum suum cuique sentire, donec locus illius balnei certus è monumento aliquo antiquitatis eruatur. Fertur Frater iste Erhardus obtusis sensibus & hebes, id est, illiteratus, nec multùm versutus fuisse, inde forsan Deo volente meruit in simplicitate sua mortem illam obire, quæ pretiosa est in conspectu Domini, & beatus exinde fieri, quia persecutionem propter justitiam ab hæreticis pertulit demum libenter. De cujus obtruncatione alius sic loquitur: „ Annô
„ 1426. in die Sylvestri Papæ venerunt Hussitæ circumvallare civitatem
„ Zwetlensem, tandem intrantes Monasterium combusserunt, nec non
„ Fratrem Erhardum Fyrczinggarium
„ circa lavatorium cum spata interemerunt. „ [3.] Hæc ille, qui vocat locum cædis circa lavatorium, quod in Claustro hodie adhuc conspicitur. Ceterùm hoc anno combustum Monasterium non fuit. Mirandum tamen est, & occultô Dei judiciô factum, ut eadem die Monasterium prophanaretur & destrueretur, qua per miraculum inventum esse scribitur. Atque hæc de hoc anno satis.

ADDITIONES.

* [1.] Æneas Sylvius suprà ad annum 1424. relatus sub n. 6.

[2.] Ex tabula antiqua MS Monast. nostri.

[3.] Mortilogium Monachorum in Zwetl.

An. Christi MCCCCXXVII. Monast. CCLXXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Patavienfis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Thomas.

ANnus iste Monasterio nostro Zwetlensi infaustissimus primùm apparuit, nam completô ferme paucis annis desideratis tertiô Sæculô, à quo Monasterium condi cœpit, expulsis primùm & effugatis Fratribus, direptis locis omnibus consecratis, tandem à Titanibus hisce Hussiticis Vulcano dedicatum est. Cujus execratio & incendium sic ab antiquitate Monasterii graphicè ante oculos posterorum ponitur; continuatur verò prioris anni tabula taliter:
„ In die autem Circumcisionis inchoante anno vicesimo septimo, summo
„ mane civitatem obsidentes extrà incendium magnum faciebant. Circa
„ ortum solis Hussitæ unanimiter surgentes cum toto exercitu ad Monasterium Zwetl properabant, & per
„ totam diem ibi morantes Monasterium funditus comburebant, pariter
„ muros, & omnes domus pistrinæ,
„ granariorum, Abbatum, Hospitum,
„ Hospitale, & Chorum cum omnibus
„ Capellis & Altaribus, Reliquias eximentes & igne cremantes, præter
„ unam tabulam, quæ remansit cum
„ Reliquiis, quam honestus quidam vir
„ post recessionem hostium ad civitatem deportavit & Fratribus restituit.

„ De-

„ Deinde eadem die Circumcisionis circa occasum solis recedentes Hussitæ, pervenerunt nocte ad montem , qui dicitur Weinperg prope civitatem, ibíque pernoctabant, sperantes se adhuc posse expugnare civitatem, sed gratiâ Dei non valebant. Altera ergo die, quæ erat Octava S. Stephani summo mane recedentes de civitate & Monasterio abierunt in regionem suam. Deinde eodem anno vicesimo septimo Fratres Conventuales reversi quidam manserunt in civitate Zwetl, alii aliis in locis sibi competentibus. „ * [1.] Atque hæc antiquitas de prima Hussitarum incursione in Austriam. Unde constat non tantùm Monasterium ipsum incendio destructum fuisse, sed quoque villas Monasterii circumquaque sitas, præsertim verò grangias. Nam furore repleti ex eo, quia civitatem oppugnantes multis ex suis desideratis capere nequibant, & insuper ducem amiserant suum Hainricum de Platz ante mœnia, passim in obvios paganos & villicos, in sexum quoque imbellem ferrô, & iis occisis, in tecta & domos igne sæviebant. Hinc Monasterium in bustum converterunt, inde in Ecclesias ubique debacchatum est. Quorum faces sensêre etiam Sacellum S. Thomæ in Dachsgraben, Parochiæ in Schweickers & Windigsteig, & alia Templa vicina, sicut partim tempore suo patebit. Verùm hac adhuc die in cœlum erecta stat Basilica Zwetlensis omnibus calamitatibus superior, recenter tunc erat exstructa, cùm per incendium destrui videbatur. Steterat enim à sui prima reparatione seu secunda fundatione ab Anno Sal. MCCCXLIII. hucusque annos octuaginta quatuor sub Abbatibus undecim, ex mero lapide secto, columnis sedecim testudo innixa, septemdecim Sacellis lateralibus ornata interior facies, exterior murus arcubus & arculis & animalibus ex integro saxo excisis pluvialem aquam evomentibus hinc inde affabrè distinctus, quæ omnia ornamenta ignis delere non potuit, sed potiùs induravit & solidavit. Credo ego tunc multa monimenta antiquitatis in monumentis deleta fuisse, quæ sibi familiæ in sui memoriam extruxerunt, hostes autem thesaurum somniantes & scrutantes penitus destruxerunt. Atque ita aliquamdiu Basilica nostra sine tecto sub dio stetit desolata, prophanata.

Venio jam ad alteram ipsorum Hussitarum in Austriam hostilem excursionem, quæ historicis tam Bohemis quàm Austriis quoque non est incognita, sicut postea patebit. De eadem antiquitas Monasterii nostri sic scribit: „ Postmodum in die Gregorii eodem anno Hussitæ revertebantur cum maxima multitudine, quasi sedecim millia equites & pedestres, volentes altera vice expugnare civitatem Zwetlensem, & territorium circumquaque per decem & septem dies deprædabantur. Interim de commisso Illustrissimi Principis Domini Adalberti Ducis Austriæ, congregata multitudine exercitûs, Dominus Leopoldus de Kreygd invasit hostes, Hussitæ malè habebant cum curribus suis. Sed nostri desiderantes bona Hussitarum insequi, & sic ab invicem dispergi, quod videntes hostes, qui fugam dederunt, quòd Australes non erant unanimes, impetum fecerunt in eos cum multis equitibus, clamantes: Fugite, fugite, omnes interficiemini; & sic Australes terga dederunt; Hussitæ verò insequebantur manu robusta & valida, multósque de nostris interfecerunt, & facta magna strage pedites multi & equites ad civitatem Zwetl pervenerunt. Deinde tertia die pòst Hussitæ recedebant, & descendentes ad Monasterium S. Bernardi, illúdque spoliantes vina ad currus ponebant, & cum vasis ad Bohemiam revertebantur. „ [2.] Hucusque altera Hussitarum in Austriam excursio ex antiquitate Monasterii nostri desumpta. Prælium

lium factum est cum ipsis in festo Annunciationis Dominicæ, nimirum octavô Calendas Aprilis, qui est 25. Martii, ùt eadem antiquitas alibi refert, venerunt enim in die S. Gregorii Papæ, & manserunt septemdecim dies omnia circumquaque devastantes, & tandem tertia post prælium die, nimirum quinto Calendas Aprilis, id est, Martii 28. discesserunt, & 30. ejusdem Monasterium Monialium ad S. Bernardum spoliârunt, Virginibus sacris ad Cornutensem vicinam civitatem (Horn) fugientibus. [3.] Credo ego, ipsos per Pœlanum agrum descendentes nullam Ecclesiam præteriisse, quam non priùs exspoliatam Vulcano dederint, in Töllershaim, in Pölan tam novo quàm antiquo aliásque Ecclesias in regno Boiorum sitas, quarum multæ sunt, comburentes, atque ideo etiam Altenburgense Cœnobium non intactum mansisse, de quo inferiùs plura & certa relaturus sum. Nulla hìc mentio habetur obsidionis Rhetii civitatis, sic quoque hac vice eam non contigisse existimo, sed paulò pòst aliis quoque Hussitis sibi sociatis eam fuisse inchoatam. De Zwetlensi oppugnatione & facta ante civitatem pugna Gerardus hæc habet: „ Per Moraviam „ igitur in Austriæ fines ingressum Taboritarum agmen, Zwetlam oppidum cùm noctu diúque oppugnaret, „ Albertus cum suis accurrens, manum „ cum Bohemis conseruit. Pugnatum est in quartam usque horam dubiâ victoriâ, tandem Bohemi amissis „ curribus prælio excessêre, & Albertus castris exutus quoque abiît. „ [4.] Item Æneas Sylvius iisdem penè verbis Zwetlensem oppugnationem & prælium describit: „ Cùm obsiderent Suetlam oppidum in Austria Thaboritæ „ simul & Orphani, duabus noctibus „ & una die absque intermissione mœnia oppugnavêre. Superveniente „ autem Alberto ejus terræ Principe „ cum exercitu, ut auxilium oppidanis „ afferret, pugnatum est quatuor fermè „ horis, nutante hinc atque illinc victoriâ. Ceciderunt ex utraque parte „ primi bellatores. Postremò ita discessum est, ut currus Thaboritæ „ suos amitterent: Albertus castris exutus abiret. Quod negligentiâ Roberti Vallensis factum credidêre, qui „ tum ductor exercitûs fuit. „ [5.] Hæc Æneas; verùm & Gerardus & Sylvius Archi-Ducem interfuisse prælio scribunt, quod antiquitas Monasterii nostri negat, ait enim jussu & de commisso Principis Austriæ factum esse prælium cum Hussitis, Duce militiæ constituto D. Leopoldo de Kraygd, de nobili Carinthiorum familia exorto, unde per negligentiam potiùs hujus Leopoldi, quàm per negligentiam Reimberti de Walsse, quem Æneas Robertum Vallensem vocat, victoriam Austriaci plenariam non obtinuerunt. Præterea ex ipsis modò citatis patet, fortissimos Hussitarum Thaboritas & Orphanos Zwetlam oppugnâsse duabus noctibus & die una sine intermissione, non tamen eam expugnare potuisse. De Rhetio autem obsesso scribunt sic Authores, atque inprimis Gerardus: „ Non multis pòst diebus, *inquit*, Rasus cum recenti exercitu accurrens, Rhetium oppidum „ obsidione cingit, vi expugnatum diruit, multósque in eo mortales trucidat, Burggravium Magdeburgensem Hardeccium Comitem, Hussitis „ infestissimum, qui loco præfuerat, „ Pragam mittit, ubi in carcere postea „ obiît. „ [6.] Æneas quoque illius expugnationis meminit sequentibus: „ Rediît tamen paulò pòst Procopius „ Rasus, & oppidum Rhetium in Austria celebri obsidione cinxit. Pragenses ejus signa secuti, & Boheslaus „ Cygneus, qui eo loco sagittâ confossus interiît. Rhetium vi captum, direptum, atque exustum, in quo multi „ mortales periêre. Burggravius Magdeburgensis loci Dominus captus & „ Pragam ductus, in carcere diem obiit. „ [7.] Dubravius quoque Rhetii

Rhetii expugnationem, non autem Zwetlensem oppugnationem commemorat: „ Hinc, *inquit*, ad externa „ bella intenti, ex quibus uberiorem „ fructum sperabant, Rhetium in Au„ stria totum triduum contempto omni „ periculo ac labore oppugnant, & „ tam arcem, quàm oppidum expu„ gnant, capto in arce Comite ab Har„ decco Hussitis infestissimo; illum Pra„ gensibus vivum dant, ut de eo sta„ tuant, quod videretur. Qui Pra„ gam missum in carcere habuerunt, „ quoad animam exspiraret, cæteros, „ quos ceperant, passim occidebant, „ incensisque ædificiis agros Australium „ latè vastabant, ingentíque præda po„ tiebantur. „ [8.] Hucusque Dubravius, ex quibus hæc secunda Bohemorum in Austriam expeditio patet, quam plurium Authorum testimoniis enumerare placuit. Fuit autem Comes hic Hardeccius Joannes dictus, Monasterii nostri benefactor, cujus familia sepulturam suam in Monasterio nostro habuit, sicut suprà (*Annô 1388. & 1401.*) de ipso aliqualem mentionem feci. Jam de Altenburgensi Cœnobio videndum, qualiter ab Hussitis destructum fuerit, sicut ejus devastationem ex antiquitate illius mihi gratiosè communicatam accepi, cujus placet textum his meis Annalibus inserere, qui talis est: „ In„ commoda, quibus hoc Monasterium „ nostrum S. Lamberti in Altenburg „ Ordinis S. Benedicti affectum est, in „ fascem colligam, & omnibus velut in „ eminenti positum spectandum præ„ bebo. Quis enim est, qui ignorat, „ quos incursus & quos impetus ab hæ„ reticis, quos Hussitas vulgò ab hære„ siarcha Huss vocamus, hoc nostrum „ Cœnobium pertulit, & præsertim eo „ tempore, dum Nativitas Christi Sal„ vatoris nostri millesimô, quadringen„ tesimô annô inscriberetur? Primò „ spoliaverunt Monasterium in Pölan „ forensi octo equis quadrigariis. Item „ crebriùs Abbatem in fugam conver„ têre, & etiam suos, & jumenta rure „ & domi diripientes. Item ubi devi„ cissent Monasterium in Zwetl, pe„ dem moverunt ad nos, ferro & igne „ violantes totum Monasterium no„ strum relictô duntaxat columbariô „ & nonnullis instrumentis domesticis „ inexustis. Item omnes Aras deho„ nestaverunt Reliquias Sanctorum „ prophanando. Item instrumentum „ musicum magnis impensis fabrefa„ ctum, quod vulgò Organum voca„ mus, à sublimiore parte Ecclesiæ in„ trinsecus dejecerunt in pavimentum „ Ecclesiæ lapidibus stratum, quod „ impetu decidens plusquam in mille „ particulas etiam minutissimas dissiliît, „ cujus cannæ è plumbo & stanno con„ flatæ mutilatæ & comminutæ sparsim „ per compita in agris & villis reperie„ bantur. Item horologium, quod multô „ pretiô constabat, secum asportabant. „ Item, quod scelestissimum est, & „ contra omnem rationem, cistulas duas „ Sacrosancti Dominici Corporis pro„ jectô in terram Divinô & mysticô Sa„ cramentô abstulerunt. Item lapidi„ bus, lanceis, pedibus, & igne omnes „ Ecclesiæ fenestras comminuerunt. „ Item campanam magnam combusse„ runt, minutulas verò diripuerunt. „ Item ut suæ perfidiæ sive malitiæ & „ suo furori immanissimi hostes Hussitæ „ satisfacerent, etiam in simulachra & „ imagines Sanctorum sævierunt, cu„ spidibus & gladiis trajiciendo. O præ„ clarum factum, & res nimirum digna „ triumphô! Item sex vasa vinaria opti„ mô vinô referta exhauserunt, noctu „ & interdiu se vinô ingurgitantes, qui „ dum pocula siccarent, bene poti & „ in furorem Bachi redacti essent, uten„ silia omnia confregerunt. Item „ quicquid in sumptum quotidianum „ congestum erat, id consumpserunt „ Reliquiis concrematis. Item qua„ draginta duos boves abegerunt. Item „ exustione facta plerumque muri im„ bribus irrigati corruerunt, aliqui rui„ nam

„ nam minabantur. Item ubi Mona„ sterium ferro & igne violatum, & non„ nisi pauca vestigia antiqui domicilii „ superessent, nonnulli de Fratribus „ rediêrunt, qui ubi omnia desolata & „ diruta & comminuta esse viderunt, „ locíque infecti tetrum odorem ferre „ non possent, non longè specus & la„ tebras abditas in monte vicino dele„ gerunt, ubi aliquamdiu tenui victu, „ aqua simplici, oleribus sylvestribus „ & pane atro contenti Hussitarum me„ tu victitabant. Item dehinc perdi„ tissimi hæretici pro opportunitate „ temporis quotannis iterum atque ite„ rum Austriam incursantes penes Mo„ nasterium castra ponentes, multa & „ magna incommoda Monasterio intu„ lerunt. Quid quòd colonos in pau„ pertatem redegerunt? quid quòd ali„ os gladiis confoderunt? quid quòd „ multis vinculis illaqueatos abduxe„ runt, & abductos inediâ mori passi „ sunt? sic divinus cultus minutus, sic „ annui proventus attenuati, quòd vix „ tertia portio priùs de tam uberi pro„ ventu speretur. Item quasi omnis „ cura agriculturæ intermissa mansit, „ eò quòd singulis annis Monasterium „ spoliarent equis aratariis, omnia „ propter metum finitimorum hæreti„ corum in Teyia, in Puelitz, & in „ Freytsperg, qui quasi omni die apud „ nos visi sunt. Item de anno 33. re„ ceperunt 36. capita jumentorum, 6. „ equos, & tres famulos ceperunt, & „ secum ad Teyia abduxerunt. Item „ quod sine lacrymarum liberali effu„ sione meminisse non possum, Orato„ rium post tot incommoda reforma„ tum, in quo in Dei laudem oratio„ nes decantabantur, iterum propha„ natum est, in quo equi & jumenta „ stabulabantur. Item dormitorium, „ ubi domestici famuli noctu interdiu „ labore dissipatas vires colligebant, „ exusserunt, & omnes officinæ in ali„ um usum commutatæ sunt. Item „ imbre vel pluvia incidente Fratres „ mirâ injuriâ turbantur, nam testudi„ nes imbribus madefactæ nonnun„ quam duobus & pluribus diebus Fra„ tres in tabula comedentes inquietant, „ adeò ut nec escaria ab hac pluviali „ injuria sint aliena. Item vineæ ea„ dem conditione incultæ relictæ sunt, „ & ut suos agros & vineas colere pos„ sint, sæpiùs & sæpiùs impulsi sunt ab „ Hussitis ad vectigal tribuendum. Item, „ quod indignum est, Fratres sæpiùs „ coacti sunt in fugam se vertere, cùm „ etiam divinô officiô & circa res sacras „ occupati essent, quos sæpe conver„ sos in fugam per abrupta & latibula „ montium quæsivi. Item Monaste„ rium nostrum, quod fieri solet, dum „ sæpius amicorum castris, oppidis & „ pagis blada, vina, & esculenta inve„ here vellet & tentaret, dum inimi„ corum insidias evadit, in manus ami„ corum incidit, qui non tam amici „ quàm inimici habendi sunt. Item „ Curiam nostram in Czöbing sæpiùs „ nominati hæretici funditus concre„ maverunt. Item pro ære alieno per„ solvendo quadringenta unam libras „ denariorum de melioribus & tutio„ ribus reditibus transdanubianis Mo„ nasterii nostri Juris precario vendidi„ mus. Hæc damna & hæc incommoda, „ quæ enarrare nec dies æstivus suffice„ ret, Monasterium nostrum in eam ino„ piam redegerunt, ut certè major pars „ Fratrum, qui ibi professi erant, non „ possent vitæ frugali & tenui consu„ lere, & nisi prudentiâ, consiliô atque „ pietate Magnatum Monasterio sub„ ventum fuerit, Monasterium pristi„ num robur nunquam recuperabit. „ Et quod penè prætermisi, quid quòd „ in eam necessitatem Monasterium „ venerat, ut D. Abbas propter rerum „ tenuitatem & Monasterii desolatio„ nem, Monasterium aliquando tribus, „ aliquando quatuor Fratribus quasi de„ sertum reliquit. „ [9.] Huc usque antiquitas Altenburgensis mihi communicata, in qua licèt Annus MCCCC. tan-

tantùm ponatur, non tamen potuit illo anno Monasterii dicti excidium contigisse, sed primùm post Zwetlensis Monasterii devastationem, quæ hoc anno MCCCCXXVII. contigit, atque ita etiam hoc anno Hussitarum rabiem sensit Altenburgense. De aliis suis spoliationibus & pressuris facilis conjectura est, non omnia ab Hussitis, sed etiam ab aliis provinciæ hostibus talia damna suprà descripta subiisse. Atque hæc de vicino nobis Monasterio in Altenburg sufficiant.

Dum hæc in Austria geruntur, Orebitæ Duce Bredrico in Silesia passim in Monasteria in silvis & campis sita grassabantur; cædentes Monachos, spoliantes omnia, ædificia destruentes & consumentes incendiô, præsertim Ordinis nostri Cœnobia invadentes. Unde in Menologio Cisterciensi occisorum ab hæreticis Monachorum Ordinis nostri mentio talis habetur: „ In Silesia ✝ „ passio beatorum Monachorum, qui „ in Cœnobio de Nova-Cella Cister„ ciensium institutum amplexi, inibi „ piissimam vitam instituerunt, & tan„ dem laborum suorum præmium ob„ tenturi pretiosa in conspectu Domini „ morte agoni præsentis vitæ termi„ num imposuerunt: nam ab hæreticis „ Hussitis crudeliter interempti proprio „ sanguine Catholicæ fidei veritatem „ viriliter comprobârunt. „ [10.] Hæc Henriquez, qui in paragrapho ejusdem citat Aubertum Miræum lib. 5. Originum Monasticarum cap. 15. Joannem Cochlæum lib. 6. hist. Hussit. & Paulum Langium in Chronico Citizensi; hic annô 1427. ait: „ Bohemi Hussi„ tæ crebris victoriis elati & prædarum „ avidi multa devastaverunt, & inter „ alia damna Cœnobia Novæ-Cellæ & „ Grunheim Ordinis Cisterciensis de„ struxerunt, & Monachos inibi Deo „ servientes occiderunt, & cuncta eo„ rum bona diripientes abduxerunt. „ Hæc Langius. Feruntur Monachi Neo-Cellenses manibus pedibúsque truncati, ita lentæ morti relicti à crudelibus Hussitis fuisse, donec magno cum cruciatu animas Deo redderent. De Grunheimensium autem Monachorum Martyrio citatus suprà P. Henriquez Cisterciensis, Generalis Historicus sic loquitur: „ In Diœcesi Vratisla„ viensi passio SS. Monachorum Cœ„ nobii B. Mariæ de Grunaim ✝ apud „ Silesios Ordinis Cisterciensis, qui po„ tiùs pro Christo mori, quàm hæreti„ corum erroribus infici unanimiter „ eligentes, & ab iisdem exquisitis ge„ neribus tormentorum interempti per „ palmam Martyrii victores evolârunt „ in Cœlum. „ [11.] Citat eosdem, quos suprà de Neo-Cella, authores horum martyrii.

Porro Monasterio Zwetlensi in cineres redacto & Conventu disperso, Thomas Abbas Viennæ in curia Zwetlensi morabatur, totus tristitiâ absorptus pius Pater de filiorum & Monasterii sui desolatione, ita quòd ex eadem obiisse credatur. De ipsius obitu Mortilogium Monachorum sic loquitur: „ Anno „ &c. 27. Ob: Thomas Abbas Wien„ næ, & sepultus in sancta Cruce cum „ uno Converso. „ [12.] (*nimirum Annô 1427.*) Conversus iste videtur comes fuisse Abbatis, nam cùm Monasterium spoliaretur, & Fratres omnes per silvam effugerent, omnémque Monasterii supellectilem tam sacram, quàm prophanam, curru deportarent, Abbas Thomas domi non erat, sed pro negotio aliquo Viennæ morabatur, F. Joanne dicto Rastenvelder interea omnia ordinante. Obiit autem Abbas Thomas hoc anno 4. Nonas Decembris, id est 2. Decembris. [13.] Abbatem hoc anno præcessit Prior Conventualis, de quo Mortilogium Monachorum suprà citatum sic refert: „ Petrus „ Prior obiit Krembse circa Prædica„ tores. „ Mortilogium commune obitum ejus ait factum pridie Calendas Maji. Habuit autem Monasterium Zwetlense diversorium continuum in

Monasterio Prædicatorum Crembsensium, ubi Abbas & Fratres divertere solebant, unde post combustum Cœnobium in Zwetl illuc Prior cum nonnullis Fratribus confugerat, sicut etiam Viennæ Abbas cum converso uno & fortè aliis nonnullis Fratribus, alii in civitate Zwetl obsidionem Hussitarum alteram cum civibus ferentes permanserunt, donec pax ab hæreticis extorta, ipsos ampliùs è Bohemia non effudit in Austriacas provincias. Porrò defuncto Abbati & in sancta Cruce sepulto substituitur Abbas Michael ejus nominis II. non tamen hoc anno sed sequenti, nam Fratres undique dispersi locum conveniendi certum non inveniebant, quam illius electionem & institutionem etiam in sequentem annum enumerandam rejicio.

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Ex tabula antiqua MS. Monasterii nostri.

[3.] Ex lib. Moralitatum annô 1477. impresso, Bibliothecæ Zwetlensis.

[4.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 4.

[5.] Æneas Sylvius c. 47.

[6.] Gerardus de Roó, ubi suprà.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Alberto V.
„ Postquam Albertus nuptias cum Elizabetha
„ perfecit, Moraviæq; insigniores urbes quan-
„ doque dotis nomine suscepit, virus Boë-
„ morum tum primùm erupit. Qui fines Au-
„ striæ invadentes Retzam urbem expugnant,
„ atque incendunt. Johannem Comitem de
„ Hardeck captum abducunt, ac Pragæ in
„ carceribus jugulant. „

[7.] Æneas Sylvius ubi suprà.

[8.] Dubravius lib. 27. qui & in hoc, quòd nullam faciat mentionem de oppugnatione Zwetlæ, videtur secutus Hagecium, qui etiam eam reticet in suo Chronico Bohemiæ; solámque refert expugnationem civitatis Retzensis; in ultima enim editione Germanica Norinbergensi sub anno 1425. prope finem ita habet: „ Alſo ritten der Taboriten und der
„ Wayſen Obriſt Feldt-Haubtleuthe unter
„ einem gelait zu Prag ein, mit welchen Si-
„ gismundus Korybuth, der Herttzog aus Lit-
„ tawen, neben den Pragern, ſo lang hand-
„ leten, biß ſie beſchloſſen ſämbtlichen in
„ Oeſterreich und Mähren zu rucken, der
„ Meinunge, daß ſie darinnen Schaden thun,
„ und reich widerkommen wolten. Alſo
„ zogen die Wayſen und Taboriten zu voran,
„ denen die Präger in dreyen Tägen nach-
„ folgten, kamen zuſammen, und belägerten
„ die Stadt Retz, ſtürmeten ohn alle gnad
„ hinzu, und gewonnen dieſelbe des dritten
„ Tags ihrer Belägerung. Den Grafen von
„ Hardeck nahmen ſie gefangen, und ſandten
„ ihn gen Prag ins Gefängnus; bey diſem
„ Sturm iſt Herr Schwamberg von Worlyck,
„ der Taboriten Obriſter Haubtmann, aus
„ der Stadt erſchoſſen, und zu Mähriſchen
„ Krumaw begraben worden; in der Stadt
„ würden vil hundert Perſohnen todt geſchla-
„ gen, die Stadt geplündert, und angezündt:
„ der vorgenandte Graff blieb nicht lang zu
„ Prag, ſondern er ward zum Hincone aufn
„ Waldſtein geſandt, allda in einem ſchwä-
„ ren Gefängnus enthalten, und darinnen
„ nach zweyer Jahren geſtorben. „

[9.] Ex Bibliotheca Altenburgensi.

[10.] Henriquez in Menologio Cisterciensi 10. Septembris.

† Rectiùs & veriùs in Lusatia; constat enim omnibus Silesiam & Lusatiam perspectas habentibus Novam-Cellam, uti & Grunheymium, Cœnobia Ordinis Cisterciensis, in Lusatia sita esse: de quibus Jongelinus in Notitia Abbatiarum Ord. Cisterciensis lib. 3. de Abbatiis O. C. in Misnia & Lusatia ita scribit:

Nova-Cella, vulgò Niew-Cell/
Diœcesis Misnensis in Lusatia.

„ Nova-Cella, filia Veteris-Cellæ, cujus
„ prima fundamenta in Lusatia annô 1230.
„ condidit Henricus Marchio Misniæ & Lu-
„ satiæ, & primus suæ familiæ Lantgravius
„ Turingiæ, hic annô Domini 1288. sepultus
„ cum uxore Domina Constantia, Leopoldi
„ Archi-Ducis Austriæ Filia. Hussitæ annô
„ Domini 1427. hunc locum miserè devastâ-
„ runt, prout refert Paulus Langius in suo
„ Chronico Citizensi. „

Grunhaimium, Grunhaim/
in d. Misnensi.

„ Grunhaym, vel Grunhain, aliis Grunen-
„ haegen/ Cœnobium, assumptis ex Sichem
„ Monachis, fundatur annô Domini 1236.
„ cujus Monachi crudeliter ab Hussitis interem-
„ pti sunt, annô Domini 1429. ùt refert Paulus
„ Langius in Chron. Citizensi, eodem anno,
„ Cochlæus Histor. Hussitarum lib. 6. & alii. „

Nisi nunc nuper relatus Jongelinus, malè citet Langium, aut in exemplari Langii, quod ille

ille præ manibus habuit, mendum seu Scriptoris seu Typographi incuriâ irrepserit, ita ut locò numeri 7. sit positus numerus 9. vel vicissim, dicta duo Monasteria non eodem sed diverso anno devastata sunt. Henriquez quidem, quem textus noster sequitur, allegat Langium scribentem utriusque Cœnobii devastationem contigisse anno isto 1427. verùm editio Langii Francofordiensis ex Bibliotheca Joannis Pistorii Nidani eruta, & annô 1613. in lucem data, quæ nunc nobis ad manus, sic habet: „ Annô MCCCCXXIX. Bohemi „ crebris victoriis elati, & prædarum avidi „ rursus hostili exercitu vicinas terras, præ- „ sertim Lusatiam, Misniámque ex parte va- „ stare cœperunt, & inter alia damna, Cœno- „ bia Novæ-Cellæ, & Grunhaim Ordinis Ci- „ sterciensis destruxerunt, & Monachos occi- „ derunt, & cuncta eorum bona diripientes „ abduxerunt. „

[11.] Idem Henriquez ubi suprà 2. Novembris, ubi in annotationibus sub littera C. addit: „ Grumain sive Grymelhaym, Cœno- „ bium de lineâ Morimundi celeberrimum à „ prima sua fundatione, in quo multi viri il- „ lustres claruerunt, usque ad illa deploranda „ Hussitarum tempora, quando Cistercienses „ Monachi furori hæreticorum se objicientes, „ martyriô affecti, non solùm Grumaiense Cœ- „ nobium, sed totum etiam Cisterciensem Or- „ dinem, imò universalem Ecclesiam sui san- „ guinis effusione illustrârunt. „

[12.] Catalogus Monachorum mortuorum MS.

[13.] Mortilogium Zwetlense commune.

Annus Christi MCCCCXXVIII. Monasterii CCXC.

Pont. Rom. Martinus III. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Michaël II.

Sigismundus Cæsar omnes hactenus in Bohemia conatus irritos cadere videns, Norimbergæ cum plerisque Imperii Principibus de belli ratione consilia instituit. Interim Pontifex Julianum Cæsarinum Cardinalem S. Angeli eximia ob prudentiam vitæque integritatem authoritate virum in Germaniam legat, ut extirpandæ Bohemorum hæresi bellum paret, ac Synodo Basileensi mox futuræ præsideat. Is Norimbergam profectus pro negotio sibi injuncto apud Cæsarem reliquósque Principes effecit, ut nova iterum auxilia, novæ copiæ decernerentur, & majori mole bellum in Bohemos moveretur. *[1.] Exercitu magno Germanorum congregato, Cardinalis cum Brandeburgo Alberto cognomine Achille Germano in Bohemiam ingressus, villarum aliquot incendia excitat, obvia quæque vastat. Non terruit hostem ea res, sed potiùs in vindictam armavit, cujus adventum Germani minimè expectantes subitò quodam pavore correpti fugam iniêre, Cardinale frustrà eos per interpretem revocante. Accurrunt Bohemi auctis ex hostium metu animis, & ultimum fugientium agmen carpunt, castra diripiunt, inventa in illis Cardinalis insignia pro ludibrio circumferunt. [2.]

„ Inter hæc Albertus Austriacus ad „ primum motæ in Bohemos expedi- „ tionis nuntium accurrens Præzoro- „ viam munitum oppidum obsidione „ cingit, mox verò de reliquorum fu- „ ga edoctus, séque hosti imparem „ agnoscens, retrò in Moraviam mo- „ vet, eámque nondum sibi dicto au- „ dientem subjicere aggreditur. Per- „ vaserat in eam Bohemorum hæresis, „ cui addicti qui erant Orphanorum & „ Taboritarum fœderibus illigati, quo- „ rum viribus tutos se fore confide- „ bant, Alberti juxta ac Sigismundi „ ipsius imperium aspernabantur. Igi- „ tur Albertus, qui integrum ex Bohe- „ mia exercitum reduxerat, oppida „ quædam vi capta diripuit, quingen- „ tos circiter pagos exussit, agros va- „ stavit, ac ita provincialium res affli-

„ xit, ut pace ac venia impetrata Do-
„ minum agnoscerent, ac in religionis
„ negotio quidquid futura Basileæ Sy-
„ nodus decrevisset, id se ratum san-
„ ctúmque habituros reciperent. So-
„ lus itaque Albertus, reliquorum quie-
„ scentibus armis, rem satis feliciter ge-
„ rebat. „ [3.]

Dum hæc in Bohemia & Moravia geruntur, rediit Româ cum confirmatione Apostolica Pataviam Leonardus Electus, qui à Salisburgensi Archi-Episcopo hoc anno consecratur. Hundius vult ipsius reditum aliquamdiu ab Archiduce Austriæ remoratum fuisse, seséque ipsi fortiter opposuisse. Universitas quoque Viennensis ei adversabatur, donec res variis modis jam Viennæ, jam Romæ agitata, eò tandem deducta est à Salisburgensi, ut utrinque reconciliatis animis Canonici Pataviam redirent, & Leonardus Episcopus maneret. [4.]

Porro anno priore Thoma Abbate in Zwetl defuncto, hoc anno electus successit Michaël II. [5.] fortè ille, qui anno MCCCXCIII. in dispersione Fratrum vocatur Michaël Polonus. De hujus Michaëlis successione, præter Chronosticorum Authorem & recentiorem Abbatum Catalogum, cæteri conveniunt. Illi enim quendam Albertum ejus nominis II. hìc collocant, & de Michaële omnino tacent, sicut etiam recentior Catalogus sub dubio loquitur ità: „ Anno 1427. Hîc de
„ duobus dubitatur, scilicet de Alber-
„ to II. & Thoma, quis primus illo-
„ rum fuerit. „ [6.] Verùm anno sequenti patebit, ubi de Michaële testimonium adduxero, quòd Abbas hoc tempore extiterit.

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Gerardus de Roó lib. 4. ad literam ab *Interim* usque *in Bohemos moveretur.* ubi sic prosequitur: „ Rei summæ præficitur
„ Fridericus Brandemburgicus, cui aderant
„ Joannes & Albertus ipsius filii, Fridericus
„ item Saxoniæ, & Albertus ac Christopho-
„ rus Bavariæ Principes. Episcopi quoque
„ Herbipolensis, Bambergensis ac Aichstetten-
„ sis aderant. Moguntinus, Trevirensis, ac
„ Coloniensis auxilia haud contemnenda mi-
„ serant. Advenerant quoque Georgianæ
„ Suevorum societatis milites, erátque in ar-
„ mis totum ferè Imperium, præcipuè verò
„ Sacerdotes, magnâ curâ in hoc bellum in-
„ cumbebant. Præter hos omnes Albertus
„ (*V. Austriacus*) quoque exercitum per Mo-
„ raviam in Boëmiam ducere jussus, aderat;
„ sed cùm Cardinalem cum aliis tardiùs se
„ movere, neque ad constitutum diem adesse
„ videret, retrocessit. Mox Julianus cum
„ numeroso exercitu hostium fines ingressus,
„ villarum aliquot incendia excitat, obvia
„ quæque vastat. Eduntur multa avaritiæ,
„ & crudelitatis exempla, nec ulla aut sexûs
„ aut ætatis habetur ratio. Non terruit ho-
„ stem ea res, sed in vindictam potiùs arma-
„ vit, cujus adventum Germani minimè ex-
„ pectantes subitò quodam pavore correpti
„ fugam iniêre. Cardinalis ea re perterritus
„ per interpretem fugientes allocutus horta-
„ tur, maneant, neque multi paucos, mili-
„ tiæ experti rudes cum totius gentis igno-
„ minia fugiant, rem esse cum hæreticis Deo
„ invisis, à quo certam promitti victoriam.
„ Hæc & alia multa surdis necquicquam auri-
„ bus ingerebantur, effusa capessitur fuga, qua
„ & Cardinalis cum aliis abripitur. Accur-
„ runt Bohemi &c. *ut in textu nostro.*

Æneas Sylvius c. 48. „ Sigismundus ---
„ Norimbergam profectus nova Principum
„ auxilia comparat. Martinus quoque Pon-
„ tifex Maximus Julianum Cardinalem Sancti
„ Angeli, literis ac moribus excellentem, cum
„ ea legatione in Theutoniam mittit, ut Bohe-
„ mis bellum inferat, & adveniente tempore
„ in Basiliensi Concilio, quod propediem fu-
„ turum erat, nomine Apostolico præsideat.
„ Is Germaniam ingressus, mox Norimbergam
„ ad Sigismundum se confert, quo in loco
„ frequentes Germanorum Reguli convene-
„ rant. Decreta est nova in Bohemos expe-
„ ditio, ad VIII. Calend. Julii. Dux belli
„ Fridericus Marchio Brandenburgensis decla-
„ ratus, qui Cardinalem sequeretur, ingres-
„ sus est Bohemiam per viam, quæ ducit ad
„ Topam. (*al. Teplam*) Institutus Albertus Au-
„ striæ Princeps suas copias per Moraviam
„ ducere jussus est. In ea expeditione Alber-
„ tus & Christophorus Bajoariæ, & Frideri-
„ cus Saxoniæ Duces fuêre. Johannes & Al-
„ bertus

„ bertus Brandeburgenses Principes cum patre, quem penes belli summa erat; Herbipolensis, Bambergensis, Eistetensis Episcopi, Societas Suevorum, quam Sancti Georgii vocant, & Imperialium civitatum Magistratus, Moguntinus, Treverensis, & Coloniensis Antistites auxilia miserunt, & cum his provinciarum suarum primores. Supra quadraginta millia equitum fuisse traduntur. Peditum minor erat numerus; nam Germani patentibus freti campis, equestres plerumque pugnas agitant.

„ Promiserat & Renatus Lotharingiæ Princeps in eam expeditionem sese venturum. Sed domesticô bellô implicatus, dum Comitem Videmontensem (*Vaudemont*) oppugnare nititur; neque promisso satisfieri potest. Neque Comes Palatinus Rheni, qui Videmontensi opem tulit, adversùs Bohemos ire permittitur. Cardinalis, dum eos operitur, ad Calendas usque Augusti profectionem suspendit. Albertus interea ex Austria ducens, cùm ad dictum diem adesse Cardinalem minimè intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retrocessit. Ingressus deinde Cardinalis, numerosum exercitum ductans, multas hæreticorum villas incendit, oppidáque diripuit: in quibus non avaritia tantùm, sed crudelitas etiam militum grassata est, qui mares cum fæminis obvios, senes, puerósque passim necavêre. In extremis tamen regni partibus ea calamitas desævit, cùm duces copiarum interiora petere formidarent. Bohemi, qui jam pridem hostem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coëgerant, & ubi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atque igne vastabant. Inter quæ Stiltivergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, puberes ad unum necati. Interea, sive proditio in exercitu fidelium fuit (quod plurimi putavêre) sive inanis sua sponte mentes hominum pavor invasit, totis castris trepidatum est, & priusquam hostis ullus in conspectu daretur, fœdissima cœpta fuga. Mirari Julianus, unde hic timor, quæ ratio tantum exercitum fugere suaderet, ambire duces, hortari arma expedirent, aciem instituerent, forti animo hostem expectarent; non de regni gloria, aut agrorum possessione certari: de vita, de religione, de Christi honore, de animatum salute bellum geri. Turpe Germanis esse, quorum nobilitatem, virtutémque totus orbis celebraret, ex prælio fugere: mori satiùs quàm hosti nondum viso cedere. Neque securos intra mœnia habitare posse, qui campos hosti relinquerent, arma viros, non muros tegere. Nisi gladiis modò libertatem suam tueantur, aut casuros brevì hostili ferro, aut servitutem morte miseriorem laturos. Sed frustrà apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metus evicerat. Ablata sunt raptim signa, & tanquam nullus esset in exercitu ductor, tumultuosè quisque non expectatô imperiô, non salutato comite, multi etiam projectis armis, non aliter, quàm si hostis à tergo instaret, rapido cursu fugam maturavêre. Quibus & Cardinalis invitus sese comitem dedit. Hostis paulò pòst ex metu alieno factus audax affuit, impedimentísque omnibus, quibus per sylvam non erat facilis exitus, & ingenti præda potitus est. „

Spondanus ad ann. 1431. n. 1. „ Annô Christi millesimô quadringentesimô trigesimô primô, Indictione nona, Martinus Papa de extirpatione hæresis Bohemicæ sollicitus Julianum Cæsarinum, è nobilissima Romana familia, S. Angeli Diaconum Cardinalem, virum doctrinâ, facundiâ, & rerum experientiâ, prudentiâque mirabilem, omnibúsque tam Latinis quàm etiam Græcis illorum temporum Scriptoribus laudatissimum; jam tunc in Germania apud Sigismundum Romanorum Regem agentem; ad id operis cum amplissima facultate Legatum à latere constituit, pro bello sacro contra Bohemos Hussitas indicendo, & aliis gerendis, quæ ad eam rem pertinuerent: dato ad eum diplomate tertiô Idus Januarii, quod recitat Cochlæus (*lib. 6.*) in Historia Hussitarum; unà cum ejus promulgatione, & orationum ad divinum auxilium implorandum indictione, per eundem Julianum vigesimâ primâ Martii factâ Neurembergæ diœcesis Bambergensis: cùm, ùt ait, pridem in eadem urbe Sigismundus conventu Electorum Imperii, ceterorúmque Principum tam Ecclesiasticorum, quàm Secularium, & communitatum habito, deliberâsset cum potenti ex tota Germania exercitu ad festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ Boëmiam ingredi ad extirpationem hæreticorum: qui interea (ùt Krantzius de hoc eodem conventu agens describit) rem factis potiùs quàm verbis agentes, Silesiam & Marchiam de more crudeliter devastabant, nec ordini, nec sexui, nec ætati deferentes, nullíque loco aut sacro, aut profano parcentes &c. „

[3.] Gerardus de Roó, ubi suprà. Item Æneas Sylvius, ubi sic prosequitur: „ Albertus tamen cùm accepisset intrâsse Bohemiam Cardinalem, & ipse iterum raptim „ ex

„ ex Austria coactis copiis in hæreticos duxit, Præzoroviámque munitum oppidum oppugnare adorsus est. Sed fugâ Cardinalis cognitâ, ab incepto destitit, & per Moraviam, quæ nondum ei parebat, infesta signa circumferens, supra quingentas villas ferro atque igne delevit. Oppida multa vi cepit & diripuit: mortalium maximam cædem fecit, adeóque gentem illam afflixit, ut jugum ejus accipiens parere sibi ea lege promiserit, ut circa religionem id sequi teneretur, quod Basileense Concilium decerneret. „

[4.] Hundius in Metropoli sua sub Leonardo Pataviensi Episcopo. „ A Salisburgensi quatuor post electionem annis consecratur annô 1428. Dux Austriæ Albertus à Canonicis inflammatus, Leonardo ex Italia redeunti sese fortiter opponit; sed & Universitas Viennensis ei adversatur, résque variis modis jam Viennæ, jam Romæ agitata, eò tandem deducta est à Salisburgensi Archi-Episcopo, ut utrinque reconciliatis animis Canonici Pataviam redirent, & Leonardus Episcopus maneret. „

[5.] Mortilogium Monachorum Zwetlensium. Abbas Wolfgangus in sua Abbatum serie.

[6.] Recentior Abbatum Zwetlensium Catalogus.

Annus Christi MCCCCXXIX. Monasterii CCXCI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Michaël II.

ANno isto Sabbatô ante diem Urbani circa vigesimum quartum Maji fit mentio Michaëlis Abbatis in quadam emptionis littera; *[1.] unde probatur non Albertus sed Michaël Abbatiam Zwetlensem hoc tempore rexisse, contra Chronosticorum Authorem & recentiorem Abbatum catalogum.

Verùm brevi tempore Michaël II. Abbatiæ Zwetlensi præfuit, nam Mortilogium Monachorum eundem hoc anno ex hac vita migrâsse refert sequentibus: „ Annô Domini 1429. obiît „ Michaël Abbas Chrempse sepultus „ circa Prædicatores. „ [2.] Alterum Mortilogium notat diem mensis Junii decimum septimum, nimirum 15. Kal. Julii Michaël Abbas Zwetlensis obiît. [3.] Hoc sepulto Fratres hinc inde dispersi convenêre vel Crembsii vel Viennæ, & novum elegerunt Abbatem Joannem ejus nominis I. cognomentô de Leubs, fortè ejus erat patria. De Joannis successione omnes conveniunt Abbatum Catalogi, nisi quòd duo sint, qui Joannem hunc non Michaëli, cùm nullum ejus nominis ponant, sed Alberto II. successisse velint. Deinde omnes ex duobus unum faciunt Joannem, nam alius fuit Joannes de Leubs ejus nominis primus Abbas, & alius Joannes II. cognomentô dictus Rastenvelder. Horum primus successit Michaëli II. anno isto; in quibus & ego antea hallucinabar nullam de hoc Joanne Loiensi habens cognitionem aut litterarium monumentum. Verùm venit in manus mihi instrumentum publicum, in quo hic Joannes Abbas aliquando fuisse Zwetlensis, & suamob causam, ùt loco suo (*Annô 1434.*) referetur, depositus ab officio legitur. Ideóque hoc fretus testimonio duos pono Joannes invicem sibi succedentes, cùm nullus Scriptorum Monasterii hujus in suis Abbatum Zwetlensium Catalogis primum sciverit ac collocârit. De eodem autem Joanne II. Abbas Wolfgangus ita scribit: „ Iste tempore gwerræ asportavit omnia clinodia, omnésque litteras cum libro fundi, & Reliquias ad loca tutiora, quæ eidem Monasterio sic salva manserunt. Scribi etiam fecit Missale, quod hodie in Summo Choro habetur, abbatizavit autem circa annum Domini 1443. „

[4.]

[4.] Hæc ille, quæ ita accipienda sunt, cum tunc non Abbatem fuisse, cùm præfatas res Monasterii mobiles ad loca tutiora deferri curavit, sed authorem fuisse præcipuum, ut prædicta transportarentur in Liechtenvels castrum hostibus Monasterio exitium minitantibus; nam Monasterium ab Hussitis combustum est Abbate Thoma Viennæ constituto. Interea, qui in civitate Zwetlensi de Fratribus habitabant, his cum residuis colonis Monasterium è cinere repurgare una cura fuit; & ligna comportantes muros Templi nudos contra nives & pluvias tumultuario opere muniêrunt, cùm præsertim spes esset hostes Hussitas in Austriam non redituros.

ADDITIONES.

[1.] Ex litterarum monumentis.
[2.] Monachorum mortuorum Catalogus.
[3.] Mortilogium Zwetlense commune.
[4.] Abbas Wolfgangus in sua Abbatum serie.

Annus Christi MCCCCXXX. Monasterii CCXCII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Martinus III.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes I.

FRidericus Austriacus Tirolensium Princeps interea cum suis Proceribus sibi rebellibus judicium iniit, & omnes vel dominiis suis & castris, vel majori annuorum redituum parte mulctavit. Quibusdam adempta inter alia dominia Stain, Ritten, Gries proverbiô locum fecêre, quòd Fridericus Proceres suos gravi morbo laborantes (voces enim illæ singula morborûm nomina referunt) miro curationis modo iis liberavit, & vacuam tandem peram resarcivit. Inde ad res Suevicas sese convertit Fridericus. Primæ ex civitatibus ad obsequium rediêre Friburgum Brisgoïæ, Neoburgum, Secconium, & Lauffenbergum: Villinga & Waldishutum nunquam à fide sui Principis desciverunt. Quæ verò ad Arulam ditiones Helvetiis in prædam cesserant, iis ab eo tempore Austriaci exciderunt. [*]

ADDITIONES.

[*] Gerardus de Roó lib. 4. ad finem. „ Inter hæc Fridericus Tyrolensium Princeps, „ nobilium quorundam conatibus obviam eundum ratus, Henricum Rotemburgicum „ omni prorsus ditione exuit, qui pœnam capitis deprecatus, filiam illi suam commendavit. Ea Beroni Rechbergio ex matre Ducissa Teccensi nato postea nupsit. Eandem „ cum Henrico fortunam sortitus est Calderani Dominus, qui viginti millibus aureis, „ Udalricus & Guilielmus Starckenbergici decem millibus annuorum redituum exuti sunt, „ eorum auspicia secuti Georgius & Joannes „ Toreri ab Horensteino, Bernardus item & „ Georgius Waldeccii & alii nonnulli. Pro „ Toreris postea & Waldecciis intercessit „ Albertus Bavariæ Dux. Reliquis adempta „ inter alia dominia, Stain, Ritten, Gries, „ proverbio locum fecêre, quòd Fridericus „ Proceres suos gravi morbo laborantes (voces enim illæ singula morborum nomina „ referunt) mirô curationis modô, iis liberavit, & vacuam tandem peram resarcivit. „ Paris quoque Lodronius, qui Principem „ offenderat, admissorum veniâ exoratâ aliquantò pòst ditioni suæ restitutus est.

„ Inde ad res Suevicas sese convertit Fridericus. Mittuntur igitur à Friderico Eberhardus Kirchbergicus, Guilielmus Montfortius, ac alii nonnulli ad civitates recipiendas cum litteris Sigismundi, quibus veterem agnoscere Dominum jubebantur. Etsi „ non deerant, qui occultis ab eo literis, diversum facere monitos, affirmarent. Primæ

„ ex civitatibus ad obsequium rediêre Fri-„ burgum Brisgojæ, Neoburgum, Secconium, „ & Lauffenbergum: Villinga & Waldishu-„ tum nunquam à fide sui Principis descive-„ rant. Quæ verò ad Arulam ditiones Hel-„ vetiis in prædam cesserant, iis ab eo tem-„ pore Austriaci exciderunt, ex quibus Tigu-„ rini Kiburgensem Comitatum: octo veteres „ pagi Bremogartum & Mellingam cum aliis „ vicinis locis: Lucernates loca illa ad Ru-„ sam fluvium cum Comitatu Rore, & Sur-„ sejo oppido cepêre: Bernates ascitis in „ prædæ societatem Solodorensibus, Bipen-„ nensibus, Neüenburgio Comite, & non-„ nullis aliis, Zofingam, Arburgum, Arovi-„ um, Lenzburgum & Pontes, sive Brugas „ oppida, omnémque illum tractum pagi Ver-„ bigeni, in suam potestatem redegêre, atque „ alia reliqui loca jure belli sua esse interpre-„ tati, non reddidêre, & hoc Friderico ob „ fidem Pontifici & Ecclesiæ præstitam acci-„ disse constat. Hæc alii aliquot annis antè „ facta esse referunt, procurationis tabulæ „ Comitibus à Friderico datæ, quas videre „ mihi contigit, annum præferunt quintum „ & vicesimum propè affectum. „

Annus Christi MCCCCXXXI. Monasterii CCXCIII.

Pont. Rom. Eugenius IV. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Joannes I.

MArtinus Papa III. dictus V. ex apoplexia hoc anno obiit Romæ, & ejus mandatô in Basilica Constantiniana ante capita Apostolorum sepelitur. *[1.] Mox omnium Cardinalium tunc præsentium suffragiis, quorum quatuordecim fuêre, creatur Pontifex Gabriel Condolmerius, Venetus, Presbyter Cardinalis tit. S.Clementis, qui Eugenius Papa IV. vocatus est, 5. Non. Martii, & 5. Idus Martii coronationis suæ insignia suscepit. [2.] Eum futurum Papam diu antè sic descripsit B. Malachias Hibernus: Lupa Cælestina. Erat enim Venetus, Canonicus antea Regularis Cælestinus & Episcopus Senensis, cujus civitatis insignia Lupa.

Porro hoc tempore Julianus Cardinalis per litteras ab Eugenio Papa IV. monitus, æstate jam adulta Basileam, uti Synodo Generali illic haberi cæptæ præsideret, profectus, de communi Patrum sententia Bohemos ad concordiam & assensum Synodo præstandum exhortatur. Sigismundus quoque litteris ad eosdem missis, Romam se ad suscipiendam à Pontifice coronam iturum significat, quæ res non sibi tantùm, sed ipsis quoque, ex quibus ortum duceret, insigne decus esset allatura. Orare itaque eos, ut pacis studia amplexi controversos in religione articulos Synodo Basileensi exponant, & amica disceptatione transactis omnibus ad concordiam redeant, neque aliis omnibus plus sapere soli velint. Id si fiat, non dubitare se de ipsorum fide, quin Regem suæ genti præ cæteris addictissimum eo loco sint habituri, quo fratrem, patrem, atque avum, quorum instituta sequi ipse vellet, habuissent. [3.] Hæc Gerardus, cujus iter non hoc anno, sed primùm tertio post tricesimum institutum est, utì eo anno dicetur.

Quoad Austriam sequentia reperiuntur in Authore quodam coævo, qui hæc ex eis didicit, qui interfuerunt: „ Annô 1431. in die Colomanni habuit „ Dominus Albertus Dux Austriæ prælium cum Hussitis in terra Austriæ „ prope castrum Kirchdorf, & obtinuit „ (*victoriam*,) & de Hussitis fuerunt interfecti septingenti, & capti nongenti, inter quos fuit Sokol, & omnes „ capti fuerunt ducti Wiennam, & ibi „ detenti. „ [4.] Hæc suprà citatus Author coævus. De prælio isto mentionem quoque facit Gerardus de Roó, quem in annum sequentem collocavi, antequam hunc Authorem vidi, ubi ma-

gis

gis patebit historia; ceterùm quoad tempus modò citato ego assentior Authori, quòd nimirum hoc anno in die Colomanni, id est, decimâ tertiâ Octobris vindemiarum tempore prælium cum Soccolio commissum sit. Ut autem major fides citato Authori meo habeatur, qui in sequentibus sæpius citandus erit, operæ pretium est, videre quis fuerit, & ubi vixerit. Scribit ipse de se in libro suo, qui liber Secretorum intitulatur, sequentia: „ Annô 1419. intravi ego Jacobus Rechwein servitium Notariatûs coquinæ Illustris Principis Alberti V. Ducis Austriæ, Domino meo gratioso (*Domini mei gratiosi*) annô ætatis meæ vigesimô sextô, Dominicâ Invocavit. „ [5] Hæc ipse. In initio autem libri mentionem sui facit taliter sermone vernaculo: „ Librum hunc possidet Jacobus Rechwein civis Viennensis, tunc ibidem censûs, quem vulgò vocant: Ungelts Provisor. „ Prosequitur deinde idem Jacobus de se loquens: „ Annô 1423. Dominicâ: Ad te levavi, ante Andreæ Apostoli (*diem*) duxi in consortem Dorothæam Virginem filiam Bernhardi Heun civis Wiennensis & Consul (*Consulis*) ipso jam defuncto, in præsentia Illustrissimi Principis Alberti Ducis Austriæ ac Elisabeth ejus Consortis, ac aliorum Baronum & Militum &c. Obiit quintâ (*id est 9. Junii*) Primi & Feliciani, annô 1457. & sepulta in Ecclesia S. Stephani sub Basilica signato lapide marmoreo cum Epitaphio. Annô 1426. Katharinæ intravi ego Jacobus ad servitium Ungelti in civitate Wiennensi, & fui ibi Provisor. „ [6.] Demum enumerat annos, dies & horas natalitiorum liberorum suorum, quorum fuerunt quindecim, decem mares, fæminæ quinque, quarum una Anna nomine Annô MCCCCLVII. ingressa est Monasterium ad Cœli-Portas Viennæ dictum. Scripsit hic Jacobus Rechwein gesta sui temporis usque ad Annum MCCCCLIX. itaque eousque vixit, & coævus Author comprobatur, cui fides meritò adhibenda sit. Hæc de Authoris fide fusiùs, & prælio isto Soccolii. Credo ego non Hussitas Bohemos cum Soccolio Moravo exivisse in Austriam, sed Hussitas Moravos, qui vagabundi prædæ inhiabant, nam locum certum ipsis in Moravia sua Albertus Archi-Dux non reliquit.

Interea Joannes Abbas Zwetlensis, ut Monasterio in cineres redacto atque colonis dissipatis rursùm consuleret, emptione curiam in Leubs quandam comparavit, utrum tamen hæc curia fuerit alia ab ea, quam diu jam ibidem possedit Monasterium, ignoratur, credo ego illam aliquando redimendam ex necessitate jam ab aliquo tempore venditam fuisse, & hoc anno à Joanne redemptam, in usum nimirum vinorum colligendorum, cùm præsertim in Longo-Loio plures Monasterii nostri vineæ sitæ essent, & in Chambarn usque deduci incommodum aut molestum. Data est emptionis littera annô Domini 1431. feriâ sextâ post Dominicam, qua cantatur: Quasimodo geniti. [7.]

Annotantur etiam in quodam antiquo libello sequentia: „ Annô Domini 1431. primò Purchstal jus montanum cum decima in Dierrnleiz, & pertinet ad Judicem in Weyckerstorf. „ [8.] Unde constat non tantùm decimam, sed quoque jus montanum juxta Haslach in monte dicto Purchstal jure possessionis & antiquæ donationis Monasterio nostro permansisse, collectam verò ad Judicem in Weyckerstorf semper fuisse deductam.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Martino V. „ Annô 1431. die 12. Februarii feriâ secundâ Carnisprivii sol deliquium passus, & die 21. ejusdem mensis Februarii, in aurora die Martis Martinus V. vir in omni vita sua integer, Pontificatûs sui annô 13. mense 3. die 10.

 „ apo-

„ apoplexiâ obiît, ætatis suæ annô 63. sepelitúrque ejus mandatô in Basilica Constantiniana ante capita Apostolorum sepulchro æneo, comitante Clero, non aliter flente, quàm si Ecclesia Dei, si urbs Roma unico atque optimo parente orbata fuisset, hoc Elogium in sepulchro ejus scriptum: Martinus Papa V. sedit annos XIII. menses III. dies XII. Obiit an. M.CD.XXXI. die XXI. Feb. Temporum suorum felicitas. „

Spondanus hîc n. 3. „ Dum isthæc (*constituendo Julianum Cardinalem ad celebrationem Concilii Basileensis Legatum*) prosequeretur pius Pontifex, contigit eum jam ab aliquo tempore infirmum, apoplexiâ oppressum hanc vitam deserere, 10. Cal. Martii Romæ, ætatis annô 63. Sedis 13. mense 3. die 12. ùt habetur in ejus æneo sepulchro, quod ei positum est in Basilica Lateranensi ante capita Apostolorum Petri & Pauli. Laudatur ab omnibus Scriptoribus multarum virtutum, ùt aliàs diximus: cui Ecclesia unionem, Italia quietem, Roma restaurationem debuit, ceteræ nationes eximiam de omnibus bene merendi voluntatem agnoverunt. Culpatur autem ab hæreticis, quasi cuidam permiserit sororem germanam uxorem ducere; auctoritate fultis Angeli de Clavasio in sua summa. Qui si Antoninianam inspexissent, quam idem Angelus testem citavit, reperissent utique falsitatem citationis. Quippe Antoninus disertè loquitur de dispensatione concessa cuidam, qui matrimonium contraxerat cum fœmina, cujus sororem priùs fornicariè cognoverat. Super qua affinitate dispensare, minimè excedere potestatis Pontificiæ limites in confesso est; tametsi Antoninus scribat variè super hac re à Theologis & Canonistis tunc disceptatum esse: nec dispensâsse Martinum, nisi quia fornicatio erat occulta, nec vir ille aptus esset ad Religionem, vel ad longinquam peregrinationem: & si divortium factum fuisset, magna scandala sequenda erant. Quòd verò & ab aliis idem Martinus accusatus est de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine; excusatur ab eodem Antonino, quòd eæ insumptæ sint in stipendiarios, & contra hostes Ecclesiæ: præter ingentes illas, quæ in restaurationes Ecclesiarum, aliáque urbis ornamenta expendendæ fuerunt. Quem & tantâ constantiâ fuisse Platina scribit; ut cùm duos haberet fratres unicè sibi dilectos, quorum alter Jordanus Princeps Salernitanus major natu peste, alter Laurentius minor in turri igne casu injecto periîsset, nil ex eo sit auditum, nil visum, quod impatientiæ, aut abjecti animi signum aliquod præseferret. „

[2.] Ciaconius in Eugenio IV. „ Annô Domini 1431. VII. Kal. Martii, die obitûs Papæ Martini V. novemdialia celebrari sunt cœpta; & Kal. Martii Missâ Spiritûs S. ab Episcopo Albano cantatâ, Cardinales 14. qui tunc in urbe erant, conclave ingressi sunt, paratum in Sacrario S. Mariæ super Minervam Ord. Prædicatorum; fuit septa platea super Minervam usque ad plateam Rotundæ. Sabbatô igitur V. Nonas Martii, tertio conclavis ingressûs die, omnium Cardinalium suffragiis, habitô scrutiniô electus est in Romanum Pontificem, D. Gabriel Condolmerius Venetus Presb. Cardinalis tt. S. Clementis, Senensis vulgò vocatus, qui Eugenius Papa IV. appellatus est. Qui Venetiis honesta familia populari, sed antiqua annô 1383. ortus est, quæ postea ipso Pontifice renunciato Patritiatum obtinuit, patrem Angelum habuit; adolescens parentibus mortuis Evangelii non surdus auditor, patrimonium quod ab illis non tenue acceperat, inter Christi pauperes distribuit, & socio Antonio Corario ejusdem fervoris adolescente Ordinem Religiosorum hominum, Canonicorum Secularium, Cælestini habitus, in Monasterio S. Georgii in Alga Venetiarum, cui ipsimet initium dederant, professus, in eo summa cum laude multis annis moratus est, & tam diu unà sanctissimè vixerunt, donec Angelus Corarius, Gregorius XII. vocatus, Petri Sedem obtinuit &c.

„ Annô Dominicæ Nativitatis 1431. Eugenius IV. Papa, V. Idus Martii ante fores Basilicæ Principis Apostolorum in Vaticano suæ coronationis insignia suscepit per Lucidum Comitem Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin, S. R. E. Archi-Diaconum præsentibus Cardinalibus, Clero & populo; sedit autem in Apostolica Sede Imperatoribus Cæsaribus Sigismundo Lutzemburgio, Alberto, & Friderico IV. Augustis, annos 15. menses 11. dies 21. „

Magnum Chronicon Belgicum. „ Eugenius Quartus, natione Venetus, qui ante Papatum dictus est Gabriel de Venetiis, cœpit annô Domini 1431. sedit annis sedecim (hæc ex Chronicis) iste fuit electus pacificè in urbe mortuô Martinô V. & indubitatus Papa habitus, sed paulò pòst expulsus ex Roma ità fuit, ut nudus fugeret. Item à Concilio Basiliensi citatus, etiam depositus fuit, sed non curavit. Et hinc

„ iterum

„ iterum schisma ortum, quod mansit usque „ ad mortem ejus. Qui illi favebant, multa „ laude digna de eo dixerunt: econtra, qui „ adversabantur, plura enormia imposuerunt, „ ùt moris est: tamen quidquid est, ante su„ sceptam dignitatem fuit vir abstractæ vitæ „ (puta fratricella) & bonæ famæ. Quid po„ stea fecisse dicatur, divino judicio relin„ quo. Ipse etiam Romam recuperavit adju„ tus à Venetis, & majorem obedientiam ha„ buit. „ Hæc Wernerus.

Spondanus hic n. 4. postquam electionem Eugenii IV. Pont. describit, ita prosequitur: „ Habet verò insuper Auctor Burdegalensis „ sæpe citatus superiùs (sive sit ejus conti„ nuator) satis accuratus chronographus, in „ vitis Pontificum, quas producit usque ad „ Nicolaum V. & annum 1453. antequam „ Cardinales ad electionem Pontificis proce„ derent, statuisse inter se certos articulos „ atque juràsse; intérque illos, ut imposte„ rum poneretur in literis Apostolicis: De „ consensu fratrum nostrorum, non solùm ùt „ priùs; De consilio: ut Papa non posset „ creare novos Cardinales absque consensu „ antiquorum, atque ut medietas patrimonii „ Ecclesiastici esset ipsorum Cardinalium. Ce„ terùm fuit Eugenius (ùt eum S. Antoninus, „ qui sæpe vidit, describit) staturâ procerus, „ gratiosus aspectu, nec animô minor; libe„ ralissimus ad pauperes, ad reparationem „ Ecclesiarum munificus; Religiosos Deum „ timentes eximio fovens affectu pariter & „ effectu; cultûs divini, & Christianæ Reli„ gionis dilatandæ zelator præcipuus. Multas „ autem persecutiones injustè passus, & insi„ dias vitæ, eas æquanimiter excelsóque ani„ mô tulit. Ita ille.

N. 5. „ Cujus quidem variam admodum „ fortunam portendisse quidam putârunt ca„ sum primo ipsius publico Consistorio con„ tingentem, quem Platina describit; cùm „ fatiscentibus ad immensæ multitudinis pon„ dus trabibus, trepidatum adeò tumultuosè „ fuit, ut in fuga Senogalliæ Episcopus ob„ tritus periérit. Referentes etiam ad infau„ stum ejusdem Pontificatum eclipsin solis, „ quæ die mortis Martini contigerat, quasi „ non tam ejus obitum, quàm temporum sub „ Eugenio calamitatem denunciaret. Supe„ ravit tamen omnia Eugenius auxiliô divi„ nô, & prudentiâ ac constantiâ suâ. Ipsó„ que Pontificatûs initiô civilem seditionem à „ Columnensibus Martini consanguineis pas„ sus, occasione conquisiti immensi thesauri, „ quem Martinus reliquisse dicebatur, eorum „ conatus armis repressit, incidénsque in in„ firmitatem sive paralysis seu veneni pacem „ cum ipsis composuit: cùm priùs Masius qui„ dam Presbyter ex Ordine Minorum ad Mo„ nasticum translatus, qui fuerat cubicularius „ Martini, atque Eugenium ad prædictas re„ quirendas pecunias impulerat sceleratâ per„ fidiâ mortem Pontificis meditatus, quæ„ sisset arcem S. Angeli proditione occupare, „ & Columnensibus tradere: idémque captus, „ facinúsque fassus, post degradationem mer„ cedem suæ iniquitatis ultimum recepisset „ supplicium, corpore quadrifariàm dissecto, „ & ad quatuor urbis celeberrimas vias ap„ penso. „

[3.] Gerardus de Roó lib. 5. ad initium exscriptus.

Æneas Sylvius Historic. Bohemic. c. 49. „ Exactus ex Bohemia Legatus (*Julianus Cardinalis*) Basileam se contulit, ibíque Con„ cilium celebravit. Sigismundus, qui per „ tempus expeditionis Norimbergæ se con„ tinuerat, ad coronam Imperii Romæ susci„ piendam iter ingressus, primoribus regni „ Bohemiæ literas dedit, in queîs scriptum „ erat: se natione Bohemum, nulli genti ma„ gìs, quàm suæ affectum, Romam non aliam „ ob causam petere, quàm coronæ suscipien„ dæ gratiâ. Id decus Bohemorum genti ac„ cidere, cujus honestandæ sibi maxima sem„ per cura fuerit. Cœptum esse jam suâ operâ „ Basileæ Concilium, hortari eos, qui se au„ diri de religione cuperent, eò proficisci, „ nec plus sapere vellent, quàm Mater Eccle„ sia Catholica. Auditurum benignè conven„ tum rationes eorum, tantùm operam da„ rent, ut cum Synodo de Religione con„ veniant, sibíque redeunti pacatum regnum „ reservent. Neque enim arbitrari se Bohe„ mos ejus imperium fugere, cujus pater, fra„ ter, avus apud eos regnaverint. Nec se „ alia lege regnaturum, quàm ceteri Chri„ stiani Reges. Scripsit & ipsa Basiliensis Sy„ nodus Bohemis, ut Legatos mitterent, qui „ fidei sui rationem ostenderent, securitatem „ itineris, & dicendi, quæ vellent, liberta„ tem promittens. „

Dubravius Histor. Bohem. lib. 25. „ Qua„ draginta millia aureûm nummûm ex Pan„ nonia in hanc ipsam Basileam die quadam „ allata ei (*Sigismundo*) fuerant, ac tum red„ dita, cùm iret cubitum. Excitatus non se„ mel à somno secúmque cogitans, cuinam „ potissimum usui aurum illud destinaret; ma„ nè ad se viros aliquot ingeniô & doctrinâ „ præstantes vocat, quorum studiô & operâ „ Concilii res non feriabantur, jubénsque „ sinum quemque suum pandere, vim auri il-

„ lius majorem apud illos abscondit. Idem „ (*Sigismundus*) author fuit legationis mittendæ ex hoc Concilio in Boiemiam ad pertentandos adhuc Boiemorum animos, si qua ratione adduci possent, ut ad sanitatem reverterentur. Legati cùm Egram civitatem in finibus Boiemiæ sitam pervenissent, simúlque accepissent, Pragam factionibus & dissensionibus solitis agitari, non solùm ex sua ipsorum securitate, sed etiam ex Concilii dignitate, rati fore, ut vocatis ad se Pragensibus ibidem Egræ, tanquam loco pacato, turóque, & quasi medio, ideóque utriusque partis colloquio maximè apposito religionis negotium juxta Concilii præscriptum tractarent. Venerunt Pragenses, & unà cum illis Procopius Thaboritarum insignis apostata & ductor, audiverúntque Concilii postulata, quæ omnia ad concordiam continendam, & schismata ac dissensiones coërcendas tendebant. Provocant statim adversarii ad disputationem de Scripturis, quasi de illis inter ipsos conveniret, cùm palam voce alia Thaboritæ, aliâ Calixtini loquerentur. Ille (*Procopius*) impudentissimè juxta ac imperitissimè meris Scripturarum commentis, expositionúmque earum mendaciis veritati obstrepebat. Calixtini etsi modestiùs agerent, tamen ea agnoscere, per quæ revincebantur, noluerunt, sacras litteras ad defensionem sui instituti violenter trahentes, utrique denique in cæca & obstinata pertinacia permanentes. Hoc tamen Legatorum humanitas & comitas obtinuit, ut dogmata utrique sua Concilio descripta mitterent, & interim pacis inter se fœdera servarent. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo.

Spondanus hìc n. 10. „ Quoniam verò res fuit octodecim ferme annorum, ante omnia visum nobis summam ejus brevissimè ob oculos proponere; ac præcipuè ex eodem Patritio (*Canonico Senensi, facto deinde Rituum Sacelli Pontificii Magistro, ac demum creato Episcopo Pientino*) qui in fine collectionis suæ epilogum addidit, cuncta strictim comprehendentem, tam ad gesta, quàm ad eorum ordinem ac modum spectantia, quæ in Actis & appendicibus Synodi fusiùs continentur. Cùm igitur Basileense Concilium originem & auctoritatem primam trahens à Synodis Constantiensi & Senensi inchoatum esset; paucis initiô convenientibus, & quædam contra Romani Pontificis potestatem moliri visis, Eugenius Papa illud annô primô dissolvere tentavit; nec tamen prævaluit, tribus circiter annis in hac altercatione elapsis. Donec Sigismundi Romanorum Regis operâ, concordiâ factâ, per annos ferme quatuor ea utcunque perseveravit: quo tempore multa salubria sunt statuta &c. Et postquam hic author tam personas præsentes, quàm modum consultandi retulisset, ita prosequitur:

N. 14. „ Cùm autem interea missus ad Eugenium Pontificem à Juliano Legato Joannes Pulchripanis Canonicus Bisuntinus ei significâsset (ùt narrat ipse Pontifex suis litteris) nullos ferè adhuc Prælatos Basileam accessisse: tam urbem, quàm vicina loca infestari armis Burgundiæ & Austriæ Ducum inter se bellantium, adeò ut non esset tutus ad eam accessus, in eadémque urbe Basileensi multa gravia scandala oboriri; cùm multi ex civibus Hussitarum hæresi infecti Clerum persequerentur, & crudeliter trucidarent: idémque alia parte Eugenius, ex tractatu per Martinum ipsius decessorem cum Imperatore & Patriarcha Constantinopolitano præhabito, per istorum nuncios sollicitaretur de Synodo habenda pro unione utriusque Ecclesiæ, electâ ad hoc Bononiâ Italiæ civitate; nec è re Christiana & Ecclesiæ Catholicæ esset, duo simul disjuncta Concilia tam dissitis locis celebrari. His, & aliis nonnullis rationibus, suis de hac re litteris ad Julianum scriptis secundò seu pridie Idus Novembris, idem Eugenius de Concilio decem Cardinalium, quos penes se habebat, potestatem fecit eidem Juliano Concilium Basileense dissolvendi, & in annum cum dimidio novum Bononiæ indicendi: nec non aliud pro tempore decennii in Constantiensi decreti, in loco ab ipso Legato & iis qui Basileæ convenerant eligendo pariter indicendi: etiamsi Julianus significâsset satiùs esse Concilium Basileæ fieri ad morum Germanorum reformationem, & alia nonnulla, quæ honestatis gratiâ magìs subticenda, quàm declaranda viderentur: hôc tantùm ab Eugenio petitô, ut nova fieret vocatio Antistitum. Quod tamen Eugenius non probavit, magìs cupiens Concilium omnino dissolvi; sive ob prædictas à se adductas causas; seu, ùt putatur, quòd jam subaudîsset aliqua ibi tractari cœpisse, quæ verebatur fore in præjudicium suum, ac Sedis Apostolicæ.

N. 15. „ Eo námque etiam pertinere videtur quoddam ejus decretum datum jam antea septimô Calendas Septembris: quo de decem pariter Cardinalium consilio & consensu sancivit Cardinales in secreto Consistorio pronuntiatos pro talibus haberi non „ debe-

„ debere, quousque insignia Cardinalatûs, „ videlicet Capellum rubrum, tituli assignationem, & annuli in digitum immissionem „ accepissent: neque verò etiam his acceptis, „ & in publico Consistorio Cardinales pronunciatos, in electione Romani Pontificis, „ aut alio quolibet actu vocem activam habere posse, donec de rebus & ritibus in „ Consistoriis tractari & observari solitis plenè „ instructis, à Romano Pontifice de consilio „ & consensu antiquiorum Cardinalium licentia impertita, & os apertum fuisset: & si „ qui sic pronuntiati contra præmissa Cardinales se ausi fuissent nominare, eo ipso perpetuam ad eam dignitatem inhabilitatem, „ fautores verò & auxiliatores excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrere.

„ Quæ quidem putatur Eugenius potissimum decrevisse contra Dominicum Capranicam Romanum, quem cum aliis tribus sic „ à Martino creatum fuisse absentem, ut non „ nisi pòst declarandus foret; Onuphrius & „ alii docent, résque distinctiùs declarata „ habetur in quadam responsione facta à Synodo Basileensi nunciis Eugenii, quæ extat „ in Appendice Actorum ejusdem Synodi. „ Qui quidem Dominicus vir existens insigni „ doctrina & prudentia, cùm nihilominus „ quibusdam adversantibus, nec electioni Eugenii interesse (quamvis id omnino decrevisset Martinus) nec ab eodem Eugenio „ permissus fuisset urbem ingredi, aut insignibus dignitatis uti: ac propterea Basileam „ sese ad Concilium recepisset, ibíque ùt Martini Cardinalis acceptus fuisset, inde creditur Eugenius timore ejus alti & præclari ingenii, hanc declarationem in eum potissimùm publicâsse, cujus & omnia bona intercepit. Tanta tamen, ùt tradunt, insignis „ viri modestia, ut nihil unquam asperi aut „ contumeliosi in Eugenium ex ejus ore eruperit. Cujus postea operâ idem ipse ac „ subsecuti aliquot Pontifices utilissimè in rebus arduis, pacísque ac belli negotiis, usi „ reperiuntur: ipséque ingentibus virtutibus, „ morum excellentiâ, vitæ austeritate, ac „ piis operibus nomen suum immortalitati „ consecravit. - - -

N. 16. „ Quod verò ad prædictam Eugenii constitutionem pertinet; cùm variè „ de his statutum fuerit diversis temporibus, „ ùt qui de ritibus ejusmodi scripsêre docent: Pius V. annô 1571. 26. Junii decrevit, Cardinales in electione Pontificis vocem habituros, etiamsi Galerus Cardinalitius eis traditus non esset, neque os clausum, aut si clausum, nondum apertum fuisset. Quod & olim judicatum vidimus in „ Androino de Rocha Sede Innocentii VI. „ vacante; fuitque nostris temporibus observatum in Cardinale de Comitibus Sede vacante Clementis octavi annô 1605. cui recèns è Legatione Avenionensi advenienti „ cùm de more Clemens in Consistorio, in „ quo Galerum ei contulerat, os adeò strictè „ clausisset, ut si ipsum Clementem mori contingeret, antequam illud ei apertum fuisset, „ minimè posset electioni successoris suffragium conferre; mortuo interim Clemente, „ nihilominus re in deliberationem posita, „ conclusum fuit clausuram illam oris simplicem esse cæremoniam, qua monentur „ novi Cardinales priùs addiscere, quæ in „ Consistoriis & Congregationibus fieri consueverunt, quàm de iis loqui præsumant: „ quæ tamen nullis obsit actibus legitimis, „ quin eos validè exequi possint.

N. 17. „ Fuit tunc prædicto Dominico „ Cardinali (Firmano dicto ab ejus Ecclesiæ „ administratione) à Secretis Æneas Sylvius „ (postea Pius PP. II.) cujus nomine sæpissimè illustrantur hi Annales, & cum eo primùm Basileam venit: qui nobili familia Picolominæa Senensi patre Silvio, matre Victoria annô Christi 1405. 14. Calend. Novemb. Corsiniani, quod est oppidum agri „ Senensis, ortus; Romæ humanioribus literis & Jure Civili apprimè excultus, hoc „ anno vigesimum sextum ætatis agebat; Bartholomæus etiam tertio nomine appellatus. „ Cujus extat vita à pluribus descripta ante „ ejus opera; & uberior in Commentariis nomine Joannis Gobelini Vicarii Bonnensis „ amanuensis sui ab ipsomet, ùt veriùs putatur, conscriptis.

N. 18. „ Sed ut ad Concilium redeamus; „ cùm acceptis Eugenii litteris Julianus Legatus hæsisset in earum executione, videns „ tamen crescere indies Antistitum numerum „ undique adventantium; iténique Oratores „ Regum ac Principum, ac nonnullos Cardinales concurrere, considerânsque præcipuam jam causam revocationis Eugenii, „ quæ erat Antistitum paucitas, & itinerum „ difficultas, cessare; nec tam dissolutionem „ Eugenius injunxisse, quàm rebus sic, ùt narrabat, stantibus potestatem dissolutionis „ fecisse videretur; maximéque necessariam „ esse ad res Germanicas & Boëmicas Synodi „ continuationem; nec denique posse ampliùs absque pudore, & Principum ac Prælatorum injuria & querimonia, rem in alium „ locum, aliúdve tempus remitti; decrevit

„ omnino ulteriùs procedere. Habitáque „ generali congregatione die Veneris septimâ „ Decembris, primam Synodi Sessionem indixit in sequentem diem Veneris decimam „ quartam in Ecclesia Cathedrali celebrandam. Eáque de re per nuncios incunctanter „ certiorem reddens Sigismundum Romanorum Regem, qui jam (ùt pòst explicabimus,) „ Mediolanum pervenerat ad iter Romanum „ pro corona Imperii accipienda; litteras ab „ eo recepit tam ipsi quàm universo Concilio „ directas, datásque Mediolani die undecimo ejusdem mensis Decembris; quibus „ eos valde laudavit de eorum proposito, „ hortatúsque est vehementer ad rem constanter prosequendam; & si qui forent, qui „ Concilium protrahere, aut dissolvere conarentur, illos tanquam membra putrida præciderent: quippe ex ejusmodi induciis, aut „ dissolutione Ecclesiam Dei in totalem interitum ruituram. Quo eodem sensu scripserat jam antea idem Rex ad Pontificem, „ cùm audìsset eum decrevisse Concilium dissolvere aut protrahere, hortans magis ad „ illud fovendum & augendum. - - - - - -

N. 20. „ Alia verò parte Eugenius occasione arrepta invitationis Boëmorum ad „ Concilium Basileense pro collatione articulorum controversorum, quòd id diceret esse „ in injuriam Apostolicæ auctoritatis, Sacrorúmque Conciliorum Constantiensis & Senensis, à quibus iidem Boëmi fuissent solemniter damnati, & postea publicis bellis, „ utì perfidi & pertinacissimi hæretici impetiti, quibus propterea juxta Patrum Decreta, & Legum Statuta omnis audientia „ deneganda esset: tam ex hac causa & periculis atque scandalis, quæ ex ejusmodi „ collatione imminerent, quàm ex illis aliis, „ quas inseruisse vidimus litteris de revocatione Synodi Basileensis ad Julianum Legatum scriptis: publicô edictô de consilio „ & assensu decem Cardinalium, quos penes „ se habebat, decimô quintô Calendas Januarii (quatriduô post celebratam prædictam Concilii Sessionem, ac proinde antequam rescire potuisset, quæ in ea gesta „ fuissent) promulgatô; de plenitudine potestatis Apostolicæ, Concilium, si quod „ Basileæ congregatum videretur, omnino „ dissolvit; aliúdque post annum cum dimidio Bononiæ, cui ipsemet interesset, rursúmque aliud in decennio vi decreti Constantiensis Avenione celebrandum indixit. „ Déque ea re speciatim scribens eodem die „ ad Sigismundum Regem, ceterósque Reges „ ac Principes, majorésque Prælatos; veritus „ ne existimarent fugere ipsum omnem Synodi „ celebrationem, asseruit se in proposito constantem esse, ac Concilii celebrationem necessariam putare. Quódque præcipuam „ revocationis causam insinuaret unionem „ Græcorum Bononiæ tractandam, Sigismundum rogavit, ut per litteras & nuncios „ Joannem Imperatorem, & Josephum Patriarcham Constantinopolitanum nuncupatum „ sollicitaret promissos oratores ad Synodum „ Bononiensem destinare.

N. 21. „ Quid verò Sigismundus responderit, dicetur anno sequenti. † Quem interea præsenti Alpibus transmissis Mediolanum pervenisse, & die S. Catharinæ vigesimâ quintâ Novembris in Basilica Ambrosiana Regium diadema (nempe coronam „ ferream, quæ aliàs Modoëtiæ in Ecclesia „ S. Joannis Baptistæ, ubi servabatur, recipi „ consueverat) assumpsisse memoranda celebritate; idem ipse prædictâ ad Julianum & „ Synodum epistolâ significavit: meminítque „ Corius solemnium in ejus coronatione observatorum per Bartholomæum Capram „ Archi-Episcopum Mediolanensem; nimirum „ impertitæ benedictionis, atque annuli pretiosi, gladii nudi, coronæ ferreæ, sceptri „ & pomi aurei in signum Monarchiæ traditionis. Quibus tamen noluit interesse Philippus Mediolani Dux, Placentiæ interim „ morbum simulans, jámque à Sigismundo „ abalienatus: eò quòd suspicaretur eum proniorem esse in Venetos & Florentinos ipsius „ Philippi hostes (quorum inter se his temporibus bellica dissidia, cladésque utrimque „ illatas & acceptas præter auctores domesticos fusiùs describit Blondus) quamvis præcipuus is fuisset auctor ipsius adventûs, suis „ eum se opibus & copiis per Italiam deducturum pollicitus. Quod tamen non solùm non præstitit, verùm etiam nec potestatem introeundi cum paucis in arcem Mediolanensem visendi causâ concedere unquam voluit: unde & inimicissimus postea „ factus est ei Sigismundus; qui interim Placentiæ ac Parmæ hyemavit, res suas inde „ prosecuturus. „

† Idem ad annum sequentem n. 16. „ Ad „ quæ decernenda *(quæ decreta sunt Sess. 7. & 8.)* putamus eos *(qui in Concilio congregati erant)* audentiores factos, ex eo, „ quòd inter hæc Sigismundus Romanorum „ Rex Senis existens die vigesima secunda „ Novembris diploma promulgâsset; quo testatus est se ab initio favisse Concilio Basileensi, & imposterum ei pro viribus patrocinaturum, nec permissurum ejus auctoritatem

„ tem & libertatem in aliquo labefactari. Qui „ quidem post transactam Parmæ & Placentiæ „ hyemem, Lucam & Senas civium vocatio- „ ne adversùs Florentinos ipsos vexantes acce- „ dens, totum pene reliquum anni iis partibus „ nihil aut perparum agens consumpsit &c. „

[4.5.6.] Jacobus Rechwein civis Viennensis in Annotationibus suis.

[7.] Ex litterarum monumentis.

[8.] Ex libello Magistri vinearum.

Annus Christi MCCCCXXXII, Monasterii CCXCIV.

Pont. Rom. Eugenius IV. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Joannes I.

CUm anno priori Bohemi tam Concilii, quàm Sigismundi litteris vocati essent Basileam, ut fidei suæ rationem ostenderent, ipsi tamen tergiversantes in hunc usque annum iter distulerunt. „ Nam inter ipsos erant duæ „ sententiæ: Orphani & Thaboritæ & „ plebs ferè omnis, eundum esse nega- „ bant, Joannis & Hieronymi exem- „ plum in medium afferentes, qui Con- „ stantiam ad Synodum profecti sub „ fide Sigismundi publicè combusti „ fuissent. Nobilitas verò Mainardum „ secuta Principem Novæ-Domûs, Vi- „ rum cordatum & ingeniô dextrô, pe- „ tendum esse Concilium prorsus aje- „ bat, nec tolerandos videri, qui no- „ vas peregrinásve de fide sententias, „ novúmque ritum religionis invenis- „ sent, nisi dictorum, factorúmque „ rationem Universali Ecclesiæ redde- „ rent, & quæ vulgo inculcaverant, „ coram doctis defenderent. Vicit „ hæc sententia. Legatio trecento- „ rum equitum Basileam missa, cujus „ Principes fuêre Gulielmus Cosca, non „ tam equestri dignitate quàm Eccle- „ siarum direptione insignis: Procopius „ cognomentô Rasus, idémque magnus „ multis victoriis, magnísque sceleribus „ nobilitatus: Joannes Rochezana, „ Pseudo-Pragensium Apostolus: Nico- „ laus Galecus Thaboritarum Sacerdos, „ & Petrus Anglicus patriâ profugus, „ ac solis elenchis in disputatione con- „ fidens. „ *[1.] In his legatis Bohemorum tum evocandis, cùm deducendis securè, magnam præstitêre operam Concilii jussu & nomine, Joannes Gelhusius ob dexteritatem ingenii ac regionum & rerum experientiam excellens, Monachus Ordinis Cisterciensis, Mulbrunnæ professus. [2.] Et Abbas Eberacensis ejusdem Ordinis Monasterii in Franconia, alíique plures. Bohemi non adeo fidebant, unde hic quoque annus protractus est, nec inchoatum iter: interea tamen per legatos Concilii atque finitimos Principes Egræ, ubi conventus indictus utriusque partis erat, eò res deducta est, ut præfatos Principes legatos Bohemi cum aliis eorundem sociis Basileam totius regni nomine tandem dirigerent, [3.] qui anno sequenti primùm ad Concilium pervenerunt.

Dum hæc circa Bohemos aguntur, Alberto Archi-Duci Austriæ per Sigismundi Cæsaris absentiam res in Moravia & Austria satis quietæ fuerunt. Solus turbare aliquid conatus Soccolius, vulgò Scheckl, cum tumultuaria prædonum manu Austriæ fines ingressus, vindemiatores infestabat, qui à vicinis Proceribus fusus ac fugatus est, sexcenti abjectis armis capti, Viennam deducti sunt. [4.] Fuit Soccolius Moravus homo facinorosus, qui in Austriæ bello intestino Laam civitatem astu occupaverat, & præsidio latrunculorum muniêrat, unde tunc quoque in vicinos agros excurrens prædas agebat, quæque agi aut ferri minùs poterant, ferro & igne corrumpebat. [5.] Memorat

Gerardus suprà citatus hoc anno Soccolium à vicinis Proceribus fusum ac fugatum esse, inter quos ego numero etiam Chünringios Fundatores nostros, qui in castro Seveldensi tunc sedebant in finibus Austriæ & Moraviæ sito. De Soccolio plura scripsi anno priore & certiora.

Porro Sacer Ordo noster Cisterciensis tanquam membrum S. R. Ecclesiæ in Generali Basileensi Concilio deesse non debuit, unde quidam ad id Concilium in Generali Capitulo lecti Abbates mittendi, petierunt ab universi Ordinis ejusdem Coabbatibus suis tum itineris, cùm moræ Basileæ trahendæ expensas, sine quibus neque ipsi proficisci, neque vivere ibi valerent. Quare etiam in Germania, & in Austria à Monasteriorum Ordinis nostri Abbatibus ejusmodi subsidium petitum est. Petiit à Monasterio Zwetlensi licèt ab Hussitis destructo & combusto (quod miror) Joannes Abbas Runensis, Saltzburgensis Diœcesis, à Generali Capitulo ejusmodi subsidii collector per Austriam constitutus certam pecuniam, utrùm tamen petitam omnem acceperit, non constat. Fatetur autem chyrographô suô se à Joanne Abbate in Zwetl recepisse sex florenos pro subsidio à Capitulo Generali novissimo injuncto, & in expensas & sumptus Ambassiatorum dicti nostri Ordinis ordinato, qui ad præsens Sacrum Generale Basileense Concilium missi sunt, aut adhuc mittentur. Data est littera in Monasterio Zwetl in die S. Udalrici Episcopi, 4. Julii, annô 1432. [6.] Fuerunt in Concilio sæpefato nostri Ordinis Abbates: Joannes Abbas Cisterciensis Generalis; Abbas Eberacensis ex Franconia; Joannes Abbas Mulbrunnensis ex Wirtenberga unà cum Monacho suo Joanne Gelhusio Viro prudenti, de aliis mihi non constat. [7.] Ex littera autem præfata conjicitur Monasterium Zwetlense jam in aliquot tectis fuisse refectum, & loca ad habitandum parata, cùm hic Abbas cum nonnullis Fratribus moraretur.

ADDITIONES.

* [1.] Æneas Sylvius c. 49. exscriptus, ubi sic prosequitur: „ Effusus extra mœnia „ Urbanus populus, ex Synodo quoque complures adventum fortissimæ gentis pro portis expectavêre. Alii frequentes in plateas, quà transitus esset, convenêre, matronæ, pueri, puellæ fenestras atque tecta complevêre: Alii hunc, alii illum digitô designare, peregrinos habitus, non visa priùs vestimenta mirari, horribiles hominum facies, truces notare oculos, non esse alienum dicere ab ea hominum specie facta, quæ fama prodiderat. In unum tamen cuncti Procopium defigere lumina, illum esse, qui toties fidelium fudisset exercitus, qui tot oppida subvertisset, tot hominum millia neci dedisset, quem sui pariter atque hostes metuerent, invictum ducem, audacem, intrepidum, neque labore, neque timore superandum. „

[2. & 3.] Idem in Additione ad cap. 50. Historiæ Bohemicæ, editionis Germanic. ex Bibliotheca C. V. Marquardi Freheri An. 1602. „ Cùm Bohemi in erroribus suis persisterent, „ & primitivam ac Apostolicam Ecclesiam jactantes à Romana Sede pertinaciùs evararent: exulceratis nimirum illorum animis ob „ Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis exustionem missus est in Germaniam Legatus „ Julianus, Cardinalis titulo S. Angeli, ut „ expeditionem appararet in rebelles Bohemos, quam Romana consuetudo Cruciatam „ appellat. Putabat enim Romanus Pontifex hanc gentem à Germanis facilè posse „ superari. Verùm res aliter evenit. Nam „ nostris sæpiùs in fugam versis, tantum vicinis omnibus terrorem incusserunt, ut nihil „ aliud quàm pacem optaret Germania. Rebus itaque non succedentibus, cùm semper „ Bohemi superiores essent, quamquam à novo jam Pontifice Eugenio sententiâ anathematis damnati, optimum factu visum est, si „ Basileam, ubi nuper indictum erat Concilium, vocarentur. Quare Cardinalis Julianus eò loci præmisit Johannem Polomarium „ Pontificii Juris Doctorem, Sacríque Palatii „ Auditorem, & Johannem de Ragusio Theologiæ Professorem Ordinis Prædicatorum „ tum Procuratorem Generalem, qui postea „ Argensis Episcopus factus, etiam in Cardinalium numerum meruit recipi, titulum „ Sancti Xisti indeptus. Qui cùm Basileam „ venis-

„ veniſſent, An. 1431. menſe Auguſto, vocâ- „ runt literis ad Concilium Johannem Mulbrunnæ Abbatem, & Joannem Gelhuſium „ ejusdem Cœnobii Monachum. Nam hoc „ homine propter dexteritatem ingenii, & re- „ gionum ac rerum experientiam, inprimis „ opus erat ad obeundas legationes. Abbas „ aliis negotiis diſtentus non venit: Johan- „ nem tamen morbo paulò antè vexatum, & „ adhuc valetudine non ſatis confirmata, Ba- „ ſileam miſit. Quò non multis pòſt diebus „ Julianus quoque pervenit, ùt promiſerat. „ Is ſtatim Johannem Gelhuſium, & Hamma- „ num Offenburgium, Conſulem Baſileenſem, „ primùm ad Sigismundum Cæſarem, Feldkir- „ chii tum agentem, deinde ad Fridericum „ Ducem Auſtriæ mittit pro componendo „ bello, quod huic erat cum Philippo Duce „ Burgundiæ. Fiebat hoc ut reddita pace, „ tutò liceret Baſileam venire, non ſolùm „ Proceribus Eccleſiaſticis, ſed & mercatori- „ bus, atque adeo omnia, quæ ad victum per- „ tinent, importare. Hanc legationem „ obeuntes, litteras acceperunt à Sancta Sy- „ nodo, Sigismundo Cæſari reddendas, qui- „ bus Bohemi & Moravi ad Concilium vo- „ cabantur: has ille mox in Bohemiam per- „ ferendas curavit. At cùm in Italiam pro- „ ficiſceretur Imperialem à Pontifice coronam „ ſuſcepturus, protectorem interim velut Vi- „ carium Sacro Concilio dedit Wilhelmum „ Bavariæ Ducem. Porro cùm Synodus mo- „ nita fuiſſet, noſtros conditiones pacis à Bo- „ hemis accipere velle poſt fœdam illam fu- „ gam, arbitrans hoc ignominioſum eſſe, „ miſit Joannem Niderium Ordinis Prædica- „ torum Theologum, & Johannem Gelhu- „ ſium, qui commodùm redìerat, ut vicinum „ Bohemis populum conſolarentur, & Mora- „ vos Bohemóſque ad Concilium antè voca- „ tos, ad veniendum ſedulò urgerent. Hi „ tertiò Calendas Novemb. Baſileâ diſce- „ dentes, Monacum versùs (oppidum id eſt „ Bavariæ) iter inſtituerunt. Ubi cùm pri- „ mùm Wilhelmum Ducem, & hujus fratrem „ Erneſtum, atque Erneſti filium Albertum „ ſalutâſſent, & mandata legationis ſuæ ex- „ poſuiſſent, ipſúmque Wilhelmum monuiſ- „ ſent, ut quamprimum Baſileam veniret, „ quòd ei tutela Concilii commiſſa eſſet à „ Cæſare, mox Fridericum Marchionem „ Brandeburgii, Johannem Ducem Bavariæ, „ & Senatum Nurenbergenſem, ac alios Prin- „ cipes & Dominos partim litteris Synoda- „ libus, partim etiam ore ſuo ſunt adhor- „ tati, ut nullo pacto fœdus cum Bohemis „ inirent, quod Eccleſiæ nocere poſſet: ad- „ futurum mox auxilium. Rogabántque no- „ mine Concilii, ut ſi Bohemi legatos ſuos „ Baſileam mittere vellent, deducerent eos „ per ſuam quique regionem ſalvos. Omnes „ ſe hoc facturos receperunt. „ Hæc Sylvius, qui hiſtoriam fusè proſequitur.

[4.] Gerardus de Roó lib. 5. ad litteram, ubi ſic proſequitur: „ Taboritæ verò ob irritos exterorum conatus inſolentiores facti, „ & pro libito omnia per Boëmiam adminiſtrantes, domeſticis quoque graves fieri „ cœperant. Nobiles igitur nonnulli, præſentem rerum ſtatum commiſerati, arma in „ eos capiunt, præliis aliquot ſuperiores, „ utrumque Procopium cædunt. Reliqui „ amiſſis ducibus parvo negotio ſubjugati. „ Nobilium primi erant Meinardus à Nova- „ Domo, & Alſcio Roſembergicus, cum qui- „ bus Pragenſes, & Pelſinenſes ſocia arma „ conjunxerant. „

Cuſpinianus in Cæſarib. ſub Alberto V. „ Cùm verò prædones quidam duce Sockol „ per Auſtriam palantes, ac vagabundi oberrarent, ab Auſtralibus capti, laqueis, igne, „ ferróque mox abſorpti ſunt. „

[5.] Gerardus de Roó lib. 4. ad litteram.
[6.] Ex Autographo ipſius.
[7.] Sylvius ſuprà ſub n. 2. & 3. relatus.
Jongelinus in Notitia Abbatiar. Ord. Ciſterc. lib. 2. in ſerie Abbatum Mulbrunnenſium fol. 68. „ Decimus octavus, Joannes de „ Geylenhauſen, ex Carthuſiano factus Prior „ in Stams Ordin. Ciſterc. deinde hujus loci „ Abbas, Concilii Baſileenſis Legatus ad Bo- „ hemos. „

Ann. Chriſti MCCCCXXXIII. Monaſterii CCXCV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Eugenius IV.	Sigismundus.	Albertus V.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leonardus.	Joannes I.

IMperator Sigismundus cùm jam ſex menſes Senis ſubſtitiſſet cum magna populi Senenſis expenſa, tentatam fruſtrà cum Florentinis pacem omittens, ad

ad Eugenium conversus, inito cum eo fœdere Annô MCCCCXXXIII. septimâ Aprilis, pax inter eundem Eugenium & Sigismundum Regem Romanorum die Martis publicata tubarum sonitu, hilaritas populi, & publica lætitia habita. Prædictô igitur annô MCCCCXXXIII. die 21. Maji Sigismundus Rex Romanorum in urbem venit, magnâque pompâ ingressus per portam Castelli pergens ad Basilicam S. Petri, ante cujus gradus à Pontifice solenniter susceptus est, & ambo Basilicam ingressi sunt. Ultima verò die Maji Sigismundus ab Eugenio Imperator coronâ aureâ redimitus in dicta Basilica omni populo Romano inspectante salutatur, post breve colloquium Papa equum ascendit, cujus frænum Imperator tribus passibus tenuit, inde ipse quoque conscensô equô, Pontifice illum usque ad Castellum Sancti Angeli comitante, ad Lateranensem Basilicam tetendit, ubi Arâ Templi maximâ osculatâ ad SS. Quatuor Coronatos pransurus accessit, atque hinc in palatium ad gradus S. Petri quieturus devenit. Tandem cum bona Eugenii gratia Annô MCCCCXXXIII. die 13. Augusti abiens per portam Salariam, per Picenos & Flaminiam iter faciens, Ferrariam atque Mantuam pervenit, ubi dies aliquot immoratus Joannem Franciscum Mantuæ Dominum Marchionali dignitate additis Imperii insignibus ornavit. * [1.] Deinde Basileam ad Concilium perveniens dissidióque Patrum, quod tunc erat cum Eugenio, ad tempus sedatô, Ulmam se contulit. Ea est Sueviæ civitas ad ulteriorem Danubii ripam sita. Licius amnis, qui Suevos à Bojoariis disterminat, è regione urbis in majori flumine exoneratur.

Porro Jacobus Rechwein de Austria sequentia hoc anno refert: „ Annô „ 1433. sextâ post Annuntiationis S. „ Mariæ, vel in die Rudberti, Elisabeth „ consors Alberti V. Ducis Austriæ, & „ Filia Regis Sigismundi Romanorum, „ Ungariæ & Bohemiæ &c. peperit pri- „ mogenitam filiam Annam nomine „ horâ quintâ post medium noctis, quæ „ fuit sterilis circa decem annos, annô „ ætatis prædictæ Ducissæ XXV. „ Hæc citatus. [2.] Cuspinianus dat eam Gulielmo Saxoniæ Duci uxorem „ [3.]

ADDITIONES.

* [1. ⁂] Ciaconius in Eugenio IV. fermè ad litteram ità prosequens: „ Quem „ (*Imperatorem*) progredientem ad Basilicam „ Lateranensem Papa comitatus est usque ad „ Molem Hadriani, in cujus ponte multos „ tum Italos, tum Germanos, ùt Imperato- „ rum mos est, in Equestrem Ordinem adsci- „ vit, qui sculpti sunt in valvis arcis S. Petri „ versùs dexteram. Papa verò ad S. Petrum „ rediit. „

Æneas Sylvius Histor. Bohemic. c. 52.

Gerardus de Roó lib. 5. „ Sigismundus „ Cæsar in Italiam profectus, Romæ ab Eu- „ genio coronam solemni ritu suscepit. Pòst „ in Germaniam reversus, Basileam primùm, „ unde post conciliatum Synodi Patribus Eu- „ genium Ulmam venit. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo.

Octavius de Strada sub Sigismundo.

Aventinus Annal. Boior. lib. 7.

Spondanus ad hunc ann. n. 14. „ Verùm „ ut - - -, expediamus jam expectatam diu „ Sigismundi coronationem; cùm is Urbi ap- „ propinquaret, Eugenius Pontifex obviam „ illi destinavit aliquos Cardinales, & plures „ Prælatos, ac Proceres Romanorum; qui „ magno honore eum deduxerunt, Clero, „ populóque ingenti pompa ac plausu comi- „ tante. Ipséque Pontifex ad gradus Basilicæ „ Vaticanæ cum magno apparatu eum exce- „ pit ad pedis & oris osculum, ipso die Ascen- „ sionis Dominicæ duodecimô Calendas Ju- „ nii. Pridie verò earundem Calendarum, „ nempe festô Pentecostes, solemnissimis cæ- „ remoniis coronatum, Imperatorem Augu- „ stúmque appellavit: præstitô priùs ab eo con- „ suetô juramentô de fidei Catholicæ & Ro- „ manæ Ecclesiæ aliarúmque, ac jurium, „ omnium privilegiorúmque earundem de- „ fensione & conservatione.

„ Redeuntem à Vaticano, ubi coronam „ accepit, ad Lateranum, ubi diverterat, Pon- „ tifex usque ad pontem Hadriani comitatus „ est eques equitem, sed stratoris munere „ in

„ in ascensu Pontificis, & aliquot passuum „ incessu pedibus de more functum. E ponte „ redeunte Pontifice ad S. Petrum, ibi Impe- „ rator, uti mos erat, multos tum Italos, tum „ Germanos in Equestrem Ordinem ascivit. „ Moratus aliquamdiu pacificè Romæ, cum „ bona venia Eugenii Pontificis abiens per „ Picentes & Flaminiam, Ferrariam atque „ Mantuam pervenit; & Joannem Franciscum „ Gonzagam Mantuæ Dominum Marchionali „ dignitate additis Imperii signis ornavit, ac „ per singulas civitates pluribus contulit mi- „ litiam, Doctoratum, & varias dignitates. „ Demúmque trans Alpes abivit; & quidem „ tanta varietate animi, vel fortunæ, ut ini- „ micissimus Philippo Mediolanensi abiêrit, „ cujus hortatu Italiam intrâsset; Venetorum „ autem, quibus maximè inimicus venerat, „ amicissimus: à quibus etiam magnis hono- „ ribus per eorum fines iter faciens affectus est. „ Ita enim de coronatione & subsecuto iti- „ nere Sigismundi Blondus, Antoninus, Pla- „ tina, & alii. Qui autem ejus coronatio- „ nem anno præcedenti posuerunt, errâsse „ certum est. „

[2.] Jacobus Rechwein in Annotatione sua.

[3.] Cuspinian.in Austria sub Alberto V. „ Genuit & Albertus V. filias duas, Annam „ scilicet, Guilhelmi Ducis Saxoniæ uxorem, „ & Elizabetham Casimiri Regis Poloniæ con- „ jugem, quæ longè superavit Lampedonam „ illam apud Veteres; quæ scilicet fuit filia „ Regis, Alberti scilicet V., soror Regis La- „ dislai: mater quatuor Regum, Joannis Ale- „ xandri, Alberti, Vladislai, Sigismundi, & „ Friderici Cardinalis, avia Regis Ludovici „ Regis Hungariæ & Bohemiæ, & uxor Regis. „ Quis mihi similem ostendet matronam, quæ „ filia Regis, soror Regis, uxor Regis. & ma- „ ter quatuor Regum, & avia Regis fuerit? „ At talem fæminam produxit Domus Austriæ „ decantatissima, Deo amabilis & accepta „

Piespordius. „ Anna IV. Austriaca nupta „ Wilhelmo Duci Saxoniæ, Friderici Land- „ gravii Thuringiæ, ejusdémque familiæ Ele- „ ctoris Saxoniæ primi filio, Friderici II. Ele- „ ctoris fratri. „

Pontus Heuterus de Habspurg. origine in Apparatu suo cap. 4. „ Reliquit Cæsar Alber- „ tus ex Elisabetha Lutzenburgica, aut potiùs „ Bohema, liberos tres; Elisabetham uxorem „ Casimiri Poloniæ Regis, quem post fratris „ mortem Hungariæ ac Bohemiæ Regem fecit; „ Annam uxorem Guilielmi Saxoniæ Du- „ cis &c. „

Ann. Christi MCCCCXXXIV. Monasterii CCXCVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes I.

EUgenius Pontifex Romæ in magno discrimine versabatur, nam populus Romanus ad libertatem aspirans, ex eo quòd de ablatis ejus pecoribus nullum ei auxilium à Pontifice præstaretur, insuper à Camerario ejus nepote luderentur, ad arma conclamavit, his sumptis in Capitolium irruunt, multis vulneribus Senatorem sauciant,& trans Tiberim prætergressi, ubi Papa existebat, Camerarium ejus capiunt, & in Capitolino carcere recludunt. Eugenius autem his auditis Anno MCCCCXXXIV. die tertiâ Julii è palatio suo Transtiberino lintre vectus, mutato habitu sumptóque Monastico cucullo, unà cum Arsenio Monacho S. Pauli navigans, ad Ostia Tiberina pervenit: cùm subitò Romani quidam cognitâ hominis fugâ selectam juventutem transmittentes, qui ejus cursum sagittis & saxis jactis impedirent, ad Ostia usque Tiberina cum injuriis & contumeliis lacescentes & inclamantes furem, prædonem & pædiconem. Ad Ostia verò prædicta paratam triremem inveniens Pontifex in eandem conscendit Nonis Julii, eadémque Pisas deinde Florentiam pervenit. Ubi ad tollendum Concilium Basileense conversus, illud quidem primò ex Basilea Bononiam transfert, Cardinalium omnium qui secum aderant consensu, sed Imperator, aliíque Principes & Prælati, qui tunc Basileæ erant,

non mōdò Pontifici non obtemperârunt, sed etiam ipsum bis térque monuerunt, ut Basileam unà cum Cardinalibus proficisceretur, aliter se in eum acturos ùt in prævaricatorem & contumacem. Motus istis verbis Eugenius Basileense Concilium litteris Apostolicis confirmavit. Vexabatur enim undique bellis, ut vix ei respirandi facultas daretur. * [1.]

Dum hæc Romæ geruntur, interea Bohemorum Legati in Concilio Basileæ rationem suæ fidei dabant, proponentes quatuor articulos, quos sibi resolvi postulabant. Erant autem sequentes: „ I. De Communione Divinæ Eucha„ ristiæ sub specie panis & vini. II. De „ Civili Dominio, quod Clericis inter„ dictum divina lege dicebant. III. De „ Prædicatione Verbi, quam liberam „ omnibus arbitrabantur. IV. De pub„ licis delictis, quæ nulla ratione tole„ randa putabant. „ [2.] Hos articulos cùm Bohemi vehementer defenderent, & contra Patres Concilii vehementiùs impugnarent, nihílque remittere Bohemi vellent, dicentes se sinè populi Bohemiæ consensu, nihil diffinitum accipere audere: Legatos unà cum ipsis Concilium in regnum ablegavit, qui fuêre: „ Philibertus Constantien„ sis in Normannia Antistes; Petrus „ Augustensis Episcopus, Joannes Po„ lomarius Archi-Diaconus Barcino„ nensis, Juris Pontificii Professor; Fri„ dericus Parsperger Præpositus Ratis„ ponensis; Ægidius Carlerius Deca„ nus Cameracensis; Alexander Spa„ rur Juris-Consultus, Anglus; Tho„ mas Haselbachius Theologus Vien„ nensis; Henricus Tocgius Cano„ nicus Magdeburgensis, Theologus; „ Martinus Bernerius Decanus Turo„ nensis, & Joannes Gelhusius Mona„ chus Mulbrunnensis. „ [3.] Hi 14. Aprilis hoc anno Basileâ discesserunt. Et tandem Pragæ solennissimè recepti, quo populus ingens tam Hussitarum, quàm orthodoxorum confluxerat, ubi quatuor illos articulos publicè nomine Consilii declarârunt, qui ad longum in Ænea Sylvio describuntur, [4.] quò Lectorem cupidum remitto.

Vix rediêrant Legati, dum Thaboritæ & Orphani suam belli fortunam considerantes superbiunt. Mainardo Novæ-Domûs Principi ceterísque Nobilibus infensi esse cæperunt, eorúmque suspectas actiones habere, tanquam Concilio auscultarent. Neque vana opinio. Convenêre namque sæpe inter se Barones, errorem suum recognoscere, miseros se dicere, qui cùm Regis imperium abdicaverint, Procopii jugum ferant, illum Dominum esse, illum pro sua libidine provinciam regere, vectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum, quò velit, ducere, rapere, spoliare, occidere, nullum pati, qui suis consiliis adversetur, nobiles juxta atque ignobiles ei mancipia esse, &c. Placet igitur accersire publicè conventum procerum & civitatum, in quo regni status reformetur. In eo Meinardus, ubi Bohemos ex præsenti rerum statu deplorâsset, deligendum unum esse ex nobilitate ducem, cujus potestas annua sit, nonnullósque ei adjungendos, quorum consiliô domi bellíque Remp. administret. Ne verò usurpare sibi Barones imperium viderentur, ex media nobilitate assumendum ducem consuluit. Itum est favente conventu in sententiam Mainardi, Alscio Risemburgensis antiquæ nobilitatis homo sed tenui censu dux gentis declaratus, quem Capitaneum vocavêre. Ceterùm majestatis insignia penes eum fuêre, authoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Thaboritas in expeditionem ducens ad urbem Pelzinam, quam fideles incolebant, castra ponit, atque undecim continuis mensibus pertinaci obsidione crebrísque oppugnationibus urget. Oppidani extrema omnia passi ac jam fame pereuntes ad Synodum Basileensem misêre oratum, ne fidelem urbem

bem in manus hæreticorum pervenire finerent. Patres, quibus non esset publicum ærarium, ex privato argento symbolum dedêre, auri octo millia nummûm Mainardo mittentes, qui collecto exercitu subveniret obsessis. [5.]

Circa Monasterium nostrum hæc occurrunt: Joanni de Lewbs in officio & dignitate Abbatiali succedit per Canonicam electionem Joannes ejus nominis II. dictus à patria sua Rastenvelder. De successione hujus omnes loquuntur, attamen non Joannem de Lewbs, quem nullum sciverunt, sed vel Michaëlis vel Alberti ficti successorem pronuntiant. Testimonium hujus meæ sententiæ de duobus Abbatibus Joannis nomine insignitis infrà suô locô (*Annô 1436.*) subjiciam, ex quo ista clariora fiant. Ceterùm Joannem II. Abbatem factum esse recentior Abbatum Catalogus Annô MCCCCXLI. Chronosticorum verò Author Annô MCCCCXLIII. opinantur: verùm patebit ex sequentibus ipsum jam Abbatem extitisse A. MCCCCXXXVII. MCCCCXXXIX. MCCCCXL. Atque hæc de illo; suprà (*Annô 1429.*) vide plura.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Eugenio IV. „ Militaverat priùs sub Eugenio Nicolaus, & ejus „ nomine Præfectum Vici, Vetralla, & Civitate Veteri spoliaverat. Verùm cùm postea Nicolaus stipendia sua posceret, respondit Eugenius, tantum prædæ ex castellis eum avexisse, maximè ex direpto Vico, ut ei pro stipendio sat esse possent.

„ Quamobrem indignatus Nicolaus, Agrum Romanum ingressus tantum tumultum concitavit, ingenti præda tum hominum tum pecorum abacta, ut Eugenius aliquamdiu incertus remanserit, quorsum iret. Concurrebant Romani cives ad Eugenium questum de illatis injuriis, quos Pontifex eò potissimum tempore consilii expers & bonæ valetudinis ad Franciscum Camerarium remittebat: qui otio & voluptatibus deditus nihil aliud respondebat, cùm crebræ de ablatis pecoribus querelæ fierent, nisi eos nimiam spem in pecoribus collocâsse, Venetos quidem sine gregibus & jumentis longè urbaniorem vitam ducere. Indignati hujusmodi responso Romani, invitatis Columnensibus sub alto clamore ad arma, & libertatem conclamârunt, pulsis omnibus Eugenii Magistratibus, ac capto Francisco Camerario, novos ipsi Magistratus creant. Septem fuerunt è civibus Romanis, quos ipsi gubernatores appellabant, penes quos vitæ ac mortis hominum summa potestas erat. Magistratus præterea creârunt annô 1434. die vigesima sexta Octobris, in Vigilia Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ clamantes: Vivat populus, & Romana libertas; Sabbathô horâ vigesimâ secundâ & nocte mox sequente Capitolium occupavêre, & multis vulneribus Senatorem sauciârunt, & trans Tiberim prætergressi, ubi Papa existebat, Camerarium S. R. E. ejus nepotem ceperunt, & in Capitolino carcere recluserunt: eo die profecti Cardinales Ursinus, & de Comitibus, intra ædes Pauli Gocci se abdiderunt usque ad diem 2. Julii. Cúmque publicô edictô caveretur sub capitali pœna, ne quispiam Princeps aut Baro Romæ existeret; Cardinalis de Comitibus scaphâ vectus, quartâ horâ noctis occultè ad Arcem se S. Angeli recepit.

„ At verò Eugenius in tanta rerum perturbatione, incertus quid potissimùm faceret, de fuga cogitare cœpit. Annô igitur 1434. die 3. Julii è Palatio suo Transtiberino lintre vectus mutato habitu, sumptóque monastico cucullo, unà cum Arsenio Monacho S. Pauli navigans ad ostia Tiberina pervenit, &c. - - - - - Eugenius ad tollendum Concilium Basileense &c. „ *ùt in textu nostro.* Spondanus hîc n. 4.

[2. & 3.] Paralipomenon ad Urspergensem sub Concilio Basileensi

Spondanus rejicit hoc ad annum præcedentem n. 15.

[4.] Æneas Sylvius suprà ad annum 1432. sub n. 2. & 3. relatus ita prosequitur: „ Proposuerunt autem apud Pragam in publico nobilium & plebejorum conventu, declarationes trium articulorum in forma sequenti:

„ Quoniam circa doctrinam veritatis sic sobriè & cautè incedendum est, maximè à Sacro Generali Concilio, ut veritas declaretur, verbis sic ordinatè conceptis, ut nulli sit in futurum offendiculum, ubi possit impingere, & habere occasionem erroris, & (ut verbis utamur Beati Isidori) *ne aliquid per obscuritatem in captione contineat.* Circa materiam de cohibitione & correptio- „ ne

„ ne peccatorum, in qua posuistis articulum „ sub iis verbis: *Omnia peccata mortalia, & præsertim publica, per eos, quorum interest, rationabiliter & secundùm legem Dei cohibeantur, corrigantur, & eliminentur.* Ecce verbum, *per eos, quorum interest*, nimis est generale, & posset esse offendiculum. Et juxta Scripturæ sententiam non debemus ponere offendiculum ante cæcum: & claudendæ sunt fossæ, ne bos vicini ibi lædatur: omnis talis occasio tollenda est. Dicimus ergo, quòd secundùm Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorúmque documenta Doctorum sic catholicè est tenendum: *Quòd omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantùm rationabiliter fieri potest, secundùm legem Dei, & Sanctorum Patrum instituta sunt cohibenda, corripienda, & eliminanda.* Potestas autem puniendi criminosos, non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui jurisdictionem habent in eos fori, distinctione juris, & justitiæ ordine observatis.

„ Circa materiam de prædicatione Verbi „ Dei, in qua posuistis articulum hoc tenore: *Quòd Verbum Dei à Sacerdotibus Domini, & Levitis idoneis liberè ac fideliter prædicetur:* Ne ex verbo: *liberè*, sumeretur occasio vagæ & dispendiosæ libertatis, quam nec vos (ùt sæpe dixistis) intenditis, circumstantionandum est. Dicimúsque quòd secundùm Scripturæ Sacræ sententiam, Sanctorúmque documenta Doctorum sic catholicè est tenendum: *Quòd Verbum Dei à Sacerdotibus Domini & Levitis ad hoc idoneis, & per Superiores, ad quos pertinet, approbatis & missis, liberè, non tamen passim, sed ordinatè & fideliter prædicetur: Salva authoritate Pontificis, qui est praordinator in cunctis, juxta Sanctorum Patrum instituta.*

„ Circa materiam articuli ultimi sub his „ verbis expressi: *Non licet Clero Christi, tempore legis gratiæ super bonis temporalibus sæculariter dominari.* Meminimus, quòd dum in Sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solennis, ille, qui ad disputandum per Sacrum Concilium extitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his verbis: Prima, *quòd Clerici non Religiosi, seu qui votô se ad hoc non obligârunt, licitè possunt habere & possidere quæcunque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, si eis relinquantur, & alia bona justè acquisita ex causa donationis, vel alterius licitè contractûs, vel arte licita.* Secunda, *quòd Ecclesia potest licitè habere & possidere bona temporalia mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, castra, & civitates, & in eis habere privatum & civile dominium.* Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus, qui disputabat, concessit easdem, dicens illas sensui sui articuli bene intellecto non contradicere. Cùm ipse articulum suum intellexerit, de dominio civili formaliter intellecto. Ex quo & aliis posset intelligi, quòd verba, *sæculariter dominari*, in præinserto articulo exposita ad aliquem specialem dominandi modum vel usum videantur referri. Sed quoniam doctrina Ecclesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed plenè; propterea id, quod secundùm legem Dei, & Sanctorum documenta Doctorum catholicè tenendum est, duximus exprimendum: Videlicet *præmissas duas conclusiones esse veras, quódque Ecclesiastici viri bona Ecclesiæ, quorum sunt administratores, debent fideliter administrare, juxta Sanctorum Patrum salubria instituta. Ipsáque bona Ecclesiæ ab aliis, quàm ab his, quibus administratio canonicè est commissa, usurpari sine sacrilegii reatu non possunt.*

„ Sacrum Concilium, circa materias dictorum trium articulorum curavit, semota omni ambiguitate, secundùm veritatem Evangelicæ doctrinæ veros sensus exponere. Verùm si circa ipsas materias aliquid dubietatis adhuc restat, juxta informationes, quas in Sacro Concilio accepimus, parati sumus super illis, prima veritate (quæ Deus est:) largiente, vobis declarare veritatem. Si declarationem dictorum trium articulorum, quæ veritati Sacræ Scripturæ innititur, suscipitis & amplectimini (prout tenemini) ac unitatem puram, simplicem & perfectam realiter & cum effectu vultis habere, super libertate Communionis Sacratissimæ Eucharistiæ sub duplici specie, quam postulatis, & desideratis, quámque sine licentia Sanctæ Matris Ecclesiæ licitè non potestis habere, nos habemus potestatem à Sacro Generali Concilio, certô modô vobiscum tractandi, & concludendi, speramus taliter, ut mansuri sitis meritò consolati.

„ His explicatis, quia Domini Bohemi „ habita sua deliberatione, dixerunt se nolle super prædictis dare responsum, nisi priùs super materia Communionis, quid esset eis offerendum, audirent, opus fuit explicationem rei ita facere: quæ facta fuit, & in scriptis tradita sub forma sequenti:

„ In

„ In nomine Domini, & Salvatoris nostri „ JESU Christi, de cujus Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramento tractaturi sumus, ut ipse, „ qui hoc Sacratissimum Sacramentum instituit, quod est unitatis & pacis, illud in nobis effici faciat, quod designat, ut videlicet simus unum in ipso Domino JESU Capite nostro, & ut ipse conterat versutias „ diaboli, qui suâ malignâ astutiâ ex Sacramento pacis & unitatis occasionem bellorum ingessit: ut dum de modo communicandi Christiani contendunt, communionis „ fructu priventur. Unde Beatus Augustinus „ in sermone de Infantibus, in Decretis de „ Consecrat. dist. 2. Quia passus: *Ita Dominus noster JESUS Christus nos significavit, „ nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis „ & unitatis nostræ in mensa consecravit. „ Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit „ pro se, sed testimonium contra se.* Hoc „ ante omnia duximus præmittendum, quod „ consuetudo Generalis Ecclesiæ (quam etiam „ patres vestri, & vos ipsi olim servâstis) per „ longissima tempora hoc habuit, & habet; „ quod non conficientes, sub specie panis „ tantùm communicant. Quam consuetudinem ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & diutissimè observatam, non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ „ authoritate pro libito immutare.

„ Igitur dictam consuetudinem Ecclesiæ „ immutando, assumere usum communicandi „ populum sub utraque specie, absque authoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ licitum non „ est, sed illicitum. Sancta verò Mater Ecclesia suadentibus causis rationabilibus facultatem communicandi populum sub utraque specie potest concedere & elargiri. Et „ talis communio, quæ sine authoritate Ecclesiæ attentata, esset illicita; cùm de authoritate & licentia Sanctæ Matris Ecclesiæ „ fiet, erit licita, si alia non impediant. *Si „ alia non impediant*, propterea diximus; „ quoniam (ùt ait Apostolus) qui manducat „ & bibit indignè, judicium sibi manducat & „ bibit. Unde Beatus Isidorus, & habetur de „ Consecrat. distinct. 2. *Qui scelerarè vivunt, & in Ecclesia communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi.* Et Augustinus eadem Distinct. „ *Et sancta malis nocere possunt, bonis sunt „ ad salutem, malis ad judicium.* Sunt ad „ hoc plures authoritates. Etenim inter primos communicantes Apostolus Judas fuit; „ sed quia indignè suscepit, proditionis peccatum habens in corde, sibi nihil profuit. „ Quin imò ex tunc diabolus in eum majorem exercuit potestatem. Ratio hoc magna demonstrat. Quis vestrûm Dominum „ suum in hospitium suscepturus non cum „ omni cura domum suam studeret mundare „ pariter & ornare, ut ipsum Dominum posset honestè suscipere? suscepturus igitur Dominum, & Salvatorem nostrum in hospitio „ animæ, debet ipsam animam diligenter mundare & ornare. Mundare per Sacramentum „ Pœnitentiæ, cum amaritudine & contritione cordis, peccata sua humiliter purè & „ integrè veraciter confitendo, & suscipiendo „ satisfactionem debitam, & pœnitentiam „ salutarem. Ornare verò purpurâ sanctæ devotionis, ut sic corde purgato & fervore „ devotionis ornato, accedat ad divinissimum „ Sacramentum, in quo Deus est, mundum „ reconcilians sibi. Admonet igitur, exhortatur, & præcipit Sancta Synodus, ut omnes „ Sacerdotes exhortentur diligenter, & moneant populum, & omne studium & sollicitudinem adhibeant, ut nullus ad tam Sacratissimum Sacramentum, nisi debitè præparatus accedat, cum magna reverentia & „ devotione, ne, quod pro animæ salute suscipitur, in judicium condemnationis redundet, dum suscipitur indignè.

„ Præterea dicunt Doctores, quòd dicta „ consuetudo communicandi populum sub „ specie panis tantùm, ab Ecclesia & Sanctis „ Patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles causas, specialiter propter „ duo pericula, scilicet erroris & irreverentiæ. Erroris; fuit enim error Nestorii, credentium, quòd sub specie panis sit sola caro „ Christi, & sub specie vini solus sanguis Christi, quod est error. Nam veritas est, quod „ sub qualibet specie est totus Christus vivus, „ & integer, caro, sanguis, anima & divinitas. Et sub specie panis est totus Christus, „ vivus & integer. Et sub specie vini non est „ tantùm sanguis, sed totus Christus vivus & „ integer. Quoniam (ùt ait Apostolus) „ Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. Semel ergo tantùm mortuus est, jam „ non moritur, nec sanguis à corpore separatur. Ut igitur huic errori obviaretur, & „ magis imprimeretur fidelium mentibus, „ quòd sub qualibet specie est totus Christus: „ dum non solùm verbô, sed etiam ipsô signô „ indicaretur, visum fuit utile esse sub una „ specie tantùm ministrari. Efficaciùs enim „ imprimitur, quando cum doctrina verbali „ sensuale aliud signum concurrit; ideo Sacramenta & Sacrificia instituta sunt, ideo &

„ Dominus noster JESUS Christus in parabo- „ lis loquebatur, & Sapientes in parabolis „ loquuntur, ut dum cum doctrina sua simi- „ litudo repræsentativa concurrit, efficaciùs „ mentibus imprimatur.

„ Secundum periculum est irreverentiæ. „ Etenim quamvis omnia Sacramenta cum „ magna reverentia sint tractanda, istud ta- „ men divinissimum Sacramentum super omnia „ alia cum maxima & summa reverentia tra- „ ctandum est. Alia siquidem Sacramenta „ sunt vasa gratiæ divinæ, non tamen per ea „ realem Domini nostri JESU Christi præsen- „ tiam obtinemus: in hoc verò Sacratissimo „ Sacramento Dominus noster JESUS Chri- „ stus sub alia quidem forma, in propria verò „ substantia est nobiscum: ideo tractandum „ est cum omni studio & cautela, ne aliquid „ contingat, quod cedat in irreverentiam „ ipsius Sacramenti. Et cùm in calice sit sub „ specie liquida, multa possunt contingere, „ quæ cederent in irreverentiam ipsius Sacra- „ tissimi Sacramenti, tam ex parte ministran- „ tis, quàm ex parte suscipientis, quàm etiam „ ex parte speciei vini, quæ est magis ad alte- „ rationem suscipiendam disposita, quàm spe- „ cies panis. Vos, qui practicâstis, per ex- „ perientiam nôstis. Nam Doctores de hoc „ multa dicunt, & nobis à fide dignis multa „ relata sunt: quæ cùm audivimus, exhor- „ ruerunt pili corporum nostrorum, & animi „ nostri nimio terrore concussi sunt. Dictum „ est nobis accidisse, quòd cùm Sacerdos ad „ infirmum Sacramentum sub duplici specie „ detulisset, quando infirmo voluit de calice „ ministrare, nihil ibi reperit, totum, dum „ per viam agitando veniret, distillaverat. Et „ alibi cùm manè diei Dominicæ ministrare- „ tur, quod ex præcedenti die fuerat reser- „ vatum, talis alteratio facta erat, ut qui su- „ scipiebat, ferre non valens, emiserit. Heu „ casus horrendi, & non sine magna cordis „ amaritudine referendi. Et multa alia hu- „ jusmodi nobis relata sunt. Et quisque vo- „ lens prudenter advertere, poterit, quanta „ possint accidere, cogitare. At verò quàm „ sint hæc gravia ex Decreti sententia poteritis „ intelligere, de Consecr. Dist. II. *Si per* „ *negligentiam aliquid de sanguine stillaverit* „ *in terra, linguâ lambatur, tabula rada-* „ *tur: si non fuerit tabula, ut non concul-* „ *cetur sanguis, locus radatur, & igne con-* „ *sumatur, & cinis in Altari recondatur, &* „ *Sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si* „ *super linteum Altaris, & ad aliud stilla per-* „ *venerit, quatuor diebus pœniteat: Si usque* „ *ad tertium, octo diebus pœniteat: Si us-* „ *que ad quartum, viginti diebus pœniteat.* „ *Et linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus* „ *vicibus minister abluat calice subterposito,* „ *& aqua ablutionis sumatur, & juxta Altare* „ *recondatur.* Præterea audivimus sæpe con- „ tingere, quòd Sacramentum in calice non „ sufficit multitudini communicantium, & „ tunc fit noviter consecratio calicis tantùm, „ & à Presbytero non communicante: quod „ est à Sanctorum Patrum doctrina plurimum „ alienum. Et etiam dicitur, quòd aliqui „ interdum vinum non consecratum pro con- „ secrato ministrant: quod maximum pericu- „ lum est.

„ Fiet igitur isto modo, quòd vobis susci- „ pientibus Ecclesiasticam unitatem & pacem „ realiter & cum effectu, & in omnibus aliis, „ quàm in usu Communionis utriusque spe- „ ciei, fidei & ritui universalis Ecclesiæ vos „ conformantibus: vos qui talem usum ha- „ betis, communicabitis sub duplici specie „ cum authoritate Ecclesiæ. Et articulus ille „ in Sacro Concilio discutietur ad plenum, „ & videbitis, quid circa illum articulum pro „ veritate Catholica sit tenendum: & agen- „ dum pro utilitate & salute populi Christiani. „ Et omnibus maturè & digestè pertractatis, „ nihilominus si perseverantes in desiderio „ vestro, hoc vestri Ambasiatores postulave- „ rint: Sacrum Concilium Sacerdotibus ve- „ stris communicandi sub utraque specie po- „ pulum vestrum, eos videlicet, qui in annis „ discretionis constituti, reverenter & devotè „ postulaverint, authoritatem & facultatem „ in Domino largietur; hoc semper obser- „ vatô, quòd Sacerdotes sic communicanti- „ bus semper dicant: *quòd ipsi debent firmi-* „ *ter credere, quòd non sub specie panis caro* „ *tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm:* „ *sed sub qualibet specie est integer totus Chri-* „ *stus.*

„ Hactenus Decretum Sacri Concilii retu- „ limus. Ad dubia autem & quæstiones Bo- „ hemorum, quas Magistri & Sacerdotes po- „ stea movebant, sic responderunt Oratores „ Sacri Concilii.

„ Primò dixerunt, quod non est intentio- „ nis Sacri Concilii permittere Communio- „ nem sub duplici specie permissione toleran- „ tiæ, vel sicut Judæis fuit permissus libellus „ repudii; quia cùm Sacrum Concilium viscera „ maternæ charitatis exhibere dictis Bohemis „ & Moravis intendat, non est intentionis „ Concilii permittere tali permissione, quæ „ peccatum non excludat: sed taliter elar- „ giri, ut authoritate Domini nostri JESU „ Christi, & Ecclesiæ veræ sponsæ suæ sit li- „ cita,

„ cita, & dignè sumentibus utilis & salutaris.

„ Item cùm circa materiam de punitione peccatorum, fuisset per dictos Bohemorum Magistros & Sacerdotes dictum, quod ex Scripturis Sacris habetur, quòd interdum Deus excitat corda privatarum personarum ad correptionem & punitionem peccatorum; & sic videretur licere inferioribus corrigere suos Superiores, & punire.

„ Responderunt, & ostendentes textum S. Augustini in Decretis. 33. *Qui percutit malos in eo quòd mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est: qui vero sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemlibet criminosum interfecit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur: & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.* Et certè molestiùs susciperet ista civitas, si aliquis privatus attentaret punire unum criminosum, & erigeret furcam in platea, & ibi eum suspenderet, quàm si unus homo interficeret unum hominem in rixa vel per insidias: Et alios textus Beati Ambrosii & Hieronymi eidem concordes etiam allegârunt.

„ Dixerunt, quod nemo dubitat, quòd lex Dei sanctè & debitè posita est:& in ea legitur simpliciter; *Non furtum facies.* Et tamen mandatô Dei filii Israël asportârunt bona Ægyptiorum, quæ receperant commodata. Item in eadem lege scribitur simpliciter: *Non occides.* Ex quo Beatus Augustinus lib. I. de Civit. Dei probat, quòd nemini licet occidere seipsum. Et cùm facit instantiam de Sampsone, respondet & dicit hæc verba: *Cùm autem Deus jubet, seséque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet, quis obsequium pietatis accuset?*

„ Hic in proposito verba Beati Augustini habeatis pro responso. Si videat quisque si Deus jubet, & se jubere sine ambagibus intimat, & probet spiritus, si ex Deo sint. Sed de talibus non est lex danda, nec est multùm agitandum. Nam per hoc facilè insurget occasio faciendi seditiones, & inferioribus insurgendi contra Superiores. Et quando aliquis furatus esset, vel interfecisset, diceret, quòd spiritu Dei motus est: sed certè nisi de hoc bene constaret, puniretur.

„ Dixerunt denuò, quòd aliqui sunt casus, in quibus Laici habent potestatem in Clericos.

„ Fuit responsum, quòd certi sunt casus in Jure, in quibus Laici habent potestatem super Clericos, & etiam aliquando super Cardinales. Nam si mortuô Papâ Cardinales non velint intrare Conclave ad electionem Papæ faciendam: Rex, Princeps, vel alius Dominus seu potestas sæcularis potest eos compellere. Sed in illis casibus jam ille non est privata persona, sed authoritate Juris utitur jurisdictione. Similiter est intelligendum de aliis casibus in jure expressis.

„ Dixerunt ulteriùs, quòd nullum jus fori habet justitiam, nisi jus poli illud approbaverit.

„ Fuit responsum, quòd nullum jus fori habet justitiam, si sit contra legem Dei: quia lex Dei est regula omnium legum; sed exigitur magna peritia in applicando regulam ad regulatum. Nam interdum alicui videtur, quòd sit tortuositas in regulato, & non est; sed est defectus in applicando, quia non applicatur debitô modô regula ad regulatum.

„ Circa articulum de prædicatione Verbi Dei fuit motum, quòd interdum aliquis Prælatus ex sua invidia vel malitia sine causa rationabili bonum & idoneum prædicatorem bene & catholicè prædicantem inhibet prædicare.

„ Fuit responsum, quòd satis intellexerunt, quòd abusio Prælatorum inordinatè agentium, magnam occasionem præstitit his turbationibus, & quòd in eorum partibus nunquam audiverunt tales querelas. Sed Prælati favent bonis prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, favoribus & honoribus. In talibus autem casibus jam sunt à jure prædicta remedia. Quando aliquis prohibetur uti jure suo, habet remedium appellandi: & si bene confidit, quòd sit appellatio justa, utatur jure suo, omni violentia brachii utriusque, spiritualis videlicet & secularis, semota. Nam exitus causæ declarabit, si ipse habebat justam causam appellandi. Tunc declarabitur superiorem malè prohibuisse, & appellantem justè fecisse. Et superior injustè prohibens debet corripi. Si autem justè fuerit prohibitus, & ipse sua temeritate, superioris justum mandatum sprevit dignum est, quòd ipse digna animadversione puniatur.

„ Circa quartum articulum fuit motum, an liceat Prælatis Ecclesiasticis, actus secularis dominii in propria persona exercere.

„ Fuit responsum, quòd si per verbum,

„ *actus secularis dominii*, intelligantur actus, „ quos unus secularis dominus posset agere „ seu exercere: Tunc dicendum, quòd ali- „ quos tales actus potest licitè Prælatus in „ propria persona exercere: sicut sunt ven- „ dere, impignorare, infeudare, modis & „ formis à jure ordinatis. Aliqui sunt, quos „ non licet in propria persona exercere, sed „ debent habere Oeconomum, Vicedomi- „ num, vel procuratorem, qui hæc exerceat, „ de quibus actibus in Jure cavetur in rubri- „ ca: *Ne Cleric. vel Monach. secul. negot.* „ *se immisc. & aliis in rebus.*

„ Fuit motum, an illa potestas coactiva, „ quæ debet exerceri per Oeconomum &c. „ sit apud Prælatum Ecclesiæ?

„ Dictus Joannes Polomair respondit, quòd „ hæc quæstio præsupponit aliam: de qua „ sunt diversæ opiniones inter Doctores, „ apud quem sit dominium Ecclesiæ. Et ul- „ teriùs, an actiones sint in persona tutoris „ vel procuratoris, vel licèt non sint in ea- „ rum persona, tamen per constitutionem „ actoris vel procuratoris, cujus exercitium „ ipsarum demandant ipsi actori vel procura- „ tori, & alias intricationes, de quibus non „ est opus ad præsens agere. Sed cùm mul- „ tùm instaretur, dicere opinionem suam, di- „ xit: Quòd si etiam otium haberent, & li- „ beret solatiari in disputando, daret optio- „ nem arguenti. Sed magìs esset opinio sua, „ quòd dominium rerum Ecclesiæ est apud „ Christum, & Prælati & alii Ecclesiastici, „ sunt canonici administratores ad instar tu- „ torum, sed ampliorem habent potestatem „ seu administrationem, quàm tutores. Et „ constituendo Oeconomum seu Vicedomi- „ num &c. eorum constitutione debitè facta, „ Oeconomus seu Vicedominus habet illam „ potestatem coactivam, seu exercitium ju- „ risdictionis.

„ Item circa quartum articulum pro de- „ claratione primæ conclusionis est concor- „ datum, quòd verba: *justè acquisita*, in „ ipsa posita, omnia in eadem contenta de- „ terminant.

„ Item circa secundam conclusionem; „ cùm Sacri Canones, & Doctores Sancti „ sic loquantur: *Bona Ecclesiæ*, *res Ecclesiæ* „ *facultates Ecclesiæ*, & inter Doctores variæ „ sint opiniones, apud quem sit ipsarum rerum „ dominium, prout not. Gloss. in cap. Ex- „ pedit. 12. quæst. 1. Ad nullam illarum „ opinionum intendunt aliquem coarctare; „ nec aliquam illarum opinionum excludere, „ sed sit unicuique facultas illam, quæ sibi „ melior videbitur, probabiliter sustinere.

„ Dixerunt præterea dicti Bohemi, quòd „ ipsi tenent, quòd Clerici, aut viri Ecclesia- „ stici rerum temporalium Ecclesiæ sunt ad- „ ministratores, & non domini, ad modum „ loquendi scripturæ, Doctorum Sanctorum „ & Canonum.

„ Item Bohemi dicunt, quòd in omnibus „ emergentiis stare volunt dictamini judicis „ ex unanimi consensu in Egra compactati. „ Hunc in modum nostri Bohemis respon- „ derunt.

„ Tandem post multos tractatus, ultro ci- „ tróque habitos, inita est concordia, & ma- „ nuum stipulatione firmata: promiserúnt- „ que se Bohemi declarationem trium articu- „ lorum, ac pacem & Ecclesiasticam unitatem „ accipere. Factum est id annò millesimò, „ quadringentesimò trigesimò octavò, circa „ festum Martini. Conventum est postea, „ cùm à Legatis sacri Concilii, tum ab Ora- „ toribus Bohemorum, ut, quæ reliqua erant, „ componerentur: primùm Ratisponæ, de- „ inde apud Brunnam Diœcesis Olmutzensis, „ item apud Albam Regalem in Ungaria co- „ ram Sigismundo Cæsare. Verùm nullibi „ res tota confici potuit: nunc enim erat „ consulenda Synodus, nunc alia sunt exor- „ ta impedimenta. Postremò apud Iglaviam „ oppidum Moraviæ concordia instrumentis „ ac Sigillis roborata est, *Compactata* vocant, „ quinto die mensis Julii Cæsare præsente. „ Hucusque Sylvius.

[5.] Idem ibidem c. 51. in compendio relatus.

Gerardus de Roó lib. 5. „ Thaboritæ „ verò ob irritos exterorum conatus, inso- „ lentiores facti, & pro libito omnia per Boë- „ miam administrantes domesticis quoque „ graves fieri cœperant. Nobiles igitur non- „ nulli præsentem rerum statum commiserati, „ arma in eos capiunt, &c. ùt suprà in addi- „ tionibus ad ann. 1432. n. 4. „

Dubravius Histor. Bojem. lib. 27. „ Qui- „ bus rebus (*Marchione Misnia caso, Lusatiâ &* „ *Silesiâ populatis, urbibúsque Imperii pecuniâ pa-* „ *cem ab iis redimentibus*) inflati Thaboritæ, „ quotidie insolentiùs agere, nobilitatem „ contemnere, Pragenses parvipendere, simul- „ tates inter Novam- & Veterem-Pragam dis- „ seminare, ubique Religionem deprimere, „ denique regimen totius regni usurpare: „ qui digniores erant, ut porcos pascerent, „ quàm homines regerent, utpote omnes fe- „ rè apostatæ omnibus sceleribus contamina- „ ti: aut prævaricatores malè conciliati; „ nam alios magìs præcipuos rectores non „ habebant. Itáque indignitas non minùs

„ quàm

„ quàm solitudo terræ & vastitas saniores aliquando tandem Ordines commovit, ut de somno surgerent, & ad abolendas ejusmodi pestes vigilarent. Aut, quod veriùs est, tempus ultionis jam advenerat, ut redderet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperderet illos Dominus Deus noster. - - - - Ultores autem primarii è proceribus nobilitatis erant Menardus à Nova Domo, Ptaczko, & duo Alexiones, Sternbergius, & Wressiovius, dein Pragenses & Pelsinenses „

Ann. Christi MCCCCXXXV. Monasterii CCXCVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

Pragæ inter Lupum Presbyterum Præfectum Orphanorum Novæ-Civitatis & Rochezanam magnæ erant inimicitiæ, ita ut crescentibus odiis Orphani aditus Veteris-Civitatis, in qua Rochezana ad Lætam Curiam habitabat, in Novam clauserint, turrésque ligneas plurium tabulatorum erexerint, quibus oppidanos in adversa civitate missilibus infestarent. Ea occasione usus Alscio, convocata nobilitate, cum ea manu militum, quam Mainardus comparaverat, Pragam petit. Quam ingressus, cùm Orphani ducem negarent ullum esse, quem neque ipsi, neque Thaboritæ suscepissent, Alscio ipsos invadit, committitur in urbe prælium, Lupus cum suis in fugam vertitur. Atque ita urbs Alscionis in potestatem devenit. Hærebat tunc Procopius ad mœnia Pelzinensis civitatis, qui Pragæ suorum periculum intelligens soluta obsidione eò properabat, non priùs copiam pugnæ facturus hosti, quàm prærogativam victoriæ perspiceret. Neque nobilitas Pragæ in dubiæ fidei urbe hostem expectare, regno utile fore judicans, in occursum hostium properabat. * [1.] Hi Thaboritas inter Brodam & Caurimam planitie latissima assecuti, locum pro se ad pugnam aptum esse censebant, quoniam equitatu abundarent. ideóque & à fronte & à lateribus & à tergo persultabant, ut hostes multitudine carrorum circumdatos ad certamen apertum eliciant, ad quod non celerabant. Qui ultimos circuibant currus, animadvertunt illos non satis inter se catenis cohærere, nec multô præsidiô firmos esse: impetum illuc magna vi faciunt, interruptáque carrorum serie cæde in peditum nil minùs in eum locum, quàm equitum assultum expectantium, insignem edunt. Quod ubi Procopius Minor conspexit, in medium certaminis discrimen cum aliquot globis se transfert, sed eum statim novum equitum robur excipit, ac tam vehementer premit, ut & ipse pugnans caderet, & qui superfuerant, fugam capesserent. Qui tamen rursus mox collecti, pugnam cum Procopio Majore totius exercitûs duce instaurârunt, pugnarúntque cum aliis acerrimè, donec Czapco equitum illorum, sed malæ fidei, præfectus pugnantes desereret, aciésque pedestris labescere inciperet. Ceterùm Procopius, ùt decebat strenuum ac desperatum Monachum, in desperatione salutis mortem vitæ prætulit, occidíque se passus est, nè vivus in manus inimicorum cruciandus veniret. Mox reliqui deditionem obtulerunt, quorum non parvus numerus restabat, partim indomitorum illorum Orphanorum, partim eorum, qui ex pagis coacti ad pugnam pertracti sunt. Jubent itaque Victores pronunciari, nondum bellum esse profligatum, equitibus superstitibus, qui cum Czapcone Coloniam profugissent: ad hanc expugnandam qui dare nomina vellent, ij in proxima horrea secederent, hac

arte discretos cum ipsis horreis milites concremant omnes, qui militiam appetebant, paganos autem rusticos in servitutem redigunt. Atque ità exercitus ille diis, hominibúsque invisus atque infestus, eisdem diis, hominibúsque plaudentibus deletus est, apparuítque Bojemos nonnisi à Bojemis, vel ipso Sigismundo teste, non facilè subdomari posse. [2.] Hanc Hussitarum historiam, tum vel maximè interitum eorum placuit fusiùs proferre, ut posteri intelligant, qualia sub hominum effigie monstra fuerint, quóve interitu Deus ipsos delêrit, qui inter innumeras fidelium clades, & templorum Monasteriorúmque direptiones nostrum etiam Zwetlense Monasterium direptum & prophanatum igne cremârunt.

Sigismundus Thaboritas jam debellatos intelligens, litteris in Bohemiam missis, procerum ac reliquorum in compescendis rebellibus operam & propensa in Regem suum studia comprobavit, útque in iisdem perseverarent hortatus est. Inde Ratisponam profectus obvios habuit Bohemiæ proceres quàm plurimos, qui Imperatorem ip um ac Regem suum consalutabant, quos ad fidem & concordiam tuendam adhortatus, in Hungariam secundô fluviô navigavit. [3.]

Instituitur hoc anno Visitatio Academiæ Generalis Viennensis per Philibertum Episcopum Constantiensem; Joannem de Palomar Decretorum Doctorem, Archi-Diaconum Barcinonensem; F. Nicolaum Præpositum Monasterii D. Dorotheæ Viennæ; & Narcissum de Perchingen Theologiæ Professorem, Visitatores in Concilio Basileensi ad hoc singulariter deputatos. [4.]

Interea Joannes Abbas Zwetlensis Viennæ morabatur, ubi conveniens Episcopum Pataviensem ab eodem petiit confirmari Wernhardi quondam Episcopi Antecessoris sui Privilegium super sales nostros per terram suam liberè deducendos concessum, quod etiam impetravit. Datum Viennæ, Annô Domini 1435. 29. Augusti. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Æneas Sylvius c. 51. „ Per idem „ tempus ea pars Pragæ, quæ Nova Civitas „ appellatur, ab Orphanis impositô præsidiô „ tenebatur: cujus Præfectus erat Presbyter „ Lupus, Rochezanæ infensissimus: adversùm „ quem prædicando plebem incitabat. Ille in „ Veteri-Civitate apud ædem S. Mariæ ante „ Lætam-Curiam habitabat, Lupúmque suis „ & ipse sermonibus probrosisque maledictis „ lacerabat. Ob quam rem crescentibus odiis, „ clauserunt Orphani aditus Veteris Civitatis „ in Novam: turrésque ligneas plurium tabulatorum erexêre, quibus oppidanos in „ adversa civitate missilibus infestarent. Ea „ occasione usus Alscio convocata Nobilitate, „ nihil esse imperium suum dicit, quod Thaboritæ, Orphanique contemnant, regnum „ maturè periturum, nisi Magistratibus pareatur. Rogat Proceres, in medium consulant. Placet omnibus cum ea manu militum, quam Mainardus comparaverat, Pragam peti. Nec morati, Veterem-Civitatem „ ingrediuntur, ligneas turres amoveri, paréque omnes Alscioni jubent. Negant „ Orphani ducem esse, quem neque ipsi, neque Thaboritæ suscepissent. Fit tumultus, „ committitur in urbe prælium. Lupus ubi „ suos cedere animadvertit, plurésque cadere, „ salutem pedibus petiit. Disjectæ turres „ civitatis omnes, in potestatem Alscionis „ factæ. Pelzinenses re cognita, Procopio „ è muris illudere, hortari, suis civibus opem „ ferat, alienos nè lacessat. Stultum esse „ eum, quia sua tueri nequeat, infestari aliena: „ nisi suopte ingenio ab obsidione discedat, „ venturos brevi Proceres, qui nolentem cogant. Ficta ea Procopius credere, atque „ oppidanis ad ferendam fortiùs obsidionem „ blandimenta oblata. At ubi certum nuncium de gestis Pragensibus accepit, soluta „ mox obsidione, plenus irarum cum omnibus copiis versùs Pragam iter dirigit. Properanti communes amici occurrunt, de pace „ inter eum & Nobiles agunt: *divisum inter eos „ regnum stare non posse, consulendum communi „ quieti, neque concordiam sine viribus, neque vires sine concordia sufficere: civitatibus ejus populi „ inexpugnabile munimentum esse, qui concordibus „ animis arma tractaret: Lites ex arbitrio ducis componi posse, delectis ex utraque parte pari numero „ viris*

„ *viris, quorum consiliò leges pacis dicerentur.* Procopius demum ita se pacem habiturum respondet; *si nova Praga sibi restituatur: si munitiones dejectæ reficiantur: si Pelzina eo in statu reponatur, in quo fuerat ante dissolutam obsidionem: nam commeatus jam eò importati fuerant.* Nobiles ubi res factu difficillimas peti vident, Procopiúmque vincula, verbera, cædes minari, cùm aliâ viâ pax inveniri non posset, armis decertare constituunt. Relicta itaque civitate, cujus nutare animos non ignorabant, obviam hosti pergunt. „

[2.] Dubravius Histor. Bohem. lib. 27. exscriptus.

Prosequitur Sylvius. „ Ventum est ad locum inter Brodam Bohemicam & Burim quatuor millibus & quingentis passibus à Praga distantem in agris latè patentibus. Ibi currus contra currus incurrunt, & sublato clamore alteri alteros contumeliosè compellant.

„ Decreverat Procopius haudquaquam — pugnæ copiam facere, nisi ex occasione prærogativa daretur. Erat ei animus rectâ viâ Pragam petere, ubi non dubitabat Novam-Civitatem sibi portas aperturam. At equitatus Nobilium munitiones ejus prætergressus, dum fortè ultimam partem apertam videt, raptim ingreditur, cædémque magnam facit. Hostes improvisò malò præventi, quid agant, nesciunt. Trepidatur totis castris: insolita res terrorem auget. Neque enim intra munitiones curruum intrâsse priùs equites aliquando viderant. Cæduntur passim pedites, fit fuga aperta ex altera parte mole quadrigarum. Instant Nobiles, sternuntur ubique fugientes. Procopius ubi suos retinere non potest, nec audire hortamenta periculum metúsque finit, inter confertissimos hostes dilapsus, cum cohorte, quam sibi ex fortissimis magis quàm amicissimis delegerat, aliquamdiu hostis impetum sustinet: multísque cæsis victoriam pene hostibus eripuit. Sed circumventus multitudine equitum, non tam victus, quàm vincendo fessus, telò in incertum missò transfoditur. Pari modo & alter Procopius (quem Minorem appellari diximus) in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atque is finis duobus illis perniciosissimis ac deterrimis monstris fuit.

„ Sic Thaboritarum & Orphanorum scelerati exercitus invicti priùs, victi ac deleti sunt. Procopium Rasum quis occiderit ignoratum est, quamvis Coscha (de quo suprà meminimus) id facinus honestum dignúmque proemiò suum dixerit, qui tum partes Nobilium sequebatur. Primus ejus victoriæ author habitus est Mainardus, post eum Ptarsconis magna virtus visa. Coapchò verò, qui Thaboritarum equitatum ductabat, rei militaris apprimè peritus, & qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à Rege Poloniæ vocatus usque Gedanum & mare Baltheum victorem exercitum duxerat, ex hoc prælio dilapsus, cum magna parte equitatûs in Coloniam sese recepit. Confectò bellò cùm multa millia captivorum essent, Mainardus consiliò Procerum accersitò, perdere pessimam plebem statuit, quæ nutrita in armis, omnem ætatem in castris egerat, nec sub legibus victura crederetur, rapinis & cædibus atque adulteriis assueta. Qua stante pacatum regnum stare non posset. Sed veritus, ne simul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici jubet: Nondum bellum peractum esse, fugisse Coapchonem, Coloniam expugnari oportere, vicinásque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem necessarios, qui sub Procopiis militâssent, viros fortes, & in bello exercitatos: decretum eis ex publico stipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes, qui stipendia facere vellent, in horrea sese proxima reciperent, caverent, ne rudes inexpertósque belli secum admitterent: illos sua rura, suósque lares repetere posse. Introiêrunt horrea, quæ apud Bohemos in villis ex maceria culmò tecta frequentia sunt, pleraque Thaboritarum & Orphanorum millia, homines nigri, ad solem & ventum indurati, aspectu tetri, atque horribiles, & qui circa fumum in castris vixissent, aquilinis oculis, impexo crine, promissâ barbâ, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeo dura, ut ferrum quasi lorica repulsura videretur. Clausa sunt confestim ostia & ignis immissus horreis, quo fex illa & colluvies hominum, ignominiosum agmen, post multa, quæ patraverat scelera, exusta, contemptæ demum religionis pœnas dedit. „

[3.] Gerardus de Roó lib. 5. exscriptus. Sylvius ubi suprà cap. 52.

Dubravius in textu nostro præced. n. relatus ità prosequitur: „ Ab hoc post victoriam confestim datæ ad Boiemos literæ, ut sublatis de medio impiis hominibus, ad pietatem & pacem regni conciliandam se converterent. Satis belligeratum esse cum irrecuperabili totius patriæ damno; cùm tamen nulla digna causa tam exitiali bello in eum diem prætendi queat. si quid est, quod ipse peccaverit, se correcturum esse, idem ipsi

„ quoque faciant, Regémque tandem suum cum bona fide agnoscant, recipiántque. Quibus perlectis, conventum sibi Moravísque Pragam indicunt, ad quem in magna frequentia omnes Ordines conveniunt, satis inter se quoque convenientes, ut finis aliquando bellorum constitueretur; sed de conditionibus dissentientes, quibusnam recipi in regnum Rex, & ad Sedem suam reponi deberet. Metuebat sibi videlicet adversa factio, ne à Rege opprimeretur, nisi per tempus rebus suis provideret. Decretum postremò, ut Rege propius regnum accedente, de hoc coràm ab universis Ordinibus ageretur. Interim Budam missi honoratissimi qui fundamenta pacis jacta esse docerent; sed opus esse præsente Architecto, qui pacem consummaret. Rex sexaginta millia aureûm nummûm Legatis, & præterea equos & boves plurimos largitus est, jussitque renunciari, se brevì Iglaviæ ad limites Boiemiæ præstò futurum esse, illic, quorum interest, ut appareant. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo. „ Imperator Sigismundus ab initio cùm rediret (*ex Italia*) sedatô quantùm potuit Patrum dissidiô, quod cum Eugenio erat, Concilium derelinquens Ulmam venit, in Boemiam Oratores præmittens, qui adventum suum denuncient. Vix Imperator Ratisponam attigerat, cùm Proceres magnô numerô adsunt, Regémque salutant, ac de omnibus rebus actis certiorem faciunt, & ut regnum tutò ingrediatur, cohortantur. Per Danubium dehinc vectus Budam pervenit. „

[4.] Ederus in Catalogo suo Rectorum Archi-Gymnasii Viennensis ad litteram.

[5.] Ex Autographo ipsius.

An. Christi MCCCCXXXVI. Monasterii CCXCVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Sigismundus.	Albertus V.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

CUm Sigismundus Budæ esset, Legati ad eum ex Bohemia missi, omnia in eo regno tranquilla esse, jámque cum Synodo ipsis convenire nuntiant, superesse ut ipse veniat, pacémque præsens ac concordiam stabiliat. Cæsar mox omnibus in Ungaria constitutis, assumptô secum Albertô generô suô Iglaviam ad diem dictum venit, quo frequentes jam Bohemi confluxerant. Aderant quoque Fridericus (aliàs Philibertus) Constantiensis Episcopus, & alii nonnulli Basileensis Concilii Legati. Ibi postulatis aliquot Bohemorum auditis atque comprobatis, concordia inter ipsos ac Synodum pacta, Imperatoris authoritate confirmatur; subsequitur mira animorum mutatio. Sigismundus antè invisus fausto festóque omnium Ordinum plausu exceptus Pragam deducitur, ubi in verba ejus denuo juratum, & uxori Barbaræ corona ab Episcopo Constantiensi imposita est. *[1.]

Porro circa Austriam hoc anno ea contigerunt, quæ Jacobus Rechwein Viennensis civis sic describit: „ Annô 1436. fuerunt multæ inundationes, tonitrua, coruscationes, & pluviæ multæ & magnæ, quæ inceperunt circa festum Philippi & Jacobi, & duraverunt in terra Austriæ, & specialiter Viennæ usque ad festum Ægidii, & illo anno incepit pestilentia Wiennæ circa festum Urbani, & duravit usque festum Luciæ, & obiêrunt Wiennæ ultra 8000. hominum, & pro majori parte fuit illa pestilentia ab omnibus Physicis quasi incurabilis; & eodem anno crevit vinum surum (*fortè acetosum*) &c. „ [2.] Hæc ille. Cujus filium Stephanum infantem hæc quoque pestis rapuit.

Legitur demum hoc anno in sancto Bernardo Monialium Monasterio in Bojorum regno sito non jam ampliùs religiosus Procurator, sed sæcularis fuisse, cujus nomen est Thomas Spetner, qui in Dominica Lætare in media Quadragesima rationes de acceptis & distributis po-

posuit Abbati in Zwetl tanquam Visitatori domûs illius, à dicta Dominica Anni MCCCCXXXVI. usque ad Dominicam post S. Viti An. MCCCCXXXVII. Unde confirmatur Monasterium illud non igne combustum ab Hussitis, sed tantùm exspoliatum fuisse. [3.]

Reperi inter Monasterii Privilegia unum instrumentum in membrana scriptum, quod elucidat dubium suprà Anno MCCCCXXXIV. motum de duobus Abbatibus Zwetlensibus nomine Joannis insignitis. Cujus instrumenti titulus talis est: „ Instrumentum super „ protestatione & reclamatione Con- „ ventûs contra violentam intrusionem „ Heinrici Fewchter in Ecclesia B. V. „ in Cistersdorff factam per Joannem „ de Lews quondam Abbatem Zwet- „ lensem, qui tandem de officio cessit „ &c. „ [4.] Unde patet, quod superioribus annis dixi, Joannem de Lewbs ejus nominis primum Abbatem in Zwetl successisse Michaëli II. & illo deposito Joannem II. Rastenveldensem in Abbatem electum fuisse.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 5. exscriptus, Dubravius ad præcedentem ann. sub n. 3. relatus ita prosequitur: „ Venitque ille „ (*Sigismundus*) ad diem, secum Præsulem „ Constantiensem, & quosdam alios Oratores authoritate Concilii Basiliensis comprobatos adducens. Ibi cùm Boiemi nullam „ inire pacem, nec aliter Regem agnoscere „ vellent, nisi illis communionem utriusque „ speciei confirmaret, Oratores de sententia „ Patrum promulgant, hac lege illis, quod „ exigunt, concedi, ut iis demum illâ uti liceat, qui pacem & unitatem Ecclesiæ amplectentes, usu illam longo usurpârunt, qui „ rationis compotes fuerint, qui reliquos Catholicæ Ecclesiæ ritus custodiêrint, eámque „ secundùm fidem attulerint, ut credant tam „ sub specie panis, quàm sub specie vini, totum & integrum Christum contineri. Petebant insuper Pragenses, ne exules Pragam „ restituerentur, ne ad Monasteria restauranda compellerentur, ne alius illis, quàm Magister Rokiczanus, qui primas inter Concionatores illorum habebatur, Archi-Episcopus præficeretur. Nihil tum Sigismundo faciliùs ad subscribendum omnium votis, ut omnes lucrifaceret, fuit. Secuta „ rerum mira in Sigismundo mutatio: quem „ enim paulò antè pejus angue oderant, quem „ convitiis atque calumniis laceraverant, pulsúmque in ultimas terras videre concupiscebant, hunc Pragam venientem effusa obviam tota urbe cum frequentissima nobilitate, „ ùt legitimum regni hæredem, ùt Dominum „ ac Regem suum faustis ominibus salutabant, „ magnóque certatim studiô in verba ejus denuo jurabant, ac læti interfuerant, cùm „ Barbaram uxorem ejus Præsul Constantiensis „ coronâ Regiâ coronaret, cùm idem omnes „ execrationes tolleret, quibus Pragenses devoti fuerant, cúmque Rokiczanus obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstaret, quasi „ Archi-Episcopus futurus, qui parum abfuit, „ quin mox interturbâsset omnia. Solenne „ Sacrum faciebat Legatis coram, illóque „ peracto, temperare haud sibi valuit, quin „ veteri suo instituto, idiotæ cuidam Sacramentum ex calice offerret frustra Polomaro „ Legato reclamante. Sedata res fuit per „ alios inquientes, propter unum pactorum „ conventorúmque violatorem communem „ concordiam non esse rumpendam. Ex eo „ tamen tempore Rokiczanus de perfidia suspectus haberi, negotiúmque ejus de Archiepiscopatu confirmando de die in diem prolatari, ut ad extremum fumi instar evanesceret. Sensit hoc callidus ille, punicáque invicem religione datam Ecclesiæ „ Romanæ fidem servabat, in paucissimis illi „ obsequens, cetera sibi arrogans audaciùs „ & impudentiùs, quàm disciplina habet Ecclesiastica, petulans inprimis adversùs Monachos, quos sensim Pragam Sigismundus „ reducebat, ut sanâ doctrinâ ægros curarent, „ rémq; Divinam solito more facerent: hos ille „ organa dæmonis, ad obtundendam veritatem, ab eodem dæmone immissa nominabat, „ pellendósque protinus censebat. At eosdem Sigismundus non modò sibi tuendos, „ verùm etiam augendos, sicut alios quoque „ Romanæ professionis Sacerdotes, qui pauci „ numerò superfuerant, prophanatis passim „ Templis profugi, susceperat, nec ullo pacto „ Templa ejusmodi ingredi voluit, nisi denuo „ fuissent à Philiberto, hoc nomine erat Præsul Constantiensis, inaugurata, Altaria cum „ ornatu suo restituta, fontes Baptismi constituti, imagines repositæ &c. „

Bohemia Pia lib. 2. sub Sigismundo.

[2.] Annotat. Reichwein in suo lib. Secr.

[3.] Ex Autographo ipsius.

[4.] Ex literarum monumentis.

An. Christi MCCCCXXXVII. Monasterii CCXCIX.

Pont. Rom. Eugenius IV. *Imp. Rom.* Sigismundus. *Archi-Dux Austriæ* Albertus V.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Joannes II.

TAndem Sigismundus pacatâ utcunque Bohemiâ cùm ætatis & curarum incommodis aggravari se indies sentiret, de successore regnorúmque hærede constituendo sollicitus esse cœpit. Barbara quoque uxor, ætatis suæ & dignitatis parùm memor, de regnorum hæreditaria successione post viri mortem, quam brevì affore augurabatur, in se transferenda cogitabat, novásque sibi nuptias animô concipiebat. Unde ex Procerum quorundam consilio clandestino res apud ipsam agitata eò deducta est, ut Vladislaus Poloniæ Rex in ejus consortium & regnum vocaretur, quem duorum regnorum accessione (quæ, nullâ filiæ ac Generi ratione habitâ, in dote sua numerabat) permotum iri sperabat, ut vetulam juvenis non aspernaretur. Cæsar verò hæc omnia perspecta habens, cum non longè abesse vitæ terminum & ipse præsentiret, & à medicis admoneretur, fluxam quorundam Bohemorum fidem suspectam habens, sparsâ in vulgus famâ, loci mutationem valetudinis curandæ gratiâ suaderi, cum nonnullis Bohemorum fidelium & Ungarorum proceribus, de more suo virenti serto redimitus, apertâ lecticâ per mediam urbem invectus, Pragâ discedit, & Znoymam Moraviæ urbem petiit. Ubi ægritudine pariter & itinere fessus substitit, uxori Barbaræ custodes additi, & gener Albertus unà cum Elisabetha conjuge sua quoque advolat. De Generi successione in utrumque tam Bohemiæ quàm Ungariæ regnum locutus pauca ad proceres præsentes, in lacrymas solvitur. Qui unanimes resolventes se in Cæsaris manum jurant, se Albertum Regem declarare suum, neque alterum eô vivô agnituros. Ipsum quoque Albertum ejúsque conjugem Elisabetham intromissam, læta acclamatione Regem & Reginam salutant: postridie verò Sigismundus rebus ità constitutis obiit Znoymæ quintô Nonas Decembris. * [1.] Atque ità mirabili Dei dispositione Domus Serenissima Austriaca florentissimorum duorum regnorum accessione, & Marchionatu Moraviæ & Silesiæ utriusque Ducatu, aliísque incorporatis regnis & provinciis ditata est, & donata in compensationem civitatum & provinciárum in Suevia olim amissarum, & quidem ab eodem Imperatore Sigismundo Alberto V. Austriaco genero suo recompensatum damnum, qui olim in Concilio Constantiensi Fridericum item Austriacum Tyrolensium Principem ob fidem Pontifici Joanni præstitam multis civitatibus & provinciis mulctavit. Unde sicut plures civitates provinciæque in Suevia amissæ sunt in hodiernum usque diem, quæ partim Imperio cedentes libertatem perpetuam mordicus tenuêre, partim ab Helvetiis occupatæ nunquam restituentur, nisì armis recipiantur: sic quoque regna illa duo Ungariæ & Bohemiæ apud Austriacam Familiam perpetuò duravêre, nisi quòd illud à Turca ex parte occupatum sit, alterum nonnunquam in fide vacillârit. Ceterum de obitu Sigismundi Cæsaris, & de electione Alberti tam in Regem Bohemiæ quàm Ungariæ ac etiam Romanorum Jacobus Rechwein civis Viennensis sic loquitur: „ Anno 1437. Obiit invictissimus Sigismundus Romanorum Imperator, Ungariæ & Bohemiæ Rex, „ nonô die Decembris in oppido „ Znoym terræ Moraviæ, & sepultus „ in

„ in Waradino civitate terræ Ungariæ. „ Cui successit in regno Ungariæ Albertus V. Dux Austriæ, qui electus „ est in Posonia 17. Die Decembris „ eodem anno, & coronatus in Alba-Regali prima die Januarii, hoc est, „ quartâ, (*scilicet feriâ*) in Circumcisione Domini, Annô 1438. qui habuit in uxorem filiam Imperatoris „ nomine Elisabeth &c. Etiam successit sibi in regno Bohemiæ, quia „ fuit ad hoc electus Pragæ 27. die, „ mense Decembri, hoc fuit feriâ sextâ „ in die Joannis Evangelistæ in Anno „ 1437. & coronatus anno sequenti „ Pragæ in festo Apostolorum Petri & „ Pauli vigesimâ nonâ die Junii. „ [2.] Hæc Jacobus citatus. Unde patet electio ipsius tam in Regem Ungariæ, quàm Bohemiæ hoc adhuc anno facta fuisse, coronatio verò anno sequenti contigisse. Atque hæc de obitu Sigismundi & Electione Alberti.

Porro vivente adhuc Sigismundo Imperatore Joannes Abbas in Zwetl Monasterium suum paulatim veteri statui restituere laboravit, unde jam templi fornices, locáque regularia tecta habitantibus usui fuerunt. Restabat igitur, ut loca sacra prophanata reconciliarentur, quæ reconciliatio ab Antiquitate Monasterii ità describitur: „ Notum sit Christi fidelibus universis, „ quòd Rev. in Christo Pr. & D. D. „ Matthias Dei & Apostolicæ Sedis „ gratiâ Episcopus Victricensis de speciali commissione Reverendissimi in „ Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonhardi Episcopi Pataviensis „ Ecclesiam cum summo altari ac aliis „ altaribus, capellis & cœmiterio ejusdem post crudelem stragem hominum & lamentabile exterminium jam „ dictæ Ecclesiæ per nephandissimos „ hæreticos Hussitas perpetratum, ad „ instantiam Venerabilis & Religiosi „ viri & D. Joannis dicti Rastenvelder „ pro tunc Abbatis Cist. Ord. Monasterii „ in Zwetl, de sua benigna paternitate „ consecravit, & reconciliavit, in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, „ & specialiter in honore Beatæ & „ Gloriosæ Virginis Mariæ, quæ à retroactis temporibus patrona præfatæ Ecclesiæ asseritur extitisse. Adjiciens idem Rev. P. de uberiori sua „ largitate ad alias indulgentias à Reverendiss. in Christo Patribus, Papa, „ Cardinalibus, Patriarchis, Archi-Episcopis & Episcopis dictæ Ecclesiæ ritè concessas, omnibus verè pœnitentibus & confessis quadraginta dies „ indulgentiarum, iisdem videlicet diebus prout in aliis literis indulgentiarum lucidiùs continetur. Hæ sunt „ autem reliquiæ, quæ in summo altari „ continentur, videlicet de domuncula B. Virginis, in qua mortua est: de „ tunica inconsutili &c. (Hìc Catalogus ponitur reliquiarum, quem ob fastidium lectoris omitto.) „ Dedicatio „ autem præfatæ Ecclesiæ cum suis altaribus & capellis totius Monasterii „ de speciali mandato & auctoritate „ Rev. Patris D. Matthiæ prælibati, „ annuatim observabitur in secunda „ Dominica post Resurrectionem „ Domini, qua cantatur in Ecclesia „ Dei, Misericordia Domini. Acta „ sunt hæc Annô ab Incarnatione Domini 1437. 5. Idus Mensis Junii. „ Combustum & exsecratum est Monasterium B. Virginis Gloriosæ unà „ cum omnibus altaribus, nec non capellis ejusdem Monasterii in Zwetl „ per nephandissimos hæreticos Hussitas Annô Domini 1426. in Die Circumcisionis Domini. „ [3.] Hucusque tabula antiqua. Meliùs & correctiùs posuisset, combustum esse Monasterium Annô MCCCCXXVII. in die Circumcisionis, cùm priùs in die Sylvestri Anni MCCCCXXVI. ab Hussitis iisdem fuisset spoliatum, sicut annis iisdem suprà (*Annô 1426. & An. 1427.*) videre est.

Deinde post quatuor ferme menses parochiam S. Laurentii in Windigsteig

per eundem Joannem Abbatem in Zwetl reædificatam quoque reconciliari Abbas præfatus impetravit. Unde Matthias prælibatus Episcopus Victricensis, suffraganeus Pataviensis, nomine Domini Leonardi Pataviensis Episcopi Ecclesiam Parochialem in Windigsteig per nefandissimos hæreticos Hussitas enormiter destructam unà cum cæmiterio reconciliavit, & de novo summum altare consecravit. Dedicationem autem ad Dominicam proximam post Octavam Corporis Christi celebrandam instituit. Datæ desuper litteræ Monasterio nostro Annô Domini MCCCCXXXVII. 4. Octobris. [4.] Atque ità patet, quod suprà dixi (*Annô 1427.*) non tantùm Monasterium Zwetlense, sed etiam grangias ejusdem & Parochias destructas & in cineres redactas fuisse.

Demum quoddam reperitur autographum, per quod indulgentiæ cuidam Monasterii nostri Professo Viennæ tunc in studiis moranti largiuntur, est autem talis tenoris: Joannes SS. Theologiæ Professor, Canonicus Ecclesiarum Olomucensis & S. Stephani Viennensis, Olomucensis item & Pataviensis Diœcesis Commissarius principalis Indulgentiarum à SS. Synodo Basileensi constitutarum, fatetur se dedisse indulgentias F. Joanni Balpeck Professo Monasterii in Zwetl, Diœcesis Pataviensis, Ord. Cist. Datum Viennæ apud S. Nicolaum, Annô Domini MCCCCXXXVII. 24. Februarii. [5.] Hoc officium conferendarum indulgentiarum post centum annos Lutherum, quia obtinere illud non potuit, ita excæcavit, ut novam hæresim texuerit, utì patebit.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roô lib. 5. paucis mutatis & omissis; oratio verò, qua Sigismundus primos quosque procerum ad se vocatos allocutus est, ità à Gerardo profertur: „ Cùm ab „ inito statim Imperio in hunc usque diem ad „ publicam tranquillitatem constituendam, „ omne studium contulerim, decursô jam vitæ „ spatiô, cavendum maximè video, nè reliquis „ meis actionibus extrema non congruant. Itaque de vestrâ salute, déque regnorum meorum incolumitate sollicitus, hoc primùm „ egi: ut Pragæ mœnibus, atque adeò Boemiæ finibus, sub honesto instaurandæ valetudinis prætextu, egrederemur, nè si apud „ suspectæ fidei homines, mori me contigisset, secus aliquid de vobis statueretur. „ Nunc verò una ea apud animum meum cura residet, quo pacto regnis meis consuli „ possit, ne post discessum meum turbulentis „ bellorum ac dissensionum motibus subvertantur. Ad quam rem, cùm justo aliquo ac „ cordato rege opus sit, neminem equidem „ esse video, qui vel vestrô ipsorum judiciô „ Alberto Austriaco, genero meo, præferri „ debeat. Sive enim generis nobilitatem, „ sive prudentiam multo rerum usu instructam, sive virtutes alias viro principe dignas quærimus, omnia in eo, DEI concessu, eximia invenientur. Hunc ego mihi „ generum adscivi, hunc filium adoptavi, „ hunc hæredem ultimæ voluntatis declaratione constituo. Nec est, quod ipsius tantum aut filiæ meæ amore moveri me, quantum publicæ incolumitatis ratione quis putet. Video enim felices vos fore, qui sub „ Alberti Imperio vivetis. Habetis præter „ judicium meum, præclara ejus in vos merita, quibus jam dudum ille effecit, ut à „ vobis non minùs, quàm à me amaretur, ac „ magni fieret. Itaque agite, & hunc vobis „ Regem me etiamnum vivo & vidente declarate, ut de reliquo securus æquiori animo spiritum DEO commendem. Hæc locutus in lacrymas erupit. Quotquot autem aderant, bonô eum animô esse jubent, „ séque Albertum Regem declarare, neque „ alterum eo vivente agnituros recipiunt, „ & in ipsius manum jurant. „

Æneas Sylvius c. 53. „ Ægrotare interea „ Sigismundus cœpit, ex augente morbum „ senectutis incommodo. Barbara Imperatrix de retinendo imperio solicita, Henricum, Ptarsconem, Sternbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerósque Barones, quorum authoritas apud Bohemos „ potior, clanculum ad se vocat, Sigismundum brevì moriturum asserit, futuras in regno turbas, nisì rei suæ quàm celerrimè „ consulant: quietis unicam viam esse, si se „ viduam Rex Poloniæ ducat uxorem. Id ei „ suasu facilè. Nam quis matrimonium renuat, quod dotalia duo regna sequantur,

„ e-

„ eâque maxima & opulentissima? Suo no-
„ mine & in Hungaria & in Bohemia oppida
„ munitissima custodiri; Comites Ciliæ, al-
„ terum fratrem, alterum nepotem, auxilia
„ præbituros, multósque in Hungaria proce-
„ res suas partes complexuros. Placet Bo-
„ hemis Imperatricis consilium, datísque dex-
„ tris fœdus ineunt. Mulier jam anus no-
„ vum conjugium mente complexa, filiam,
„ quæ in spem regni creverat, & Alberto Du-
„ ci Austriæ nupserat, ex animo dimovet, nec
„ aliud, quàm novi concubitûs gaudia medi-
„ tatur. - - -

„ Non latuerunt Imperatorem furentis fœ-
„ minæ excogitatus. Qui postquam referen-
„ tibus medicis moriendum sibi esse cogno-
„ vit, ex Bohemia (cujus sibi dubia fides erat)
„ in Moraviam se vehi jussit, visurus filiam,
„ priusquam vitâ excederet. Illa cum viro
„ ad eum in civitatem venit, quam Snoima
„ vocant, ibi mox Barbara virum secuta, cu-
„ stodiæ traditur. Ulricus Ciliæ Comes præ-
„ monitus fugam arripuit. Imperator voca-
„ tis in cubiculum Hungariæ ac Bohemiæ pri-
„ moribus adventâsse resolutionem sui corpo-
„ ris, nec jam ampliùs se vivere posse affirmat,
„ iturum se patrum viam. Ceterùm prius-
„ quam oculos claudat, de salubri statu re-
„ gnorum suorum velle cum eis agere. Al-
„ bertum Austriæ Ducem, generum suum esse,
„ & virtute præstantem, & generis nobilitate
„ sublimem: eum se non minùs amare, quàm
„ filium, successorem itaque suum nominare,
„ rogare supremam voluntatem suam exe-
„ quantur. Beatum id regnum futurum, cui
„ Albertus imperaverit. Exin legatos nomi-
„ nat, qui se mortuô Bohemiam petentes, in
„ conventu procerum testamentum suum pa-
„ tefaciant. Inter quos Gaspar Slik prin-
„ ceps fuit, &c.

Cap. 54. „ Albertum Barones, qui ade-
„ rant ex Hungaria & Bohemia concordibus
„ animis Regem salutavêre. Ipse missis in Bo-
„ hemiam suis à Sigismundo delegatis versùs
„ Posonium iter flexit. Miserabile spectacu-
„ lum, & humanarum rerum singulare docu-
„ mentum, Imperatrix captiva, & Imperatoris
„ cadaver unà vehitur. Occurrunt lugubres
„ Hungari, nec tenere lacrymas in tanta rerum
„ novitate possunt. Hìc defuncti Regis cor-
„ pus fletum elicit: inde Reginæ vincula
„ commiserationem excitant. Solatur tamen
„ miseros novi Regis electio; cujus virtutis
„ multa extabant documenta. Duæ inter se
„ pugnantes curæ occurrebant, altera sepe-
„ liendi Regis, plena mœroris, altera coro-
„ nandi, læta jocundáque. „

Dubravius lib. 27. in fine. „ Barbara Cæ-
„ saris Conjunx superstite adhuc viro Boie-
„ miæ & Hungariæ regnis, quæ in dote suâ
„ numerabat, non successorem modò, sed si-
„ bi etiam maritum, eúmque juvenem petu-
„ lanter ambiebat, nempe Vladislaum Polo-
„ niæ Regem, quem tanta regnorum dote per-
„ suasum iri sperabat, ut cum anu matrimo-
„ nium iniret. Accendebant spem Ulricus
„ Ciliæ Comes Barbaræ frater, sorori assen-
„ tiens, & complures Boiemiæ diversæ factio-
„ nis Proceres, qui Polonum Germano præ-
„ ferebant. Quod ubi Sigismundus intelle-
„ xit, sensítque tum Hungaros, tum Bojemos
„ saniores magno cum dolore accipere, id à
„ matre agi, ídque patrari, ut filiæ suæ Alberto
„ desponsæ spem regnorum, in quæ adoleve-
„ rat, eriperet, vocatis ad se Hungaris consi-
„ lium eis suum de discessu ex Boiemia ape-
„ rit &c. ut supra ex Sylvio paucis mutatis.

Bohemia Pia lib. 2. in Sigismundo.
Piespordius in Alberto V.
Pontus Heuterus in Apparatu suo c. 4.
Cuspinianus in Cæsarib. sub Sigismundo.

„ Inter manus amicorum veluti lucerna oleo
„ deficiente extinguitur (*Sigismundus*) non sine
„ maximo astantium planctu, nonâ Decembris
„ millesimô quadringentesimô tricesimô septi-
„ mô annô, Imperii ipsius vicesimô septimô,
„ regni Hungariæ quinquagesimô primô, Boë-
„ miæ decimô septimô. Corpus dehinc Re-
„ gio cultu in curru, quo etiam capta fere-
„ batur Imperatrix, Varadinum delatum, ac
„ honorificè est sepultum. Ubi hi versus le-
„ guntur sepulchro ejus insculpti:

„ Cæsar & Imperium tuus en ego Roma Sacratum
„ Rexi non ense, sed pietatis ope.
„ Pontificem Summum feci, spretis tribus, unum,
„ Lustravi mundum Schismâ negando malum.

„ Ità autem auxit opibus hoc templum, ut
„ continuatis diebus ac noctibus semper lau-
„ des Deo immortali personent Clerici ac
„ Sacerdotes. „

Idem in Austria.
Megizerus Annal. Carinth. lib. 9. cap. 51.
Ciaconius in Eugenio IV.
Thwrocz in Chronica Hungarorum de obitu Imperatoris Sigismundi. „

„ Et cum senex Princeps veneranda cani-
„ tie túmque florido adornatus crinali me-
„ diam per (*Pragensem*) civitatem ferebatur,
„ undique sexûs utriusque juvenum senúm-
„ que fit concursus, & lacrymantibus intuen-
„ tes eum luminibus, quasi illum ampliùs non

„ visuri, genuum curvatione paritérque & „ jocundô salutationis oraculô eum venerabantur. Ille circumquaque oculis intuitu „ depastis eisdem Imperialis tantummodo capitis inclinatione respondebat. Egressus „ igitur Pragensi de civitate optatam venire ad patriam nequivit; sed in Znoymam civitatem Moraviæ delatus, Domini „ MCCCCXXXVII. annô, in festo Conceptionis gloriosissimæ Virginis MARIÆ, „ ætatis suæ septuagesimô; regnorum autem „ suorum, Hungariæ quinquagesimô primô, „ Romanorum septimô & vigesimô, Bohemiæ decimô septimô - - - - - - - - - „ diem obiît. Qui postmodum suorum „ non sinè uberrimo fletu in Hungariam portatus; & in Ecclesia Waradiensi honorificè suorum prædecessorum adinstar traditus est sepulturæ. Fuit Imperator Sigismundus homo in sui vultus qualitate & personæ „ quantitate satìs idoneus, pulchra facie, crinibus crispis & glaucis, ac sereno intuitu à „ summo rerum conditore adornatus. Hic „ in favorem Hungarorum quondam longas „ barbas deferentium prolixam barbam deferebat. „

[2.] Annotationes Jacobi Rechwein in lib. suo Secretorum.

[3.] Tabula antiqua MS.

[4. & 5.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MCCCCXXXVIII. Monasterii CCC.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Albertus II.	Idem Albertus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

ALbertus V. Archi-Dux Austriæ & gener Sigismundi Imperatoris defuncti electus ad Soceri sui commendationem tam in Regem Bohemiæ quàm Ungariæ anno priori, hoc anno Calendis ipsis Januariis in Alba-Regali in Regem Ungariæ inungitur, & coronatur cum magno statuum omnium applausu. * [1.] Inde rebus in Ungaria constitutis in Bohemiam ad regnum maturè occupandum properat. Ubi verò Viennæ in Austria substitit, interim septemviri Imperii Electores Francofurti comitia creandi Imperatoris habebant, qui Sigismundi de Alberto judiciô, Ungarorum, item & Bohemorum electione, & sua de ipsius virtutibus æstimatione confirmati, & felicem sub eo Reip. statum fore ominati, Imperatorem eum uno consensu creant. Ab ea electione Austriacæ gentis Principes Imperii dignitatem Majestatémque in hæc usque tempora quasi per manus acceptam cum summa rerum gestarum gloria ac gratia tuentur: atque ità uno eodémque anno Albertus bis in Regem, & tertiò in Imperatorem electus ac coronatus est magnô felicitatis exemplô. [2.] Commoranti igitur Alberto Viennæ, Legati ab Electoribus missi præstò sunt, qui electionis ordine enarrato ipsum à principibus expectari nuntiant. Erant omnes ipsi admonitores Fridericus Senior Tyrolensium Princeps, item Fridericus Junior, & Albertus ejus frater Austriaci, Basileenses Legati, multíque alii ex utroque regno & reliquis ditionibus Viri nobiles, Academia item & Viennensis civitas, ut Imperium oblatum non recusaret. Soli Ungari ex omnibus refragabantur, quibus ante susceptam coronam sanctè receperat Albertus, Imperium se nec ambiturum, nec si offeratur, accepturum absque illorum assensu ob timorem Turcarum vicinorum, ne Rege in Imperii negotiis detento regnum omnibus illorum injuriis exponeretur, quod Ungari sub Sigismundo experti fuerant. Tandem tamen Ungari præsentes à principibus & aliis nobilibus eò deducti sunt, ut assenserint; & ità motus Albertus quoque in preces eorum consensit, seorsum tamen à consilio parumper digressus magnam lacrymarum vim profudisse fertur. [3.] De coronationis ipsius tem-

tempore variant Scriptores, [4.] ego aliis relictis coævum authorem meum sequor, cujus hæc sunt verba de Alberti in Romanorum Regem electione: „ Annô Domini 1438. Indictione pri- „ ma, tempore Eugenii Papæ IV. annô „ Pontificatûs sui octavô, quintâ fe- „ riâ post Dominicam, quâ canitur „ Oculi, vel 18. diei Martii horâ „ quasi nonâ ante meridiem in Franc- „ fordia in Basilica S. Bartholomæi „ ibidem in præsentia à Rev. Nobi- „ libus, Magnificis, Honorabilibus „ Magnatibus, Treverensi, Coloniensi „ Episcopis, Ottone Palatino Duce „ Bavariæ, Friderico Duce Saxoniæ, „ Friderico Marggravio Brandenbur- „ gensi (*Albertus Dux Austriæ*) electus „ in Regem Romanorum, & humiliat „ (*fortè consensit*) se hoc recipere per „ Oratores illorum Viennæ in Ecclesia „ S. Stephani. „ [5.] Hæc Jacobus citatus. Unde constat ipsum Albertum priùs in Romanorum Regem coronatum fuisse Aquisgrani quàm Pragæ in Regem Bohemorum. Nam factiosi quidam Bohemiæ Proceres Hussiticæ Sectæ studebant Casimiro Poloniæ Regi tredecim annorum puero, quem in Regem suum sibi elegerant, in regnúmque vocârant, unde tempus protractum est, ut coronatio aliquandiu differretur. Tandem Albertus Cæsar perveniens Pragam unà cum conjuge sua tertiô Calendas Julii, die nimirum Apostolis Petro & Paulo sacrâ, adhibitis ritè cæremoniis diademate Regio insignitur. [6.] Coronatione verò peracta quid egerit Albertus, Jacobus suprà memoratus sermone vernaculo pluribus describit, tempus pulchrè deducendo, quæ hìc inserere placet, tum pro prædictorum majori lumine, tum ut perspiciantur Alberti Austriaci Principis, Regis & Imperatoris in tam brevi vitæ suæ tempore, quo Regna & Imperium moderatus est, res gestæ eximiæque virtutes: ego fideliter stylo simplici ipsius Jacobi citati idioma per interpretationem referam, quod ita sonat: „ Sciendum est, cùm Albertus „ Romanorum & Ungariæ Rex &c. in „ Regem Bohemiæ Pragæ in festo SS. „ Petri & Pauli Apostolorum corona- „ retur, adversabantur eidem Domini „ Alscio de Sterenberg Baro, Zpepsko, „ (*aliàs Ptosconem ipsum Gerardus & Dubravius, Æneas verò Ptarsconem vocat.*) „ Item Wedersy (*à Dubravio Wressiovius nominatur*) Hussitarum Sacer- „ dos, aliíque multi sectam Thaborita- „ rum tunc sequentes: præterea civi- „ tates quædam & oppida illorum par- „ tes fovebant, ut Zateczium, Launum, „ Gretium, Colonia, Thabor &c. Hi „ omnes in Regem Bohemiæ elege- „ rant puerum Poloniæ Regem nomi- „ ne Casimirum, qui unà cum fratre, „ Rege quoque Poloniæ militem exer- „ citatum & copiosum electoribus suis „ prædictis Bohemis in auxilium trans- „ misit, ità ut exercitum justum con- „ tra Albertum in campos educerent „ conjurati, ea spe freti, quòd Alber- „ tum Bohemiâ expellere valerent, at- „ que ità Pragam versùs currus diri- „ gentes castra movebant, jàmque Bro- „ dam-Bohemicam attigerant, pugnam „ cum Alberto Rege appetentes. Fi- „ deles autem Alberti, qui ei â con- „ siliis erant tam exteri quàm Bohemi, „ præsertim Rosenbergicus, Neo-Do- „ mensis, Colubradius, Cygnæus, Chry- „ santius, aliíque fideles Bohemiæ reguli „ unà cum Pragensibus aliísque nonullis „ regni civitatibus, Pragæ copias quis- „ que suas Alberto in obsequium of- „ fert. Idem præstitêre Fridericus „ Dux Saxoniæ, & Marchio Misniæ „ octo millia tam peditum quàm equi- „ tum adducentes. Præterea vene- „ rant quoque Marggravius Branden- „ burgicus, Dux Christophorus de Am- „ berga, & Dominus de Plaben: qui- „ dam ex civitatibus Imperii auxilium „ miserunt, Dux de Brunonis-Vico, „ Legatus Mediolanensis, & Venetia- „ rum &c. Deinde Regem suum & „ Ducem non destituebant Ungaria,

Ll „ Au-

„ Austria & Moravia. Atque ità illius „ exercitus unius mensis spatiô excre- „ verat, ut equitatus numeraretur pu- „ gnatorum viginti quatuor millia: in- „ super parati erant multi carri, quos „ armatos vocant, è quibus pugnatur, „ cum quibus hostium ordo perturba- „ tur; curruum quoque munitio mo- „ bilis, quâ castra metabantur, & se- „ cum ubique ducebant. Rex igitur „ ità armatus egressus est contra supra- „ dictos hæreticos & Polonos, & ad „ pugnam se præparat. Quam hære- „ tici cum Polonis declinantes, inde „ ad Thaboritarum oppidum, fugien- „ tibus similes, se recipiunt. Rex ve- „ stigiis eorum insistens usque ad Tha- „ bor præfatum in hostium conspectum „ processit, hostes verò obsessi, cùm „ Albertus per viginti quatuor dies „ ipsos in campos quotidie evocaret, „ pugnæ copiam ipsi facere detrecta- „ bant, sed clandestinè hæretici & Po- „ loni ex oppido die noctúque fugam „ inibant, ex quibus multi capti, oc- „ cisi & combusti sunt. Hæc Rex in- „ telligens cum Principibus præfatis „ Pragam repetiit, ubi Principes à se „ domum remisit, qui sibi in auxilium „ venerant. Quare Dux Saxoniæ, „ Brandenburgicus, Brunsvicensis, „ Dux Christophorus de Amberga, & „ nonnulli de Imperii civitatibus iter „ instituebant. In quo, cùm inter „ Zateczium & Launum procederent, „ præfati hæretici & Poloni collecti, „ in curruum munitione conclusi con- „ tra Saxonem & prædictos Principes „ exibant: uterque exercitus mox ar- „ ma parabat, ac prælium ambæ par- „ tes iniêrunt, in quo Saxo cum sociis „ suis commilitonibus superior hæreti- „ cos & Polonos in fugam vertit, qui „ Zateczium & Launum diffugerunt. „ Hostium ceciderunt plures quàm „ duo millia, capti verò sunt ex eis „ millia duo supra centum: in hoc „ prælio Dux Saxoniæ militiæ cingu- „ lum accepit cum aliis Principibus „ pluribus & nobilibus, atque rebus „ ità prosperè gestis cum victorioso „ exercitu suo domum victor rediît. „ Post hæc Albertus Rex profectus est „ Sittaviam, Gorlicium, aliásque in „ civitates Lusatiæ. Interea fratres „ Poloniæ Reges de regno exierant „ cum viginti millibus Bohemiam & „ Moraviam invasuri, jámque Oderam „ fluvium superârant, quod cum Al- „ bertus accepisset, Brandenburgicum „ cum mille equitibus nonnullísque „ suis militibus additis Wratislaviam „ ablegavit, ipse paulò pòst secuturus. „ Hæc ùt intellexerunt Poloni, non „ diu in Silesia morati, domum cum „ suis duobus regibus properant fu- „ gientes, iter in uno die tantùm tunc „ conficientes, quantum in egressu suo „ vix dierum duorum spatiô antè con- „ fecerant. Quare Brandenburgico „ Rex in mandatis dat, ut cum mille „ equitibus in Polonorum agrum ex- „ currat, latè prædas agat, obvia quæ- „ que ferrô & igne vastet: quæ ille di- „ ligenter exsecutioni mandans civita- „ tes duas cum multis pagis & villis „ exussit, multáque spolia tulit, adeó- „ que hostem vexavit, ut armis diffisus „ obviam tendere nullus ausus fuit, „ sed ipse salvus Wratislaviam rediît. „ Interea illuc quoque Albertus per- „ venerat. Quæ omnia hactenus nar- „ rata contigêre à festo SS. Petri & „ Pauli Apostolorum usque ad festum „ S. Martini, Annô Domini 1438. „ Wratislaviæ autem Albertus Rex „ mansit usque in Quadragesimam, ubi „ interea de pacis conditionibus inter „ Cæsarem & Polonum, sed frustrà di- „ sceptatum fuit. „ [7.] Hucusque Jacobus citatus hoc anno narrat Alberti in Bohemia & Silesia res gestas à tempore, quo coronam regni suscepit; ceteræ ipsius relationes, quæ anno sequenti contigêre, anno quoque eodem à me referentur.

Circa Monasterium Zwetlense hoc anno sequentia contigisse reperiuntur:

„ Joan-

„ Joannes dictus Rastenvelder Abbas, „ Joannes Egrer Prior, Nicolaus Sub- „ prior & totus Conventus Monaste- „ rii B. Mariæ V. in Zwetl in Capitulo „ capitulariter constituti, Procurato- „ rem, & in Romana Curia Syndicum „ legerunt & approbârunt Magistrum „ Joannem Resch in quibuscunque „ Monasterii præfati sui causis agendis, „ præsertim in causa litis contra Hein- „ ricum Fewchter assertum Rectorem „ Parochiæ in Cystersdorff Patav. „ Diœcef. de & super nonnullis deci- „ mis ibidem; item in petitione infu- „ læ, infulandíque privilegii, & alia- „ rum causarum quarumcunque. Hac „ super constitutione Instrumentum „ publicum à Publico Notario à Luca „ dicto Weiss Clerico Transylvensis „ Diocæsis confectum. Actum in lo- „ co Capitulari Monasterii in Zwetel, „ Annô Domini 1438. 11. Augusti, In- „ dictione I. Feriâ secundâ, Pontifica- „ tûs Eugenii IV. annô octavô. „ [8.] Sciendum hîc causam dedisse liti decimas, quas Parochia in Cistersdorff possidebat: nam cùm eadem Parochialis Ecclesia unà cum aliis ad Monasterium Zwetlense jure patronatûs & fundationis spectaret ab initio, Monasteriúmque in Curia Romana incorporationem ejusdem cum aliis perpetuam sollicitaret, primùm obtinuit incorporationem primam ejusdem dictæ Ecclesiæ à Bonifacio Papa IX. Annô Domini MCCCXCVI. & ab eodem altera vice Annô MCCCXCIX. confirmatam renovatámque impetravit: item Annô MCCCCXXIII. Martinus Papa V. dictam incorporationem tum à se, tum à suo prædecessore revocatam denuò concessit, ac Annô MCCCCXXIV. 25. Junii per commissionem dicti Papæ Abbati Altenburgensi in Austria executioni priùs per Bullam suam mandatam ad finem ipse deduxit. Unde contigit, ut eodem anno 11. Julii post ultimi Rectoris obitum dictæ in Cistersdorff Ecclesiæ, ab Abbate & Conventu in Zwetl in eandem Ecclesiam institueretur Vicarius F. Stephanus Grabner Monasterii Zwetlensis Professus, quo in Curia Romana defuncto supradictus Heinricus Fewchter quondam in Antiquo-Pœlan Plebanus, Cistersdorffensem Ecclesiam fraude obtinuit, eámque resignare noluit requisitus, insuper litem movit, cùm Monasterium jure incorporationis perpetuæ decimas & alios proventus occuparet, ipse verò apud Sedem Apostolicam per Syndicum suum ageret, quatenus ipsi ad dies vitæ suæ integri Parochiales proventus ascriberentur, ex eo capite deducens accusationem erga Monasterium nostrum, quod illud contra Bullam incorporationis suæ Vicario vel Plebano in dicta Ecclesia congruam vivendi portionem denegaret. Quare ad hanc injuriam & calumniam suam propulsandam Abbas & Conventus in Zwetl Romam in Curiam prædictum M. Joannem Resch postea Vicarium suum in Schweikers prædictam ob causam ablegavit. Deinde constat etiam ex hoc instrumento Abbates Monasterii in Zwetl jam tum infulâ usos fuisse, quorum hucusque à condito Monasterio fuerunt numerô viginti novem.

Fit demum hoc anno mentio Commissionis cujusdam per Abbatem in Zwetl peractæ, nam Wolffgangus Gossner Judex Zwetlensis civitatis bona quædam hæreditaria occupavit, quæ ad Dorotheam uxorem Joannis Rewss civis in Zwetl pertinebant: hanc litem composuêre Abbas Zwetlensis præfatus, & collega ipsius Nobilis Dominus Ulricus Eytzinger equestris Ordinis per Austriam Magister Hubarum. Datum Annô Domini MCCCCXXXVIII. in festo S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ. [9.]

ADDITIONES.

* [1. 2. 3.] Gerardus de Roó lib. 5.

Sylvius ad priorem annum sub n. 1. relatus ita prosequitur: „ Justa priùs defuncto „ Regi persoluta, corpus ejus in Varadino, ùt „ in ultima voluntate placuerat, sepultum. „ Albertus in Alba-Regali cum conjuge sua „ Elisabeth, Kal. Januarii summo consensu & „ applausu populi coronatus est.

Cap. 55. „ Legati in Bohemiam profe- „ cti, vulgatô Sigismundi testamentô, Al- „ bertum vicinum, potentem, nobilem, vir- „ tute præstantem, Bohemis amicum, Regem „ assumi petunt. Joannis, Caroli, Vences- „ lai, & ipsius Sigismundi erga regnum me- „ rita commemorant. Natam ex eorum san- „ guine Elisabeth non esse paterna hæreditate „ privandam. Inter Bohemiæ Reges & Au- „ striæ Principes fœdus extare, Procerum „ consensu, & Imperiali authoritate firmatum: „ ut deficientibus in altera domo masculis „ hæredibus, altera regnum accipiat. Defe- „ cisse masculos in Bohemia Regiæ stirpis, „ successorem ex Austria vocandum. Neque „ alium regno idoneum viderunt, quàm Al- „ bertum, qui & uxoris, & suo jure, & so- „ ceri judiciô præferendus sit. Futurum eum „ Regem, quem Bohemi ex cœlo missum pu- „ tent. Hungari quem cupidè Regem acce- „ perint, Bohemis haud aspernandum.

„ Flectitur his Bohemorum conventus. „ Albertus pridie Nonas Majas Rex designa- „ tur. Verùm Proceres, qui cum Barbara „ conspiraverant, non aliô pactô in Albertum „ consentiunt, quàm si postulatis suis mos „ geratur. Alscio Sternenbergius eorum no- „ mine Albertum adiît; sed frustrà ejus pre- „ ces fuêre. Albertus ea ferme Bohemis, „ quæ socer affirmavit. Interea Barbara, di- „ missis quæ possidebat in Hungaria inex- „ pugnabilibus castellis, libertati reddita est, „ duodecim millia aureûm nummûm, locis „ patentibus, quoad viveret, ei singulis annis „ constituta.

„ Ptarsco de voluntate Alberti ab Alscio- „ ne certior factus, accersitis ex factione sua „ primoribus, quorum pars potior hæretica „ fuit, Hussitarum sequax erroris, Casimirum „ Regis Poloniæ Germanum, tredecim an- „ nos natum, Regem appellat, missisque Ora- „ toribus auxilia petit, quibus nobile regnum „ ei conservari possit. Inter hæc & Electores „ Imperii apud Francofordiam convenientes „ rem Romanam Alberto commendant. At „ illi acceptare Imperium injussu Baronum „ Hungariæ haudquaquam licebat. Id enim „ eis promiserat, cùm se Regem accepêre. „ Vocati primores regni negabant ex usu esse „ Hungariæ Regi, Theutonicis ceterísque „ gentibus imperare: dum Sigismundus Ro- „ manæ rei consulturus, Germaniam, Italiam, „ ceteras provincias peragraret, Hungariam „ Turcarum direptioni patuisse. Multa in „ utramque partem dicta, postremò victi pre- „ cibus Frederici Ducis Austriæ tunc adole- „ scentis, assensum dedêre: imperium summâ „ Germanorum congratulatione ab Alberto „ susceptum. Nec mora, legati ad Regem „ Poloniæ, nomine gentis Bohemicæ missi, „ Joannes Rabeusteinus, & Henricus Placius „ oratum, ne fratrem turbare Bohemiæ re- „ gnum patiatur, meminerit inter Bohemos „ ac Polonos veteris amicitiæ: Albertum ex „ Sigismundi testamento, & provincialium „ decreto Regem esse: non potuisse paucos, „ qui Casimirum vocavêre, jus regni in alte- „ rum transferre. Si pergat alienum regnum „ fratri parare, caveat, ne de suo certare co- „ gatur. Polonus ad ea, Bohemos sibi ami- „ cos esse fatetur, cupere benevolentiam per- „ petuò stare: at fratri, quem primarii Baro- „ nes Regem vocaverint, jus auferre non pos- „ se: Polonis ac Bohemis unam esse linguam, „ & unam utrique genti originem: cum Teu- „ tonicis nihil Bohemis esse commune: nihil „ provincialibus incommodiùs, quàm sui Re- „ gis vocem non intelligere, atque in omni „ colloquio interpretis egere. Regnum sibi „ suum satis tutum, fidúmque esse, neque se „ externam vim ullam timere. Proinde orare, „ ut fratrem potiùs ipsi recipiant, quàm ipsi „ ab eo recipiantur: donatósque pretiosis „ pellibus, ùt est mos gentis, oratores dimi- „ sit. Legatis autem alterius partis, missurum „ se propediem auxilia pollicitus. „

Dubravius Hist. Boiem. lib. 28. „ Justis „ omnibus defuncto Cæsari persolutis, pla- „ cuit Hungaris luctum maturè poni, & ab „ inferiis ad festum coronationis diem Alber- „ tum converti, priusquam latiùs tumultus „ serperet, quem inter se Germani atque Hun- „ gari Budam incolentes ex æmulatione con- „ civerant, dum alteri priores partes alteris „ sibi in civitate vindicant. Sed ùt plures „ numerô Hungari erant, ita vi majore insta- „ bant, primùm rapinis, mox cædibus in Ger- „ manos, qui ibi domicilia, aut domos con- „ ductas negotiandi gratiâ habebant, quorum „ stragem ingentem mense Decembri edide- „ runt. Ergo Kalendis statim Januariis so- „ lennia Regis, Reginæque ad locum solitum, „ quem

„ quem Albam-Regalem vocant, promulgata, „ & magnâ omnium Ordinum frequentiâ celebrata. Compofitis deinde Budæ rebus, „ & Præfectis ac Magiftratibus per regnum „ conftitutis Albertus in Boiemiam accelerabat, ut electionem ibi de fe factam præfens „ comprobaret, confirmarétque contra omnes, „ qui ab illa non folùm diffentiebant, fed „ alium jam fibi Regem, planè puerum delegerant. - - - Sed in Alberto tantus animi „ vigor erat, ut nulli inimicorum terrori fuccumberet; itaque in arcem Pragenfem, quam „ fuam effe fciebat, cum paucis turmis & cohortibus fe contulit, magnóque favore factionis fuæ Procerum exceptus eft. Nec „ Pragenfes alieni apparebant, quanquam diu „ peterent, ut quædam nova & parùm licita, „ priusquam Rex coronaretur, illis diplomate „ roboraret, tamen non alia, quàm ea, in „ quæ antehac Socer Sigismundus confenferat, rata habuit. Horum igitur, & qui ex „ nobilitate aderant, Procerum affenfu, Regium diadema unà cum conjuge, nullâ ampliùs interpofitâ morâ induit, incaffum reclamantibus Henrico Ptafcone, Alexio „ Sternbergio, Georgio Bodiebradio, & aliis „ fectam Thaboritarum tunc fectantibus, qui à „ Cafimiro ftabant, ejúsque nomine duo millia „ equitum Polonorum fubfidio fibi miffa habebant. At interim fortuna propitia Imperialem præterea coronam ipfi Alberto in „ conventu Francfordienfi per fuffragatores „ Principes adornabat, fuffragiis in eum inclinatis, ut ficut in regnis ita in imperio „ Cæfari Sigismundo fuccederet. „

Bohemia Pia lib. 2. „ Albertus, Dominico die, qui fuit SS. Petri & Pauli à Philiberto Conftantienfi Epifcopo fuit inauguratus, nec confenfit in ea, quæ Bohemi „ priùs à Sigismundo contra Religionem Catholicam perperàm petiêrunt. „

Cufpinianus in Cæfarib. fub Alberto II. Item in Auftria fua fub Alberto V.

Megizerus Annal. Carinth. lib. 10. c. 5.

Octavius Strada à Rosberg fub Alberto V.

Annales Ungarorum antiqui, & alii plures.

[4.] De Roó, ubi fuprà. „ Variant „ hoc in loco Scriptores, ex quibus funt, qui „ Albertum protinus in Boëmiam & coronatum Pragæ, Francofurtum porrò, atque inde Aquisgranum iviffe affirmant; mihi verò „ eos ut potiores fequi vifum eft, qui aliter „ fentiunt; neque enim femel Boëmiam ingreffus, tam fubitò fe inde expedire potuiffet. Albertus igitur adverfæ factioni reliquos fecum fentientes opponens, Francofurtum ad Principes ibi præftolantes, atque „ inde cum iis Aquisgranum perrexit, ubi cum „ faufta omnium gratulatione coronatus eft. --

„ Inter hæc Cæfar collecto per Auftriam „ milite Boëmiam ingreditur. Huic Udalricus Rofenfis, Meinardus à Nova-Domo, „ multíque alii Proceres Iglaviam ufque obviam procefsêre, Regémque omni honorum „ fignificatione excipientes, ut in regnum „ veniret, rerúmque ftatum præfens introfpiceret, rogavêre, id quod literis antea quoque petiêrant. - - - „

[5.] Annotationes Jacobi Rechwein Civis Viennen. in lib. fecretorum.

[6.] Gerardus de Roó ubi fuprà. „ Eò „ (*Pragam*) cùm veniffet (*Albertus*) animos „ civium offendit fatis promptos. - - - Itaque „ volentibus quotquot extra adverfam factionem aderant Ordinibus, ac majore civium „ numero Albertus unà cum Elifabetha conjuge, adhibitis ritè cæremoniis diademate „ Regio infigniuntur tertiò Calend. Julii. „ Aliter hæc ab aliis, & Dubravius (*in nota „ marginali*) quartum Maji habet, quem non „ fequor, libri MS. fiduciâ, qui diem coronationis, Divorum Petri & Pauli memoriæ „ facratum fuiffe afferit. „

Theodoricus Piespordius fub Alberto II.

[7.] Annotationes Jacobi Rechwein ubi fuprà.

[8.] Ex inftrumento ipforum.

[9.] Ex Autographo Commiffionis.

Annus Chrifti MCCCCXXXIX. Monafterii CCCI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auftriæ*
Eugenius IV.	Albertus II.	Idem Albertus.

Epifcopus Patavienfis	*Abbas Zwetlenfis*
Leonardus.	Joannes II.

EUgenius Papa IV. in publico Confiftorio Bafileenfe Concilium, quod antè approbaverat, Ferrariam transfert, quòd diceret Græcos cum Ecclefia Romana in fide conventuros, eundem locum fibi delegiffe. Inftabant tunc Concilii Bafileenfis Præfides & precibus & pollicitationibus Græcos adhortabantur,

tur, ut omißô Eugeniô ad se proficiscerentur. Neque hoc contenti, abrogaturos se Eugenium prædicabant, nisi ipse quoque eò proficisceretur. Interea Ferrariæ, ubi jam inchoatum erat Concilium, pestis grassari cœpit, unde Eugenius coactus Florentiam illud transtulit. Patres autem Concilii Basileensis depositô Eugeniô, triumviros legunt cum auctoritate ex sententia Gulielmi Archi-Diaconi Mirensis F. Thomam Abbatem de Donduno, Scotum, Ordinis Cistercienſis; Joannem Segobiensem Hispanum; Thomam Corcellum, Viros graves, prudentes, eximiæque probitatis, & SS. Theologiæ Doctores, ut singuli tot collegas ex quatuor nationibus, Italicâ scilicet, Gallicâ, Hispanicâ & Germanicâ, quæ Concilio intererant, sibi cooptarent, qui cum ipsis triginta duorum numerum complerent. Trium-viri verò quartum sibi collegam adsciscunt Christianum de Gretz Germanum; nam totidem erant nationes. Hi igitur Electores cum Præside Cardinale Arelatensi, qui inimicus erat Eugenii, Nonis Novembris hoc anno Amadeum, olim Sabaudiæ Ducem, tunc verò in solitudine Ripaliæ Gebbenensis Diœcesis vitam Eremiticam agentem, Romanum Pontificem renuntiârunt, qui electioni de se factæ assensum præbens, Felix Papa V. appellatus est. *[1.] Hunc Pontificem Ciaconius Antipapam nuncupat, quem ego hactenus secutus, inter legitimos Pontifices quoque non numero, præsertim quia sese abdicavit. De hoc Papa B Malachias Hibernus Archi-Episcopus sic prophetavit: Amator Crucis. Felix enim V. qui vocabatur antè Amadeus, erat Dux Sabaudiæ, cujus insignia Crux.

Redeo ad Austriam, in quam anno priori Albertum Imp. Wratislaviâ profectum fuisse quadragesimali nimirum tempore scripsi, & prosequor citatum Jacobum Rechwein de hoc anno scribentem, qui sic loquitur: „Inde (*scilicet Wratislaviâ*) Albertus Rex in „Austriam abiît, ubi post dies aliquot „Viennam relinquens, Budam descendit. Ibi Ungari aulicorum ejus & „Germanorum suppellectilem orta simultate diripiebant, quæ res Regi „summè displicebat, idque Ungari advertentes se non impunè dimittendos fore, in Turcas expeditionem „excogitabant, unde Regem Zigethum „usque deducebant, ubi ad eum supplices veniebant Despotes, uxor illius, & filius eorum, cujus munitissimum castrum (Synderoviam Dubravius, Æneas, Gerardus, & alii „vocant) obsidione firmissima Turcæ „clauserant, quod Rex omnimodè defendere cogitat, inde Cubinum per „Arundinetum in Danubii ripis descendit, quem comitata est Regina usque „Waradinum, & in castris per menses „duos integros juxta Danubium in „summo solis fervore consedit. Incidit igitur ibi in dysenteriam, quacum „duobus penè mensibus conflictabatur; quare de castris Budam deducitur, ubi per aliquot dies in aula magis morbus invalescere cœpit. Descendentibus autem quibusdam Austriæ Proceribus ipsi à consiliis, invisendi sui Regis gratiâ, ipse Viennam „cogitat: qui Longam-Villam in insula „Schütt attingens, obiît in præsentia „Alberti Ducis Austriæ, Regina verò „aberat impregnata. Hinc corpus „ejus in Albam-Regalem deductum, & „ibi sepultum fuit annô Domini 1439. „Obitus ejus contigit 23. die Octobris, „vel tertiâ (*scilicet Feriâ, in*) Vigilia „Simonis & Judæ.„ [2.] Hæc ex annotationibus citatis. Unde constat Alberti hujus cognomentô Honorifici obitus, in quo omnes Austriaci Scriptores conveniunt. [3.] Hoc eodem anno ad septimum Calendas Julii obiît quoque Fridericus Senior Austriacus, Tirolensium Princeps, cum vacua pera quondam cognominatus, sepultus in Stampsiano Monasterio Ordinis Ci-

„ster-

stercienfis celebri apud utramque uxorem & liberos. Post ejus obitum Fridericus Junior Ernesti filius ex Stiria ad Tirolenses profectus, Sigismundi agnati tutelam accepit: percepto quoque Alberti obitu in Austriam Principis sui decessu perculsam se contulit: ubi in conventu Procerum ad S. Berchtoldivicum celebrato, Austriæ gubernatio Friderico quoque committitur, qui si Alberti Cæsaris vidua melioris sexûs prolem edidisset, pro tutore: sin alterius, pro hærede se gesturus esset, adscito in commercium fratre. Fridericus itaque cum fratre ipsis Divi Nicolai feriis Viennam ingressus cum summis honoribus à civibus excipitur. [4.] Hæc pluribus tradi debuerant ob Principum Austriacorum in regnum Ungariæ successionem.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Eugenio Papa IV. & Amadeo de Sabaudia Antipapa Felice V.

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô „ Christi millesimô quadringentesimô trigesi„ mô nonô, Indictione secunda, mense Janua„ rii egressi Ferrariâ Eugenius Pontifex Roma„ nus, Joannes Imperator & Josephus Patriar„ cha Constantinopolitanus, unà cum aliis Sy„ nodalibus Patribus tam Græcis quàm Latinis, „ suo quique itinere diversis diebus mensis Fe„ bruarii Florentiam pervenerunt, ad conti„ nuandam ibi Synodum Ferrariæ inchoatam.

N. 43. „ Omnibus igitur constitutis, & „ conclavi in medio urbis parato, in domo, „ quam Nobiles quondam in usum struxerant „ chorearum (quod nec mysteriô carere pu„ tamus) habita Sessione publica 38. tertiô „ Calendas Novembris, qua rem divinam fe„ cit Cardinalis Arelatensis, omnes Electo„ res communicârunt. - - - - - - -

N. 44. „ Cùm ventum est ad suffragia, „ ait Æneas (*Sylvius*) primô scrutiniô septem „ & decem ex diversis nationibus fuisse no„ minatos, nullum tamen habuisse necessa„ rium suffragiorum numerum; unum tamen „ omnes superâsse Amedeum Ducem Sabau„ diæ. - - - Cùm autem singulis scrutiniis, „ ùt Æneas addit, crescerent suffragia erga „ Amedeum; demum postquam auditæ fuêre „ & consideratæ rationes unius ex Electori„ bus de vita ejus in Principatu optimè trans„ acta, de justitiæ studio, prudentia, chari„ tate in subditos, pacis amore, de pietatis „ exercitiis in suo recessu Ripallensi, de opi„ bus & potentia: rejectis ùt nullius mo„ menti nonnullorum objectionibus, quæ ejus „ electionem dissuadere videbantur, quòd ad„ huc Laicus esset, quòd conjugatus fuisset, „ quòd liberos haberet, quòd Doctor non „ esset; sequenti scrutinio, quod factum est „ Nonis Novembris, compertum est, sex & „ viginti voces in eundem Amedeum concur„ rere, quæ plures essent „ quàm necesse fo„ ret ad legitimam ejus ex decreto Concilii „ electionem. - - -

N. 45. „ Delecti post hæc Legati, qui „ eam Amedeo deferrent, (nempe ipsemet Car„ dinalis Arelatensis cum nonnullis Episcopis, „ Abbatibus, Magistris & Doctoribus, & Co„ mite Tierstein subprotectore Concilii cum „ aliis Nobilibus, omnes viginti quinque nu„ merô, ùt Acta Patritiana habent) obtule„ runt illam ei apud Ripalliam die 17. Decem„ bris; ac multis suasionibus apud reluctan„ tem egerunt, ut specie necessitatis obsequii „ & affectu publicæ salutis, flexis genibus & „ obortis lacrymis humiliter susceperit; electo „ sibi nomine Felicis ejus nuncupationis Quin„ ti. Qui, mox promissâ barbâ crinéque, „ toto denique eremitico habitu deposito, „ emissóque juramentô Sessionis 37. ornamen„ tis Pontificalibus indutus est, atque in Ec„ clesia Monasterii S. Mauritii super Altare de „ more inthronizatus; ùt seriatim narratur in „ Sessione 40. mense Februarii anni proximi „ habita: meminítque Æneas in Commenta„ riis rerum suarum nomine Gobellini editis. „ Habéntque insuper Acta Patritiana, statu„ tum inter alia à Concilio fuisse ut in scri„ bendis à Felice ad illud literis, is nomen „ suum postponeret; ita ut scriberet: Sacro„ sanctæ Basileensi Synodo &c. Felix Epi„ copus Servus Servorum Dei. Ita enim bel„ luli illi abuti voluêre facilitate optimi Prin„ cipis, quem & postea veluti mancipium, „ seu, ùt Catholici Eugeniani vocabant, ido„ lum, ad omnia, quæ vellent, in deprava„ tissimorum suorum conaminum stabilimen„ tum, & omnimodam auctoritatis Sedis Apo„ stolicæ depressionem habere voluerunt; „ præparatis ad id rebus per temeraria quàm „ plurima Superiorum gestorum facinora, & „ plausibilem atque popularem Supremitatis „ Conciliorum exaltationem.

„ Nam quod Poggius, Blondus & alii il„ lius ac posteriorum temporum Scriptores in

„ Felicem invehuntur, non planè rem tangunt. Tot enim Basileenses pigmentis fucísque res suas adumbrabant, tot etiam aliunde criminibus malevolorum invidiâ Eugenius per orbem impetebatur; ut non adeo crimini imputandum fuerit Principi pietati dedito, solitudinem colenti, & salutem Ecclesiæ sitienti, si aliorum, qui nihil præter fidei defensionem, Christianitatis restaurationem, & disciplinæ reformationem prætexebant, addo, & quorum plerique non solùm doctrinâ, sed etiam moribus præstabant, verborum lenociniis dociles aures commodaverit; omnino si non ab errore, à quo illum nullatenus liberem, certè à temeritate (si nullus ambitus fuit) immunis; qui non tam actione, quàm passione peccaverit. Peccârunt verò vel maximè ac malitiosissimè alii, qui Ecclesiæ regimen, & administrationem sibi tribuentes, quorúmque propterea erat officium ac debitum æqua rationis lance singula ponderare, & quædam mala, etiamsi apertissima fuisse concederemus (non enim fortè usquequaque Eugenius, quamvis Gabriel, propterea Archangelus) ad tempus tolerare, quàm tantô Ecclesiæ ac fidei periculô, & totius Christiani orbis subversione, in obstinatissimis suis ac nefariis propositis perseverare. „

[2.] Annotationes Jacobi Rechwein in libro suo Secretorum.

Dubravius hist Bohem. lib. 28. „ Habuit (*Albertus*) itaque in animo bellum Polonicum alio tempore gerere, nam tunc ei ab Amurathe Turca gravius impendebat, Serviam, Rasciámque Georgii Despoti regiones, qui sub tutela Regum Hungariæ vivebat, latè populante, oppidáque in illis diripiente, ac jam Synderoviam arcem quarto lapide à Taururo (*al. Tauruno*) quam Albam-Græcam vocant, dissitam, arcem prorsus firmissimam obsidente. „

Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 55. „ Per idem tempus Despotus Serviæ, quam Rasciam vocant, cum Sacerdotibus & Nobilibus in Hungariam profugerat, Turcarum impetus veritus, uno tamen relicto filio, qui castellum Sinderoviam in ripa Danubii situm, & à Turcis obsessum tueretur.

Idem capit. sequenti. „ Albertus ubi expugnatam Sinderoviam, Turcas abiisse cognovit, dimisso exercitu, Budam rediit. „

Annales Hungarici Antiqui.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Alberto.

Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 5. „ Bellum etiam Hungariæ ab Amurate Turcarum Tyranno imminere nunciabatur. Is morte Sigismundi audita, in superiorem Mysiam (quæ nunc Rascia appellatur) vires & arma sua converterat. Georgius ejus Provinciæ Regulus (Despoten Græcô vocabulô dicunt) viribus impar in Hungariam ad imploranda vicini Regis auxilia, venerat. Interim Amurates Synderoviam arcem cum oppido, in quo Georgius filios cum præsidio reliquerat, obsidione cingit, & pro insita genti ferocia acerrimè oppugnat. Crebri itaque nuncii ad Cæsarem advolant, metum ab hoste immanissimo, præsénsque adeò periculum regni cervicibus impendere nunciant, sociam ac vicinam civitatem in extremo versari discrimine, solius Savi amnis objectu, Turcam à Pannoniæ finibus submoveri, quare copias eò mittendas, quam ad rem præsentiâ Regis opus esse.

„ Cæsar hoc rumore perculsus, quanta potest celeritate in Hungariam pergit, ac rei necessitate moram non admittente, nec expectatis majoribus copiis castra intra Tibiscum & Danubium amnes munit, eò undique auxilia properari mandat. Turcæ, quò propiùs Hungarorum auxilia adesse audiunt, eò acriùs oppugnationem urgere, omnia moliri, pericula contemnere, dies noctésque pugnam continuare, fessis requietos submittere, nihilque ad extremam diligentiam reliquum facere, quoad oppidum vi expugnarent. Victores pro suo more cædem in omnes cujusvis ætatis, & sexûs exercent. Georgii filios duos Stephanum & Gregorium captos, candentis æris laminâ oculis obtentâ excæcant. Hoc genus carnificinæ, castigandi mitiorem modum interpretabantur, quo oculi fervore exsiccati, videndi usum amitterent, formam retinerent. Eorum soror, Tyranno in concubinatum aut mœchimonium data, seu potiùs in fœdissimam servitutem mancipata est. Tertius frater Lazarus cum patre in Hungariam profugerat. Magnus ex hac Turcæ victoria terror vicinorum animos invaserat, sed Turca firmatis præsidiô locis opportunis retrocessit.

[3.] „ Orta deinde in castris Regiis seditione Albertus exercitum dimisit, non tam ea re motus, quàm quòd ex ventris profluvio multos miserè absumi videret, ac ipse eadem quoque lue laborare incepisset. Causam tam perniciosi mali, nimium fuisse æstum perhibent, quem ipse sibi immoderato peponum esu immedicabilem reddiderat. Budam primùm delatus, cùm morbum ingravescere sentiret, Viennam versùs iter arripuit, vel quod aëris mutationem morbo „ reme-

„ remedium allaturam sperabat, vel si omnino „ moriendum esset, in paterno solo potiùs, „ quàm inter exteros mori volebat. Dissuadebant iter Medici, meliùs esse & valetudini commodiùs eodem in loco commorari „ demonstrantes, cùm omnis agitatio intestina exulceret. Ille verò omnibus medicorum placitis patriæ desiderium præferens „ ità eam anhelabat, ut palàm diceret, se non „ dubitare, si in Austriam eò pervenire, unde „ Vienna videri possit, liceret, quin Sanitatem esset recuperaturus Itaque iter Ingressus Strigonium venit, ubi ad tempus ab agitatione conquievit, mox refectis paulisper „ (*ùt videbatur*) viribus cùm in pagum quendam „ Nesmel dictum venisset, vi morbi victus, „ ultimam voluntatem literis mandari jussit, „ & Christianis sacris munitus obiît sextô Calendas Novembris annô redempti Orbis „ millesimô quadringentesimô trigesimô nonô. Sunt qui sub ipsam mortem hac orationis formula usum esse, prodidêre: Omnipotens æterne Deus ignosce iis, qui morti meæ causam præbuêre, quibus & ego ex „ animi sententia propter te ignosco, atque „ ut mei miserearis, oro.

„ Obiît Albertus cum non minore suorum „ ac Christianæ Reipubl. jactura, quàm dolore, Princeps longè optimus, pietatis ac „ æquitatis observantissimus, summáque liberalitate, unde Honorifici cognomen obtinuit, præditus, de quo magna sibi optimi „ quiq; speranda proposuerant. Fuit Albertus „ staturâ paulò supra mediocrem, colore subfusco, aspectu venerando, fortitudine mira, „ intentus in Religionem, & singularis pietatis cultor, vestibus utebatur non nimis „ splendidis, sed quas baltheus pretiosus decorabat, gladium semper ad manum habuit. „ Filias superstites reliquit duas, Annam, quæ „ Guilielmo Saxoni, & Elisabetham, quæ Casimiro Polono postea nupsêre. Sustulerat „ melioris quoque sexûs prolem, quem Guilielmum quidam; alii Georgium nomen „ habuisse, & infantem obiisse, prodidêre. „ Uxorem verò reliquit gravidam. Ea viri „ corpus Albam-Regalem deduxit, ubi in maxima hominum frequentia, lugentibus certatim, séque ipsos magìs quàm ipsum miserantibus, justa ei persoluta, corpúsque „ Regio sepulchro illatum est. „

Sylvius ubi suprà.

[4.] Gerardus de Roó ubi suprà paucis mutatis & omissis.

Annus Christi MCCCCXL. Monasterii CCCII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

ANni hujus initiô Septemviri Imperii Electores Francofurtum de more ad electionem novi Cæsaris convenêre, & ad tertium Calendas Aprilis Fridericum Austriacum cognomentô Pacificum & Juniorem uno consensu Romanorum Regem creavêre. Missi ad eum Legati Neapolim Austriæ, ubi tum agebat, Electorum voluntatem & electionem exponunt. Ipse nec opinato hoc nuntio perculsus sumit deliberandi spatium, quo exacto Legatis respondit: Electorum atque adeò totius Imperii judicium se nec elevare nec contemnere, ideóque electionem ratam habere, ac gratô animô accipere. Hoc responso accepto Legati Francofurtum ad Electores læti redière. * [1.]

Interea Elisabetha Regina viduâ post curatum viri funus puerum exactis mensibus peperit, cui Ladislai nomen datum. Natus autem est, 21. Februarii Alberti posthumus. Qui ex proceribus Ladislao addictiores erant, (nam quidam eorum Vladislaum Poloniæ Regem ad coronam Ungariæ suscipiendam vocaverant, ejúsque partes fovebant) de corona illi imponenda, antequam Polono regni possessio firmaretur, solliciti consilium inière. Cùm igitur jam in itinere, neque procul abesse nunciaretur, Dionysius Zecchius Strigoniensis Metropolita Cardinalis, Matthias Vesprinienfis, & Benedictus Jaurinensis Episcopi, nec non alii multi primates cum tota sua factione Albam

advolant. Ibi Strigoniensis Ladislaum in matris gremio vagientem, necdum quadrimestrem adhibitis ritè cæremoniis in Regem Ungariæ initiavit, sacrámque ei coronam imposuit. Juramentum à Rege præstari solitum Udalricus Ciliæ Comes pueri nomine dixit, móxque alii protensis ad coronati pueri caput manibus, fidos se illi ac obsequentes fore juravere. Inter faustas omnium acclamationes Regina ab uberrimo lachrymarum imbre temperare non potuit, quam vagienti Regi complorantem nemo siccis oculis aspicere sustinuit. Peracta coronatione Regina Friderico Cæsari omnia quæ circa regnum, & se, & puerum aguntur, nuntiat, uti qui viduarum & pupillorum defensionem Rex Romani Imperii suscipere ex officio deberet, pueri Regis agnati curam & tutelam ne deserat. Inde cum proceribus Regina Vissegradum munitissimam arcem contendit, in qua sacram Regni coronam recondi mos erat. Ibi Regina futuri temporis discrimina animô quasi prædivinans, astu quodam omnes quotquot aderant fefellit, ac nè quis præter filium alius regno inaugurari posset, coronam suo loco reponendam subtraxit. [2.] Modum Gerardus sic describit, quem referre placet: „ Solebant Ungari coronam suam pannis quibusdam sericis involutam in „ capsulam reponere, eámque procerum aliquot sigillis consignatam multis seris includere. Regina igitur, „ quæ hæc noverat, cuidam ex pedissequis fasciculum quendam eodem „ modo ex pannis convolutum jam „ antea dederat, cui nescio quid rei, „ quod & pondere & tactu coronam „ referebat, indiderat. Huic puellæ „ (ex Fraunaverorum gente fuisse perhibent) inspectantibus Ungaris corona cum pannis datur, quæ magna „ cum dexteritate pro vera adulterinam protulit, ea capsulæ inclusa obsignatur. „ Adveniente demum Vladislao Polono Elisabetha suis rebus metuens cum Rege puero & corona in Austriam ad Fridericum evasit. [3.] Dum hæc in Ungaria geruntur, agunt quoque Pragæ Bohemi conventus ad novum eligendum Regem. Fama illuc jam venerat de Posthumo Alberti Regis recenter nato, unde Legatos ad Reginam in Ungariam mittunt, petúntque, cùm jam eligendi novi Regis in Bohemia ineantur comitia, ipsa Oratores suos illuc dirigat, qui, si quid juris in regno illo ad se spectare confidit, rem suam agant. Erat inter Legatos Procopius Rabenstainius nobilis Eques, qui habiturum se curæ ait, quæ Regina mandaret. [4.] Interea hic annus elapsus est.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó ubi suprà praeced. annô.

Piespordius: eodem. „ Fridericus VI. „ cognomentô Junior & Pacificus, Rom Imp. „ hoc nomine IV. (*al. III.*) Archi-Dux Austriæ, Dux Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Habsburgi, qui se etiam Regem Hungariæ scripsit &c. Natus Oenoponti annô 1415. „ IX. Calend. Octobris. Annô 1440. mortuô „ paulò antè Albertô II. Francofurti Rex. Rom. „ declaratus, anno 1442. sequenti, 17. Junii „ Aquisgrani coronatur. „

Spondanus hic n. 1. „ Annô Christi „ millesimô quadringentesimô, quadragesimô „ Indictione tertia, convenientibus Francofordiæ Electoribus ad novum Cæsarem Alberto nuper defuncto subrogandum; concordi omnium consensu electus est Fridericus, Imperatorum ejus nominis Tertius „ (Quartus tamen, si pulchrum æmulum Ludovici Bavari numeraveris) Austriæ Dux, „ Ernesti filius, & Alberti nuper Regis patruelis, juvenis viginti sex tantummodo annorum, pietate insignis, cujus etiam ardore „ Terram Sanctam inviserat, alíisque virtutibus principe dignis apprimè dotatus, pacísque tuendæ adeò studiosus, ut Pacifici „ cognomentum obtinuerit. „

Discrepant vel maximè in chronologia electionis Scriptores.

Magnum Chronicon Belgicum. „ Fridericus hujus nominis Tertius fuit post de- „ ces-

„ cessum prædicti Alberti per omnes Electores Imperii concorditer electus annô Salutis 1440. mensis Februarii die secunda inter Octavam & Nonam horas: cujus electio fuit publicata circa decimam horam ejusdem diei. „

Ita & Fuggerus in Speculo ad hunc ann. nobis pag. 516. ad finem. „ Unterdessen hatten des Reichs Churfürsten umb Liechtmes sich nach Franckfurth versamblet, die Keyserwahl vorzunehmen. Weil sie der löblichsten Regierung K. Alberti sich erinnerten, und dannenhero, auch sonsten aus dessen guten Gerüchte, von Hertz. Friderichen die beste Hoffnung schöpfften: als ward einmüthiglich auf ihn gestimmet, und er mit allgemeiner Bewilligung zum Römischen König und künfftigen Keyser am Tag der Liechtmes den 2. Februarii erwählt, und ausgerueffen; auch solches alsso fort an alle Fürsten, Stände und Städte geschriben und berichtet. Wie dann auch hiervon ein Schreiben der Stadt Franckfurth an die Stadt Augsburg abgangen dises Innhalts: Unsern freundlichen Dienst zuvor &c. - - - Datum zu Franckfurth in die festo Purificationis B. Mariæ Virginis, annô 1440. „

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III. „ Francofordiæ - - post Alberti obitum est ab Electoribus Imperii concorditer circiter Kalend. Januarii, annô quadragesimô post millesimum quadringentesimum in Romanum Regem declaratus: dehinc Aquisgrani mense Augusto à Theodorico Coloniensi Archiantistite coronatus, præsente Ludovico S. Cæciliæ Cardinali, ac Sacri Concilii Basileensis Legato, electionem ac Regis coronationem nomine universalis Ecclesiæ approbante & confirmante. „

Spondanus nuper relatus n. 2. „ Quòd verò eum (*Albertum*) Onuphrius Calendis Januarii electum esse, octavô Idus Januarii coronatum scribit; videtur ex condictô eosdem ipsos dies Friderico tribuere voluisse, quos & Alberto tribuerat, utrobique apertè fallsus, &c. Quomodo enim potuit Fridericus eligi Calendis Januarii; cùm per Bullam Auream Caroli IV., quam Electores ad amussim observabant, statueretur, ut à die intimationis per Archi-Episcopum Moguntinum faciendæ infra tres menses Electores Francofordiæ convenirent; ab obitu autem Alberti ad prædictas Calendas Januarias nonnisi duo menses & quatuor dies intercurrerint? Denique Trithemius (*in Chronico Sponheim.*) ait, in medio Quadragesimæ Electores convenisse ad electionem. Incidit autem eo anno, quo Pascha contigit vigesimô septimô Martii, fuitque Bissextilis, media Quadragesima in quintum Nonas Martii. Et Nauclerus disertè electum Fridericum tradit tertiô Calendas Aprilis: cùm nihilominus Acta Patritiana Concilii Basileensis, quibus non parùm fidimus, id contigisse ponant quartô Nonas Februarii. Major verò error est prædicti Onuphrii; cùm Fridericum coronatum ponit octavô Idus Januarii hujus ipsius anni; cùm certum sit non accepisse coronam Aquisgrani, nisi post biennium, ùt tunc dicetur. Regnavit autem ab hoc electionis suæ tempore ampliùs quinquaginta tres annos. Atque in ejus posteritate feliciter firmata est hactenus Imperialis dignitas, cum amplissima multorum insigniúmque regnorum adjunctione. „

Salva quacunque horum & aliorum Scriptorum authoritate compilator textûs nostri secutus est sæpè laudatum à nobis Gerardum de Roó, quem decurtatè refert, eique è Recentioribus Joan. Palatius adstipulatur in Aquila Austriaca sub Friderico V. Pacifico, fol. 36. hisce:

„ Fatis functô Albertô II. Imp. Septemviri jacturâ optimi Principis mœsti ac solliciti, Francofurtum convenêre, & III. Calendas Aprilis Fridericum Austriacum, qui ex Hierosolymitana peregrinatione revertens, adhuc penulatus stabat, uno consensu Romanorum Regem creavêre. Missi ad eum Legati Neapolim Austriæ, ubi tunc agebat, Electorum voluntatem exposituri. Ille sumptô deliberandi spatiô primùm ad pedes Crucifixi Redemptoris accurrit, humilis rogans, ut eum non pateretur regnare, quando aliter regnaturus esset, quàm in Cruce Domini N. J. C. Fidissimos inde accivit, ut, quid agendum, consulerent. Incumbebat ei magna curarum moles, quòd Alberto Cæsare, ac Friderico Tirolensi mortuis, solus omnium provinciarum Austriæ gubernationem suscepisset; frater verò Albertus cognomine Prodigus, à prima usque Adolescentia ità vitam instituisset, ut parum præsidii in ipso collocaret. In Bohemia quoque & Hungaria Austriæ vicinis turbari multa videret. Ex adverso secum reputans, magnam sibi suæque genti dignitatem, magnum ab Imperio emolumentum, opésque & auxilia, quibus præsens rerum status indigeret, accessura; exactô, quod ad consulendum sumpserat spatiô, die D. Gregorii memoriæ sacro, electioni consensit. „

[2.] De Roó ubi suprà. „ Inter hæc Elisabetha Regina post curatum viri funus, Pontifices ac regni Proceres ad se vocat, eósque oratione ad præsentem rerum statum accommodata alloquuta per Ludovici avi materni, per patris Sigismundi, pérque Alberti mariti memoriam, & præclara in ipsos merita obtestatur, nè se viduam, nè conceptam ex Rege suo, eodémque Roman. Imperatore prolem negligant, sed utriusque ratione habitâ de creando interrege idoneo consilium ineant, in quo liberam se ipsis potestatem permittere, quòd se & fœminam & juvenculam, tantæ rerum moli sufficere agnosceret. Hæc ubi multis cum lachrymis exposuisset, Proceres bene sperare jussam relinquentes, potestatem sibi concessam contra Reginæ mentem interpretati, statim comitia creando Regi indixêre. Quæ ubi haberi cœpta, placuit Vladislaum Poloniæ Regem accersere, eique Reginam viduam cum regno dotali tradere. Intercessit Regina, potestatem se non creandi Regis, sed Inter-Regis dedisse, ut electionem saltem differrent, quoad peperisset, precata est. Persuasa tandem ab illis, quorum potentiæ refragari nec auderet, nec posset, ut Legati mitterentur, assensa est. Id tamen exorari nitebatur, ac tandem obtinuit, ut Legatis expressè mandaretur, si enixa masculum ipsa fuisset, re nondum cum Polono transacta, ut revocati, omissa legatione, in Hungariam revertterentur.

„ Sunt, qui decretum in consilio fuisse, affirmant, quicquid Regina diceret, omnino vocandum esse Vladislaum, puerum autem, si masculum etiam peperisset, cùm longum sit ejus ætatem expectare, Boëmiâ ac Austriâ contentum esse debere. Ex hoc eorum facto magna discordiarum semina utrinque jacta, multáque inter Hungaros ac Polonos bella exorta sunt, quæ utrisque incommodo, Regi etiam exitio fuêre. Missi igitur in Poloniam Legati, cùm in itinere adhuc essent, Regina exactis mensibus scitum admodum infantem peperit, cui Ladislao nomen datum. Mater Regina, quíque aderant Proceres, nuncium celerem post Legatos mittunt, qui eos assecutus, Regem Hungaris natum, neque Polono ampliùs conventu opus esse nuntiat: quare pedem referant, sciántque Legationem sibi, omnémque cum Vladislao agendi potestatem esse sublatam. Legati hoc nuncio commoti, quid potissimùm agendum sibi esset, vehementer dubitabant. Cùm verò quid petituri advenirent, jam rumor antè latus, in aula vulgâsset, nec absque periculo regredi liceret, rectà ad Regem profecti, rem sibi ab initio mandatam, exponunt. Læto omnium plausu Legatio excipitur, nec mora, exercitus, qui Vladislaum in Hungariam comitaretur, decernitur.

„ Elisabetha paternum infanti regnum suâ culpâ auferri dolens, animô angebatur, & consiliô suorum convocatô, pactum cum Vladislao matrimonium rescindit, cujus potestatem nullam, post acceptum de puerperio nuncium, Legati habuissent. Erant eo tempore, qui dicerent, non defuisse Polonos, qui Regi authores essent, ut Hungariam nato legitimo Regi relinqueret; contrà autem ex Hungaris fuisse, qui ipsum animarent, neque ab eo consilio immunem fuisse Corvinum, quod Vladislaum magnâ animi fortitudine ac potentiâ pollentem, Turcarum viribus opponere jam tum agitaret. Qui verò ex Proceribus Ladislao, Alberti Posthumo addictiores erant, de corona illi imponenda, antequam Polono regni possessio firmaretur, solliciti consilium iniêre. Erántque non in Aula solùm, sed in aliis regni partibus Episcopi & Proceres non pauci, apud quos Sigismundi & Alberti memoria effecit, ut nefas esse ducerent, eorum hæredem avitô regnô defraudari. Nonnullos movebant beneficia ab illis accepta, reliquos ætas pueri, matris sexus, ac utriusque orbitas & commiseratio. Itaque qui ex Legatis redire ausi fuerant, in carcerem conjiciuntur. Cùm verò Polonum jam in itinere, neque procul abesse nuntiaretur &c. „ *ùt in textu nostro.*

Dubravius Histor. Bohem. Lib. 28.

Bohemia Pia lib. 2. sub Ladislao.

Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 57. „ Regina Elizabeth jam filium ex Alberto pepererat VIII. Cal. Martii, Ladislaum nomine, atque Hungarorum coronam ei imposuerat. „

Piespordius sub Ladislao. „ Ladislaus posthumus Rex Hungariæ & Boëmiæ, Archi-Dux Austriæ, Dux Silesiæ &c. Natus Albæ 21. Februarii annô 1440 quadrimestris in gremio matris Rex Ungariæ coronatur, & unà cum corona in Austriam ad Fridericum Cæsarem abducitur, sub cujus cura educatus est usque ad ann. 1452. quo ipsum Austriæ restituit. Hungari autem post abductum Regem puerum Vladislaum Polonum Regem diligunt, quo ad Varnam cæso, Ladislaum secundò eligunt, & confirmant constituto Prorege Joanne Corvino. „

[3.] Gerardus ubi suprà.

[4.] Æneas Sylvius ibidem. „ Mittuntur ad eam (*Reginam Elisabeth*) legati, qui dicant, ad eligendum Regem diem statutam: si quid juris in regno Bohemiæ ad se spectare confidat, oratores mittat, qui rem suam agant. Regina natum ex Alberto filium in cunabulis ostendit, rogat, nè paternâ hæreditate pupillum exuant. Tempus mittendi legatos arctum esse, neque enim ampliùs quàm dies quindecim supererant. Si prorogetur terminus, missuram, qui pueri jura edisserant. Erat inter Legatos Procopius Rabensteinus nobilis Eques, doctrinâ ac morum lenitate præstans, cujus nos amicitia pluribus annis oblectavit. „ De Roó suprà cit. loco.

Annus Christi MCCCCXLI. Monasterii CCCIII.

Pont. Rom. Eugenius IV. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Joannes II.

FRiderico Imperii initia difficilia fuêre, nam præter alia angebat ipsius animum Ecclesiasticorum dissidium, quorum nonnulli cum Eugenio contra Synodum Basileensem stabant, reliqui Amadeum Allobrogum regulum Pontificem Maximum agnoscebant. Ex hoc Schismate cùm magna in Remp. incommoda redundarent, nihil non attentabat Fridericus, ut dissentientes inter se partes in concordiam redigeret. Itaque conventum primùm Moguntiæ indicit, deinde ad dissuasionem Jacobi Trevirensis Francofurti. Interea Friderico domesticum bellum exortum est, unde minimè debuit. Albertus enim VI. ejus frater (Prodigum nonnulli vocant) iniquam paternæ hæreditatis divisionem causatus, Udalricum Ciliensem, & alios quosdam sibi adjunxerat, quorum viribus adjutus Carniolam invasit. Inde verò profligatus abiît. Cúmque exercitui solvendo non esset ipse, milites ab eo dilapsi, uti pecuniam à Friderico extorquerent, Austriæ fines rapinis infestabant. * [1.] Ex his initiis majora pòst incommoda extitêre, de quibus suo loco, quæ etiam Monasterium nostrum Zwetlense contigêre.

Procopius Rabenstainius egregiam Ladislao operam, id quod Reginæ matri promiserat, navans, æquiores illi quorundam animos reddebat. Ptasco verò, & qui cum eo sentiebant, ob Alberti memoriam filio ejus hæredi & futuro aliquando vindici iniquiores erant. Erant & alii nonnulli, qui ob turbulentum ex superioribus bellis regni statum non expectandam pueri ætatem, nihílque in eo præsidii esse contendebant. Post longam disceptationem placuit legationem ad Albertum Bavariæ Principem mittere, eíque regnum certis quibusdam conditionibus committere. Albertus hac super re Cæsaris denuntiatione accepta legatis respondet: Gratias Bohemis agere, quòd se unum ex omnibus elegissent, cui parere vellent, dignúmque tantô regnô judicâssent. Multa se idcirco ipsis debere, neque id unquam beneficii oblivioni daturum. Adesse autem Alberti Cæsaris sobolem legitimum regni hæredem, quem suo jure dispoliare, cuique injuriam facere neque divino neque humano jure liceret. Itâ Albertus rarô inter Principes exemplô oblatum ultrò regnum recusavit, & majorem se spretô regnô monstravit. Hac spe dejecti Bohemi alios iterum Legatos ad Fridericum mittunt, utque regnum tutorio nomine gubernandum suscipiat petunt. Ptasco verò legatorum unus seorsim ab aliis Cæsari Author erat, ut neglectô pupillô regnum ipse sibi vendicaret, cui ùt Austriacorum maximo natu id ex fœdere liceret. Cæsar explosâ ejus sententiâ palàm legatis respondet, se variis

Imperii negotiis distentum non posse unà Bohemici regni curam gerere, ipsi Proceres & regni status Magistratum sibi crearent, qui rem ex æquo & bono ità administret, ut meminerit rerum bene ac secùs gestarum reddendam esse rationem. Se verò curaturum, ut puer Rex bene educetur. Huic Cæsaris consilio acquiescentes Bohemi Ptasconem & Meinardum suæ utrumque factionis principem rebus præficiunt. Ptasconi mortuo Thaboritæ Georgium Podiebradium substituunt. Hic postea Meinardum Novæ-Domûs regulum in vincula conjecit, in quibus vir egregius indignè obiît. [2.]

In Ungariam verò Elisabetha Regina rediît, ubi suorum fluxam fidem, multáque sibi contraria invenit. Decreta enim coronatione Vladislai Poloni, & non inventâ coronâ, fraudéque Reginæ detecta, Vladislaus factionem Reginæ opprimere conabatur, contrà Ulricus Ciliensis pro Regina pugnans non minora iis damna inferebat, qui cum Vladislao sentiebant. Coronatus igitur coronâ Divi Stephani Ungarorum olim Regis, quam ex calva mortui abstulêre, quod ipsi quidam in funestum augurium trahebant. [3.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerard. de Roó ubi suprà præced. anno.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III. „ Dum autem Fridericus coronam regni Teutonici apud Aquensem civitatem peteret, „ Ulricus Comes Ciliæ, & Albertus Imperatoris frater, conjunctis viribus Labacum insigne Carniolæ oppidum, ex flumine, cui „ adjacet, dictum, obsidione cinxêre, diúque „ machinis omnis generis oppugnavêre. Sed „ à Friderici militibus non sine clade repulsi, „ & castris exuti, divitem supellectilem perdidêre. „

[2.] Gerardus de Roó citatô locô.

Sylvius ubi suprà ad annum præcedentem.

Bohemia Pia lib. 2. „ Ladislaus Alberti „ posthumus Ungariæ Rex, quartum mensem „ agens à Dionysio Strigonensi Cardinali coronatus, per factiones multas Bohemorum „ quorundam impediebatur, nè coronam Bohemiæ obtineret, ideóque ad Fridericum „ Imperatorem missum, ut ille regnum reciperet vel tutelam. Qui respondit alii viderint, quid illis adversùm sanguinem suum „ liceat, se nihil in filium patruelis facere „ posse, quo jus necessitudinis, & officium „ suum expleat, nisi, ut illi paterna regna pro „ virili conservet, ac restituat, nedum illi aliquid adimat. Nec tutelam regni se recipere; sed curam illam Bohemis delegare, „ qui ut regni commoda & incommoda notiora habeant, ita utrisque se meliùs consulere posse, relaturi olim à Domino suo „ bene aut secus administratæ tutelæ gratiam „ aut odium. Illi tamen Georgius Podiebradius multas à principio usque ad finem struxit insidias, sicut & Ulricus Comes Ciliæ „ Administrator regni. „

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 28. „ Albertus verò Bavariæ Princeps præter omnium opinionem regnum sibi Boiemiæ delatum deprecatus est, *morique se malle respondit, quàm eo modo, quo Boiemi vellent, regnare.* Volebant autem, ut Communionem utriusque speciei non solùm approbaret, sed omnibus etiam opibus & potentiâ suâ adversùs quoscunque adversarios „ protegeret. Item, ut Magistrum Rokiczanum, veritatis prævaricatorem, patrociniô „ suô tutum præstaret. Deîn, ut bona Templis & Sacerdotibus erepta ne repeteret. Ab „ illo per bona verba ablegati novam denuò „ Pragæ deliberationem ineunt, legatósque „ rursus decernunt, qui eant ad Fridericum „ Romanorum Regem petitum, ut tutorio „ Ladislai nomine regnum Boiemiæ tuendum „ regendúmque susciperet. Inter Legatos „ Ptasco erat Ladislao ob memoriam Alberti „ parentis non amicus. Is nactus facultatem „ seorsum alloquendi Friderici, ei suadet, ut „ ipse Regem Boiemiæ semet constituat, tanquam Princeps Austriæ Senior, id quod ei „ antiquo fœdere inter Boiemos & Domum „ Austriacam de successione regni ictô liceret. „ Ad quæ Fridericus: Alii, inquit, viderint „ &c. *ut in textu nostro paucis mutatis.* Hinc „ duo Proceres designati Meynardus & Ptasco „ caput uterque suæ factionis, qui consulari „ potestate regni negotia administrarent, „ gubernaréntque &c.- - Solus per idem tempus, Ptascone collega per mortem sublato, „ Meynardus in Boiemia summæ rerum præ- „ fuit

„ fuit, magna cum invidia diversæ partis, quæ
„ Meynardum causâ religionis Romanæ sem-
„ per malè oderat, eóque minùs æquô ani-
„ mô ferebat, unum illum omnes honore &
„ authoritate anteire, Pragámque in potestate
„ habere, quæ ipsorum sectæ caput esset, quo
„ diminuto, capitis omnium diminutionem
„ consecutum iri, si non primo quoque tem-
„ pore periculo occursum fuerit.

„ Instruunt mox Rokiczanum, & alios
„ seditiosos Pragæ Sacerdotes idoneis ad con-
„ citandam plebem adversùs Meyhardum con-
„ filiis, quasi ad hoc Magistratum gerentem,
„ non ut communi regni tranquillitati con-
„ sulat, sed ut extollat suam factionem, &
„ ipsorum deprimat. Congregantur deinde
„ plerique eorum cum Thaboritis ad Cuth-
„ nas, ibíque Georgium Podiebradium, to-
„ tius Gradicensis regionis Præfectum pro-
„ nunciant, ac tacitè inter se conspirant ad
„ recipiendam Pragam, tacitos in illa se pro-
„ ditores habere dicentes, nec falsò, inerant
„ enim, & uti cum Georgio convenerant,
„ appropinquanti paulò antè lucem mœni-
„ bus, casulam longiùs ab aliis ædificiis se-
„ motam accendunt, portámque inde statim
„ reserant, per quam Georgius intra Urbem
„ Veterem receptus est cum sexcentis ferè
„ equitibus, symbolum succinentibus, Cun-
„ stat, eja Cunstat, ut sui adesse suos scirent,
„ nihil mali metuentes: apud ceteros rei igna-
„ ros trepidatio fuit, cum paucorum cæde, qui
„ armis sumptis resistere cæptabant, aliàs nemi-
„ ni nocitum. In hoc tumultu Meynardus nul-
„ lius culpæ reus capitur, & cum indigna ca-
„ ptivitate Podiebradium abducitur, ut Ge-
„ orgius Pragâ solus liberè potiretur, tantâ
„ potentiâ, ut Senatum Pragæ sua authoritate
„ constitueret, quod munus antea Regium
„ fuerat. Dedit mox Meynardo quoque suc-
„ cessorem Zdenconem Sterenbergium, ut
„ summum in arce Pragensi ageret Præfectum,
„ ipse tamen Pragam in potestate sua habere
„ voluit. Mors denique Meynardi, quæ pau-
„ lò pòst subsecuta fuit, non caruit veneni
„ undecunque dati suspicione. „

[3.] De Roó ubi suprà exscriptus.

Item Dubravius cit. loco. „ Inter hæc
„ mater Ladislai Elisabeth, dum regnum Hun-
„ gariæ filio retinere studet, multa hostilia ab
„ Vladislao occupatore perfert, & vicissim
„ illi infert non dispari eventu, ac tam animo
„ constanti, ut cùm in prælio quodam acerri-
„ mo, factio adversa opera Joannis Hunniadis,
„ pulsô fugatóque Ladislaô Bano superior
„ evaserit, non minùs tamen intentam, quàm
„ priùs continuaverit militiam: haud fine Ul-
„ rico Ciliæ Comite, avunculo suo, cujus
„ consilio arces deinde & oppida nobiliora
„ præsidiis Boiemorum firmavit. „

Thwrocz de coronatione Regis Vladislai.
„ Postquam autem Rex Vladislaus castro
„ Wissegradiensi potitus est, mox sacræ ten-
„ tata sunt conservatoria coronæ. In qui-
„ bus res quæsita dum non invenitur, magna
„ in Regis Vladislai parte turbatio orta est.
„ Non ergo Regem ipsum absque corona fieri
„ voluerunt. Commotus enim est omnis
„ cœtus regnicolarum, quos benevolentiæ
„ animus Regi junxerat, & simul cum ipso
„ Rege venerunt in Albam. Ibíque ordine
„ Sacerdotali laudum in concionem altis vo-
„ cibus dissoluto, Regem eundem coronâ pro
„ ornamento Reliquiarum Capitis Sancti Re-
„ gis Stephani olim mirô operis artificiô præ-
„ paratâ magno cum tripudio coronârunt.
„ Tota inter hæc plebs Hungarica scinditur,
„ omnísque dilectio dissoluta mutuum ruit
„ in damnum, & velut Magno olim Alexan-
„ dro Macedonum vitâ functo, duces illius
„ unitate (qua ipso vivente non minùs quàm
„ armis vastum subegerant orbem) animi spreta
„ illius latum dilaniaverant imperium: sic Du-
„ ces Dominíve Pannonici agri regnum Re-
„ gibus sub divis tranquillitatis amænitate
„ tutatum, magnarúmque rerum (quæ con-
„ cordiâ crescere solent) ubertate undique
„ refertum diro Marte lacerârunt. „

Annus Christi MCCCCXLII. Monasterii CCCIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

FRidericus Cæsar annum istum per Imperium transiens consumpsit, primùm enim Francofurti comitia anno priori indicta inchoavit, in quibus de coronatione sua transactum est. Qua decreta Aquisgranum cum Principibus petiit, ubi die Dominica, quæ erat decima septima dies mensis Junii, in summo

mo templo peracta fuit coronatio, sacra solennésque ritus procurante Coloniensi Præsule. Aderat ibi inter ceteros quoque Ludovicus S. Cæciliæ Cardinalis, à Basileensis Synodi Patribus eò missus, ut electionem ratam haberet, ac coronationis solennitatem præsens condecoraret. Egit ibi Cæsar cum Helvetiis, à quibus Ergoviam aliásque Austriacas ditiones, quæ Friderico Seniori patruo suo adempta olim erant, repetebat, alioquin se ipsorum privilegia non confirmaturum declarabat. Tigurini cum Austriacis rursus fœdus faciunt. Norimbergam quoque Principes convocati affuêre, ubi de componendo Ecclesiasticorum dissidio consultari cæptum est. Legati hinc inde missi, Basileam, & inde Norimbergàm, sed frustrà, Concilio non cedente. Deinde Fridericus per Alsatiam & Brisgoviam loca quædam visens Friburgi dies aliquot commoratus est. Inde Tigurum perveniens, ac per lacum navigavit Rapersvillam. Rediît acceptô à civibus sacramentô fidei Tigurum, & inde Vitodurum. Kyburgum deinde arcem visit. Constantiam quoque visurus impedimenta cum parte comitatûs aulici præmisit. Badenam item, atque inde Regii-Campi Cœnobio proavorum fundatione ac sepulchris quibusdam insigni obiter perlustrato, Brugas divertit. Aroviâ inde, Zoffingâ, ac aliis Ergoviæ locis aditis, Solodurô Bernam petiît. Bernates summos venienti honores exhibuêre. Multi eo tempore mirabantur, quòd Cæsar cum paucis tam securè per Helvetiorum agros iter faceret, erántque nonnulli, qui id nimis inconsideratè ab eo fieri putabant. Bernâ Friburgum abiît, ubi cum summo hominum gaudio exceptus est. Cæsar post hæc in Allobroges profectus, Losannam atque Genevam venit, ubi ei Sabaudiæ Princeps, Felicis Pontificis filius, cum sororibus adfuit. Inde Bisontium pergens Burgundiæ Ducem convenit: mox alio itinere, quàm venerat, per agrum Montispeligardicum ad Germanos reversus ad tertium Idus Novembris Basileam ingressus est, deducentibus ipsum Ecclesiasticis cum magna sacrorum pompa, longóque Episcoporum ac procerum Ecclesiasticorum ordine. Ubi Felici Antipapæ quidem honorem habuit, verùm non potuit ab eo induci, ut abjuratô Eugeniô se legitimum Pontificem agnosceret, aut Concilio Basileensi subscriberet; licèt sint, qui narrant Felicem Friderico filiam ætate ac forma florentem cum ducentis aureûm nummûm millibus eam ob rem obtulisse, sed ab eo recusatam esse. Inde Constantiam petiît: sequenti verò anno primùm domum venit. * [1.] Atque hæc de itinere novi Cæsaris fusiùs quàm volebam in gratiam Lectoris.

Interea in Ungaria Ulricus Ciliæ Comes oppida nobiliora præsidiis Boiemorum firmavit. Inter præsides Bohemos manu & bello præstantissimus Joannes à Brandesio Giscra cognomine erat. Hic cùm toti territorio Bistricensi, in quo aurariæ argentariæque in hunc diem largè aurum argentúmque suppeditant, Præpositus fuisset, non solùm ea salva, quæ accepit, præstitit, sed plura etiam numerô municipia, quàm quot tenebat, adversariis vi eripuit, Polonos crebris præliis fudit, ipsum Hunniadem castris bis exuit, tanto denique terrori Ungaris fuerat, ut authore ipso quoque Vladislaus pacis conditiones cum Regina Elisabeth inire non abnuerit. [2.] Regina apud Jaurinum, Vladislaus apud Budam degebat, inter quos pacem formare Julianus Cardinalis advenerat.

Fuit tunc temporis in Monasterio Zwetlensi Cellerarius F. Joannes Walpeckh, qui inter rationes suas reliquas etiam pecuniam in Curiam Romanam missam annotavit. Illius annotationum titulus talis est: „ Annotatio eorum, „ quæ ego ad annos quatuor nimirum „ 1442. 1443. 1444. 1445. expendi pro „ lite

„ lite in Curia Romana prosequenda. „ [3.] Fuit hic F. Georgius de Amberga Baccalaureus in Decretis, qui deinde Abbas factus est, de quo suo loco plura.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 5. in compendio exscriptus.

Spondanus hìc n. 5. „ Nunc ut ceteras „ res Ecclesiasticas hujus anni tractemus, ce- „ lebrârunt Basileenses quintô Idus Augusti „ Sessionem 44., qua miseri sibi & suis pro- „ videre quærentes sanctionem ediderunt de „ restitutione in integrum eorum omnium, „ qui occasione Concilii spoliati suis benefi- „ ciis fuissent, pulsis invasoribus & detento- „ ribus cum auxilio brachii secularis.

N. 6. „ Quo tempore (ùt narrant Acta Pa- „ tritiana) agebatur Francofordiæ conventus „ magnâ Principum frequentiâ, cui præerat „ ipse Fridericus Cæsar. Ad quem accesse- „ runt quoque Legati Concilii, Cardinalis „ Arelatensis, & Panormitanus ac Segovien- „ sis Cardinales Felicis: jussi tamen, ùt aliàs, „ legationis insignia dimittere: nec non Jo- „ annes Carvaial, Nicolaus de Cusa, & Jaco- „ bus Ferrariensis ab Eugenio missi. Quòd „ verò antequam negotia tractari inciperent, „ eundum fuerit Cæsari unà cum Principibus „ Aquisgranum ad suscipiendam primam co- „ ronam, quam nondum aliis negotiis deten- „ tus commodè accipere potuerat; consti- „ tuit interim nonnullos Episcopos aliósque „ viros graves, qui Legatorum utriusque par- „ tis propositiones & jura audirent; unà cum „ aliis, quos Principes suo quique nomine iis „ adjunxerunt. Coram quibus primùm Panor- „ mitanus, Juris utriusque peritorum sui tem- „ poris excellentissimus, (ùt Acta nominant, „ & reverà erat) explicata imprimis longa nar- „ ratione rerum serie, multis argumentationi- „ bus & infinitâ Jurium allegatione conatus „ est probare causam Concilii, & quæ ab eo „ gesta erant in Eugenium; ac deinde Adver- „ sariorum objecta, & libellum quemdam Eu- „ genii plurimis rationibus confutare. Au- „ ditíque sunt Basileenses sinè arbitris per tres „ dies. Deinde admissis eodem modo Eu- „ genianis, Nicolaus de Cusa primùm iniquum „ fuisse ait damnatos Amedeistas audiri; de- „ inde causam Eugenii & translationis Con- „ cilii valide egit: addens Basileensis Conci- „ lii fructum Schisma esse, divisionem, & abo- „ minationem in Ecclesia DEI: Florentini, „ unionem & conversionem Græcorum, Ar- „ meniorum, Jacobitarum, Iberorum: proin- „ de ejiciendos Basileenses cum suo idolo; „ ac recipiendum honorandúmque ùt verum „ Christi Vicarium Eugenium &c. Dederunt „ insuper utrique in scriptis suas contradi- „ ctiones, ut fideliùs pleniúsque Cæsari & „ Principibus cuncta referrent.

N. 7. „ Interim verò Fridericus coronam „ accepit Aquisgrani à Theodorico Archi- „ Episcopo Coloniensi, decimo septimo die „ mensis Junii: ùt præter Acta habent Trithe- „ mius, Annales Treverorum, Suevorum, ac „ multi alii; ex quibus refellas eos, qui eo- „ dem mense, quo electus fuerat, etiam coro- „ natum scripsêre. Narrat item Cuspinianus „ accessisse etiam ad ejus coronationem Lu- „ dovicum Cardinalem Arelatensem nomine „ Concilii Basileensis; sed restitisse ei Leodi- „ ensem Præsulem pro Eugenio consurgentem, „ eúmque è civitate fugâsse (erat is Joannes „ Heinsbergius nobilissimâ prosapiâ ortus, & „ egregiis virtutibus præditus: cujus extant „ res gestæ in Actis Ecclesiæ Leodiensis; re- „ formationes Cleri suæ Diœcesis sub Euge- „ nio conditæ, & à Nicolao V. ejus successo- „ re confirmatæ, in Tomis Conciliorum Ge- „ neralium) sed Coloniensem Archi-Episco- „ pum hanc turbam sedâsse.

„ Rediens autem inde Fridericus cum Prin- „ cipibus Francofordiam initiô mensis Au- „ gusti, auditis, visísque, quæ interim ibi fieri „ contigisset; post multas demum disputatio- „ nes, multáque consilia, statutum est (quod „ etiam aliis conventibus deliberatû vidimus) „ aliud Concilium indubitatum esse celebran- „ dum: mittendos nuncios super ea re Basi- „ leam ad Patres, & Florentiam ad Eugenium: „ interim Germanos in suâ suspensione man- „ suros. Conquerentibúsque Basileensibus, „ quòd Cæsar & Principes partiarii videren- „ tur, non indifferentes, eò quòd nuncios ad „ Eugenium, non etiam ad Felicem mittere „ statuissent; respondit Cæsar, se æqua lance „ rem tractaturum. Dedítque in mandatis „ nunciis, ut venerarentur Eugenium ùt Ro- „ manum Pontificem: excusaréntque Cæsa- „ rem & Principes, cur tamdiu in neutralita- „ te perseverarent: Peterent celebrari intra „ Germaniam aliud Generale Concilium ad „ pacem conciliandam, quod unicum videre- „ tur remedium: nihil omnino ab eo postu- „ larent, vel etiam sponte oblatum reciperent: „ Felici autem non exhiberent reverentiam „ ùt Pontifici sed per internuncios cum eo „ agerent. Ità in Actis Patritianis: quæ tan- „ gunt & alii, sed non ità diligenter.

N. 8. „ Pergunt porrò, Cæsarem deci-

„ mô octavô Calend. Octobris prope Basileam iter agentem, cùm à Cardinalibus & alius ei occurrentibus rogaretur urbem intrare, omnino negâsse, nisì priùs consentirent celebrationi alterius Concilii. Quod post multas contentiones concessum demum est, sub conditionibus positis in responsione nunciis Cæsaris ac Principum data in sua Congregatione secundô Nonas Octobris, quæ habetur inter Epistolas Synodales Concilii. Quâ post declarata pericula, quæ ex mutationibus ac translationibus imminerent, (quorum præcipuum fuisse putamus, quod tamen ipsi tacuerunt, quoniam per translationem dissolutum videri poterat; semel autem dissolutum, non poterat ampliùs congregari nisi post decennium, & cum consensu Pontificis ex Decreto Concilii Constantiensis, cujus auctoritatem ipsi semper in ore habebant) nihilominus ut Cæsaris & Principum votis pro pacificatione Ecclesiæ complacerent, offerebant se paratos ad locum accommodum, & Regiæ Celsitudini gratum se transferre, dummodo adessent securitates, & illud Concilium pro legitimo haberetur. Qui boni viri si tantundem dixissent, aut præstitissent in gratiam Eugenii, quando ipsum pro vero Pontifice agnoscebant; minimè conflatum fuisset schisma. Sed Venerabiles Patres cogente necessitate temporali dicerunt Cæsari reddere, quæ abundante protervia obliti fuerant DEO, ejúsque supremo Vicario reddenda esse; sic vexatio dat intellectum.

N. 9. „ His peractis Cæsar (pergunt Acta) tertiô Idus Novembris Basileam solemni pompa ingressus est, medius inter Cardinales Arelatensem & Tridentinum, (Alexander iste vocabatur, filius Ducis Mazoviorum, patruelis Regis Poloniæ, ipsiúsque Friderici Cæsaris consanguineus, Episcopus Tridentinus & Patriarcha dictus Aquileiensis) ceteris præeuntibus: subsequentibus autem Principibus, ceterísque Prælatis. Altero die Felicem visitaturus, sub crepusculo vespertino cum paucis ejus domum nudo capite adiit, & in camera, quam papagalli vocant, substitit. Illuc Felix cum suis Cardinalibus accessit. Cæsar cum modestâ reverentiâ excepit, & per Episcopum Chiemensem se excusavit, quòd non exhiberet ei reverentiam Romano Pontifici debitam, ut paci aptior esset, ad quam eum hortatus est. Et Chiemensis, nè illum Pontificalibus titulis unquam appellaret, clementem benignitatem tuam dicebat, non Sanctitatem aut Beatitudinem. Felix autem Pontificalibus verbis usus, benignè Cæsari respondit, egítque gratias de visitatione. Multis præterea hinc inde dictis, Cæsar domum rediit, & sequenti die è Basilea discessit. Paucísque post diebus Felix valetudinis gratiâ (*ut dicebat*) Lausannam petiit, pollicitus transacta hieme ad Concilium se rediturum, &c. „

[2.] Dubravius Histor. Bohemic. lib. 28. exscriptus.

Æneas Sylvius Histor. Bohemicæ c. 58. „ Venêre plurimi ex Bohemis ad Fredericum, visendi Regis gratiâ. Inter quos Georgius cognomine Giscra, armorum gloriâ clarus, qui partes ejus unus ferme defenderat in Hungaria, cùm Rex Poloniæ regnum invasisset, prædones sæpe acie fuderat: Joannem Huniadem bis castris exuerat: rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conspectum Regis intromissus est apud Novam Civitatem, quo in loco tunc aderamus, astantibus pluribus illachrymans, Ladislai manum exosculans in hunc modum verba fecit: Video te tandem tenéóque, mi Rex, si scires, quæ pericula propter te adivi, quibus me laboribus implicui, quot adverso corpore vulnera accepi. En cicatrices testimonio sunt, patri ego tuo, tibíque vitam devovi. Nulla vis est, nulla fortuna, quæ alienare animum à te meum possit, officia mea sola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatem non intelligis. Et subridens: Quod ergo, (inquit) mihi præmium fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo stipendium? Sextum tunc annum agebat Ladislaus: qui, postquam Giscra finem dicendi fecit, oculos huc atque illic circumvolvens, loculos Joannis Magistri cameræ suspiciens ex phylacterio pendentes, qua ille nummos more Teutonico pauperibus erogandos asservabat: hanc tacitus arripuit, æráque sex tantùm (neque enim plura invenit) illinc deprompta Giscræ donô dedit. Admirati omnes pueri factum, & providum, & liberalem futurum judicavêre. Giscra innexos postmodum auro nummos è collo suspendit, Regiæ gratitudinis monumentum. „

[3.] Ex Registro ipsius.

NB. Spondanus Concilium Basileense non hoc vult finitum esse, sed sequenti annô, ad quem ità scribit N. 6. „ Habita sessione publica decimô septimô Calendas Junii præsentis anni, (malè nonnullibi notatur annus præteritus 1442.) quæ 45. & ultima numeratur &c. „ Econtra Collectio Regia

gia Conciliorum, quæ editione Biniana, quam secutus Spondanus, posterior est, Parisiis Annô 1644. evulgata, Collectore Dionysio Exiguo Tomô 30. in Notis in Conc. Basileense fol. 908. ità habet: „ Annô 1442. XVII. „ Kalendas Junii habita est Sessio ultima, qua „ ad Conciliis Constantiensi & Basileensi ob- „ temperandum pro loco futuri Concilii no- „ minatur Lugdunum urbs Galliæ &c. „ Ubi & foliô 895. ità notatur

c. Oecumenicum. „ Oecumenicum fuis- „ se nemo negaverit, quod auctoritate Pon- „ tificis indictum sub præsidio Juliani Cardi- „ nalis continuatum est eo usque, donec illi- „ cita potestate usurpata in Pontificem Roma- „ num, omni judicio & subjectioni coactivæ „ jure Divino exemptum, judicium suum ipsi „ converterent, & Pontifex Legatum suum, „ omnésque alios Episcopos avocaret. Quan- „ do verò post horum discessum, Synodus sub „ præsidio Cardinalis ejusdem Arelatensis „ continuata, invitóque Pontifice prorogata „ est, non tantùm Oecumenicum, sed etiam „ legitimum Concilium esse desiit.

d. Ex parte reprobatum &c. „ Hanc Sy- „ nodum auctoritate legitima reprobatam es- „ se constat ex Sessione undecima Concilii „ Lateranensis infrà sub Leone X celebrati; „ ubi Conciliabulum Schismaticum, seditio- „ sum, & nullius prorsus auctoritatis non im- „ meritò appellatur. Nam eo tempore, quo „ Concilium in Pontificem sententiam pro- „ nuntiare ausum est, non erat in Concilio „ Legatus Pontificis, omnésque præcipui „ Episcopi discesserant, & quidem Cardina- „ lis Arelatensis munus præsidendi sibi assum- „ pserat: & quia Episcopi paucissimi erant, „ introduxerunt in Synodum ingentem mul- „ titudinem Presbyterorum, ità ut contra „ omnem formam Conciliorum non Episco- „ porum, sed Presbyterorum Synodus esset. „ Deinde eodem tempore agebatur Floren- „ tiæ Concilium alterum, in quo præsidebat „ Summus Pontifex, & cum eo sedebant Epi- „ scopi Latini & Græci sinè comparatione „ plures, quàm essent Basileenses, & unà cum „ Episcopis aderat Imperator Græcorum, & „ Legatus Imperatoris Latinorum, ut nullô „ modô dubitari posset, utrum ex duobus „ esset verum Concilium Ecclesiæ generale.

„ Tertiò, Deus quoque sententiam suam „ dicere volens tam horribili peste Basileam „ tunc affligebat, ut major pars eorum Patrum, „ qui ibi erant, vel extincti, vel secedere coa- „ cti fuerint. Quæ omnia refert Æneas Syl- „ vius in historia Concilii Basileensis, cui ipse „ interfuit.

„ Quartò, Patres Concilii eos, qui missi „ erant ab Eugenio IV. ut Concilio præside- „ rent juxta morem Conciliorum universa- „ lium, recipere noluerunt.

„ Quintò, Quia nulla decreta Concilii „ unanimi consensu conclusa fuerunt: tum „ quia multi Prælati & Doctores utriusque „ Juris ejusmodi decretis restiterunt: tum „ etiam, quia in fraudem Legatorum, quos „ à Castellæ & Angliæ Regibus missos in iti- „ nere esse, atque Synodo jam appropinqua- „ re cognoverant, Sess. 18. festinabant defi- „ nire illud, cui dictos Legatos nolle assenti- „ ri sciebant.

„ Dixi, hanc Synodum ex parte tantùm „ reprobatam esse; quia cùm Felix V. Anti- „ papa Schismaticus ad unitatem & concor- „ diam Ecclesiæ componendam, hortatu Fri- „ derici Tertii Imperatoris Pseudo-Pontifica- „ tum resignâsset, Actáque omnia Basileensis „ Conciliabuli suô ipsius judiciô quasi impro- „ bâsset, Nicolaus V. pacis gratiâ approbavit „ eas Constitutiones, quæ de beneficiis Ec- „ clesiasticis edictæ ac promulgatæ fuerunt: „ reliqua omnia, quæ aliorum Conciliorum „ Decretis & Constitutionibus non sunt de- „ finita, judiciô ejusdem Nicolai, sententiam „ prædecessoris sui Eugenii hac in re imitan- „ tis, rejecta & improbata fuerunt. Viderit „ ergo Paulus Langius, qua ratione erroris „ maculas huic Synodo inustas abstergere ni- „ tatur. „

Annus Christi MCCCCXLIII. Monasterii CCCV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

Eugenius Papa IV. hoc anno 21. Septembris Romam Florentiâ, ubi per aliquod tempus moratus fuerat, Conciliúmque celebrârat, revertitur, cui per portam Flaminiam obviam effusus populus ingenti cum lætitia eum ex-

excepit, verùm hæc lætitia diu non duravit, nam exortus tumultus ob vectigal novum impositum non priùs sedabatur, quàm cùm publica voce Pontifex (ibat enim tunc in habitu Pontificio mediam per Urbem mitratus cum Clero ad Lateranum) illud revocando abrogaret: quo abrogato tumultus quievit. * [1.]

Fridericus Cæsar dimissis Helvetiorum Legatis, qui ad eum Constantiam petendæ privilegiorum suorum confirmationis gratiâ accesserant, neque aliquid impetrârant, donec priùs Austriacis ablata restituerent; Arbonam navigavit, Eques inde Sangolum civitatem pergit, ubi exactô à civibus fidei sacramentô, Veldkirchiam, atque inde per montem (vulgò Arleberg) in Noricum penetrans Austriam ingressus est, quò eum negotia vocabant. Eam omnem provinciam Cæsar offendit minimè pacatam, grassantibus passim rapinis & latrociniis, necdum enim Alberti milites, quos ad Labacum in fugam actos fuisse diximus, quieti sese dederant. Itaque ut fratrem hujus domestici incendii quasi fomitem abs se dimitteret, certis quibusdam conditionibus cum illo egit, ut decretâ satis magnâ pecuniæ summâ in Sueviam & vicinas Helvetiis ditiones habitatum ad sex annos concederet. Fratre in Sueviam profecto Fridericus Cæsar ad purgandam rapinis Austriam animum convertit. Cum Alberti militibus, quòd hi juris aliquam speciem prætendere culpæ suæ viderentur, primùm transigitur, ut pro stipendio debito, quibus defraudari se querebantur, acceptis septuaginta aureûm nummûm millibus quiescant. [2.]

Interim Bohemi repetebant Regem suum puerum in Bohemia tanquam in avito regno educandum sibi concedi, ubi mores & instituta gentis unà cum lingua à primis statim annis addisceret, suorúmque animos sibi conciliare posset. Cæsar teneram pupilli ætatem excusans in medium produci illum, suísque videndum exhiberi jussit. Legati re non impetrata domum indignabundi reverterunt. [3.]

Elisabeth interim in Ungaria Ladislai mater, cùm jam inter ipsam ac Vladislaum de concordia propè convenisse videretur, conciliante illam Juliano Cardinale, diem suum obiît, non absque veneni suspicione, sepulta est apud maritum. [4.] Vigebat eo in regno tunc excellens Turcarum victor Joannes Huniades Corvinus Transylvanæ regionis (quam Germani Septem-Castra nuncupant) regulus, hic unà cum Vladislao Rege Amurathem Turcarum tyrannum tanta clade affecit, ut ad pacem ultrò petendam animum inclinârit, quam Rex admisit faciliùs, quòd intestinis bellis fluctuare Poloniam nunciaretur, & Fridericum Cæsarem adversarium haberet, à cujus amicitia Ungari plerique non erant alieni. Pax igitur in decem annos facta est, Ungaris in Evangelium Christi, Turcis in suum Alcoranum jurantibus. [5.] Hanc pacem Julianus Pontificis Legatus suâ persuasione disturbavit. Unde Rex rursus tantùm cum quindecim millibus equitum, peditatu ex cruce signatis non ita magno contra Amurathem ducit, fœdera pacis dirumpendo. Regi ad Nicopolim occurrit Dracula Valachiæ Montanæ regulus, qui Regem dehortatur, nè cum tam paucis hostium cædi se subjiciat, sæpe Turcam majores secum copias venatum educere. At ille spretô prudentis viri consiliô, pugnam instante potissimum & suadente Huniade cum Amurathe ad Varnam init, ejúsque equitatum fudit, fugâtque, ac tandem Rex ipse in Janicerorum phalangem incidens, fortitérque pugnans occubuit. Ferunt Amurathem inclinata suorum acie Christi numen invocâsse, ut si DEI filius esset, pœnas à suis violati fœderis exigeret, ac tum demum fortunam belli mutatam fuisse. Fuit verò & Turcis victoria non incruenta,

itâ

ità ut Amurathes dixerit, actum de se fore, si iterum ad eum modum vincendum sit. Incidit hæc pugna in quartum Idus Novembris anni sequentis.

Porro anno isto contributiones Ordinis Cisterciensis per Austriam à Monasteriis ejusdem Ordinis exiguntur, unde etiam à Monasterio Zwetlensi petita contributio, super qua data Monasterium quittanciam recepit talem : Joannes Abbas Morimundi Cister. Ord. Lingonensis Diœcesis Receptor contributionum novarum & antiquarum in natione Germanica per Capitulum Generale specialiter deputatus, fatetur se recepisse pro tribus annis, quadragesimo primo, secundo & tertio, florenos quindecim Rhenenses, residuâ pecuniâ triennalis contributionis Monasterio in Zwetl, considerata ipsius desolatione, de gratia speciali remissâ. Committit item absolvendi licentiam à Casibus Capitulo Generali & Abbati Cisterciensi reservatis in biennium duraturam. Datum Viennæ nonâ Martii, Anno 1443. [6.] Forsan hic Abbas Morimundensis tunc per Austriam Monasteria Ordinis visitabat, de cujus Monasterio Austria primos Monachos accepit, atque Pater quilibet Monasteriorum primorum quatuor, tanquam mater filias suas, Monasteria de linea sua egressa visitare tenetur.

Item mense Novembri Joannes Rastenvelder Abbas Viennæ fuit, ubi tunc vineam in Grinczing sitam cuidam locavit. Litteræ desuper datæ sunt Viennæ, Anno Domini 1443. in festo Catharinæ. [7.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Eugenio Papa IV. Spondanus hìc n. 9. „ Eugenius - - -
„ relictis Senis Romam invitatu civium petens
„ eò pervenit 28. die Septemb. post decen-
„ nium propemodum absentiæ. Ibíque ho-
„ norificentissimè receptus, cùm in ipso in-
„ gressu tumultuantem populum intelligeret
„ ob duplicatum tributum vectigálque novum
„ vino impositum; factô silentiô, audientibus
„ omnibus exactionem illam ùt minùs libe-
„ ralem sustulit, miris inde acclamationibus
„ exaltatus. Aliquot verò pòst diebus ad
„ Lateranum proficiscens, Concilium Gene-
„ rale eò loci se habiturum denunciavit, missis
„ ad Principes litteris & nuntiis, quibus ea
„ de re certiores fierent. Hac enim ratione
„ (inquit ista narrans Platina) infirmari ac tolli
„ omnino Concilium Basileense volebat. „

[2.] Gerardus locô sæpe citatô exscriptus.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico.
„ Fridericus - - susceptâ (*Aquisgrani*) coro-
„ nâ rediit in Austriam, multos perpessus la-
„ bores ingentésque difficultates: partim ob
„ tutelam Regis Ladislai, partim ob paternæ
„ hæreditatis cum fratre divisionem. Nam
„ milites, qui sub Alberto meruerant, cùm
„ stipendiô se fraudatos dicerent, provinciam
„ latrociniis ac incendiis vastavêre. Eorum
„ vexatio septuaginta millibus aureis à Fri-
„ derico est redempta, cùm Boëmi excursio-
„ nes in Austriam facerent. Ad hæc Joan-
„ nes Hunniades cùm frustrà à Friderico co-
„ ronam regni Hungariæ repeteret, cum duo-
„ decim millibus equitum Austriam ingressus,
„ omnem agrum inter Viennam & Stiriæ mon-
„ tes diripuit, atque incendit. „

Piespordius. „ Albertus VI. Austriacus
„ cognomentô Prodigus & Mitis inæqualem
„ divisionem ditionum paternarum causatus,
„ auxiliô Udalrici Ciliæ Comitis, fratri Cæ-
„ sari in Carniola bellum movet, à quo pecu-
„ niæ summa quadam pacatus ad 7. annos in
„ Sueviam, & Helvetiis vicinas ditiones abiit. „

[3.] Gerardus de Roó ubi suprà.

Æneas Sylvius c. 58. Histor. Bohemic.
„ Diu inter Hungaros & Imperatorem ob ne-
„ gatum Regem inimicitiæ fuêre, & armis
„ quoque tentata res est. Joannes Hunia-
„ des infestis copiis Austriam ingressus, quam-
„ vis ferro atque igne agros vastaverit, Re-
„ gnum tamen coronámque, & quæ repetebat
„ in Hungaria castella, obtinere non potuit.
„ Pugnavit iterum contra Turcas, à quibus
„ magnô prælio victus, humilior factus, Cæ-
„ saris benevolentiam & petiit & impetravit.
„ Ob quam rem quamvis sæpe & ab Hungaris,
„ & à Bohemis Ladislaus peteretur: res ta-
„ men ad duodecimum ejus annum protracta
„ est. At cùm Fredericus Imperialis coronæ
„ suscipiendæ gratiâ Italiam petere statuisset,
„ rursus Bohemi, Hungari & Australes lega-
„ tionibus seorsum missis, Imperatorem fati-

„ gavêre, Ladislaum reposcentes, postulata „ omnibus negata sunt. „

Dubravius lib. 28. Histor. Boiem.

[4.] De Roó ubi suprà.

Thwrocz in Chronica Hungaror. „ Curia Romana tantorum pulsata fremitibus „ malorum; virum Reverendum Dominum Julianum Cardinalem ad componendos dictarum strepitus guerrarum Summi Pontificis „ miserat de latere. Hic dum pro pace laborat Regis Vladislai & Reginæ Elizabeth „ cordibus non parum ad concordiam inclinatis, pace ipsa nondum composita, Regina diem obiit: mors cujus plures ex Baronibus illam sequentibus Regis Vladislai restituit in sinum. „

Spondanus ad ann. præcedentem n. 13. „ Misso inter hæc in Hungariam ab Eugenio „ Pontifice Juliano Cardinale Cæsarino, cùm „ ad pacem inter Wladislaum Poloniæ Regem ab Hungaris, ùt vidimus, evocatum, „ & Reginam Elisabetham, de regni possessione armis discrepantes, conciliandam, „ tum ad res contra Turcos promovendas, „ quorum Imperator Amurates Belgradum „ (aliis Albam-Græcam, antiquis Taurunum „ Pannoniæ inferioris urbem ad confluentia „ Savi in Danubium) firmissimum Hungariæ „ propugnaculum ingenti exercitu obsederat. „ - - - - - - - Quod verò pacem attinet, „ egit adeò Julianus frequentibus ultro citróque commeatibus, ut ea certis quibusdam „ conditionibus componeretur: inutilis tamen illa ob repentinam ferè supervenientem „ Reginæ mortem, defendentibus nihilo secius partes Ladislai pueri iis, qui cum Regina priùs senserant: quorum tamen plerique demum vel vi, vel metu, aut sponte „ Wladislao accesserunt. Turci verò præter id, quòd Amurates à Septimestri Belgradi oppugnatione re infecta turpiter discedere coactus est, tribus insuper magnis „ cladibus eodem tempore à Joanne Huniade Vaivoda, sive Palatino Transilvaniæ „ (qui & Jancus à proprio nomine à Turcis „ dictus; & ab aliis Corvinus à vico, in quo „ natus est matre Græca patre Valacho „ Strenuo Viro, & Sigismundo Imperatori „ ob virtutem charo, à quo etiam Huniadum „ arcem in extrema Transilvaniæ ora, & inde „ cognomen sive priùs ipse, sive filius accepit) „ affecti fuêre, unâ apud idem Belgradum, „ alterâ in Transilvania, tertiâ apud Vascapum in finibus ejusdem Transilvaniæ: quarum causâ multi illarum partium populi ad „ Christianos redîerunt, Turcorúmque vires „ admodum diminutæ fuerunt. „

[5.] Gerardus de Roó citatô locô exscriptus; & plures alii.

Spondanus hìc n. 12. „ In Hungaria bellô in Turcos hortationibus maximè Juliani „ Cardinalis Legati decretô; missæ quoque „ legationes ad Fridericum Romanorum Regem, & ad Prussienses ac Livonenses Cruciferos, nominatim in hostes Christiani nominis militiam professos, nec non ad Polonos & Valachos, pro auxiliis fuêre. Sed „ Fridericus fluctuantem Boëmiam causatus, „ Cruciferi exhaustam longô bellô provinciam, nulla misêre. Poloni & Valachi „ equitum peditúmque non pauca, etiam cum „ semestri stipendio ministravêre. Cúmque „ Eugenius Pontifex piam Crucis militiam „ per omnes gentes prædicari jussisset, adfuit „ ingens voluntariorum multitudo, etiámque „ è Gallia & Germania. Motis castris ubi „ transmissus est Danubius, post Sophiam urbem (quam antiquam Sardicam, Concilii „ sub Constantio Imp. celebratione insignem „ esse volunt) aliáque multa oppida capta, „ cùm propè adesse Turcos ad Moravam fluvium Rex Wladislaus intellexisset; præmissus ab eo Joannes Huniades Vaivoda cum „ decem millibus equitum, qui eos per silentium noctis adoriretur; adeò feliciter rem „ gessit, ut triginta eorum millia occiderit, „ quatuor millia unà cum novem signis ceperit; „ ceterísque fugâ lapsis (centum millium fuisse „ exercitum volunt) castra opulentissima diripuerit, vix quingentis è suis amissis.

„ Procedentes ulteriùs Christiani cùm „ ad fines Thraciæ & Macedoniæ pervenissent, iterum ad montem Hæmum alium „ exercitum hostium (quem Amurates ex „ Asia accitum, non ad pugnam, quam omnino prohibuit, sed ad vetandum insessis montium angustiis Christianorum transitum, „ Carambejo Asiæ Præfecto, Viro manu & „ ingenio prompto, ducendum tradiderat) „ grandi pariter cæde prostraverunt; ipso eorum duce Carambejo capto: qui perspecta „ Christianorum præ suorum multitudine paucitate, & ex locorum difficultate, rerum „ penuriâ, & hyberni temporis inclementiâ, „ fatigatione; pugnæ prohibitione postposita „ pridie Natalis Christi in eos impetum fecerat. „ Cùm tamen nihilominus angustiæ montium „ à reliquis Turcis occuparentur, nec facilis „ esset Christianis transitus; nequicquam „ Juliano Cardinale, Georgio Despote Rasciæ, ipsóque Huniade, quinimmo & Rege patientiam exercitui suadentibus, necesse fuit eum in Hungariam reducere: ubi „ Rex ingenti gaudio & sacra pompa exce-

„ ptus,

" ptus, Budæ nudis pedibus ex voto, prius-
" quam Regiam adiret, Ecclesiam Beatissimæ
" Virginis petens signa hostium in ea affixit.
" Quæ prolixè prosequuntur Historici, non-
" nihil tamen, ut fit, in quibusdam leviori-
" bus diversi: maximúmque harum victoria-
" rum fructum esse volunt, (præter Religio-
" nis Christianæ plurimis locis restitutionem)
" ut didicerint Turci posse etiam se à Chri-
" stianis vinci, quod rarò hactenus contige-
" rat. Quare & has suorum clades levi cursu
" illorum Annales apud Leunclavium transi-
" liunt; eas insuper non Christianorum vir-
" tuti, sed suorum ducum inconsiderantiis
" tribuentes. Nec tamen celamus Æneam
" Sylvium, qui tunc Secretarium agebat Fri-
" derici Cæsaris, de prædicta Huniadis vi-
" ctoria breviter agentem scribere, Hungaros,
" qui huic bello interfuêre, cupiditate glo-
" riæ res suas ampliantes, ac de magnis ma-
" jora tradentes, eidem Friderico scripsisse,
" triginta millia hominum cæsa, captáque
" multò plura: Julianum autem Cardinalem
" sex millia duntaxat hominum ex prælio ce-
" cidisse ex suis litteris affirmâsse, eisque fidem
" habitam: quinimmo & alibi nonnisi duo
" millia Turcorum occisa esse, & quatuor mil-
" lia capta, inter quos ductores tredecim fuêre,
" signa militaria novem ex ejusdem Juliani
" literis ad Fridericum scriptis asserit. "

[6.] Ex Autographo ipsius.
[7.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXLIV. Monasterii CCCVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leonardus.	Joannes II.

Tigurini hoc anno fideles manent Austriacis cum quibus fœdus inié-rant, & ob hoc ab Helvetiis simul junctis obsidentur. Verùm Ludovicus Caroli Galliæ Regis filius, (Delphinum vocabant Principem à Rege dignitatis gradu secundum) cum triginta pugnatorum millibus adveniens, Tigurum obsidione solvere ac Helvetiorum contumaces spiritus frangere properavit. Huic obviam profecti Helvetii, dum pauci cum plurimis egregiè pugnant, propè ad unum cæsi victoriam multo suorum sanguine emptam reliquêre rarô exemplô. Ad Tigurum quoque malè ab Helvetiis pugnatum, & obsidione urbs soluta est. * [1.]

Pugna anno isto ab Ungaris cum Turcis ad Varnam infeliciter gesta est, Rege Vladislao unà cum Cardinale Juliano cæso. [2.] Huniades evasit è prælio sanus, qui occisum cum exercitu Christiano Regem inultum nolens in Misiam Superiorem ad Savum amnem legionibus novo milite expletis hostem aggreditur imparatum, quo fuso ac fugato victor in Pannoniam rediit. [3.]

De Monasterio nostro sequentia notantur. Domini Otto & Wilhelmus fratres de Toppel possessores castri Wasserberch fatentur se habuisse lites cum D. Joanne Abbate in Zwetl propter pascua à Sylva Wasserberch usque ad villam Ossarn percurrentia, quæ coloni Monasterio Zwetlensi subjecti præfatis fratribus negabant, qui tandem concordiam iniêrunt, terminum conveniendi sibi in Hertzeburgo apud Judicem ibidem præfigentes festum S. Joannis Baptistæ, in quo suo conventu compositionis litteras erigerent, litísque finem darent. Datum Annô Domini 1444. feriâ sextâ ante festum S. Viti. [4.] Fuit hoc prædium in Ossarn Monasterio nostro donatum à Gisla Chünringia de Sonnberch sorore Hadmari Fundatoris nostri secundi.

Demum occurrit etiam notandum, quòd cùm milites Alberti Prodigi Archi-Ducis Austriæ, qui ante Labacum Carniolæ fugerant, per Austriam grassarentur, illámque spoliis & prædis vexarent, fuisse quoque è Monasterii subditis quendam perversum colonum nomine Ægidium de Hermans, qui se eisdem militibus in prædæ & spoliorum

focium addixerat, qui cùm à Monasterii Judice nimirum ab Ulrico de Glocknitz Allodiorum Magistro ad rationem perversitatis suæ reddendam conquireretur, ipse fugiens & Monasterii colonos ubique spolians, nonnullos etiam interficiens, manifestum hostem Monasterii se declaravit. Qui tandem Litschoviam perveniens ibi ob alia maleficia sua detentus meritas forsan dedit temeritatis suæ pænas, unde Senatus illius oppidi Monasterium de Ægidii vita & facinoribus requisivit, præcipuè quia erat subditus illius, cujus litteræ datæ sunt in Litschaw Annô Domini 1444. in die S. Clementis. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó ubi suprà præcedenti anno.

[2.] Item ibidem in textu nostro relatus.

Æneas Sylvius in Europa, cap. 5. „ Turcis hæc Christianorum victoria (*priore anno à Rege Vladislao & Huniade obtenta*) plus pavoris quàm damni attulit, non Hungaricas tantùm vires, sed Germanicas quoque in se commotas arbitrantibus. Consternati ergo ac perculsi metu, perinde ac totus Occidens conjuràsset, pacem petière. Hungari qui suas vires non ignorarent, nec tam potentiæ suæ, quàm casui victoriam imputarent, periculosum existimantes sæpiùs tentare fortunam, oblatas ultro conditiones pacis non recusârunt. Induciæ belli in decem annos dictæ, jusjurandum per sua sacra ambæ partes præstitêre, Despoto Serviæ, quæ bellô amiserat, reddita. Molesta ea res Juliano Cardinali fuit, cui prosequenda victoria videbatur. Eugenio quoque Romano Pontifici nihil molestius nuntiari potuit, cujus menti nulla major cura insedit, quàm Christianæ fidei propagandæ. Scripsit igitur Cardinali, nullum valere fœdus, quod se inconsulto cum hostibus Religionis percussum esset. Vladislao Regi Poloniæ, qui eo tempore Hungariam occupabat, ut conventa dissolveret, imperavit: juramenta remisit: novum instaurari bellum tum precibus tum minis extorsit. Ex Christianis Principibus auxilia petiit, præter Philippum tamen Burgundiæ Ducem, neminem Christianæ Religionis zelus commovit: hic solus classem instruxit, quæ usque in Hellespontum profecta, Turcis ex Asia transitum prohibere in Europam conata est.

„ Franciscus Cardinalis Venetiarum, Eugenii nepos cum pluribus eò missis classi præfuit. Vladislao, qui alienum regnum invasisset, è re sua visum est, sollicitudinem belli provincialibus non deesse.

„ Accersitis igitur ex Polonia & Bohemia, ceterisque vicinis gentibus auxiliis, coactis ex Hungaria copiis, Turcarum agros invadere statuit, Joanni Huniadi castrorum cura commissa, quadraginta circiter equitum millia fuisse tradunt, plerique dimidiô minorem numerum prodidêre, Reguli Hungariæ Pontificésque quàm plurimi interfuêre, Julianus S. Angeli Cardinalis milites cruce signatos non paucos secum duxit. Iter per Walachiam receptum, deinde transitô Danubiô in Mysiam ventum, ut per plana & campestria loca in Romaniam transirent. Amurates hostium cognito adventu cùm Græcis ac Turcis in Europa manentibus non satis confideret, exercitum ex Asianis militibus comparavit. Sed angebat animum trajiciendi freti non mediocris cura, qui classem Apostolicam obtinere pelagus non ignorabat. Anxio (ùt ajunt) & multa volventi animo, Genuenses quidam curas ademère, qui suis navibus acceptâ pecuniâ transportare copias promiserunt. Locus est, ubi non amplius quàm stadia quinque latitudo freti obtinet, inter Propontidem & Euxinum pelagus: tantum est spatium, quod Europam Asiámque disterminat. Bosphorum Thracium dixêre majores, à Bizantiorum cornu sexaginta fermè stadiis distantem. Hìc Amuratis exercitus transvectus est, aureô nummô vectoribus per capita traditô, quæ, si vera est fama, centum millia fuisse ferunt. Nam Christiani locum attigerant, cui Varna est nomen, cùm adventare innumerabiles hostium copias nunciatum est. Cedendum Vladislao Cardinalíque videbatur, & ne circumveniri ab hoste possent, munitum, montanúmque locum petendum. Huniades adversari ac resistere, Turcarum se nôsse vires dicere, famam semper majorem esse, quòd si Turcæ omnes adsint, Hungaris tamen impares fore. Illos aurea & discolori veste, Hungaros ferro atque ære fulgere, Christianum agmen & stare paratum, & sequi, nec turba, nec sarcinis prægrave: intentum, quo Dux non modò signet, sed etiam innuat. Contrà si Turcarum mores inspiciantur, fæminas magis existimari debere, quàm viros, si fugiat exercitus Chri-

„ stia-

» ſtianus, quem Rex Hungariæ ducit, in quo » Legatus Apoſtolicus adeſt, in quo tot no- » biliſſimi Proceres militant, nunquam dein- » ceps Hungaris contra Turcas futurum ani- » mum.

» Vicit Huniadis ſententia, expectati ho- » ſtes, poſtera die, ſive majoris exercitûs ſpe- » ciem præbuêre, quàm fama ipſa vulgaverat, » ſive quòd metuentibus omnia vero majora » videntur, ſive quòd Amurates in cogendo » milite vulgatæ opinioni haudquaquam de- » fuerat, territus Huniades eo conſpectu tum » primùm periculi magnitudinem animô vol- » vens de fuga Regem admonuit. Ille ſerum » conſilium arguens, perniciosſam magis fu- » gam quàm pugnam dixit. Commiſsô præ- » liô ſperari victoriam poſſe, ſæpe minoribus » exercitibus ceſſiſſe majores, nec tam mul- » titudinem bellatorum, quàm audaciam & » ordinem præſtare victoriam. Deum quo- » que reſpicere meliorem cauſam, præſtantio- » rémque ſe paucis (ſi modò audeant) ex- » hibere, fugientes victoriam hoſti tradere, » feriendáque terga, & multam ſuorum cædem.

» Magnifica quoque verba Joannis pridie » dicta, plenus irarum Rex exprobravit, juſ- » ſisque omnibus arma capere prælium expe- » ctavit.

» Amurates in proximo colle conſederat, » ex quo ſuos pariter atque hoſtes ſpectare » potuit, datô belli ſignô quindecim millia » equitum, qui pugnam provocarent, factô » globô in Chriſtianos impetum fecêre. Sin- » gulis albæ ſuper loricas veſtes fuêre, quæ » ventô agitatæ inſtar alarum præ ſe ferebant: » totidem viridibus induti ſagulis ſequeban- » tur. Aurea equorum fræna multorum viſa, » & multis galearum argenti atque gemma- » rum nitor, ipſas quoque gladiorum vaginas » prægrandes uniones ornabant. Non de- » trectavêre Chriſtiani certamen. Itum eſt » ferocibus in pugnam animis: Superior acies » noſtra Turcas in fugam vertit, quàm plu- » rimis primo impetu proſtratis. Perculit » ea res magno metu Amuratem, nihil tale » verentem, fugiſſet protinus prodito exer- » citu, nî circumſtantes ſatrapæ comprehensô » ejus equi frenô, ignaviam ejus increpâſſent, » fugientíque comminati necem fuiſſent. Per- » ſtitit ergo vel invitus, juſſisque fortiſſimis » arma ſumere, prælium inſtauravit. Pugnatum » eſt ſumma contentione pluribus horis, nunc » Turcis, nunc Chriſtianis propinquiore vi- » ctoria ſeſe præbente. Cadebant hinc at- » que inde quàm plurimi, plures ex Turcis, » quorum corpora parum tecta facilè ſagittæ » enſéſque penetrabant.

» Poſtremò, cùm novus in hora hoſtis in- » cederet, & ſauciorum loca integri occupa- » rent, non tam virtute, quàm numero ſu- » perati Hungari, paulatim referre pedem cœ- » pêre. Tum Vladislaus cum globo ſuorum, » quos erga ſe non minùs fortes, quàm fidos » habuit ex Polonia, ut hoſtes ex acie victo- » res diverteret, Chriſtianíſque animum red- » deret, in cumulum, quem teneri ab Amu- » rate diximus, circumjectóſque undique cur- » rus impetum fecit. Ibi nova pugna com- » miſſa, novus injectus Amurati pavor trepi- » datum totis caſtris, nec jam conſiſtendî » animus aderat. Quod ſi Huniadi par ani- » mus ac Regi fuiſſet, & arridenti fortunæ » dediſſet manus, haud dubium, quin ea dies » & Amurati vitam, & poſteris ejus imperium » Græciæ abſtuliſſet.

» Verùm ipſe, ùt primùm cedere Chriſtia- » na ſigna conſpexit, cum militibus Hunga- » ris ac Valachis ex acie ſe ſubtraxit, atque » inſalutato Rege nutante adhuc victoria fu- » gam arripuit. Fortaſſe rei militaris perito » nulla in pugna ſalus viſa, & ſalvare aliquos » quàm perire omnes maluit. Poloni acce- » ptam eo prælio cladem, Huniadis væcordiæ » atque ignaviæ tribuerunt, ipſe ſua conſilia » ſpreta conqueſtus eſt. Vladislaus ſuæ for- » ti dimiſſus, dum fortiter circa munimenta » hoſtium pugnat, equo dejectus, & obtrun- » catus eſt. Caput ejus haſtâ infixum per » Græciam atque Aſiam in ſignum victoriæ » populis oſtentatum. Poloni ad ùnum cæſi » omnes, direpta caſtra, & quæ munitiones » curruum tuebantur: necati Epiſcopi, & Pro- » ceres Hungariæ, qui aderant, eadem cala- » mitate oppreſſi.

» Julianus Cardinalis, dum fugit amiſsô » prœliô, cùm jam hoſtes evaſiſſet, Hungari- » cam perfidiam evadere non potuit. Potum » equo dantem apud ſtagnum fortè repertum » latrunculi quidam novêre, & arbitrati pe- » cuniam apud eum eſſe, dejectum equo ne- » caverunt, & ablatis veſtimentis nudum ca- » daver feris ac volucribus dimisêre. Hic exi- » tus viri fuit magni certè & admirabilis, in » quo neſcias doctrina major an eloquentia » fuerit. Grata hominis præſentia, blandi » mores, vita in omni ætate nitida, Religio- » nis zelus, qui omnia pro Chriſto, & mor- » tem ipſam ferre ſuaſerit. Huniadem (ùt » antè diximus) fugientem Deſpotus Serviæ » cœpit. † Poloni Regem ſuum jam pera- » ctô bellô pluribus annis vivere crediderunt, » captum, non interfectum arbitrati. Cardi- » nali Venetiarum ejus culpa cladis magna in » parte imputata eſt, qui neque fretum (ut)

„ par fuerat) custodivit, neque transvectos „ hostes Christianis Ducibus (quod secundum fuerat ejus officium) nunciavit.

„ De numero cæsorum minimè constat: „ illud exploratum est, longè plures ex Turcarum acie cecidisse; ceterùm pro numero „ copiarum longè majus damnum Christianis „ illatum. Victor Amurates neque fugientes hostes insecutus est, neque gloriabundus inter suos magnifica verba jactavit, neque, ut antè assueverat, hilarem vultum „ ostendit. Interrogatus quidnam tristior „ esset, & cur non victis hostibus exultaret: „ Nollem (inquit) hoc modo sæpiùs vincere, „ jubénsque vasa colligi, copias, quæ superfuerant, domum remisit. Ipse Adrianopolim reversus, Deo suo, quæ pro victoria fecerat, vota persolvit. Exin volvens animô, regni curas veræ felicitatis expertes esse, inconstantiam quoque fortunæ veritus, „ quæ nulli perpetuò bona est, accersitis provinciarum majoribus, Mahumetem ex liberis suis natu majorem pro se Regem constituit. Ipse privatam deligens vitam in Asiam „ profectus, cum paucis otii sui comitibus, religioni cuidam solitariæ sese addixit. Calibassa inter Satrapas Turcarum opibus & „ Authoritate major Mahumeti, qui nondum „ per ætatem aptus esset Imperio, gubernator datus. Reliqui Regis Filii, nè quas regno turbas excitarent, more gentis necati „ sunt. Feliciùs apud Turcas privatis, quàm „ Regibus liberi nascuntur. „

Dubravius Histor. Bohem. lib. 28.

Annales Antiqui Ungariæ sub Vladislao & Huniade.

Fuggerus in speculo, & alii.

† Nauclerus recitans Æneam Sylvium ità subjicit „ Scriptor verò Hungaricus refert, „ quòd occisô Vladislaô Hungari castris relictis in fugam sunt versi: aderat nox, „ quam nonnulli rerum adhuc ad plenum non „ certi ducebant anxii; luce verò facta Turci „ de fuga hostis dubii compositis agminibus „ castra Hungarica visa sibi deserta invadunt, „ cunctis in eis repertis aut captis aut occisis, „ ubi & Julianus Cardinalis multíque alii Religiosi viri ultima solvisse debita feruntur. „ De captivitate verò Huniadis ità inquit: „ Waivoda Joannes dum redeundo in partes pervenit Transalpinas, incidit in hostem „ non provisum. Nam Dracoles deducendi „ hospitis causâ à Waivoda petitus, in eum „ violentas manus injecit, atque incarceravit. „ Tandem cùm Dracoles Huniadem capere sibi non licuisse reminisceretur, post dies paucos multis eum muneribus, ùt ipse sperabat, placatum traduxit in regnum; qui Joannes Huniades scilicet, paulò pòst in „ gubernatorem regni electus, annô 1445. „ copias suas duxit contra Dracolem, transcensísque Alpibus se ingessit in illius dominium, universóque agrô perdomitô eundem cepit, simúlque cum filio decollari fecit. Non desunt, qui dicant Dracolem „ propter thesaurum grandem oppressum, & „ sic à Despota Huniades id temporis captus „ non fuit; sed posteà, ùt dicetur. „

M. Johannes de Thwrocz à nobis sæpe citatus, parte 3. Chronicæ Hungarorum in recentiore editione Francofurtensi sub Anno 1600. cap. 43. & 44.

[3.] De Roó ubi suprà. „ Post Vladislaum à Turcis cæsum, Corvinus domum „ reversus, omni ope adnitebatur, ut convulsum Reipub. statum restitueret. Cúmque „ hinc à Turca, illinc ab Imperatore Friderico „ metueret, statuit illi priùs obviam ire. Itaque legionibus novo milite expletis &c. „ *ut in textu nostro.* „ Cujus Authoritati innitatur hic clarissimus Scriptor, nobis incompertum est. Ut ut sit, hoc anno, & brevì post stragem ad Varnam Christianis inflictam, hoc non videtur contigisse; Sylvius enim Scriptor coævus, locô suprà citatô cap. 6. sic habet: „ Effluxit deinde non parvum tempus, in quo „ nec Hungari Turcas, nec Turcæ Hungaros „ armis lacessere præsumpserunt. Sua quemque calamitas domi attonitum tenuit, cruentissima Varnensis pugna vires utriusque partis eliserat. „

[4. & 5.] Ex litterarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXLV. Monasterii CCCVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Eugenius IV.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes II.

OCcisô Vladislaô Ungarorum Rege comitiorum Regalium dies advenerat, quæ primores regni ad campum Racos (id loco nomen) ipsis feriis Penteco-

tecostes indixerant, & omnium suffragiis in Regem Ungariæ denuò eligitur & confirmatur Ladislaus Alberti filius Posthumus. Qui quòd esset puer (nam annum agebat quintum) placuit Pro-Regem creari, qui interim summæ rei præesset cum Imperio, donec Rex ad ætatem regno maturam pervenisset. Is factus est Joannes Corvinus Huniades Princeps Transilvaniæ. Mox de communi consilio ad Fridericum Cæsarem Legati mittuntur, qui electionis ordinem exponentes Regem simul & Coronam Regiam repeterent, neque regnum absque Rege esse diutiùs posse, & sacram coronam alibi quàm in regno asservari nefas esse dicerent. Fridericus audita legatione respondet: Regem puerum esse, tuteláque adhuc indigere, sibíque illum à matre non sine gravibus causis commendatum esse. Habere jam eos Pro-Regem, Virum prudentiâ ac fide insignem, eum interea sequerentur, donec Rex ad ætatem rebus maturam adolescat. Hæc ubi Legati ad suos retulêre, illicò Pro-Regi bellum contra Fridericum decernitur. Corvinus itaque contracto duodecim millium exercitu in Austriæ fines hyberno tempore irrumpit, agrum Sempronianum ac Neapolitanum depopulatur, ad Viennæ montes usque ad Hamburgum prædas agit, quæ ferri aut agi nequeunt, flammis corrumpit. Cæsar à militibus imparatus Neapoli se continuit. Pro-Rex igitur Neapoli frustrà tentata, cùm & hyems instaret, neque à Cæsare quicquam extorqueri posset, prædâ gravis domum rediit. * [1.]

Eodem hoc anno Albertus Friderici frater cum trecentis equis Tigurum ingressus, bellum in Helvetios urgebat. Inter quos & Tigurinos multa prælia & velitationes & castrorum oppidorúmque obsidiones tam terrâ quàm lacu hoc anno committebantur. Sequenti anno Hugo Montfortius Joannitarum (ùt vocant) Magister apud utrosque obtinuit, ut factis induciis de pace concilianda ageretur. Interposuit suam quoque authoritatem Ludovicus Elector Palatinus, qui vocatis ad se Constantiam partium Legatis judices dedit: Austriæ Principibus ac Helvetiis Ulmensem Senatum; Tigurinis ac Suitensibus Forotiberiensem vulgò Kayserstulensem; quorum arbitrio controversia omnis tolleretur. Ita post longam disceptationem pax tandem facta est. [2.]

Porro hoc anno circa Monasterium nostrum occurrit, quòd causa litis cum Heinrico Fewchter in Curia Romana ventilata, ad finem tandem perducta fuerit. [3.] Arbitri verò, arbitratores & amicabiles compositores fuerunt sequentes: Joannes Abbas Scotorum in Wienna B. Virginis Joannes de Meyrs Licentiatus in Decretis, Aulæ Ducalis Austriæ Cancellarius Martinus Decretorum Doctor, Monasterii S Joannis Evangelistæ Canonicorum Regularium in Walthausen Præpositus. Casparus Hornsperger Licentiatus in Decretis, Officialis Curiæ Episcopalis Pataviensis, & Joannes Poltzmacher Decretorum Doctor. Hi omnes inter Henricum Fewchter ex una, & inter Abbatem & Conventum Monasterii in Zwetl ex altera parte concordiam & pacem pronuntiârunt. [4.] Confirmatio verò Pontificis super hac compositione amicabili data est Romæ apud S.Petrum, annô Eugenii Papæ IV. quintodecimô, Annô verò Christi MCCCCXLV. Nonis Augusti. Eodem hoc anno, mense & die Eugenius Papa IV. per Bullam suam Abbati Monasterii S. Lamberti in Altenburg, Patav. Diœces. committit, quatenus Monasterio Zwetlensi Parochias in Cistersdorf & Schweickers denuò in perpetuum uniat, incorporet, & annectat, licèt antè per Martinum Papam V. eidem essent dictæ Parochiæ incorporatæ, ait tamen se in primordiis sui Pontificatûs omnes uniones & incorporationes Ecclesiasticas nondum ad effectum suum deductas certis ex causis revocâsse & annihilâsse. In Henrici autem

tem Fewchter de Ecclesia sua cessionem voluntariam, & ad compositionem promovendam pro dicta incorporatione in Abbatis & ipsius quoque Henrici præfati supplicationem instantem Papa libenter consensit, dictámque commissionem D. Abbati in Altenburg præfato imposuit, ut nimirum Ecclesias prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem dicto Monasterio in Zwetl incorporet, uniat & annectat; & cedentibus de Parochia Cistersdorf Henrico Fewchter, & alio Rectore de Parochia in Schweickers, liceat Abbati & Conventui in Zwetl, qui tunc erit, per se vel per alium seu alios corporalem Ecclesiarum, juriúmque & pertinentiarum prædictorum possessionem authoritate propria liberè apprehendere, ac fructus, reditus, & proventus in suos, nec non illarum Ecclesiarum, & ipsius Monasterii usus & utilitatem convertere & perpetuò retinere, Diœcesani loci & cujuslibet alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ: liceat etiam Abbati & Conventui quamlibet Ecclesiarum earundem per aliquem sæcularem Presbyterum portione illi congrua vivendi relicta, aut dicti Monasterii Monachos ad nutum Abbatis & Conventûs prædictorum communiter ponendos & amovendos regi facere, ac gubernari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Annô Domini 1445. Nonis Augusti, Pontificatûs verò annô quintodecimô. [5.] His à F. Georgio Joannis de Amberga Monasterii Zwetlensis Professo, Syndico & Procuratore dictæ Domûs suæ professæ, Bullis Pontificiis Româ allatis circa Septembrem mensem, finitis vindemiis mense Octobri executioni Abbas & Conventus mandari curaverunt. Conradus igitur Abbas Monasterii S. Lamberti in Altenburg Ordinis S. Benedicti, Pataviensis Diœcesis Judex & Commissarius causarum præfatarum à Papa specialiter deputatus fatetur se recepisse à FF. Joanne Walpeck Cellerario, & à Georgio Joannis de Amberga Professis Monasterii in Zwetl Bullam Eugenii Papæ IV. integram coram Notario Publico, per quam in instrumento publico insertam publicè citavit ad commissionem suam exequendam Dominos Henricum Fewchter & Joannem Resch, illum Cistersdorfensis, hunc Schweickercensis Ecclesiarum Rectores. Datum & actum in Monasterio Altenburg, Annô Domini 1445. septimâ Octobris, annô verò Pontificatûs Eugenii Papæ IV. quintodecimô, præsentibus D. Joanne Priore de Gerungs, Conrado Pachanders, Ulrico Uschalt, Presbytero & Clericis Patav. & Ratisponens. Diœces. [6.] [7.]

Porro reperi obligationem quandam inter litteras antiquitatis, qua se civitas in Cistersdorf obligat Magistro Henrico Fewchter Juris Canonici Licentiato in Cistersdorf tunc Plebano ad solvendum ipsi septuaginta novem talenta cum quatuor solidis denariorum, quæ ad Capellam S. Wenceslai extra dictam civitatem sitam spectârant, quæ civibus dictus Fewchter mutuò dederat. Datum Cistersdorffii, annô Domini 1445. in festo S. Joannis Baptistæ. [8.] Has obligationis litteras Henricus à civibus postulavit; cùm jam se Parochiam resignaturum sciret, sicut illam mense Octobri etiam resignavit.

Ceterùm cùm Monasterium nostrum Zwetlense litem incurrisset cum vicinis quibusdam Dominis ratione campi & agrorũ inter Ruedmans & Friederspach sitorum, Fridericus Romanorum Rex, Archi-Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Comes Tirolis &c. ad imponendum liti finem citavit Abbatem in Zwetl, quatenus unà cum adversariis suis Joanne & Jacobo fratribus cognomine Hawser Neapolim accedat responsurus & acturus super discordia agrorum suprà dictorum. Datum Neapoli Austriæ, Annô Domini 1445. Sabbatô post Tiburtii festum. [9.]

Mense Octobri Parochiâ in Cistersdorf Monasterio Zwetlensi resignatâ,

&

& incorporatione ad effectum suum perducta, Joannes Abbas in Zwetl memor laborum & itineris longi frequentati F. Erhardi Smidel Monasterii sui Professi eum promovere studuit, atq; in Parochiali Ecclesia in Schweikers jure incorporationis instituit suum Vicarium annô Domini 1445. ultimâ Novembris. [10.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 5. Histor. Austriac. exscriptus.

Annales Ungarorum antiqui.

Thwrocz 3. p. c. 44. „ Post hanc tandem belli tempestatem; póstque Regis Vladislai lugubrem interitum, ne quis in regno in alterius offensam moveretur, per Dominos Prælatos & Barones regni interdictum est. Et nihilominus ut adveniente festo Pentecostes in campo Rakos conventio fieret omnium regnicolarum generalis, communi voto extitit statutum. Volvebatur 1445 Domini annus, & festum Pentecostes prædictum instabat; ipsáque conventione multorum adventu nobilium inundata; ac latas dicti campi Rakos per planities undique diffusa; omnes, qui aderant, voto unanimi de regni commoditate, déque eo, quem interim donec Rex Ladislaus filius Regis Alberti puellus suæ ætatis quintum agens annum mentem ad consilia, manúmque ad arma extendere valeret, ejusdem regni in protectorem eligerent, multa cum discretione tractabant. Pendebat totius communitatis ante oculos exactarum per ipsum Dominum Johannem Wayvodam clara memoria rerum, & ideo multis hanc dignitatem in se descendere sperantibus, hanc eandem solus ipse Dominus Wayvoda tulit. Electus est igitur omnium regni & Regis negotia tangentium rerum in gubernatorem. Quapropter cuncta Hungarici regni plebs tali fulta protectore magnam mox dissoluta in exultationem alta voce Deo laudes reddebat, campanarúmque & tubarum sonus vicinum per aërem ferebatur; peractámque tantæ electionis post gloriam solis his, qui se hoc honore dignos esse credebant, eodem frustratis corde tristi, vultu tamen simulata sub imagine læto incedentibus; quisque regnicolarum gaudens, propria reversus est ad habitacula.

Cap. 45. „ Inter hæc Domini Hungariæ pertriste ferebant, quòd sacrum diadema, quo Reges Hungariæ coronari solent, puerulúmque Regem, qui jure naturæ illis dominari debebat, Rex Romanorum Fredericus detinebat. Timebant enim, nè puer aliena enutritus in terra à moribus & labio Hungarorum alter fieret. Conventum est igitur, ut repeteretur, aut iretur in ultionem. Et dum Rex Romanorum petitis non flectitur, ingentibus damnis pulsatur. Nam Dominus Gubernator secundò sui officii annô pluribus armatorum agminibus compositis, omnem Carinthiæ & Carneolæ agrum & magnam partem Stiriæ crudeli cum severitate pervagatus est; res in prædam, homines in captivitatem, civitatésque ac oppida & villas ardentes in flammas redigendo. Cùm tandem ipsum Romanorum Regem suorum regnorum depopulatione moveri vidit minimè, multarum rerum & captivorum congerie onustus felix rediit. „

Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 58. „ In conventu deinde (*post prælium ad Varnam*) civitatum Procerúmque Ladislaus Rex appellatus: missa legatio ad Fredericum Cæsarem, in qua regni primores fuêre, decretum electionis exposuit, Ladislaum in Hungariam mitti coronandum postulavit. Responsum est: Rectè Hungaros egisse, qui Regem tandem suum recognoverint: electione tamen haudquaquam opus fuisse in eo, quem natura Regem dedisset, neque coronandum esse, qui semel coronatus sit. Puerum adhuc egere tutore: nullius tutelam salubriorem esse, quàm Frederici Imperatoris, & proximi consanguinei: expectarent ætatem regnô idoneam, intereà per se regnum administrarent. Diu inter Hungaros & Imperatorem ob negatum Regem inimicitiæ fuêre, & armis quoque tentata res est. Joannes Huniades infestis copiis Austriam ingressus, quamvis ferro atque igne agros vastaverit, Regem tamen, coronámque, & quæ repetebat in Hungaria castella obtinere non potuit. „

Dubravius Histor. Bohemic. lib. 28.

[2.] Gerardus de Roó, ubi suprà.

[3. & 4.] Ex instrumento super compositione amicabili confirmationis Papalis.

[5.] Ex Bulla Eugenii IV.

[6.] Ex instrumento citationis.

[7.] Ex instrumento citationis suæ.

[8.] Ex litterarum monumentis.

[9.] Ex Decreto Cæsaris.

[10.] Ex litterarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXLVI. Monasterii CCCVIII.

Pont. Rom. Eugenius IV. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis Leonardus. *Abbas Zwetlensis* Joannes II.

OCcurrit hoc anno præclaræ indolis Regiæ exemplum, dum Ladislaus Rex Ungariæ & Bohemiæ & Archi-Dux Austriæ liberalitatem virtutem Regiam uni suorum puer adhuc exhibuit. Erat inter nobiles Bohemorum Legatos, qui frequenter Regem suum puerum visitare solebant, Joannes à Brandesio cognomentô Giscra, homo bellicosus, & qui per ea tempora contra Vladislai factionem in Ungaria fortiter se gesserat. Is Regis manum exosculatus narrare exorsus, quantis se periculis pro caro ipsius capite objecisset: „ Tu verò, *inquit*, „ mi Rex, quo animo hæc excipis? qua „ tandem remuneratione operam tibi „ fideliter navatam compensabis? „ Puer ad hæc tacitus (sextum enim tunc agebat annum) circumspicere cœpit, ac Cæsaris dispensatori sacculum, ex quo stipem dare solitus erat, clam, aut forsan ipso dissimulante eripit, depromptos inde sex nummos Giscræ in volam ingerit. Ille crumenæ insutos palam omnibus ostentabat Regiæ liberalitatis argumentum. * [1.]

Per eosdem dies ex arbitrio Alberti Brandenburgici sublata est, quæ de Sigismundi Tirolensis hæreditate paterna inter Fridericum Cæsarem ejúsque fratrem Albertum, & Tirolenses intercesserat disceptatio, & Sigismundus tutelâ exemptus provinciæ suæ gubernacula suscepit, inducta omnium injuriarum & incommodorum oblivione & veniâ subditis promissâ, ac utriusque Principis firmata fide. [2.]

Porrò Joannes Abbas in Zwetl commendat Susannæ Abbatissæ ad S. Bernardum F. Joannem Conventualem suum in Confessorem. Monet etiam Priorissam & Subpriorissam, quatenus regulares observantias hactenus ob Bohemicos tumultus & irruptiones omissas recipiant, séque tanquam seniores junioribus suis sororibus Virginibus ad piè sobriè, justè & castè vivendum exempla demonstrent. Datum in Monasterio Zwetl, annô Domini 1446. in Octava Epiphaniæ. [3.]

Ceterùm Monasterium Zwetlense multis incommodis tunc laborabat, nam præter æs alienum, quo plurimùm astringebatur, affligebant illud annuæ pensiones inevitabiles. His accessêre quotidianæ prædonum Austriæ & nobilium quorundam grassatorum emunctiones pecuniarum, licet Austria ab Archi-Duce suo, Cæsare nimirum Friderico nonnunquam ab his fæcibus hominum purgaretur, prædæ tamen & spolia ipsos in scelus retrahebant. Horum exactiones diligenter linguâ vernaculâ annotavit F. Joannes Walpeckh Cellerarius Monasterii, qui Indici suo talem præfigit titulum: „ Notandum, quid ego „ locò Domini mei quasi gratìs, & po- „ tenter coactus per annos novem qui- „ bus Cellerarius fueram, expenderim, „ unde Monasterio nostro notabilia „ damna emersêre &c. „ [4.]

Fuit tunc temporis in Monasterio Zwetlensi allodiorum Magister nomine Wolfgangus Schachinger, cujus Sabbatô post diem S. Valentini hoc anno fit mentio, forsan sæcularis, dum ab antiquo Religiosi professi fuissent, qui suscептô officiô juramentum fidelitatis præstare tenebantur, utì in antiquis codicibus passim illud annotatur. [5.]

ADDI-

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó locô ſæpe citatô exſcriptus.
Æneas Sylvius ſuprà ad ann. 1442. ſub n. 2. relatus.
Dubravius lib. 28.

[2.] Gerardus de Roó ubi ſuprà.
[3.] Ex literarum monumentis.
[4.] Ex Regiſtro ipſius PMS.
[5.] Ex literarum monumentis.

Annus Chriſti MCCCCXLVII. Monaſterii CCCIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Leonardus.	Joannes III.

EUgenius Papa IV. Religioſorum amator egregius, & Vir ingenio & rebus geſtis inſignis hoc anno Salutis vitæ ſuæ ſexageſimô quartô, & Pontificatûs ſui decimô ſextô Romæ in Palatio Apoſtolico Vaticano ſeptimô Calendas Martii rebus humanis exceſſit, ſepultus in Baſilica S. Petri Vaticana ſepulchrô marmoreô. Poſt quem eligitur Thomas Lucanus Sarzanus ſeptemdecim Cardinalium votis in Pontificem Romanum pridie Nonas Martias Annô MCCCCXLVII. coronationíſque ſuæ inſignia ſuſcipiens Nonis Martii, vocatus eſt Nicolaus ejus nominis V. *[1.] Hunc Pontificem B. Malachias ita prædixit: De modicitate Lunæ. Erat enim Lunenſis de Sarzana humilibus parentibus natus.

Præterea Joannes Abbas Zwetlenſis vendidit M. Joanni de Meyres Plebano in Gars 15. tal. denar. minùs ſedecim cum quadraginta metretis tritici menſuræ Pölanicæ, ſita in Veteri & Novo Pölan, atque in aliis circùm villis ibidem, certa tamen cum conditione, ad venditionem rurſus novam eodem pretio offerendam. Teſtis adducitur nobilis Vir D. Stephanus Kolb. Datum Viennæ annô Domini 1447. in feſto Nativitatis B. Mariæ. [2.]

Fuit item hoc anno diſceptatio continuata inter Monaſterium ex una, & inter Dominos dictos Hawſer ratione campi & agrorum inter Ruedmans & Friderſpach ſitorum. Joannes enim de Egra, præ ſenio & morbo continuo gravi deficiente Joanne Raſtenveldenſi Abbate in Zwetl, Adminiſtrator Monaſterii conſtitutus, vel potiùs in temporalibus adjutor, quondam Prior, litem & cauſam eam urgebat, ut ad finem tandem deduceretur, unde tantum effecit, ut ex teſtimonio Matthæi Wurmecker Præfecti arcis in Liechtenvels ob antiquam poſſeſſionem Monaſterio cauſa aſcriberetur. Annô 1447. Dominicâ ante diem S. Auguſtini circa ſextum Calendas Septembris. [3]

Oritur hìc rurſum dubium, ſiquidem invenitur Joannes II. de Raſtenveld oriundus hoc anno 4. Cal. Decembris obiîſſe, & tamen jam Joannes de Egra Bohemus Abbas legitur, nam Joannes quidam de Stuffenſtain chyrographô ſuô fatetur ſe cum D. Joanne de Egra Abbate in Zwetl gratiam iniîſſe. Adducit hujus compoſitionis amicabilis teſtes Nobilem D. Wolfgangum Rorbeckh, D. Georgium Plebanum in Ciſtersdorf, & Lambertum Schilicher. Datum in Ciſtersdorf, annô Domini 1447. feriâ quartâ ante feſtum Eraſmi, nimirum circa Calendas Junias. [4.] Igitur Joannes Raſtenveldenſis vel reſignavit penitus, vel certè Joannem de Egra quondam ſuum Priorem in Coadjutorem temporalium curarum aſſumpſit, in omnibus enim Monaſterii hujus Abbatum catalogis Abbas mortuus repe-

 ritur,

ritur, quod etiam mortilogia tam Monachorum quàm Abbatum confirmant. [5.] Litteris ergo undique revolutis, quicquid antiquitatem sapiebat, percurri diligentiùs, ex quibus tandem, præsertim ex antiquis Mortilogiis, tres istos sibi invicem succedentes Abbates reperi, Joannem I. de Longo-Lojo, succedentem Michaëli II. deinde Joannem II. de Rastenveld, ac tandem istum Joannem III. de Egra Bohemum, qui antea Prior Monasterii extitit, deinde Coadjutor Abbatis in temporalibus, ac tandem Abbas ipse electus & confirmatus.

Demum Joanni III. Abbati constituto prima erat cura & studium, ut incorporationes obtentæ conservarentur imposterum integræ, ne denuo alia lis super his oriretur, quæ Monasterio importabilis foret. Igitur audita Eugenii Papæ IV. morte, & electo Nicolao V. Papa, quem Fridericus Cæsar quoque approbârat, posthabito Felice V. Antipapa à Concilio Basileensi creato, venit opportunè Viennam electi Papæ novi Legatus, D. Joannes S. R. E. Diaconus Cardinalis tit. S. Angeli specialiter deputatus, [6.] quem Abbas Joannes adiens, & destructionem Monasterii sui Zwetlensis per Hussitas factam enarrans, unde Monasterium apud Eugenium IV. incorporationes antiquas in litem & jus vocatas denuo sibi conferri supplicare coactum fuit, humiliter ab eo petiit, ut nomine Papæ & Authoritate Apostolica, qua tunc gaudebat, præfatas incorporationes, uniones & annexiones Parochiarum duarum Monasterio nostro perpetuò factas nimirum in Cistersdorf & Schweikers sitas confirmaret, quod protinus impetravit. Unde idem Apostolicus Nuntius iisdem in sua confirmatione utitur clausulis (mutanda mutandis) quibus Eugenius Papa IV. in sua Bulla utebatur. „ Datum Wiennæ Patav. Diœces. in domibus nostræ „ solitæ residentiæ, nonô Decembris, „ Annô Domini 1447. Pontificatûs autem Nicolai Papæ V. primô. „ [7.]

Idem Abbas Joannes porro vendidit villam in Hafnerpach & Stain juxta Hohenegk sitam ad dies vitæ patris, filii, & filiæ, nimirum D. Joanni Neudecker D. Wolfgangi Neudecker filio de Obrechtsperg pro ducentis libris denariorum. Datum annô Domini 1447. [8.] dies mensis hic non ponitur, quia tamen hic Abbas plura vendidisse reperitur; illi, & non antecessori suo imputari potest.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Eugenio IV.

Item in Nicolao V. „ Nicolaus V. Thomas Lucanus Sarzanus anteà vocatus à Sarzana oppido Lucensis agri - - - Pontifex Maximus omnium consensu à septemdecim Cardinalibus creatus pridie Nonas Martias ann. 1447. inter optimos sanctissimósque Pontifices numerandus censetur. „

Gerardus de Roó locô sæpe citatô.

Naucletus Generat. 49. „ Annô 1446. ùt ferè omnes, sed ùt ex supputatione Successoris sui colligitur, annô septimô moritur Eugenius Papa, Pontificatûs sui annô XVI. Calend. Martii, Vir ingenio & gestis rebus insignis, & in B. Petri Basilica sepelitur sepulchrô marmoreô. Vacat Sedes dies 12. ùt refert Platina. Annô nostri Salvatoris 1447. pridie Nonas Martias in Rom. Pontificem creatus est Thomas Sarsanus, humili loco & familia natus matre Andreola, patre Bartholomæo Physico, Nicolaus V. vocatus, sedit annis 8. Vir certè tanto Principatu dignissimus; adeo tamen modestus, ut tanto se Magistratu indignum arbitratus, rogaverit Cardinales omnes, supplex etiam, ut Ecclesiæ Dei maturiùs consulerent. Verùm Tarentino Cardinale eum adhortante, ne cursum Sancti Spiritus impediret, collum tanto oneri subjecit. Interrogatus, ùt fit, Cardinalis Portugalensis è conclavi prodiens, quem Pontificem creâssent, respondit: Non nos Nicolaum, sed Deus Pontificem designavit &c. „

Spondanus ad præced. annum n. 8. „ Missi ad finem anni ex conventu Francofordiensi Legati Romam ad Eugenium Papam, honorificè tanquam Angeli pacis suscepti sunt; tertiáque die in Consistorio Secreto auditi, nomine omnium Æneas à Friderico Cæsare directus orationem habuit de rebus, propter

„ pter quas venissent; cujus partem Cochlæus recitat. Ad cujus finem dixit, afferre „ pacem Germaniæ Principes, sed pacem „ etiam expetere: cupere enim aliqua, quæ „ nisi obtinerent, nec curari vulnera possent, „ nec pax nationis haberi. Quatuor autem „ principalia esse: primum, ut Generale Concilium in tempore locóque designando convocaretur: alterum, ut professio potestatis, „ auctoritatis & præeminentiæ Generalium „ Conciliorum per Oratores Eugenii facta „ ipsius literis approbaretur: Tertium, ut Nationi Germanicæ super gravaminibus opportunè provideretur: Quartum, ut quæ „ in præjudicium Principum Electorum Archi-Episcoporum Coloniensis & Treverensis acta „ essent, ex ipsius Eugenii clementia revocarentur, ipsique in pristinum statum redigerentur. In prima petitione communem versari utilitatem, in secunda Eugenii humilitatem, in tertia æquitatem, in quarta benignitatem atque humanitatem.

N. 2. „ Ait verò Gobellinus, seu potiùs „ Æneas, ipsemet sua haud aspernari solitus, „ ipsius orationem cùm à Papa tum à Cardinalibus mirum in modum laudatam esse: „ Eugenium verò eadem ipsa die correptum „ ægritudine in lectum se dedisse, Cardinalibúsque rem tractandam commisisse. Cùm „ autem omnia, quæ petita fuissent, Eugenius „ approbâsset, atque literas super his decrevisset; ad ejus cubiculum omnes Legatos „ intromissos, jacenti Pontifici obedientiam „ præstitisse: illum confestim Bullas Apostolicas in manus Æneæ dedisse: nec moram, „ rursus in Consistorio publico præsidentibus „ Cardinalibus, publicatis Cæsaris & aliorum „ Principum mandatis, repetitas esse cæremonias. Inde tota urbe ob publicam lætitiam „ ignes factos, & campanas, tubásque sinè „ modo sonuisse. Sequenti die justitium indictum, Superísque rogationes decretas: „ Cardinales ceterósque Prælatos cum populo „ in ordine procedentes, Silvestri coronam „ (sive Mitram, quam non ita pridem Avenione delatam magnâ veneratione Eugenium è Vaticano ad Lateranum detulisse cum „ Letania Sacerdotum omnium Populíque „ Romani, Platina refert; eámque à Petro „ Cardinale Fuxensi Legato Avenionensi restitutam esse, legimus in ejus vita) Joannis Baptistæ caput, præcipuásque Sanctorum Reliquias, ex Templo S. Marci Lateranum detulisse, ibíque sacrificatum, atque „ de Friderici Eugeniique laudibus habitum „ esse sermonem. Ita Æneas: quæ breviùs „ referens Antoninus ait se iis interfuisse, tunc „ Archi-Episcopum Florentinum ex Ordine „ Prædicatorum.

N. 3. „ Extat Bulla Eugenii, cujus Æneas „ meminit, data septimò Idus Februarii anni „ sequentis; quâ (ùt ait Cochlæus, & ex ejus „ lectione apparet) pacis gratiâ multa Germanis circa beneficia Ecclesiastica, jurisdictionem Principatuum vel diœcesum, eorúmque subditorum ac vassallorum, annatas „ & servitia &c. dispensativè indulsit, admisit, approbavit & confirmavit; quæ tempore „ schismatis facta circa & contra Sedis Apostolicæ auctoritatem per se invalida erant. „ Insupérque omnes illos, qui Congregationi „ Basileensi post Concilii ibi incepti dissolutionem adhæserant, tam qui jam ad obedientiam redierant, quàm qui intra sex menses reversuri essent, ab omnibus censuris & „ pœnis absolvit, & in pristinas dignitates, „ officia & beneficia plenissimè restituit, de „ consilio (ùt ait) & assensu S. R. E. Cardinalium. Fuitque hoc concordiæ diploma „ ultimum Eugenii opus publicum: in quo „ assimilari possit cygno, quem sub finem vitæ „ dulcissimè canere ferunt. Obiit enim decimò sextò pòst die; nempe vigesimâ tertiâ Februarii, sepultus in Basilica S. Petri „ sepulchrô marmoreô: sed pòst translatus „ ad Monasterium S. Salvatoris in Lauro Congregationis Canonicorum Secularium, cujus ipse Professor fuerat. Vixit annos sexaginta quatuor (ùt plures volunt, cùm quidam sexaginta sex tribuant) sedit sexdecim „ minùs octo diebus. „

[2. & 3.] Ex literarum monumentis.
[4.] Ex Autographo ipsius.
[5.] Mortilogium antiquum.
[6.] Gerardus de Roo Histor. Austriæ lib. 5. ad annum sequentem in textu nostro referendus.

Spondanus ubi suprà n 6. „ Post Nicolai electionem, indicto per Fridericum apud „ Asciasburgium oppidum Diœcesis Moguntinensis conventu Principum imperii tam Ecclesiasticorum quàm Secularium ad festum „ B. Margaritæ 20. Julii; approbata in eo est „ obedientia primùm Eugenio, deinde ipsi „ Nicolao ab Oratoribus Romam missis exhibita: abrogatáque penitus neutralitas, & „ omnis cum Felice ac Basileensibus communicatio. Eáque de re edictum Fridericus „ promulgavit secundâ feriâ ante festum Bartholomæi Apostoli (nempe 21. Augusti) „ quod recitat Cochlæus, quo mandavit Nicolaum pro vero & indubitato Papa, Vicario Christi, & vero Successore S. Petri sinè „ dolo & fraude ab omnibus recognosci & „ firmi-

„ firmiter teneri, atque ipsius mandatis ple-
„ nariè obedire: aliáque cuncta vel nomine
„ Felicis, qui Papatum usurpaverat, vel com-
„ munitatis Basileæ emanantia spernere, &
„ penitus rejicere. Unde factum est, ut brevì
„ exaruerit Schismaticorum Basileæ ægrè jam
„ à multo tempore spiritum ducentium eva-
„ nida auctoritas, ipséque Felix de abdica-
„ tione seriò cogitare cœperit; eóque maxi-
„ mè, quòd à Carolo Francorum Rege con-
„ tinuis hortationibus sollicitaretur pacem
„ dare Ecclesiæ. „

Idem ad sequentem ann. n. 1. „ Annô
„ Christi 1448. Indictione undecima cùm Ni-
„ colaus Papa V. post suam electionem Lega-
„ tum misisset in Germaniam Joannem Car-
„ vajalem tit. S. Angeli Diaconum Cardina-
„ lem natione Hispanum ad componendam
„ provinciam longa neutralitate dissipatam
„ &c. „

[7.] Ex confirmatione Nuntii Apostolici in Originali.

[8.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXLVIII. Monasterii CCCX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes III.

FRidericus Cæsar Pontificis creationem ratam habens crebris mandatis Basileenses urget, utì Concilii Patribus commeatum, quem litteris caverant, renuntient, parere detrectantes inobedientiæ accusat. Illi missis Legatis se purgant. Cum verò Cæsar nihil remitteret, solvitur tandem Concilium, manente nihilominus Schismate. Qui verò Basileæ erant, novam Concilio sedem eligunt Losannam in Sabaudia Ducatu Pontificis sui. *[1.]

Notatur Stewra seu census quidam à Rege Romanorum provincialibus Austriæ impositus hoc anno ad dotem numerandam. [2.] Hìc nullas scio nuptias contractas neque à Friderico, neque à Ladislao: sed judico illam pecuniam à fratre fuisse Alberto Prodigo Sueviæ Principi pro dono promissam, ut dotis nomine sponsam ille suam ex pecunia donare posset, duxit enim eo tempore Albertus Austriacus præfatus in uxorem Mechtildem Ludovici Palatini filiam, Ludovici Wirtembergici viduam, fœminam divitem & pecuniosam, quod percommodè matrimonium ei cessit, jam enim pecuniam omnem à Cæsare assignatam in sumptus bellicos aliósque usus expenderat. [3.]

Circa Monasterium nostrum porro notantur hoc anno sequentia: „ Anno Domini 1448. 18. die mensis Aprilis Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus noster, D. Joannes Carvial, Diaconus Cardinalis S. Angeli, sanctissimi Domini nostri, Domini Nicolai divinâ providentiâ Papæ V. per Germaniæ partes à latere Legatus fuit in nostro Monasterio Zwetlensi, & vidit destructionem ejusdem cum magna amaritudine & cordis compassione. Qui cùm in Capitulo à D. Joanne de Egra ejusdem loci Abbate susceptus fuisset, omnes Fratres in Capitulo existentes ab omnibus eorum peccatis absolvit, insuper magnas indulgentias nobis contulit. „ [4.] Hæc in citato loco. Causa tamen hujus itineris reticetur, utrum vocatus tantùm huc accesserit, aut per transitum ùt hospes duntaxat hìc diverterit. Fuit aliàs in Monasterium nostrum bene affectus, unde ad petitionem & instantiam Abbatis, qui eidem quoque Sacellum S. Thomæ Cantuariensis in Daxgraben situm ostenderat, indulgentias devotè visitantibus ad illud contulit.

Præterea Leonardus Pataviensis Episcopus Parochiæ in Cistersdorf Monasterio nostro perpetuò incorporatæ Capellam

pellam

pellam S. Wenceslai extra oppidum sitam ad instantiam D. Joannis tunc temporis in Zwetl Abbatis incorporat, unit, & annectit ea de causa, quia domus Parochialis extra oppidum sita ab hostibus concremata fuit, nec Vicariis ibidem cum Capellanis suis habitandi locus superarat, præfata verò Capella fundum in oppido ipso intra mœnia possidebat, super quo domus Parochialis construi congruè posset, sic Episcopus præfatus Capellam dictam eo nomine Parochiæ incorporavit. Datum Wiennæ annô Domini 1448. 24. Januarii. [5.]

Fit hoc anno mentio litis inter Joannem Abbatem in Zwetl ex una, & inter Georgium de Puechaim ex altera, quæ constituto Alberto de Potendorf à Georgio, & ab Abbate quoque aliis in arbitros lectis componi cœpta est, quid tamen effecerint, nondum constat. Datum in Horn civitate annô Domini 1448. feriâ secundâ post Judica. Præfatus item Georgius de Puechaim Architriclinus Austriæ fatetur in aliis suis litteris se discordem fuisse cum Joanne Abbate in Zwetl, verùm litis origine deprehensa concordâsse usque ad Nativitatem Domini, quo tempore utraque pars per suos advocatos ad audiendum in Consilio comparere decernitur. Adducit in hujus rei testimonium Albertum de Eberstorf cum sigillo suo. Datum annô Domini 1448. feriâ tertiâ post festum S. Matthæi. [6.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 5. exscriptus. Spondanus ad hunc ann. n. 8. „ Hoc anno (ùt Monstreletus narrat, & ex eo alii) „ missi Legati à Carolo VII. Francorum Rege, „ nec non à Ludovico Delphino ejusdem primogenito, & à Renato Siciliæ Rege ad Nicolaum Papam, tum ad obedientiam ei ùt „ vero Pontifici præstandam, tum ad exponenda, quæ cum Felice Sabaudo tractata „ fuissent anno superiori pro unione Ecclesiæ. - - - - - - Laborante in his præ ceteris magnâ diligentiâ, immensis sumptibus „ & summâ curâ Carolo Francorum, ac cooperante egregiè Friderico Romanorum Rege, „ instantéque adeò Ludovico Sabaudiæ Duce, „ Felicis primogenito, ut cùm Bolomerius „ quidam Felicis gratiâ potens abdicationem „ ei dissuadere conaretur, Ludovicus eum „ multorum criminum reum ingenti lapide ad „ collum suspenso in lacum Lemanum præcipitem egerit: cùm interea residui illi Basileensium Patrum, qui Concilium jactabant, „ sive, ùt Wanderburchius habet, tunc metu „ dilapsi, cùm venit in eas oras Delphinus; „ seu potiùs, ùt Gobellinus, pulsi à civibus „ Basileensibus jussu Friderici Cæsaris Lausannam se transtulissent. „

[2.] Ex literarum monumentis.

[3.] Gerardus de Roó. „ Circa ea tempora Albertus Austriacus uxorem duxit „ Mechtildem Ludovici Palatini filiam, Ludovici Wirtembergici viduam, fœminam divitem & pecuniosam &c. „ *ùt in texta nostro.*

[4.] Chronicon MS.

[5.] Ex Autographo ipsius.

[6.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXLIX. Monasterii CCCXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes III.

FRidericus Cæsar, instante Nicolao V. Pontifice legitimo, Felicem V. Antipapam compulit, ut se Pontificatu abdicaret, quod cerneret, tantam seditionem & tam diuturnam Ecclesiæ Romanæ perniciosam esse; usus tamen hac benignitate erga Amadeum Nicolaus est: homini námque galerum Cardinalatûs misit, eundémque Episcopum Cardinalem Sabinum, Collegii Cardinalium Decanum, ac perpetuum Germaniæ Legatum fecit, ne sine di-

gnitate viveret, & cum honore se posset sustentare. Venerunt autem & in arbitrium Pontificis Cardinales illi, quos Amadeus creaverat: tres enim illorum in numerum Cardinalium legitimorum sunt recepti. Hæc contigêre Annô MCCCCXLIX. die 23. Aprilis, & sic hoc schisma finitum fuit. Obiît Amadeus non longè pôst Lausannis beatè, ibíque in Cathedrali sepultus est. * [1.]

Circa hæc tempora multi per Austriam prædones agros viásque publicas infestabant, quorum nonnulla latibula Udalricus Eitzingerus à popularibus adjutus, reliqua Joannes Buechaimius & Christophorus Liechtenstainius destruxerunt. Erant verò inter prædones, qui loca munitiora occupârant, quàm ut à tumultuario milite expugnari possent. Igitur ex provincialibus justus conscribitur exercitus, cui Cæsar cum imperio præfecit Udalricum Ciliensem, eíque septingentos equites ex suis misit. Is quod reliquum erat prædonum in Austria sustulit, multi ferrô cæsi, qui vivi in manus venerunt, suspensi sunt. [2.]

Ex duabus apochis apparet, Joannem III. Abbatem adhuc vixisse. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó ad annum præcedentem in textu nostro relatus ita prosequitur: „ Qui verò Basileæ fuerant, novam „ Concilii Sedem eligunt Losanam, ubi an- „ nô demum nonô & quadragesimô adniten- „ tibus Cæsare, Galliæ, Angliæque Regibus, „ alíisque Principibus, Felix Pontificatu sese „ abdicans, in Cardinalium ordinem reda- „ ctus est. Nicolaus verò à Synodo confir- „ matus, & sublatis dissidiis pax & concor- „ dia inter Ecclesiasticos constabilita est, „

Ciaconius in Felice Antipapâ. Item in Nicolaô V. ex quo textus noster paucis mutatis & omissis exscriptus est: ubi addit: „ Hac „ verò concordia lætatus est non modò Cle- „ rus omnis, verùm etiam populus Romanus „ adeo, ut in sequenti nocte ejus diei, quo hæc „ audita sunt. 1449. die 23. Aprilis, cum facul is „ per urbem in equis incederent, clamantes: „ Vivat Nicolaus! Tum verò ingens gaudium, „ lætitiámq; percepit, schismate penitus extin- „ cto, quod imposterum nullum fuit, atque uti- „ nam ne sit! tantus est enim morbus, ut eo „ semel infectæ mortalium mentes ad sanita- „ tem non facilè redeant. Ne ergo ingratus „ erga Deum Pontifex tanti beneficii videre- „ tur, supplicationes admodum celebres cum „ Clero & populo in Vaticano habuit. Idem „ fecêre & reliqui Italiæ populi tam perniciosâ „ seditione liberatam Ecclesiam Dei cernen- „ tes, bravium velociùs currenti 50. aureo- „ rum propositum. Tanta præterea fuit Pon- „ tificis auctoritas, & gratia, ut animos Prin- „ cipum ad bellum jam concitatos aliquamdiu „ represserit. „

Spondanus ad hunc ann. n. 3. „ Ubi verò „ hæc concordia audita est (inquit Platina) „ adeo lætatus est non modò Clerus omnis, „ verùm etiam Populus Romanus, ut in se- „ quenti nocte ejus diei cum facul is per ur- „ bem in equis incederent, clamantes: Vivat „ Nicolaus! - - - - Denique decantatus „ tunc ubique versiculus ille fuit, quem mihi „ referunt:

„ Fulsit lux mundo, cessit Felix Nicolaò.

„ Súntque nonnulli, qui admirandum non „ immeritò moneant; quòd Vir humillimæ „ originis Nicolaus sic prævaluerit contra Du- „ cem Sabaudiæ, qui vel consanguinitate „ vel affinitate cunctis fermè Christianis Prin- „ cipibus conjunctus esset, à quibus nihil- „ ominus omnibus desertus fuerit. At mi- „ rari desinent, qui consideraverint, non hæc „ carnis & sanguinis esse; sed Dei opus cu- „ rantis sua, & infirma atque abjecta mundi „ eligentis, ut fortia quæque & illicitè elata „ conterat ac confundat. Omnis enim plan- „ tatio, quam Pater Cœlestis non plantave- „ rit, eradicabitur, inquit Dominus. Deni- „ que quò potentior apud homines Felix vi- „ deri poterat, eò gratior Deo quæsivit esse, „ perpetuô & eximiô veræ humilitatis exem- „ plô. Quod & Deus adeo acceptum habuit, „ ut ejus solo fortè meritô concesserit, nun- „ quam hactenus ab eo tempore ullum suc- „ crescere in Ecclesiâ Romanâ Christi Sponsâ „ schisma, quibus anteà frequentissimè con- „ cutiebatur. „

[2.] Gerardus de Roó Histor. Austriæ lib. 5. exscriptus.

[3.] Ex Autographis eorum.

Annus

Annus Christi MCCCCL. Monasterii CCCXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leonardus.	Joannes III.

ATtigerat jam Annus Jubilæi MCCCCL. cùm subitò tanta multitudo Romam venit, quanta nunquam antea, unde Nicolaus Pontifex omni studio & diligentia annixus, ut cuncta abundarent, nihilque populo undiquè confluenti ad victum deesset. Prædictô annô Jubilæi, Sabbatô 19. Decembris post ostensum Vultum Sanctum, Pontifex solemnem benedictionem populo in platea S. Petri largitus est. * [1.]

Circa hoc tempus Ungari novos iterum Legatos, novos ad Fridericum Cæsarem nuntios itentidem mittunt, Regem & coronam reddi postulant. Austriaci quoque de Principe tutelæ eximendo suísque tradendo mussitabant. Bohemi verò minaciùs etiam urgebant, qui cùm audivissent Fridericum Romam ad coronationem iter parare, Legatos ad eum ex suis mittunt Udalricum Rosenbergicum, Zdenconem Sternbergicum, & alios quosdam proceres, qui Regem sibi dari exposcunt, aliter se alium sibi regem creare cogi, cujus rei gratiâ jam indicta esse comitia. Cæsar Legatos abs se Pragæ ad comitia præstò futuros dicit, per quos ad ipsorum postulata sit responsurus. Austriacis verò ac Ungaris idem quod antea responsum dedit. Postquam verò comitiorum dies advenisset, proceres regni Pragâ ob infectum aërem relictâ, Benescaviam (*Beneschau*) frequentes convenêre. Adfuerunt & Cæsaris Legati, ex quibus Æneas Silvius coram Consilio, cui præsidebat Podiebradius, verba fecit, & oratione admodum leni usus cum favore Bohemorum peroravit. Unde Bohemi utcunque deliniti Cæsaris consilio acquiescere sese dixêre. Cæsar pacatis Bohemis, quorum motus maximè timuerat, iter in Italiam parat, ut coronam & approbationem Imperii à summo Pontifice susciperet, quod hactenus propter dissensiones Ecclesiasticas fieri non potuerat. Sciebat prætereà Eleonoram Eduardi Lusitaniæ Regis filiam sibi desponsam in itinere esse, quam Romam secum ad coronationem ducere ac matrimonium illic perficere cogitabat. Ex Ungaria verò quietiora omnia nuntiabantur. Soli ex Austriacis nonnulli, cùm Ladislaum iter comitaturum audivissent, aliquid moliri videbantur. Sed quòd multi ex proceribus se cum ipso ituros recepissent, ceteros parùm curabat. [2.]

Hoc porro anno in feriis Divi Hippolyti ædificari cæpit altera turris apud Divum Stephanum Viennæ, ubi primum lapidem posuit Clerus: secundum Fridericus III. Rex Romanorum. [3.] Stat hæc turris è regione alterius, majori facta artificio à ministro Magistri alterius perfectæ turris, nondum tamen deducta ad finem.

Venio ad Monasterium nostrum Zwetlense, cujus Ecclesiæ Parochiali in Cistersdorf denuo eidem incorporatæ præerat Vicarius F. Georgius Joannis de Amberga, Professus Monachus Zwetlensis. Hic à Nicolao Papa V. obtinuit, ut præfatæ suæ Ecclesiæ, propter quam ille multos in Curia Romana labores sustulit, libertates omnes & immunitates à prædecessoribus ejus Romanis Pontificibus sive per privilegia, sive per alias indulgentias sibi ac Ecclesiæ suæ prædictæ indultas confirmaret; specialiter autem decimas, terras, possessiones, domos, vineas, prata, pascua, nemora, omniáque alia mobilia & immobilia bona, nec non libertates

& exemptiones rationabiliter eidem & Ecclesiæ ipsius prædictæ concessas, salva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Datum Romæ apud S. Petrum, pridie Calendas Februarii Annô Domini 1450. Pontificatûs verò Nicolai Papæ V. quartô. [4.]

Fuerunt hoc anno in Romana Curia F. Georgius modò dictus & F. Erhardus, Rectores Ecclesiarum Parochialium in Cistersdorf & Schweickers, qui pro bono Monasterii apud Pontificem Summum multa sollicitabant & impetrabant. Inter cetera obtinuerunt, ut Nicolaus Papa V. Abbati in Altenburg commiserit, quatenus Parochiali Ecclesiæ in Cistersdorf Capellam S.Wenceslai extra mœnia oppidi Cistersdorf sitam cum fundo in eodem oppido situato, supra quem domus vel dos pro eodem Rectore construi posset, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis per Pataviensem Episcopum Leonardum jam incorporatam Authoritate Apostolica confirmaret. Datum Romæ apud S. Petrum, Nonis Maji, Annô Domini 1450. Pontificatûs verò Nicolai Papæ V.quartô. [5.] Sciendum domum præfatam Parochialem extra mœnia Cistersdorfii sitam à prædonibus fuisse unà cum Ecclesia combustam.
„ Nam, *uti Gerardus loquitur*, erat
„ Pancratius quidam Polonus, qui Ga-
„ litziô in Ungariæ finibus oppidô oc-
„ cupatô, multis incommodis vicinos
„ diu affecerat, nec ullis pactionibus,
„ ut ab injuriis supersederet, adduci
„ potuerat.In hunc profectus Udalricus
„ (*Ciliensis Comes*) oppidum validis
„ tormentis quatit. Moram obsidio-
„ ni fecit pulveris defectus, quo sub-
„ vecto rebus suis diffidens Pancratius
„ Proregis Corvini fidei ac tutelæ se
„ committit, qui datis ad Ciliensem
„ litteris, quibus promittit, nihil im-
„ posterum damni Austriacis ex eo
„ loco illatum iri, oppidum ipse præ-
„ sidiô munit. „ [6.] Hæc Gerardus. Unde constat ab his prædonibus Cistersdorfium quoque eorúmque vicinos vexatos fuisse.

Iidem præfati Fratres Zwetlenses Romæ constituti impetrârunt etiam ab eodem Nicolao V. Bullas quatuor, quibus Monasterium inZwetl in protectionem S. Petri suscipit, atque ejusdem locum, personas, bona confirmat & roborat authoritate Apostolica. Datæ sunt omnes Romæ apud S. Petrum, 15. Cal. Julij, Annô Domini 1450. Pontificatûs ejusdem annô quartô. [7.]

Idem quoque Pontifex præfatorum Fratrum supplicatione nomine Abbatis sui facta motus, de liberalitate Sedis Apostolicæ D. Joanni Abbati Zwetlensi omnibúsque ejus successoribus Privilegium Annô MCCCCXXXVIII. datum ampliavit,ut in quavis solemnitate publica Ecclesiastica uti possint infulâ, ornamento Episcopali,atque etiam omnia ornamenta Ecclesiastica unà cum calicibus consecrare possent. Datum Romæ apud S. Petrum,Cal.Decembris, Annô Domini 1450. Pontificatûs sui annô quartô. Atque hoc jam sub Eugenio IV. Joannes Rastenfeldensis Abbas in Zwetl per Joannem Resch tunc Monasterii in Romana Curia Syndicum impetravit. [8.]

Vendidit Joannes Abbas in Zwetl villam in Hollenbach infra limites Parochiæ Puech sitam, quotannis 24. talentorum denar. reditus de laneis cultis & incultis servientem,Haidenrico Dapifero de Grueb Capitaneo Castelli Waidhofen ad Teyiam siti, ejúsque hæredibus, qui pro eisdem bonis, redemptione perpetua Monasterio Zwetlensi, terminô infra Natalem Domini & carnisprivium positô, quocunque placuerit anno 400 talent. denar. solvit. Datum Annô Domini 1450. in festo S. Georgii. [9.]

Item Casparo Felebrunner ad redimendum præfato sub termino idem Abbas propter creditorum importunam instantiam bona tam intra quàm extra civitatem Egenburgensem & in Warpperg sita vendidit certis sub conditio-

nibus

nibus, quarum erat etiam, ut si rursum vendenda forent, Monasterio ipsorum venditio uno mense priùs intimaretur, atque pro 80. libris denar. redderetur. Datum Annô Domini 1450. in die S. Udalrici. [10.]

Obtulit demum hoc Anno Monasterio in Zwetl in remedium animæ suæ Petrus Habman vineam unam in Liubs sitam, Hewndl dictam, tradens eam cum omni jure suo in manus Joannis Abbatis ibidem. Datum in Dominica Judica, Annô Domini 1450. [11.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Nicolao Papa V. Chronicon Magnum Belgicum sub eodem. Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô „ Christi 1450. Indictione decima tertia ipsis „ Calendis Januarii (seu potiùs de more præ„ cedente Natali Domini) celebrari cœpit „ Jubileus Romæ, anno superiori, ùt vidimus, „ promulgatus, cum indulgentia plenaria visi„ tantibus Ecclesias urbis Sanctorum Petri & „ Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ „ Majoris, diebus designatis olim à Clemente „ VI. in reductione Jubilei ad annum quin„ quagesimum; quam Nicolaus ratam habuit, „ & confirmavit. Ad quam indulgentiam „ consequendam ait Antoninus, qui vidit, „ convenisse ex omni natione, quæ sub cœlo „ est, fidelium plurimos mares & fœminas. „ Platina, tantam subitò multitudinem Ro„ mam venisse, quantam nunquam antea: „ cavisséque diligentissimè Pontificem, ne „ commeatus, & omnia ad victum necessaria „ in urbe deessent; ac curâsse execrationibus „ & satellitibus, ne grassatores in peregrinos „ in urbem accedentes sævirent.

„ Ex multitudine verò illud funesti acci„ disse uterque idem auctor narrat, confir„ mátque Æneas Sylvius ejusdem & ipse tem„ poris Scriptor, aliíque pòst multi; ut, cùm „ semel ab Ecclesia S. Petri in Vaticano visa „ Salvatoris Imagine Veronica dicta in urbem „ redirent, in ponte Sancti Angeli occurren„ tes aliis turbis innumeris, quæ ad eandem „ Ecclesiam itabant; occasione cujusdam mu„ læ facta hominum compressione; cùm ne„ que venientes, neque redeuntes ob inse„ quentem multitudinem cedere possent, ad „ ducentos & ampliùs homines, (quadrin„ gentos Antoninus habet) aut conculcati „ aut in Tyberim lapsi periêrint: quorum cor„ pora collecta & sepulta fuêre: eámque ob „ rem Nicolaus casulas quasdam, quæ viam „ angustiorem ad pontem faciebant, omnino „ sustulit. Plurimos item alios propter labo„ rem longi itineris, & incommoda, atque „ etiam ob pestem per Italiam grassantem defe„ cisse, Antoninus & alii tradunt. Rursúm„ que Platina, Pontificem totum ferè annum „ illum in celebritatibus consumpsisse, Sta„ tiones quotidie invisentem cum cœtu Car„ dinalium. Qui etiam ob immensam homi„ num multitudinem, sæpe habuit tempus „ quindecim dierum extraneis ad visitatio„ nem Ecclesiarum constitutum breviare. „

[2.] Gerardus de Roó ubi suprà. Æneas Sylvius Historic. Bohemic. c. 58. „ Diu inter Hungaros & Imperatorem ob ne„ gatum Regem inimicitiæ fuêre, & armis quo„ que tentata res est. Joannes Huniades in„ festis copiis Austriam ingressus, quamvis „ ferro atque igne agros vastaverit &c. - - - - „ Ad Bohemos, qui ea de re conventum Pra„ gæ habituri erant, ac ferociùs agere vide„ bantur, Regem alium electuri, nisi mos eis „ gereretur, Legatos mittere placuit, quibus „ & nos additi sumus. Provinciales, quibus „ apud Pragam dies statuta fuerat, grassante „ illic peste, in Beneschavia convenêre, quos „ in frequenti conventu, præsidente Geor„ gio Poggiebracio, in hunc modum allo„ quuti sumus: Petivistis ex Cæsare, Viri Bo„ hemi, Ladislaum Regis quondam vestri „ filium ad vos mitti: idem Hungari, idem „ Australes importunis precibus exigunt. Si „ vobis mos geritur, illos offendere necesse „ est: si preces aliorum audiantur, conte„ mnere vestras oportet. Si necessarium sit „ alterum ex duobus, vestram amicitiam præ„ feret Imperator. Vetus enim Majorum suo„ rum cum Bohemica gente fœdus, & acce„ ptorum ultro citróque beneficiorum me„ moria recens. Sin virtus claritásque pen„ sitanda est, quis Bohemico nomini non „ invideat, cujus victorias tempestate nostra „ plures numerare licet, quàm reliquæ gen„ tes omnibus seculis comparare potuerint? „ Verùm Cæsari hoc tempore in hanc ele„ ctionem descendere haudquaquam necessa„ rium videtur, quando ea pueri ætas est, „ quæ neque vobis, neque Hungaris usui esse „ potest. Esto, veniat in Bohemiam Ladis„ laus, quod inde regno emolumentum ce„ det? illéne jus litigantibus dicet? statum „ Reipublicæ reformabit? adversùs hostes co„ pias ducet? belli, pacísve munia obibit?

„ Nihil horum præstare potest, cui rectè tutelâ opus est. Illud inprimis ejus adventus faciet, Regis pompa ducenda est, ornanda regia, adhibendi ministri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecunia opus. Vobis nullum ærarium esse audio, nullos census, nulla vectigalia publica. Ad vestras igitur opes recurrendum, vos præstare sumptus, vos Regem alere, vos inexplebilem curiam & insatiabiles ministros explere oportebit. Video præterea inter vos non paucos esse Proceres, consilio, authoritate, atque opibus bene pares. Cura Regis uni committenda erit, non omnibus: ille Dominus, ille Rex vester judicabitur, qui Regis corpus in potestate habebit. Et quis vestrûm est, qui non eum honorem sibi quàm alteri malit? Semina inter vos discordiarum petitis, nisi priùs in unum conveneritis, qui Regis curæ præsit. Vos his incommodis Fredericus liberat, qui suo sumptu pupillum regni gubernans, dissensionum vobis fomitem aufert. Nec vos latet, quandoquidem tenera Regis ætas est, corpus ejus in potestate Cæsaris rectiùs esse quàm in alterius cujuspiam. Ille enim consanguineus est, ex eadem familia natus, & Imperator. Et quis pupillo Regi convenientior tutor detur, quàm Princeps Principum? Si sit inter vos & Hungaros contentio coram extraneo judice, de custodia corporis Regis, par causa vestra atque illorum judicabitur. Utrique Regem petitis, utrique fidelitatis documenta præstatis. Verùm in hoc illi Superiores erunt, quia natum apud se Regem coronatúmque dicent. Apud Cæsarem vestra causa longè justior est, quàm Hungarorum: seipsum tamen in cura patruelis vobis præfert. Curate regnum, pupillum sibi dimittite, quem, postquam pubes fuerit, vobis inprimis credet. Quòd verò Oratores vestri dixêre, alium Regem accersendum à vobis esse, id magis terroris incutiendi causâ dictum Imperator existimat, quàm quòd animo vestro ea sententia sedeat. Neque enim vestra fides incorrupta priùs, hoc repromittit, neque progenitorum Ladislaì in vos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens ejus ætas quicquam demeruit. Ceterùm volvite animô priùs, ùt sapientes decet, quemnam Ladislao præferre possitis? cujus sanguinem, si matris originem memoriâ tenetis, quatuor Romanorum Imperatores produxêre. Si paternam prosapiam exquiritis, quinquies Imperatoria dignitas in Australi domo resedit. Obscuritatem quærat necesse est, cui tanta claritas non satisfacit. Addite potentiam, amicitias, clientelas, Austriam vobis vicinam possidet: Moravia, Slesia illi parent; Hungari, & si res novas moliri videantur, ab officio tamen non recedent. Imperator, à quo regnum vestrum dependet, sanguini suo non deerit, nec jus familiæ suæ negliget. Boioariæ, Saxoniæque Duces, Marchiones quoque Brandenburgenses, & omnes fermè Germaniæ Principes, Ladislaum propinqua necessitudine attingunt. Non potest hic pupillus offendi, nisi & tota Germania lædatur. Hæc superfluè vobis commemorari non ambigo: verùm ita jussit Imperator. Ille in Italiam pupillum secum adducet: reductum, puberémque factum, si perstiteritis in fide, ad vos primùm mittet. Vos interea pro gravitate integritatéque vestra, quod in rem Bohemici regni, pupillíque sit, consulere admonet. Verisimilis oratio visa, neque sine favore excepta est: acceptiorémque Procopius noster collega reddidit, qui patrio sermone latinæ linguæ ignaris verba nostra interpretatus est. Jussi sumus ex conventu paululum abire, mox revocatis responsum datum. Redditæ Imperatori gratiæ, qui eam legationem misisset, atque in dimittendo Rege, Bohemos præferret ceteris. Accipere se bene consulta consilia, missuros ex nobilitate sua primarios juvenes, qui Cæsarem Italiam petentem sequantur, eíque ministrent. Expectaturos quietè reditum, quem felicem faustúmque Superûm benignitate futurum exoptent. „

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 28.

Annales Austriæ Superioris Strunonis hoc anno.

[3.] Ederus in Catalogo Rectorum Viennensis Archi-Gymnasii hoc anno.

[4.] Ex Bulla Nicolai Papæ V. inter nobis ab eodem datas n. 1.

[5.] Bulla Nicolai V. secunda.

[6.] Gerardus de Roó Histor. Austriacæ lib. 5.

[7.] Bullæ Nicolai V. quatuor nimirum, tertia, quarta, quinta, sexta.

[8.] Bulla Nicolai Papa V. nona.

[9. 10. 11.] Ex litterarum monumentis.

Annus

Annus Christi MCCCCLI. Monasterii CCCXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Georgius.

CUm annus hujus sæculi quinquagesimus primus ageretur, Fridericus Cæsar jam certus eundi, litteras ac nuntios ad Ordines Imperii misit, quibus, quo tempore Italiam ingressurus sit, significat, atque uti omnes, qui eum de more comitaturi sint, ad diem dictam conveniant, jubet. Interim ipse Austriæ gubernationem Proceribus quibusdam committit, inter quos erant Udalricus Schawnburgicus Senior, Georgius Puechaymius, Rudigerus Stubenbergicus, Sigismundus Eberstorffius, & Conradus Eitzingerus, *[1.] Sylvius vocat eum Udalricum Itzingerum. Verùm alios administratores Sylvius dictus numerat, qui tunc aderat: nimirum, Comites de Monte-Pulchro patrem & filium, vulgò de Schawnberg, Georgium de Puechaimb, Rodingerum de Stahrenberg, Sigismundum de Villa-Aprorum, hodie de Eberstorf, & alios plerosque Barones. [2.] Mox Cæsar cum Ladislao pupillo præcipiti jam autumno Græciam Stiriæ profectus ibi quoque res omnes constituit. Villacum denique pergit, ubi ei præter alios Albertus frater præstò fuit cum pulcherrimo equitatu. Cæsar eo cum parte copiarum præmisso, ipse cum Ladislao & reliquo comitatu Villacô discedens, postridie Calendas Januarii ad Italiæ fines pervenit. [3.] Iter reliquum anno sequenti Romam usque consummatum fuit. Unde hallucinantur ii, qui non modò iter, sed quoque coronationem hoc anno factam referunt, ùt sunt Ciaconius, in Nicolao Papa V., & Cuspinianus, in vitis Cæsarum; Nam ùt Æneas Sylvius, in Austria sua, comes ipse hujus itineris insinuat, non tantùm Alphonsus Arragonius Neapoleos Rex, sed quoque ipse Pontifex Summus itineris tempus Cæsari petenti præscripserunt hyemem, æstate Germanis sanguine abundantibus in solo Italico mortifera longô exemplô probata. Deinde testatur etiam id Chronicon Procerum Austriæ Ungenadiorum, quod Eleonoræ Reginæ de Portugalia patria exitum per mare narrat factum 25. Octob. Anni MCCCCLI. navigavit verò ad littus Latinum usque ad Purificationem anni sequentis, septimanis quatuordecim. [4.] Æneas quoque confirmat non hoc anno coronationem ac nuptias factas esse, sed sequenti; cùm ait Fridericum unà cum Ladislao ingressum Italiam Calendis Januarii annô post Jubilæum primô nimirum completô. [5.]

Interea Austriaci conspirant contra Cæsarem ob Ladislaum non sibi redditum incentore Ulrico Itzingero, qui primùm sub Alberto II. Cæsare omnium Cameræ redituum receptor solus, distributórque fuerat. Id officii vulgariùs Magistratus Hubarum appellatur. Hinc ditatus ingentes opes cum Baronatûs titulo sibi comparavit, aliàs homo industrius & laboris patiens fortunæ ludibrium maximè sensit. Hic absente & de itinere Italiæ sollicito Friderico meditatur, quomodo eidem Austriam extorquere, & Ladislao naturali suo Domino resignare valeat. Conventum itaque Procerum molitur, quibus omnibus convenire placet. Nè tamen conventiculum illicitum monopoliúmque videretur, Barones de Liechtenstain in Austria Moraviáque potentes, dum fortè de finibus cum Itzingero litigabant, quæ res conventioni colorem præbuit. Rogati igitur sunt ex

more vicini quique Nobiliores ad litem definiendam in locum cui Mailberg nomen est cis Danubium inter Austriæ Moraviæque fines. Conveniunt igitur cum Itzingero ex ordine Baronum Joannes & Henricus de Liechtenstain fratres, ac Wilhelmus nepos, Cadoldus Vanger, Georgius Chünringius de familia nostrorum Fundatorum, & Nicolaus Druchsess. Ex militaribus Georgius Drachsner, Georgius Fritzensdorfer, Wolfgangus Ruckendorffer, & alii quàm plures natu nobiles, quos omnes Itzingerus eò deduxit oratione sua, ut omnes laudârint ejus in patriam sollicitudinem, & in Principis sui restitutione gratitudinem singularem. Ab his igitur Fridericus, dum adhuc Græcii & Villaci moram traheret, ob Ladislaum non redditum vexatus connivere potiùs statuit, quàm iter semel diffinitum relinquere, ideóque eos mera spe restituendi Ladislai in Imperium dimisit ratus eos sicut Bohemos & Ungaros interea quieturos. [6.] De Georgio Chünringio, qui huic conventiculo interfuisse ab Ænea scribitur, potiùs judico eum venisse cognationis & affinitatis gratiâ, quàm animô in Cæsarem Principem suum conspirandi, nam soror ejus Agnes Chünringia Joannem Liechtenstainium de Niclaspurgo in matrimonio habebat; insuper ipsorum Familia à Potendorfiis, qui Chünringios sanguine attigerant, olim descenderat. Ceterùm Georgius Chünringius filius erat Nitzonis de Seveld ex Agnete de Wertenberg, Mareschallus Austriæ, habuit fratres Achatium II., Joannem, Albertum, Bernardum, & Sororem præfatam Agnetem. [7.] Verùm non tantùm Æneas Georgii meminit, sed etiam Struno, unde citat litteras conventum indicentes Australium, quibus se subscripserunt: Datum in Wulderstorf, & signatum sub Sigillis Wilhelmi de Liechtenstain, Georgii de Chünring, Chadoldi de Wehing, Magistri de Mortperg, Nicolai Dapiferi, Sigismundi Fritzensdorfer, Wolfgangi de Ruckendorf, & Wolfgangi dicti Stathorner, feria 5. ante Elisabeth, Annô Domini 1451. [8.] Unde ex his litteris patet, ipsum unà cum Liechtenstainio subsignâsse decretum. Cùm igitur Fridericus Cæsar conspiratorum paucos esse audivisset, noluit in Ladislao reddendo ipsis morem gerere, sed iter suum prosequi definivit. Interea Viennam omnes conspiratores unà cum Itzingero, qui priùs plebem in suam partem traxerat, atque deinde quoque Senatum, venerunt cum triumpho & tripudio recepti, ubi in Domo Provinciali omnes provinciæ ordines, Prælati, Barones, sed pauci, (nam major pars Cæsarem in itinere comitabantur) Nobiles, & civitates congregantur, ibi Itzingerus adductâ per manum Elisabethâ Ladislai Regis sorore, quæ Viennæ in palatio relicta fuerat, ambonem ascendit Capistrano quondam ascendere consuetum, præsentésque alloquitur, ut Fridericum Cæsarem à tutela sumptis armis ejúsque Gubernatores abjiciant, quos in absentia sua constituit Austriæ præsides, misereantur pupilli Regis in quavis arce firmissima inclusi ac circumducti, præsentis item Principissæ jam nubilis in vestibus laceræ, ac ex victu parco macilentæ, atque datis litteris Ladislaus ultimô repetatur. Ejectis igitur Gubernatoribus Austriâ, duodecim viri deliguntur, hísque belli pacísque potestas permittitur. Capitaneus terræ Ulricus Ciliensis Comes assumitur: Nicolaus Druchsess Hubarum Magister dicitur, hujus est publicas pecunias exigere, atque in usum Reipubl. convertere. Magistratus ceteri pro necessitate constituuntur. Erant inter conspiratores nulli pertinaciores & in Fridericum animi acerbioris, ùt Cilienses Comites, hos sibi Fridericus, utì potentes, priùs conciliare studuit, sed frustrà. Harthungus de Cappel ad Ungaros in fide Cæsaris tenendos missus erat,

hic

hic quoque Legatos ad Cæsarem misit graves viros repetendi Regis sui, sed nihil obtinuerunt: quieverunt tamen inducias antè factas observare. Processum jam erat in itinere usque ad S. Vitum, quod oppidum est Carinthiorum caput, ibíque Cæsar Nativitatis Dominicæ festa peregit: ibi Reimpertus de Walsee cum Wolfgango fratre majore clam recedit, per litteras tamen suum recessum excusans. Deinde egit multa cum Ciliensium Legatis Cæsar, sed nihil profecit. Austriaci demum decernunt legationem ad Pontificem Nicolaum V. ad accusandum Cæsarem, qui fuerunt Thomas Haselbachius Theologus, Ulricus Zidrer Jurisconsultus, & Henricus Senstleben Scriptor Apostolicus. [9.]

Obiît hoc anno Leonardus à Layming Pataviensis Episcopus podagricus ipsa die Corporis Christi, Annô MCCCCLI. sepelitur Patavii apud S. Stephanum sub marmore, quod sibi primô gubernationis suæ annô eleganter & affabrè incidi ipse curavit. Huic successit Ulricus III. ex celebri familia à Nusdorf natus, Canonicus Pataviensis, & Frisingensis Ecclesiæ Præpositus, unanimibus suffragiis electus in ipso S. Margarethæ profesto, Annô Domini MCCCCLI. Habuit diu malè propitium Fridericum Imp. quòd is apud Canonicos pro Alberto Comite à Schawmberg Præposito Viennense egregio adolescente frustrà intercesserat: huc accessit, quòd nec Pontificiam confirmationem Romæ impetrare posset, nisì esset priùs Friderico Imperatori reconciliatus, cujus tandem favorem emeritus est per Æneam Sylvium Secretarium Imp. etsi satìs difficulter. [10.]

Porro de electione novi, & resignatione prioris Abbatis talia in antiquitate Monasterii reperiuntur annotata, quæ ità sonant: „ Annô Domini „ 1451. fuit festum S. Georii in Vigi„ lia Paschæ, id est octavo Kalendas „ Maij, & in eadem septimana quartâ „ feriâ ante festum prænominatum „ venerunt tres Rev. Viri, videlicet, „ Hermannus de Runa Abbas, & Ger„ hardus Abbas de Victoria, & Abbas „ de S. Trinitate Novæ civitatis ob „ causam visitandi & reformandi Mo„ nasterium Zwetl & etiam alia Mona„ steria Ordinis nostri, qui deposue„ runt Abbatem voluntariè cedentem, „ & in locum ejus substituerunt ex „ communi & majori electione & con„ sensu Fratrum Conventualium Fra„ trem unum nomine Georgium de „ Amberga. „ [11.] Hucusque antiquitas. Item litteræ eorundem Visitatorum desuper datæ. [12.]

Notatur etiam hujus anni tempestas taliter: „ Annô 1451. in festo S. „ Urbani Papæ, quod tunc temporis „ venit quartâ feriâ post Dominicam „ Cantate, & festum S. Georgii eodem „ anno in Vigilia Paschæ, & festum S. „ Joannis Waptistæ, Corporis Chri„ sti, in supradicto festo, ad cænam „ venit sub silentio tam maxima tem„ pestas, & tam grandis & horribilis „ grando, ita quòd eo tempore nul„ lus hominum retroactis temporibus „ cogitare potuit tam grandem pla„ gam, & fuerunt ferè lapides quasi ad „ quantitatem ovorum pullorum, & „ duravit quasi per mediam horam, & „ magnum damnum intulit colonis „ Monasterii in frumento. „ [13.]

Demum mense Octobri contigit F. Joannem de Capistrano, Ordinis Minorum Vicarium Generalem, nostrum transire Monasterium, in quod benignè susceptus & humaniter tractatus, Monasterium Zwetlense, Dominum scilicet Abbatem Georgium Joannis de Amberga & Conventum ejus, item Familiares, benefactores, & colonos fraternitati suæ incorporavit singulari gratia, ut præfati participes fierent omnium meritorum Ordinis sui universi. Datæ desuper litteræ in Monasterio Zwetl, feriâ tertiâ ante diem Coloman-

ni, Annô 1451. [14.] Quis verò Capistranus hic fuerit, graphicè depingit cum pluribus Dubravius Historic. Bohemic. cujus textum ex parte afferre placet: „ Optimam, *inquit*, ea tempestate famam in concionibus ad populum faciendis Johannes Capistranus, natione Italus, professione Franciscanus Minoris Ordinis obtinuit, summa homini dicendi facultas, incredibilis memoria, vitæ sanctitas rara, mirúmque studium in vitiis insectandis, & corrigendis erroribus. Hunc allegare Boiemis, qui cuncta apud illos exploraret, quíque concionibus suis devios in viam reduceret, Pontifici Romano summè placuit. Antea ille tamen in Moraviam divertit, mansítque Olomucii apud Sodales suos haud parvo tempore, docens populum tanta celebritate frequentem, ut illum vel capacissimum templum non caperet, sed necesse habuerit in foro sermocinari duobus semper assistentibus interpretibus, altero Boiemo, altero Germano, qui ea, quæ latinè diceret, vernaculâ linguâ pronuntiarent. - - - - Iter in Boiemiam tetendit, venítque Crumloviam, Procerum Rosensium oppidum, & inde mox abiît. Ceterùm à Regiis civitatibus Pelsina, Ponte, Cadana cupidissimè honorificentissiméque fuit exceptus, & pro Sancto ab omnibus viris probis habitus, quoniam sancta inculpatáque & diceret & faceret. „ [15.] Hæc Dubravius, unde in itinere Olomuciô Crumlovium pergens fortè tunc ad Monasterium nostrum circa hoc tempus tetendit; vel certè inde veniens & Viennam petens hìc transiît. Sed placet quoque de eo audire Æneam, qui fusiùs laudes ejus ornatissimô stylô prosequitur, cujus textum ex parte tantùm referre visum est: „ Per idem, *inquit*, tempus Joannes de Capistrano ex Apostolica jussione Teutoniam ingressus est, ac per Carinthiam & Stiriam venit in Austriam: Cui Sacerdotes & plebes cum Sanctorum Reliquiis obviârunt, eúmque velut Apostolicæ Sedis Legatum & DEI nuntium susceperunt. Et quasi vel Petrus vel Paulus aut alius Apostolorum illac iter faceret, omnes accolæ montium descendere, Joanni occurrere, vestimentorum ejus fimbrias avidè contingere, ægrotos & malè habentes ante pedes ejus afferre, è quibus plerosque sanitati redditos rumor fuit. Moratus est autem in Nova-Civitate diebus aliquot &c. Invitatus autem Joannes Viennam petit, tantus undique populi motus fit, tantus concursus, &c. Apud Minores deinde sui Ordinis - - - - Fratres exceptus est. Ibi cibaria sibi suísque comitibus publicitus ministrata sunt, &c. „ [16.] Describit deinde ipsius vitam apud Viennenses transactam, in qua, ait, sermonem ipsum ad populum latinè pronuntiâsse, interpretem verò, quæ dicta ab eo fuêre, quantum capax erat, exposuisse populo, tres aut ampliùs horas labi, priusquam fiat interpretatio, loco sublimi apud Carmelitas in foro, unde sermocinaretur, extructo, nam capi alibi multitudo non potuit. Tandem eum sic describit: „ Joannem pusillum corpore Viennæ vidimus, ætate senecta, annos, ùt ipse ajebat, quinque & sexaginta natum, siccum, aridum, exhaustum, sola cute nervísque & ossibus compactum, lætum tamen & in labore fortem, sine intermissione singulis diebus prædicantem, altas atque profundas materias absolventem, doctis ac rudibus satisfacientem, aures mentium demulcentem, ad fœdus quod voluit, impellentem. Ad cujus sermonem dietim viginti & triginta hominum millia conveniebant, majoríque ipsum attentione, quamvis non intelligerent, quàm interpretem audiebant. Inde in Moraviam profectus est, multos Hussitarum ab errore revocavit:

„ hunc

„ hunc & Cæſar cupidè audivit, multiſque ſermonibus ejus interfuit, ac „ veſtimentis eum ſatìs dotalibus donatum dimiſit. „ [17.] Hæc hinc inde Æneas de Capiſtrano. Sub quo etiam ſui Ordinis Monaſteria tria in Auſtria ſunt fundata, unum ad S. Hippolytum, alterum Loyſii, tertium Egenburgi, quorum fundatio infra Annum MCCCCLI. quo primùm venit in Auſtriam, & MCCCCLVI. quo obiît, facta fuiſſe ratio dictat.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó locô ſæpe laudatô paucis omiſſis exſcriptus.

Dubravius Hiſtor. Boiemic. lib. 28. & alii.

Cuſpinianus in Cæſarib. ſub Friderico III.

Æneas Sylvius in Auſtria ſua, nobis hodie in Hiſtoria rerum Friderici III. Imperatoris. „ Magnus eo tempore apud Auſtrales erat Ulricus Eizinger (*Compilator textûs noſtri ſecutus eſt primam editionem Authoris, quæ fortè per incuriam Scriptoris aut Typographi habet Itzinger*) „ qui parentibus quamvis ingenuis, tamen obſcuris, in Bavaria natus; cùm fortuna ſibi in patria non arrideret, pauper & modicus in Auſtriam venit. Sed homo induſtrius & laboris patiens in gratiam Alberti Ducis, qui Cæſar ante Fridericum fuit, cùm veniſſet, acceptus in conſilio Principis, res domi bellíque ducere cœpit; intérque rudes & deſides terræ Barones facilè crevit, adeóque auctus eſt, ut omnium Cameræ redituum receptor ſolus diſtributórque fieret. Auſtrales id officii Magiſtratum Hubarum appellant. Hinc ditatus ingentes opes congregavit. Ædes egregias, agros, villas, caſtra coëmit, pleraque in pignus accepit: Baronatûs quoq; titulos emeruit; Alberto, quæcunque dixit, Deorum oracula videbantur. Sunt qui ajunt, hominem futuræ vitæ incredulum, neque confeſſioni neque communioni operam dare, rem divinam ſpernere, quamvis timore populi Eccleſiam viſitet: Pitoniſſam quampiam ſequi, quæ ſibi ventura prædicet. Hujus ſeculi voluptates amare, præter famam nihil habere poſt obitum homines, reri. Verùm hæc mihi de fide hominis minùs explorata ſunt: quamvis ea nonnulli Proceres me præſente in Conſilio Cæſaris affirmaverint. „

[2.] Idem ibidem. „ Cæſar de tranſitu ſuo ſollicitus, civitates Auſtriæ munit: rebus modum ſtatuit; Rectores legit, qui ſe abſente Auſtriam gubernent, Comites de Monte-Pulchro, patrem & filium, Georgium de Puechaim, Rudigerum de Starnberg, Sigiſmundum de Villa Aprorum, & alios pleroſque Barones; ex civitate autem Viennenſi ſolum Burgimagiſtrum, Judicem, & paucos de Conſulatu acceſſit, hiſque ſuum iter, & quid velit eos facere, manifeſtat; ſed malè cum paucis tranſigitur, quod multorum eſt. Cives indignati, tanquam ſpernerentur, animum inde à Cæſare alienârunt. Eizingerus autem priùs ex Vienna tumida mente receſſerat; quòd ſe ludibriô habitum & affectum damnô videbat, moliturúmque aliquid, quo vir intelligeretur inter ſuos, ſeſe minabatur. Neque id Cæſarem latuit, qui animum ejus, ut molliorem redderet, eum cum fratribus inter gubernatores Auſtriæ ſuſcepit, miſitque ſibi nuncios, qui munus ei gubernationis ſuſcipiendum ſuaderent. Sed incaſſum tentatus eſt: quippe gubernationi, quæ ſine conſenſu terrigenarum decreta fuiſſet, nullo pacto ſe velle immiſcere reſpondit, atque vereri ſe non parùm, ne terrigenæ eam gubernationem impugnent, cùm Ladislaus ex voto cunctorum ad Viennam non mittatur. Quòd ſi miſſus fuiſſet, aut Romam cum Cæſare ſe profecturum; aut accepturum gubernandi laborem; eo verò negato, facturum, quod bono viro, aut patriæ ſervienti conveniat. Fridericus verò, qui ſibi jurejurando Viennenſes obnoxios, Auſtraléſque omnes obligatos fidelitate nôrat, haud arbitrari poterat rebellioni poſſe locum patere. Compoſitis itaque rebus, ùt ex uſu ratus eſt, ad Novam-Civitatem ſe contulit, atque itineri ad Italiam faciendo graviter intendit. „

[3.] De Roó ubi ſuprà ad litteram.

[4.] Megizerus Annal. Carinthiæ lib. 10. cap. 1. „ Als nun ſchon alle Dinge zu der Reiſe zugericht waren, da nam noch im lauffenden 1451. Jahr Chriſti den 25. Octob. an S. Criſpini und Criſpiniani Tage, die Königin Leonora von ihrer Frau Mutter, ihren Brüdern, Schweſtern und Freunden Urlaub, und begab ſich an demſelben Tag auf das Meer, ſaſs in ein Schiff, Carata genannt, ſchiffeten alſo auf dem Meer biß auf den Tag Unſer Frauen Liechtmeß abend, und kamen gen Piſa, in die Stadt. „

[5.] Sylvius ubi ſuprà. „ Cæſar, Albertô cum parte copiarum præmiſsô, Regem Ungariæ Ladislaum ſecum ducens, Kal. Januarii

„ nuarii Italiam intravit, annô post Jubilæum „ primô: atque apud Venzonum, quod est „ primum Italiæ oppidum murô cinctum, Legatos Venetorum, Viros Patricios, domi „ potentes obvios habuit: qui se, Regémque „ Ladislaum ingenti gaudio summáque reverentiâ exceperunt. „

[6.] Idem citatô locô.

[7.] Genealogia Chünringica.

[8.] Richardus Struno in Annalibus Austr. Superior. Annô 1451.

[9.] Sylvius ubi suprà.

[10.] Hundius in Episcopis Pataviensibus sub ambobus. „ Obiit &c.-- *ut in textu nostro.* „ Inscriptio marmoris est talis: annô Domini „ 1451. obiit Reverendus in Christo Pater & „ Dominus, D. Leonhardus de Layming natus, hujus Ecclesiæ Præsul bene meritus, & „ castri & Ecclesiæ munificus reparator, die „ S. Joannis Baptistæ.

„ Udalricus III. ex celebri familia à Nusdorf natus, Canonicus Pataviensis, & Frisingensis Ecclesiæ Præpositus, doctrina & „ virtute præditus neutiquam vulgari, unanimibus suffragiis eligitur Episcopus Pataviensis &c. „ *ut in textu nostro.*

[11.] Chronic. MS. in Calendario suo.

[12.] Ex copia literarum eorundem.

[13.] Chron. MS. ubi suprà.

[14.] Ex Autographo ipsius, quod usque hodie in Archivio Cœnobii nostri cum magna reverentia reservatur.

[15.] Dubravius Histor. Bohemic. lib. 29.

[16. & 17.] Sylvius citatô suprà locô.

Annus Christi MCCCCLII. Monasterii CCCXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Georgius.

CUm in hunc annum incidat Friderici IV. Romanorum Regis coronatio, matrimonium & iter, atque ille ultimus è Domo Austriaca fuerit, qui à Summo Pontifice Romæ in Augustum coronatus sit, operæ pretium est, ejusdem Cæsaris & iter & matrimonium & coronationem pluribus referre, fusiùs autem qui vult præfata cognoscere, legat ille Æneam Sylvium ejusdem & itineris socium & coronationis promotorem non postremum. Ceterùm Gerardi verba refero: „ Fridericus po„ stridie Calendas Januarii ad Italiæ „ fines pervenit, atque prope Cornelianum oppidum à quatuor Senatoribus Venetis summo cum honore „ exceptus est. Dein ab iis Tarvisium, „ Veronámque ac Pataviam deducitur; „ per omnem Venetorum ditionem „ commeatu liberaliter exhibito. Interim ex Germania complures Ferrariam usque profecti Cæsarem ibi operiebantur, qui cùm eò tandem venisset, multò jam comitatior Bononiam „ atque inde Florentiam venit, ubi ex „ itinere substitit dies aliquot quieti daturus. Inter hæc sponsa ipsius Eleonora post longam maris jactationem „ ex Hispania advecta ad Liburnum Heturiæ portum appulerat, unde Nicolaum Longi-Mannum à Falckenstaino Sacerdotem, qui cum Jacobo Metio Legatus ad ipsam venerat, „ Cæsari obviam mittit. Is in itinere, „ ubi Cæsar erat, percontatus, ad Nonas Februarii Florentiam venit. Ad „ Cæsarem intromissus, quo in loco „ Reginam reliquisset, narrat, à qua „ missum se, utì rogaret, quo eam portu navem egredi juberet. Cæsar vehementer eo nuntio gavisus litteras „ ad Sponsam dat, útque Pisas se conferat jubet. Mox ad excipiendam „ illam mittuntur: Michaël Magdenburgi ac Rudolphus Silesiæ Principes, Udalricus Sternbergicus, Albertus Eberstorffius, Comes quidam „ Schaumburgicus, Joannes Ungnadius, & Udalricus Sunpergerus Prothonotarius cum aliis multis. Præter illos diverso itinere Pisas profecti „ sunt, Æneas Sylvius Episcopus Senensis, Albertus Potendorfius, Georgius

„ gius Volckenſtorfius, Bernardus Tahenſtainerus, Balthaſar Ratembergerus; uxores item Potendorfii, & Tahenſtaineri, aliæque illuſtres matronæ ac Virgines, in quibus Margaretham & Walburgam Zinzendorfias, Urſulam ac Dorothæam Neidecceras formæ gratiâ præcelluiſſe proditum eſt. His Cæſar ad Sponſam miſſis Senas ipſe perrexit, ubi eam operiri decreverat. Quæ poſtquam propiùs jam adeſſe nunciaretur, Senenſis Magiſtratus cum tota nobilitate ac civibus obviam primi proceſſerunt. Inde Ladislaus Rex & Albertus ArchiDux cum ſuo uterque comitatu, poſtquam comitum, nobilium, & ex Imperii civitatibus miſſorum ingens multitudo longo ordine ingrediebantur. Hos ſecuti ſunt viri Eccleſiaſtici. Cæſar verò cum Cardinale Romani Pontificis Legato ad ingreſſum civitatis intra duas portas ſubſtitit, ubi exoptatam diu ſponſam amplexatus eſt. Eo loco Senenſes ad rei memoriam ſignum ex marmore poſuêre. Poſt aliquot dies Cæſar Romam versùs movens Viterbium venit, quò eum poſtridie aſſecuta eſt ſponſa. Ibi cum Cardinale conventum eſt de jurisjurandi Romæ præſtandi formula. Nicolaus verò Pontifex, poſtquam & litteris multorum & nuntiis pacatum advenire Cæſarem, ac omnia quieta didiciſſet, cùm Viterbii, tum aliis ſuæ ditionis locis, quæ Cæſar aditurus eſſet, magnos ei honores commeatúſque, ac lautia adhiberi juſſerat, útque Romæ pro dignitate exciperetur, omnia præparabat. Ad octavum Idus Martias ubi in agrum Romanum atque ſub Urbis conſpectum veniſſent, caſtris de more poſitis conſedêre. Poſtero die Albertus ordinem ex omni equitatu inſtituit, & quo quiſque loco incedere debeat, præſcribit, Urbémque Cæſar ità ingreſſus eſt: Primi omnium Suevi reliquum agmen præcedebant, hos ſequebantur, qui à S. P. Q. R. obviam miſſi erant, purpureis ſagulis induti omnes: Dein Cæſar ipſe cum Rege Ladislao, Alberto fratre, cui Imperii aquila commiſſa erat, aliíſque Principibus, Comitibus, Baronibus, ac Nobilibus, eorúmque famulis ac comitatu aulico ingrediebantur. Proximus ab eo locus Eleonoræ aſſignatus erat, quam ſequebatur Imperialium Civitatum equitatus. Obviam verò ad portam uſque caſtelli venêre purpurati Senatûs Patres tredecim cum multis Epiſcopis, Abbatibus & omnium Ordinum Viris Eccleſiaſticis, ex quibus Pontificis vice præerat Spoletinus Præſul. Ipſe verò Pontifex ad Divi Petri, ſellâ eburneâ in gradibus collocatâ ſedens advenientes exſpectabat, cujus manum ac pedem dextrum Cæſar, Ladislaus Rex, Albertúſque & Eleonora poſtquam deoſculati ſunt, aſſurgens omnes Ordine excepit. Qui Templum ingreſſi poſt abſolutas precationes in deſignata quiſque ſibi hoſpitia conceſsêre. Sequentes aliquot dies Cæſar delubris, Divûm Templis, & Urbis terrarum olim Dominæ reliquiis viſendis inſumpſit. Ad decimum ſextum Calendas Aprilis Pontifex in D. Petri Æde ſacris operatus Fridericum Cæſarem & Eleonoram adhibito ſolenni ritu ſolitíſque cæremoniis matrimoniali vinculo conjugavit, benéque ipſis, ac ipſorum poſteritati ominatus eſt. Tertio pòſt die (quam Dominicam Lætare vocant) Cæſar de more unctus & in Romanum Imperatorem conſecratus coronam & alia Romani Imperii inſignia accepit acclamante populo Romano: Friderico Pacifico à DEO coronato Imperatori vita & victoria. Coronatur & ſponſa ſolito ritu fauſtíſque omnium precationibus Auguſtorum nomine uterque ſalutatur. Peracto coronationis ritu & gratulationis hymnô de-

„ decantatô Fridericus Imp. ex veteri „ majorum instituto in ponte Tyberino ante palatium S. Angeli fratrem „ primùm, deinde alios multos equestri dignitate insignivit. Ad trecentos fuisse memorant, in quibus Magdenburgicus, & alii nonnulli. „ *[1.] Atque hæc fusiùs de matrimonio & coronatione Friderici.

„ Per hos dies Alfonsus Aragonius „ Rex Neapoleos Cæsarem per Legatos suos, utì ad se cum Imperatrice „ veniret, precatus est, qui id ob Regis affinitatem, erat enim Sponsæ „ suæ avunculus, facilè abs sese impetrari passus est. Itaque Ladislai cura Æneæ Sylvio commissa, & civitatum equitibus Romæ apud illum relictis, ipse cum Sponsa ac reliquo comitatu Neapolim se contulit, ubi „ summis cum honoribus exceptus Passionis ac Resurrectionis Dominicæ „ memoriam celebravit, urbémque regionémque circà amænissimam perlustravit. Interim nuptias ei Alfonsus Regali pompa ac luxu instruxit, „ quibus adjuncta est venatio ad Agnianam paludem quarto ab Urbe lapide tentoriis sub diu collocatis, ad „ triginta hominum millia epulis adhibita, vini omne genus copia ex fontibus affabrè factis scaturiente, qui „ spectatum advenerant, refecti & aliquot dierum esculentis onerati domum rediêre. Neapoli de fugæ Ladislai molitione Fridericus certior factus Romam advolat, ubi de tumultu Austriæ edoctus reditum in Germaniam maturandum ratus, valedicto Pontifice, eodem itinere, quo „ venerat, Ferrariam pervenit. Ubi „ Suevorum ac Imperii civitatum comitatu abs se dimisso ipse cum reliquo secundô Erydani fluviô Venetias navigavit, ubi summis cum honoribus exceptus est; Octavo pòst „ die Eleonora Imperatrix Neapoli terrestri itinere Manfredoniam, aliàs „ Apeneste Apuliæ oppidum, atque inde navibus Venetias delata est, quam „ ad Divi Nicolai obviam profecta „ Principis Venetorum uxor cum ducentis primariæ dignitatis matronis „ excepit, lætóque eam Urbis plausu „ & gratulatione in hospitium usque „ deduxit. Inde Cæsar relictis Venetiis Portum-Naonis petiit, unde per „ Fori-Julii & Carnorum fines in Stiriam profectus adulta jam æstate Neapolim Austriæ venit. „ [2.]

Redeo cum Friderico in Austriam, in qua in Cæsaris absentia Australes suasore Ulrico Eitzingero sumptis armis præsides provinciæ à Friderico institutos vi pellunt, gubernatores ex seipsis duodecim eligunt, summam rerum Eitzingero committunt. Incentorem quoque novitatum alterum Ulricum Ciliæ Comitem in Societatem accipiunt, auxilia à vicinis gentibus accersunt: reversum Imperatorem missis Legatis aut Regem Ladislaum tradere aut bellum expectare jubent. Postulatis non tam rejectis quàm suspensis, impatientes magis moræ quàm belli infestis signis Novam-Civitatem petunt. Ibi post eruptionem Cæsareanorum, & prælium, eorúmque in civitatem repulsionem firmata obsidio & oppugnata machinis mænia. Ex Bohemis solus Henricus Rosensis cum ducentis equitibus, peditibus ferme octingentis in castris fuit. Ungari nondum venêre. Australes circiter duodecim millia milites expeditos in armis habuêre. Georgius Podiebradius Administrator Regni Bohemiæ Cæsari, cujus erat amicus, opem laturus sedecim millia militum congregaverat: sed auditâ concordiâ in agrum regulorum Rosensium exercitum duxit, villásque latè populatus est. Imperator enim interventu Caroli Marchionis Badensis, Sigismundíque Salzpurgensis Archiepiscopi, qui erat de familia Dominorum de Wolckerstorf oriundus, Ladislaum è manu sua dedit Australibus multa promittentibus, quæ postea barbara fide negaverunt; verùm puer

puer postridie in urbem ductus summis novísque honoribus exceptus est. [3.] De quibus sic Gerardus: „ Ad Viennæ montem cùm venisset Ladislaus, „ obvios habuit pueros ad quatuor „ millia: eorum singuli vexilla mani- „ bus præsentabant, in quibus gentili- „ tia Principis insignia depicta erant, „ festísque eum cantilenis excipiebant. „ Ex monte in planitiem descendenti „ occurrit Elisabetha soror cum fre- „ quenti lectissimarum Virginum ac „ Matronarum aulicarum comitatu: „ Ladislaus equô desiliens sororem am- „ plexus tentorium illic tensum ingre- „ ditur, ubi nonnihil refectus, cùm „ ulteriùs paulò progrederetur, Vien- „ nensium civium uxores sertum quod- „ dam ex unionibus artificiosè concin- „ natum ei obtulêre. Post eas præstò „ fuit Academiæ Rector cum suis, quos „ longo ordine sequebantur Ecclesia- „ stici cum infinita hominum multitu- „ dine. Ità inter faustas gratulantium „ voces per mediam Urbem ad Divi „ Stephani deducitur, ubi ob acce- „ ptum tandem Principem DEO opti- „ mo Maximo laudes decantantur, & „ pro ejus salute vota nuncupantur. „ Inde in palatium deducitur, tota ci- „ vitate in lætitiam festósque ludos ef- „ fusa. „ [4.] Hæc Gerardus; porro Æneas sic prosequitur historiam suam: „ Posthæc Ladislaus evesti- „ gio magistratus in civitate creavit: „ præfecturas totâ provinciâ instituit: „ Sacerdotia donavit; regio more cu- „ riam erexit. Ungari ad eum venêre, „ inter quos Joannes Huniades fuit, „ qui tum comitatum Histricensem Re- „ giâ beneficentiâ consecutus, haud „ aliter quàm principes consuevêre, „ novæ dignitatis insignia suscepit. „ Accersûnt & Regem suum Bohemi „ cum Georgio Poggiebracio, quibus „ non minora Ladislaus pollicitus quàm „ pater atque avus promiserant. Post- „ quam dies affuit cum Imperatore con- „ stituta, Ludovicus Boioariæ & Gu- „ lielmus Saxoniæ Duces, Albertus „ quoque Marchio Brandenburgensis, „ Carolus Badensis, & multi ex Ger- „ mania Prælati ac Principes advenê- „ re. Frequens conventus habitus, „ in quo præsidente Ladislao Oratores „ Imperatoris (inter quos & ipsi fui- „ mus) ità auditi sunt, ùt victi apud „ victorem. Postremò infectis rebus „ conventus dissolutus. Ladislaus „ quamvis Rex appellaretur, alienô ta- „ men arbitriô ductus in Regnis suis „ triumviratum deduxit. Joannes Hu- „ niades Ungariam rexit, Poggiebra- „ cius Bohemiam, Ulricus Ciliensis „ Austriam. „ [5.] Hæc Æneas. Inde Rex Posonium deductus ab Ungaris fidelitatis sacramentum denuo suscepit. Cùm verò à Bohemis ad coronam suscipiendam quoque invitaretur, interea hic annus elapsus est.

Porro quoad Monasterium Zwetlense; D. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux ad Georgii Abbatis petitionem super sales à Salisburgo devehendos dat libertatem, nè quicquam de illis in teloniis Ducatûs sui à nostris exigatur, omniúmque Ducum Bavariæ suorum antecessorum privilegia ea super re concessa Monasterio nostro confirmat. Datæ in Burckhausen Annô Domini 1452. feriâ quintâ post Pascha. [6.]

Hoc item anno Ulricus de Eitzing Summus Austriæ Capitaneus dat Apocham Abbati in Zwetl Georgio pro ducentis libris denariorum, quas acceperat de Summa trecentarum librarum & dimidiæ. Datum Viennæ Annô Domini 1452. feriâ secundâ ante Pentecosten. [7.] Videtur hæc pecunia indicta & collecta fuisse ab omnibus Austriæ Ordinibus & Proceribus, unde etiam Monasterium Zwetlense præfatam pecuniæ summam porrigere tenebatur, non in alios usus, nisi ut exercitus comparetur, quo vel invito Friderico Imperatore Ladislaus rebus imponatur: unde Neapolis Austriæ ob-

sidione in reditu Cæsaris cincta fuit, non liberanda, nisi priùs pupillus tutelâ exemptus ipsis in Dominum tradatur, sicuti suprà attigi. Hujus exactionis mentionem facit Æneas [8.] binis locis, in reditu Friderici ex Italia in Austriam, & in epistola responsoria Joannis Ungnadii ad Eytzingerum factionis caput; item Struno, [9.] ait quidem Fridericum Cæsarem datis ad provinciales litteris dari quicquam vetuisse, sed litteras ejusmodi serò evulgatas fuisse.

Erat eo tempore Magister vinorum vel etiam curiæ in Lews F. Thomas, è cujus rationibus vel certè è Regiſtro Magistri alterius (cujus nomen periit) curiæ tamen in Chambarn inter ceteras expensas illud quoque notatur: „ Item „ D. Stephano Capellano de Gobals„ purck, qui Missas in Capella S. Tho„ mæ in curia Chambarn celebrat, „ dantur quatuor talenta denariorum „ annuatim „ [10.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 5. prope finem exscriptus.

Æneas Sylvius in Austria sua fusè, & in Histor. Bohemic. c. 59.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.

Piespordius in Friderico VI.

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 28. Ex quo notat

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Hono„ rificentissimè ubique atque lautissimè Fri„ dericus exceptus, subministrato etiam omni„ bus copiis abundanti commeatu; Venetiis „ cùm discessuro abacus ex vitro elegantissimo „ offerendus paratus fuisset, annuit ille mo„ rioni suo, ut mensam, qua repositus erat, „ commovens vitra everteret; quibus sic con„ fractis arridens Fridericus, dicénsque, nun„ quam aurea vel argentea vasa ad tam levem „ casum comminuta fore, pro vitreis aurea à „ Venetis munera extorsit. „

Nauclerus Generat. 49. „ Annô Domini „ 1452. Fridericus III. Romam coronæ Impe„ rialis gratiâ venit, qui etsi longè antè ele„ ctus fuerat, intercedente tamen schismate, „ usque ad Nicolaum V. coronationem Im„ perialem distulit. Rebus autem Germaniæ „ compositis ordinatísque præsidibus Austriæ, „ prosecutus est iter; ad oppidum S. Viti per„ venit, ibíque Nativitatis Dominicæ festa „ peregit - - - - Calendis Januarii Italiam „ intravit. Et, ùt refert Æneas Sylvius, La„ dislaus sæpe fugam molitus est, consiliô „ pædagogi fretus, cum quo postea captus, „ pædagogô in vincula conjectô. - - - - - „ Franciscus autem Sphorcia tum Mediolani „ Dux, Imperatorem per Legatos ad coro„ nam ferream Mediolani suscipiendam, ùt „ mos erat, invitavit. Qui renuens, Romam „ alio itinere profectus est. Cæsar è Bono„ nia digressus, montes Apœninos ascendit: „ ingressúsque Florentiam, exceptus est hono„ re maximo. Advenienti totus Clerus cum „ Archi-Episcopo in processione, præsenti„ bus urbis Magistratibus obviam facti fuêre. „ Locatus fuit in conventu S. Mariæ Novellæ, „ mansit quatuor diebus, deinde Senas pro„ fectus est cum Legatis Apostolicis. Cùm „ Fridericus Senis esset, Leonora filia Regis „ Lusitaniæ seu Aragonum sibi desponsata, „ Pisas venit, Virgo statura mediocri, annos „ nata 16. læta fronte, nigerrimis atque illu„ stribus oculis, ore parvo, genis ad gratiam „ rubescentibus. Imperatrix igitur Senas de„ ducta est Jejunii secunda die. Occurre„ runt primò cives natu majores, deinde Al„ bertus & Ladislaus, postea Clerus &c. „ ferè eadem habet quæ suprà de Roó.

[2.] Gerardus de Roó ubi suprà.

Æneas Sylvius in Austria sua fusè. Item in Historia Bohemic. c. 59.

Spondanus suprà cit. locô n. 3. „ Abiens „ post hæc Imperator unà cum uxore Neapo„ lim - - - Romámque deinde rediens per Æne„ am duas orationes habuit auditorio publico: „ quarum alterâ gratias egit Summo Ponti„ fici & Cardinalibus de maximis ab eis acce„ ptis beneficiis: alterâ eosdem hortatus est „ ad generale passagium, hoc est: expeditio„ nem militarem adversùs Turcos indicen„ dam, atque instruendam in auxilium Græ„ corum. Iter debinc in patriam arripiens „ &c. „

[3.] Æneas Sylvius Histor. Bohemic. cap. 60. fermè ad literam; ubi atrocem impugnationis modum ità effert: „ Committitur „ primo adventu atrox pro portis prælium, „ nullus sagittis modus, cadunt fine numero „ tela; bombardæ stragem hostium horrendam „ edunt. Miserabile visu; disjecta passim mem„ bra equorum atque hominum cernere, cruo„ rem latè fluentem aspicere. Quà densissima „ fuit, unus perfregit aciem lapis emissus, „ idem

„ idem alius atque alius fecit, proftratis qui-
„ cunque occurrêre inermibus atque armatis:
„ nec tamen intermiffa pugna. Conglobati
„ hoftes, magis ac magis inftitêre. Ubi res
„ gladiô geri cœpit, ac vir virum manu pre-
„ hendit, equus equum impulit, pugnatum
„ eft aliquamdiu æquo Marte. Poftremò
„ Cæfarianorum acies non tam virtute, quàm
„ multitudine fuperata terga dedit, atque in
„ urbem trepidè fe recepit, unius militis An-
„ dreæ Poumkircher (poftea à Cæfare ad Ba-
„ ronatum fuffecti) audaciâ civitatem tutata
„ eft. Qui, ne victores cum victis uno agmine
„ irrumperent, tam diu pro porta folus im-
„ petum tenuit, donec converfi fugientes,
„ globô factô ex loco difficili, hofte repulfo,
„ januam claufêre. Firmata eft deinde obfi-
„ dio, & oppugnata machinis mœnia. „

Item in Auftria fua.

Gerardus de Roó Hiftor. Auftr. lib. 6. in initio.

Cufpinianus in Cæfarib. fub Friderico III.

[4.] Gerardus de Roó fuprà citatus.

[5.] Æneas Sylvius & Gerardus de Roó ubi fuprà.

Item Cufpinianus fub Friderico III.

Piespordius in Friderico VI.

[6. & 7.] Ex Autographis ipforum.

[8.] Æneas Sylvius in Auftria fua.

[9.] Richardus Struno in Annalibus Auftriæ Superioris hoc anno.

[10.] Ex Rationibus illius.

Annus Chrifti MCCCCLIII. Monafterii CCCXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auftriæ*
Nicolaus V.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Epifcopus Pataevienfis	*Abbas Zwetlenfis*
Ulricus III.	Georgius.

ANnus ifte toti Chriftianæ Reipub. valde infauftus & plangendus extitit: nam Imperator Turcarum adolefcens ferociffimus & in pactis perfidus, Chriftiani nominis perfecutor acerrimus, & Mahometicæ pravitatis zelofiffimus ampliator; qui & ipfe Mahometæ nomen habet, & à fuis magnus Amira dicitur, cum exercitu maximo Conftantinopolim obfedit anno adhuc priori, & omnibus caftris & munitionibus, quæ in circuitu erant, expugnatis & captis, plurimífque in eis fuorum amiffis menfe Augufto ad patriam fuam rediît: poft feptem verò menfes hoc anno tandem rediît, obfidionémque totis viribus & oppugnationem aggreffus, tandem celeberrima Urbe Orientalis Imperii capite potitus eft, *[1.] cujus oppugnatio & expugnatio taliter defcribitur, quam licet prolixiorem, in gratiam tamen Lectoris placet referre:
„ Rediît igitur circa Aprilem menfem
„ Tyrannus cum trecentis armatorum
„ millibus, inter equites & pedites ha-
„ bens præparatas triremes inter par-
„ vas & magnas ducentas viginti, &
„ bombardas plures quàm mille addu-
„ xit, inter quas erant tres grandes,
„ quarum prima projiciebat lapidem
„ undecim palmatarum in circuitu, qui
„ 1400. libras appendebat: fecunda la-
„ pidem decem palmatarum 1200. li-
„ brarum: tertia novem palmatarum
„ & mille librarum, habuit & alias ma-
„ gnas, & colubrinas infinitas. Per
„ has autem bombardas tres majores
„ quinquaginta una diebus finè inter-
„ miffione Conftantinopolim oppu-
„ gnavit, fimiliter & per alias infini-
„ tas ac infinita ingenia. Per illas au-
„ tem tres majores, quibus bene feptin-
„ gentos lapides contra diverfas par-
„ tes muri Urbis projecit, in diverfis
„ locis muros rupit & disjecit. Infu-
„ per alia agit, quæ incredibilia, & vix
„ humano ingenio poffibilia videntur.
„ Fuit enim tempeftivè provifum, ut
„ portus Conftantinopolitanus catenâ
„ fortiffimâ clauderetur, nè Turcarum
„ naves introirent, & ad cuftodiam ca-
„ tenæ ordinatæ fuerunt illic quinque
„ triremes Venetorum, & duodecim
„ magnæ naves cum inftrumentis, ar-
„ mis & cuftodibus neceffariis. Quod
„ videns Imperator Turcarum fecit de

 na-

„ navibus suis septuaginta extrahi de „ mari, & eas super ligna rotunda (quæ „ ad id fieri & substerni jusserat) per „ montes & colles, circumeundo „ urbem plusquam per tria milliaria „ mirabili artificio perduxit, erectis „ etiam velis & vexillis, ac si per mare „ ducerentur: & ità eas traduxit ad „ portum maris circa Constantinopo- „ lim, ut non opus esset transire cate- „ nam. Istud faciliùs intelligunt, qui „ viderunt situm portûs. Deinde con- „ struxit pontem ligneum super mare, „ qui adhuc manet, fecítque trecentas „ turres ligneas, quarum aliquæ magnô „ ingeniô ab armatis intus existenti- „ bus movebantur, quas ad muros ur- „ bis (quos in altitudine excedebant) „ applicabat. In aliquibus autem par- „ tibus fossis repletis turres terræ infi- „ xit, & ità undique urbem ipsam quin- „ quaginta una diebus sinè intermissio- „ ne impugnavit. Scalas etiam habuit „ innumerabiles, quæ hamos habebant „ ità factas, ut quando adhibebantur „ muro, si unum defensorem haberent, „ ad inferiora dejici non possent: & „ erant scalæ istæ velatæ tabulis à sur- „ sum usque deorsum, ut ascenderentur „ sinè vulnere & læsione usque supra „ murum. Per has autem scalas, & „ ex his turribus, quas applicari fecit „ ad partes muri disruptas, quinqua- „ gesimo secundo die, qui fuit 29. dies „ Maji, anno isto, cùm tota die ac no- „ cte præcedente insultus factus fuisset „ asperrimus, & utriq; per laborem de- „ fatigati fuissent, Turcarúmque exer- „ citus & augeretur & innovaretur mo- „ mentis singulis, Turcæ violenta ma- „ nu per murorum rupturas urbem vi- „ ctores intraverunt, & post innume- „ rabilem Christiani sanguinis effusio- „ nem reliqui omnes, qui superfue- „ runt, capti sunt, inter quos eos, qui „ nobiles erant (quorum erat magna „ multitudo) tametsi vitam promisis- „ set, tamen in conspectu suo unà cum „ filiis & uxoribus jussit occidi crude-

„ lissimè. Nam primò uxores & filios „ in præsentia parentum & maritorum: „ & postea viros ipsos se vidente fecit „ in frusta minutatim concidi: fœmi- „ násque virgines & moniales violari „ & inhonestissimè tractari, sicut nec „ pecudes tractarentur. Plurimos au- „ tem de parvulis ac puellis populari- „ bus vendidit, & totam urbem infra „ paucos dies omni habitatione vacua- „ vit: mechanicos tamen, & præser- „ tim fabros, & constructores navium „ vivos reservavit, & eos suis operis „ addixit. Dum igitur coram eo san- „ guis Christianus ità funderetur, ad- „ portata sunt in conspectu ejus in tri- „ bus lanceis per tres Turcas tria capi- „ ta, quorum unum erat Imperatoris „ Constantinopolitani, aliud cujus- „ dam militis Turcici, qui contra Tur- „ cas urbem cum Christianis viriliter „ defenderat, & tertium erat cujus- „ dam Senis barbati Monachi de Or- „ dine S. Basilii, quod illi dicebatur es- „ se caput Cardinalis Rutheni, licèt „ in veritate non fuerit. Nam quo- „ modo ex illo excidio evaserit, postea „ dicam. Quæ autem nefanda com- „ miserit in sanctas Ecclesias, Reliquias „ & Sanctorum imagines, horribile est „ dicere. Nam omnia templa Urbis „ Turcæ spoliaverunt, & imaginem „ quandam B. Virginis manu B. Lucæ „ pictam, quæ in maxima veneratione „ habebatur, detractis gemmis, argen- „ tô & aurô, quæ erant in circuitu, per „ civitatem ignominiosè traxerunt, „ eámque sordidis pedibus conculcan- „ tes tandem in frusta confregerunt, „ corpúsque B. Theodosiæ Virginis, „ quod illic maximis miraculis crebrò „ claruit, omnésque alias Sanctorum „ reliquias, quæ penè innumerabiles „ erant, laniando in frusta canibus „ tradiderunt, & in lutum projece- „ runt, Ecclesiámque illam insignem „ S. Sophiæ, cui parem non habet no- „ stra Religio Christiana, Imperator „ sibi in Moscheam (ut suô utar voca- bulô)

„ bulô) delegit. Pavimenta altarium, stolas & tapetas, in quibus depicta erant miracula Christi vel Christus, Sancti aut B. Virgo, pedibus conculcabant & permingebant, & aliàs fœdissimè pertractabant deridentes nostram fidem; crucémque quæ erat in sublimitate templi dejicientes confregerunt; Flamines etiam eorum in sacra altaria ascendentes & saltantes clamabant jubilantes, & Machometum glorificabant, & ùt maximum prophetarum ac Christianæ fidei destructorem prædicabant. Quæ etiam infanda egerint in Monasteriis Monachorum, Monialium, in Hospitalibus & piis locis, est incredibile. Venetos etiam, Genuenses, & Arragonenses, quorum illic plurimi erant, ferè omnes cum filiis & uxoribus trucidavit, paucos passus redimi. Deinde pòst in fine Junii Peram civitatem fortissimam prope Constantinopolim sitam, quæ Genuensium erat, similiter expugnavit, & muros ejus solo æquavit, turrímque magnam, in cujus vertice crux erat, funditus dejecit. - - - - Cardinalis autem Ruthenus natione Græcus, qui per Papam Nicolaum annô jam elapsô Constantinopolim ad inducendum Græcos, ut primatum Ecclesiæ Romanæ etiam quoad jurisdictionem in omnes Ecclesias Orbis recognoscerent, missus fuit, evasit per hunc modum: Capta quidem urbe prope Ecclesiam S. Sophiæ accessit, putans ibi esse armatos aliquos, qui Turcis obsisterent: cùm verò nullos inveniret paratos ad resistendum & omnes fugerent, bonus Pater voluit Turcis obviam procedere, & pro Christi fide sanguinem effundere. Verùm per aliquem servorum suorum coactus fugit in Ecclesiam, ubi captus est à Turcis, & tanquam incognitus mansit tribus diebus in magno exercitu Turcarum: qua in re multùm ei proderat, quòd ex communi rumore ab Imperatore Turcarum crederetur occisus. Tandem igitur Cardinalis iste redemptus quinquaginta ducatis & vectus est in Peram, mansítque ibi absconditus octo diebus, fugiendo de domo in domum occultè: sed postquam percepit Turcas etiam petere Peram, judicavit non esse tutum ibi subsistere: & cùm non posset per loca Christianorum fugere, intravit triremes Turcarum, in quibus mansit tribus diebus incognitus. Obvolutus enim erat in facie pannis, eò quòd in facie sagittâ vulneratus esset. Petiit ergo Persas cum triremibus Turcarum, quibus in partibus finxit se pauperem captivum & redemptũ esse, & quærere, ut suos filios redimat captos Constantinopoli. Quo modo paulatim cuidam Turcæ semper associatus usque ad quendam locum dictum Tigis pervenit. Deinde pertranseuntem Cardinalem quidam Genuenses agnoverunt, & clam illo manifestare cœperunt: unde metu, quia locus ad Turcas pertinebat, in parvam navim ingressus devenit Chium, & inde Cretam; deinde Romam. „ [2.] Hæc ex magno Chronico Belgico: alia plura qui desiderat, idem Chronicon sub Imp. Friderico III. legat, & mirabilia inveniet.

Hoc anno porro de concordia Cæsarem inter & Ladislaum aliquoties actum, & quanquam Nicolaus quidam Cardinalis Legatus Pontificius ac alii Principes intercederent, nihil tamen ad summam rei transigi potuit. Ungari interim pro se quoque adnisi sacram regno coronam & arces quasdam reddi petebant. Imperator sumptus, quos fecerat excusat, neque nisi numeratâ priùs pecuniâ aliquid impetrari abs se passurum dicit. Sed re hinc inde tentata conditionibus non satis æquis Cæsari propositis nihil decerni potuit. Inter hæc Udalricus Comes assiduis Bohemorum petitionibus fatigatus diem illis per litteras indicaverat, quo ad ipsos proficisci Rex decrevisset. Dum igitur Bohemi ad excipi-

cipiendum pro dignitate Regem se parant, Ciliensis jam ob superbiam atque avaritiam plerisque invisus, cùm minimè id putaret, variantis fortunæ vices experiri machinatione Eytzingeri coactus est. Nam ubi ad aulam pervenit Viennæ Comes, Eytzingerus illi jussu Regis, qui præsens aderat, familiaritate Regia, consilióque & aula interdicit. Ipso verò diu renitente, Regíque persuadere suam innocentiam conante, frustrà erant omnia: cùm igitur nihil spei reliquum esse videret, necessitati ac invidiæ locum dare statuit, atque ex aula se proripiens cum quatuor tantùm comitibus extra urbem evasit. Insultabant abeunti Viennenses, erántque nonnulli, qui lapidibus ipsum petere in animo habebant, neque eorum manus effugisset, nisi eum Marchio Brandenburgicus ad portam usque deduxisset. [3.] Rebus ad hunc modum constitutis, Ladislaus sub initium mensis Octobris Iglaviam venit, ubi à Bohemis magna cum lætitiæ significatione exceptus Pragam deducitur. Quatuor equitum millia cum Rege ivisse memorant, nec minorem fuisse Bohemorum numerum. Quintô Calendas Novembris iu Summo Templo, quod in D. Wenceslai monte situm, coronatio solito ritu peracta est, imponente capiti Regis diadema Cardinale Strigoniensi. Sumptus omnis à Bohemis collatus est adeo liberaliter, ut superfuerit, quo arces nonnullæ regni magnâ pecuniâ oppignoratæ redimerentur. [4.]

Scribit etiam coætaneus quidam author fuisse hoc anno magnam Viennæ pestilentiam, eámque durâsse quasi ad duos annos, & fuisse mirabilem per venenosas pustulas & vesicas, & pro majori parte obiisse multos & juvenes & virgines: [5.] forsan fuit morbus, quem Franci vocant Neapolitanum, eo tempore non adeo cognitus.

„ Antequam Ladislaus Rex Bohemi-
„ am petiisset, quosdam Austriæ Proce-
„ res pro fidelitate sibi præstita largè re-
„ muneratus est, nam Pangracio Domi-
„ no de Planckenstain & Sigismundo
„ Eytzingero de Eytzing silvarum per
„ Austriam Magistro in feudum confert
„ castrum S. Petri ad Augeam unà cum
„ oppido & pertinentiis. Item Oswaldo
„ Eytzingero de Eytzing castrum unà
„ cum civitate & Dominio dictum Dro-
„ sendorf, Tirnaviam, & Weickersla-
„ gum, commemorans causam eam, quia
„ fideliter & strenuè laborâssent pro
„ sua libertate, cùm à patruele suo Cæsare
„ Friderico sub tutelæ nomine detine-
„ retur, ut nimirum in hæreditarias suas
„ provincias & regna sit restitutus. Item
„ donat etiam Georgium de Eckerzaw
„ & Georgium de Chünring, qui ante
„ castellum Cæsareum Ortense vulne-
„ rati graviter fuerant, utì in Principis
„ litteris apparet, libro quodam debi-
„ torum pleno cum hac inscriptione:
„ Debita Regis Ladislai; quod Hiero-
„ nymus cognomentô Beckh possede-
„ rat. „ [6.] Hæc Struno. De obsidione castri Ortensis plura videre est apud Æneam, quod nomine Cæsaris ejus duo cubicularii Mitterdorfius & Aspanius strenuè diu defenderunt, sed tandem ab Australibus expugnatum est. [7.]

Venerat hoc anno Joannes Abbas Morimundi visitatum Ordinis nostri Cisterciensis utriusque sexûs per Austriam Monasteria; & cùm in Monasterium Zwetlense quoque divertisset, ibidem accepit ab Abbate florenos duodecim Ungaricos, octo nimirum pro summa de contributionibus Ordinis, & quatuor pro expensis, habens rationem destructionis per Hussitas factæ. Datum in Monasterio Zwetl annô Domini 1453. 26. Augusti. [8.]

Contigit præterea, dum Georgius Abbas unà cum Joanne Priore Viennæ existeret, D. Symon Præpositus, Joannes Decanus, totúsque adeo in Neuburga Claustrali Conventus, præfatos Zwetlenses Abbatem & Priorem unà cum Conventu suo in confraternitatem adsciscerent, face-

faccréntque eos participes omnium meritorum suorum. Datum annô Domini 1453. in die S. Marci Evangelistæ. [9.] Reperi porro multas hinc inde litteras confraternitatis illius indices, quibus Monasterio nostro mortuorum Canonicorum Regularium dicti Monasterii Neoburgensis nomina significantur, ut ipsorum tanquam Confratrum animæ sacris hìc quoque expientur.

Plebanus hoc anno in Cistersdorf fuit F. Nicolaus, qui utique Georgio Abbati ibidem successit ab eo institutus, in cujus absentia, dum Romæ causas ageret, vicarium ejusdem se quoque diligentem demonstravit. [10.]

Occurrit demum ex Indice F. Joannis Cellerarii, quòd coloni nostri [11.] sicut passim ferme per Austriam etiam aliorum Dominorum agros colere anno præcedenti nequiverint „Quoniam, „ ùt inquit Sylvius, cùm Cæsar Neapolim Austriæ unà cum Ladislao attigisset, Georgius de Buechaimb, Rudigerus de Stahrenberg, Sigismundus de Eberstorf, atque alii quàm plures Barones, ùt Joannes Nytpergius, Joannes Ungnadius, & Gualterus Zebinger præstò Cæsari fuêre, quibus indigna videbantur, quæ Comes Ciliæ atque Eytzingerus agitabant. Inter quos Rudingerus de Stahrenberg munitionem quandam cis Danubium aggressus, tandem cum multa suorum cæde expugnavit ac diripuit, usque ad pontes Danubii excurrens, corúmque munitionem quoque aggreditur, à qua ægrè tandem repulsus est. Idem facinus præstitit Mareschalcus Cæsareus, qui Hainburgum oppidum, castellum anteà Cæsaris erat, in quo nova moliri audiebantur, clam per arcem intromissus cepit igne & ferro illud ad obedientiam reducens. Wolffenreutter quoque non incognitus tunc apud Australes nobilis iisdem diebus nonnullas cis Danubium villas diripit atque incendit, nec Comitis Magdeburgensis equitatus quiescit. Ubique rapinæ atque incendia fiunt, hìc Cæsareani vastantur, hìc Australes diripiuntur, quoniam castra intra se commixta sunt amicorum atque inimicorum, nusquam in tota Austria quietus angulus invenitur. Bellum domesticum & intestinum nihil usquam tutum reliquit, horrida & miserabilis terræ facies, cognati cognatos oppugnant, fratres contra fratres, filii contra patres, & patres adversùs filios arma gerunt. Comes de Pulchro-Monte, aliàs de Schawmberg, & filius ejus senior partes Australes juvabant, duo filii mediocres Cæsareanum fovebant nomen. Ex domo Potendorfia, Eberstorfia quoque alii Cæsarem, alii Australes sequebantur, rara non divisa familia fuit. „ [12.] Hæc Æneas, unde non mirum, quòd agricolæ ab opere suo repulsi fuerint.

Ceterùm Georgius Abbas, F. Joannes Prior, & F. Joannes Cellerarius fatentur se nomine Monasterii à Nicolao Krambhofer Cive Viennensi comparâsse 400. lib. denar. monetæ nigræ Viennensis pro modiis octo tritici boni, & totidem modiis avenæ bonæ annuatim porrigendis ad dies vitæ suæ, & hoc cum authoritate & consensu Domini Domini Ladislai Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regis, Archi-Ducis Austriæ, & Marchionis Moraviæ, tanquam Monasterii Zwetlensis Advocati, ad redimendas villas Sprednitz & Mangoltz, quæ erant impignoratæ Joanni de Neydegg in Dobersperg pro trecentis libris den. Datum in Monasterio Zwetl annô Domini 1453. in festo S. Joannis Evangelistæ, nimirum in Octava festi ejusdem, [13.] quæ erat tertia dies Januarii anni currentis: & hoc patebit ex confirmatione Principis, qui consensum suum dedit ad eandem emptionem & redemptionem feriâ secundâ post festum Trium Regum Viennæ, regni sui Ungarici decimô tertiô. Subscriptio est: Commissio Domini Regis per Do-

Dominum Ulricum Eytzinger. [14.] Suprascriptam emptionem frumenti confirmat apocha, quæ sequitur, nam Nicolaus Chrambhofer civis Viennensis fatetur se recepisse à Georgio Abbate in Zwetl octo modios tritici & totidem avenæ in solutionem pecuniæ sibi venditæ. Datum Viennæ annô Domini 1453. feriâ secundâ ante Pentecosten. [15.] Unde intelligo precariam esse usuram, quam debitor annuatim creditori de re vendita aut mutuo data solvere se obligavit.

Obiît hoc anno D. Georgius Abbas Calendis Septembris, utrùm Rafingæ in curia, vel in Monasterio suo, non æquè constat. Eo sepulto juxta Indicem F. Joannis Cellerarii suprà citati novus Abbas electus est F. Joannes cognomentô Waltpeckh seu Waltperckh (utrumque enim nomen ità exaratum invenitur) quondam Cellerarius sedulus, & tandem Prior. Abbas Wolfgangus dicit eum Magistrum quoque fuisse curiæ in Weinzierl. De cujus successione omnes Abbatum Zwetlensium Catalogi conveniunt, annum tamen verum non attingunt præter recentiorem quendam. [16.]

ADDITIONES.

* [1.] Magnum Chronicon Belgicum fermè ad litteram.

Ciaconius in Nicolao V. Papa. „ Fuit „ autem capta Constantinopolis IV. Kal. Junii annô 1453. die Martis, Gennadio Patriarcha Constantinopolitano attestante, à „ Mahometo Ottomano Amuratis filio, Mahometi nepote, die Lunæ Imperatore „ Constantino XV. Palæologo, Emmanuelis „ II. filio Augusto, occiso. Imperium Christianorum in Oriente finitum Nobile & Antiquissimum, quod sub potestate Christianorum duraverat 1191. annis; &, quod mirabile extitit, Constantinus Primus Helenæ „ filius illud fundavit & erexit; alter autem „ Constantinus XV. filius item Helenæ amisit, „ ut initium fini concordaret. „

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô „ Christi 1453. Indictione prima adimpleta „ est prophetia † quam vidimus, Nicolai Romani Pontificis, super obduratione Græcorum in schismatis & hæresis suæ defensione. „

† Ad annum 1451. n. 12. „ Nicolaus „ autem Pontifex ad rem Christianam attentus, ùt audivit Amuratis obitum, sive etiam „ legatione Constantini Imperatoris Græcorum suppetias postulantis adversus minas Mahometis motus, ut obicem tolleret, quem „ Græci opponebant, ne descenderet in eos „ auxilium cœleste, absque quo in vanum laboraretur, eósque ad pœnitentiam & receptionem decretorum in Florentina Synodo juratorum, comminatione etiam judicii divini proximè in eos adfuturi adduceret: literas dedit (inquit auctor Gennadius Patriarcha assertus, obstinatum eorundem Græcorum animum exprobrans post „ cladem Constantinopolitanam) plenas timoris & horroris, quibus apertè cum execratione vaticinatus est excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum: „ cùm probè gnarus conviciorum & probrorum, quæ à Græcis quotidiè impudentissimè „ in Occidentalem Ecclesiam & Romanum „ Pontificem jactabantur; scripsit tolerare se „ illa, exemplô Jesu Domini sempiterni Sacerdotis, qui sterilem ficum usque ad annum „ tertium jussit asservari, agricola jam ad eam „ excidendam se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam! (exclamat auctor) Annô millesimô, „ quadringentesimô quinquagesimô primô „ hanc Nicolaus conscripsit epistolam, & millesimô quadringentesimô quinquagesimô „ tertiô, capta est Constantinopolis. Tres, „ inquiebat, annos expectabimus, si vos fortè „ à schismate converteritis, & vos verè decreto Synodi adjunxeritis secundùm Salvatoris de ficu præceptum: sin minùs, exscindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum; quod, ùt in epistola ipsa scribit „ Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna, „ & formidabilis, sapiens, clara, fortis terrarum Domina, ob divinam ultionem, ità „ in barbarorum servitutem abducta est. Ita „ rem deplorat auctor. Tantúmque abfuit, „ ut miseri illi auscultare Pontifici voluerint, „ ut contra epistolam hoc ipso anno scripserint nomine Ecclesiæ Constantinopolitanæ, „ matris (ùt vocant) omnium orthodoxorum & Magistræ, ad Boëmos Hussitas; qua eos laudantes, quòd non attenderent ullis „ Romanis innovationibus, sed in fundamento fidei persisterent, hortati sunt in ea „ perdurare & secum uniri, non secundùm

„ simu-

„ simulatam unionem Florentinam à tecto ab„ errantem, sed secundùm immutabile decre„ tum à Patribus traditum, quod ipsi Græci „ servarent: quæ illorum epistola extat, Græ„ cè & Latinè in collectione Auctorum re„ rum Boëmicarum reperta in Bibliotheca „ Collegii Pragensis Caroli IV. „

Idem ad hunc ann. n. 12. „ Capta autem „ est urbs, ùt diximus, feriâ tertiâ sive Martis „ vigesimâ nonâ Maji, seu 4. Calend. Junii, „ ùt omnes consentiunt. Quod verò non„ nulli recentiores addunt, fuisse tunc tem„ pus Pentecostes; dixerunt id ipsi, sive per„ suasi cladem contigisse annô 1452. quo dies „ Pentecostes incidit in diem vigesimam octa„ vam Maji, ut sic argumentarentur illatam „ Græcis illam esse in pœnam eorum hæresis „ de Spiritu Sancto: sive absque ullo tempo„ ris examine, etiamsi cladem ponant annô „ 1453. noluerint argumentationem illam de „ Spiritu Sancto prætermittere: cùm cetero„ qui dies Pentecostes præsenti anno 1453. „ quo Pascha contigit primâ Aprilis, ineiderit „ in vigesimam Maji, ac proinde clades bi„ duô post illius festi octavas, & alterô bi„ duô ante celebrationem Corporis Christi. „ In quibus habent satìs, qui mysteria quæ„ runt, quæ philosophentur.

„ Nos, quamvis non abnuamus cum aliis „ asserere præcipuam miseriam Græcorum „ causam fuisse schisma ab Ecclesia Romana, „ & hæresim de processione Spiritûs Sancti à „ solo Patre; haud tamen alligatum volumus „ Deum ullis diebus ad faciendam vindictam „ in nationibus: cùm habeat ipsius providen„ tia suos numeros & terminos, quibus res „ convenientiùs peragat, quàm quod homi„ nes cogitare, aut philosophari possint. De„ nique antiquiores illius temporis auctores „ diem prædictum annúmque consignantes, „ de feriis Pentecostes nihil penitùs memine„ runt &c.

N. 13. „ Cùm primùm Mahometes intro„ ivit in urbem (ùt Phranzes pergit) studio„ sissimè de Imperatore sciscitatus est: cúmque „ nihil certi reperiretur, alicujus tandem in„ vestigatione inventum est inter cadavera „ corpus exanime, quod ex calceamentis, in „ quibus aquilæ aureæ de more pictæ erant, „ ejus esse agnitum est. Unde confirmetur, „ quod multi scribunt, eum, cùm hostes vi„ deret irrumpere, ne majestas ludibrio esset, „ deposuisse cetera Imperii insignia. De ejus „ autem corporis inventione summopere ga„ visus Mahometes (metuebat enim, ùt ob„ servat Zygomalas, ne si adhuc viveret, no„ vis auxiliis urbem recuperare moliretur) „ mandavit his, qui supererant, Christianis, „ corpus ejus cum honore Imperatorio sepe„ liri. Ita namque Phranzes. Cui nec con„ tradicit Chalcondyles, cùm scribit caput „ Imperatoris ad Mahometem ab aliquo de„ latum esse, cui ipse in præmium præfectu„ ram, & dona contulerit. Potuit enim ca„ put à cadavere abscindi (nam & Isidorus „ Cardinalis, qui interfuit, Imperatorem ca„ pite truncatum fuisse tradit; & confirmant „ Annales ipsi Turcorum) etiámque tum se„ pulturæ tradi. Cùm sint tamen non pauci, „ qui caput Imperatoris hastæ infixum per to„ tam urbem & castra circumlatum esse scri„ bant. Quod fortè ad securitatem Turcis „ insinuandam, & omnem spem Christianis „ adimendam factum sit: túncque demum unà „ cum reliquo corpore honorificæ sepulturæ „ traditum. „

[2.] Magnum Chronic. Belgicum citat. sub Friderico III. Cæsare.

Cuspinianus in Cæsarib. Germanorum sub Friderico III. & in Cæsarib. Græcorum sub Constantino VIII. & ultimo. In Cæsarib. Turcarum sub Mahomete.

Dubravius Histor. Bohemic. lib. 29.

Chronicon dictum Belgicum, quò textus noster benevolum Lectorem plura desiderantem remittit, inter cætera notat hoc: „ Ter„ tium verò mirabile, quod præcessit captio„ nem civitatis, fuit visum per Turcas, Chri„ stianis nihil videntibus.

„ Cùm enim quadem nocte vigilantes Tur„ cæ in obsidione respicerent versùs civitatem, „ viderunt subitò multitudinem luminum ad „ modum candelarum undique super turres „ & muros civitatis: quod respicientes & „ admirantes valde timuerunt arbitrantes ex „ hoc miraculo civitatem esse sub divina pro„ tectione. Et cùm retulissent, quæ vide„ rant Imperatori Turcarum, ipse etiam tunc „ dissimulavit. Altera verò nocte apparentes „ rursus prædictæ candelæ super turres & mu„ ros visæ sunt elevari in cœlum. Tunc igi„ tur Turca interpetrans visionem dixisse fer„ tur: Candelas quæ apparuerunt descenden„ tes significâsse, quòd Deus temporibus præ„ teritis hanc civitatem protexisset. Sed can„ delas, quæ apparuerunt elevatæ in cœlum, „ contrà significare, quòd Deus ab ea, & ab „ ejus custodia discesserit. Nunc ergo, ait, „ est tempus bellandi contra eam. Et sic „ ardenti rabie irruerunt in nobilissimam ci„ vitatem, & ceperunt eam, ùt dictum est. „ Hæc Alfonsus bellô centesimô quinquagesi„ mô sextô. „

[3.] Gerard. de Roó lib. 6. Histor. Austr. Æneas Sylvius in Austria sua. Item Histor. Bohem. c. 60. & 61.
Dubravius Histor. Bohem. c. 28.
Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.
[4.] Gerardus ubi suprà citat. exscriptus. Æneas Sylvius Histor. Bohemic. cap. 62.
Bohemia Pia lib. 2. sub Ladislao Rege.
Dubravius Hist. Bohemic. lib. 29. in initio.
[5.] Annotationes Jacobi Rechwein Civ. Vienn. in lib. suo Secretorum.
[6.] Struno in Annalib. Sup. Austriæ sub hoc anno.
[7.] Sylvius in Austria sua.
[8. & 9.] Ex Autographis ipsorum.
[10.] Ex litterarum monumentis.
[11.] Registrum F. Joannis Cellerarii.
[12.] Sylvius ubi suprà.
[13.] Ex literarum monumentis.
[14.] Ex diplomate Principis.
[15.] Ex Apocha ipsius.
[16.] Recentior Abbatum Catalogus.

Annus Christi MCCCCLIV. Monasterii CCCXVI.

Pont. Rom. Nicolaus V. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

DUm Rex Pragæ moratur, venerat illuc Albertus Eberstorfius, qui provincialium nomine Regi indicavit, ita eos, quos Eitzingerus ex ordinibus lectos rebus imposuerat, Magistratum gerere, ut nisi aliud statuatur, timendum sit, ne quid turbæ excitetur. Constituitur igitur edictô Regiô Wolfgangus à Waltsee Supremus Austriæ Præfectus, qui omnia provinciæ negotia administrare, Viennensi regimine (uti vocant) exautorato novum creare jubetur. Offensi ea re Viennenses, quia sua privilegia violari videre debebant, ad Ulricum Ciliensem exulem literas ac nuntios mittunt, utì Ladislai gratiam quovis modo recuperet, monent, non defutura illi sua studia. Eitzingerus ubi per suos, quid Viennæ fieret, didicisset, Pragam advolat, (nam Schrattendalii aliquot dies fuerat) ubi Blanckenstainium inimicum suum aulâ Regiâ ejicit arte eadem, qua antè Viennæ Comitem Ciliæ ejecerat. Ladislaus inter hæc cùm annô ferè integrô Pragæ fuisset, Vratislaviam primam Silesiæ urbem profectus est. Neque enim persuaderi potuerant Silesii, utì extra regionis suæ limites Regi contra leges patrias & privilegia sua fidei Sacramentum dicerent. Ibi Ladislaus acceptô Sacramentô à Regulis sororem suam Elisabetham Casimiro Poloniæ Regi despondit. Aderant illi præter Silesiæ Regulos multósque ex utroque regno, Austriáque & Moravia Proceres, Gulielmus & Otto Bavariæ, Fridericus & Albertus Brandenburgi Principes. Inde Viennam iter convertit, ubi adventus ipsius, quò minùs eo tempore expectatus, eò gratior fuit. *[1.]

De Monasterio Zwetlensi occurrit, cùm illud & ære alieno multo obnoxium & censu Regio indicto gravatum esset, quærere aliam & excutere quercum, qua pecuniam sibi compararet. Invenit igitur remedium commodius pro tempore non esse, quàm bona Monasterii immobilia ad tempus distrahere. Joannes ergo Abbas Zwetlensis villam Offarn prope Ducumburgum vendidit Petro tunc Abbati Campi-liliorum cum omnibus juribus suis ac judicio villæ ad annos decem duntaxat fruendam pro octingentis talentis denar. Viennensium, reservato tamen Monasterio Zwetlensi perpetuo redimendi villam eam jure: Datum annô Domini 1454. in festo Epiphaniæ. [2.] Porro eodem anno & die præfixis Joannes Abbas in Zwetl fatetur se quoque debere Ægidio nunc Altaris Corporis Christi in Crembs Sacellano quinquaginta talenta denariorum Viennensium. Datum in Crembs utì suprà. [3.]

Ven-

Vendidit præterea Joannes Abbas Leonardo Frölich, Catharinæ ejus uxori atque hæredibus eorum pro quadam pecuniæ summa domum Monasterii in civitate Zwetlensi sitam inter plateam, quæ vulgò dicitur Strayssergassen. Datum in civitate Zwetl, annô Domini 1454 post Matthiæ Apostoli festum. [4.]

Item idem Abbas Joannes Jacobo Fischer, Agneti ejus uxori, & Paulo filio ipsorum in Reinprechtspruck habitantibus quædam bona in pratis & agris, ipsis ab antecessoribus suis Abbatibus concessa & litteris roborata denuo cõfirmat, quas litteras ipsi in Hussitarum ubique vastantium in Austriam irruptione perdiderant. Datum annô Domini 1454. in die Servatii Martyris. [5.] Constat etiam sub hoc Abbate fuisse in Cistersdorf Plebanum F. Nicolaum ejúsque in spiritualibus coadjutorem F. Paulum Monasterii Zwetlensis Professos, qui facit mentionem circa Dominicam Quasi modò geniti Procuratoris ibidem Domini de Potendorf, unde constat jam diu Potendorfios successisse Chünringiis de Tiernstain in eorum bonis, quæ per Austriam olim latè possidebant. Zwetlensis verò civitas ad Principem terræ post præfatorum Chünringiorum extinctam familiam devoluta est: & sic suprà aliquoties jam memini Præfecti Regis Ladislai Principis, qui in ea præsidebat.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roô lib. 6.

Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 62. „Gravis hæreticæ factioni jam mora Regis in Bo„hemia esse cœperat, cujus Sacramenta ab eo, „& à ceteris Principibus dietim confluenti„bus contemnebantur. Et jam, qui decepti „errabant, aliorum contemplati mores, suas „ineptias cognoscentes, relictâ Hussitarum „perfidiâ, ad Ecclesiam revertebantur. Ob „quam rem cupientem in Austriam reverti „Regem, nullus hæreticorum est adversatus. „prius tamen, quàm rediret, Vratislaviam „nobilem urbem revisit, Slesitarum caput. „Ibi cùm Divinis interesset in æde Pontificali, „frequentésque Principes convenissent, Pog„giebracius quoque proximus Regi astaret, „fama est, eáque pervulgata, Chilianum „quendam parasitum ex his, qui stultitiam „simulantes alios stultos faciant, Poggiebra„cium his verbis compellâsse: Quo vultu sa„cra nostra inspicias, planè adverto; animum „non intueor. Fare, obsecro, nónne satis „nitida tibi nostra videtur Religio? Vidésne „quàm multi & magni Principes & ipse Rex „noster unum ritum sequantur? Cur non his „potiùs, quàm Rochezanæ consentis? An „plus sapere paucos Bohemos, quàm reli„quam Christi Ecclesiam censes? Quin reli„cta incondita plebe, nobilitati te jungis no„bilem? Ad quem Poggiebracius: Si tua hæc „sunt verba, inquit, non es, quem simulas, „tibi tanquam prudenti respondeo. Sin „aliena, satisfacere me illis oportet: audi er„go. Ecclesiasticas cæremonias sua quisque „pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ „credimus Deo grata: neque nostri arbitrii „est credere, quod velimus. Victa magnis „rationibus mens humana, volens nolénsque „capitur; útque natura instituta est, altera „facilè trahitur, altera elabitur. Mihi per„suasa est meorum Sacerdotum Religio. Si „tuam sequar, homines fortasse fallam, ani„mæ meæ contrarius: Deum, qui corda in„spicit, nequeo fallere. Neque me tui simi„lem esse decet. Aliud histrioni, aliud verò „nobili convenit. Hæc vel tibi habeto, si „sapis, vel his referto, qui te submisêre.„

Dubravius Hist. Boiemic. lib. 29. „Con„stituto igitur Pragæ in utraque civitate per „semet, ùt moris erat, Senatu, præsidibúsque „regno duobus præpositis, Sbincone Lepore, „& Henrico Strazio, cum Georgio guber„natore Vratislaviam profectus est, ubi præ„terea sponsalia consummavit, desponsa Eli„zabeth sorore sua Casymiro Regi Poloniæ, „quam ut ad diem, qualiter oportuit, ador„natam, in Poloniam mitteret. De Slesia „in Austriam se transtulit.„

[2.3.4. & 5.] Ex litterarum monumentis.

Annus Christi MCCCCLV. Monasterii CCCXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Callistus III.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

NIcolaus Pontifex hoc anno sive tædiô animi, quo maximè cruciabatur post captam Constantinopolim, sive febri & podagra, qua potissimum vexabatur, Pontificatûs sui annô octavô, nonô Calendas Aprilis Romæ obiit, ac in Basilica S. Petri Vaticana honorificentissimè sepelitur. Mox ad sextum Idus Aprilis duæ partes Concilii in Alphonsum Borgiam, Hispanum, Valentinum, Presbyterum tunc Cardinalem tit. SS. Quatuor Coronatorum consenserunt, qui Calendis Maji coronatus mox in publico Consistorio bellum sacrum, quod Cruciatam appellant, Turcis hostibus nostræ sanctæ fidei infensissimis indixit, qui paulò antè Constantinopolim & totum Orientale Imperium pulsis Christianis occupaverant. *[1.] De eodem Pontifice diu ante locutus est Prophetico sermone B. Malachias Primas & Archi-Episcopus Hiberniæ taliter: Bos pascens. Nam Callistus III. erat natione Hispanus, cujus insignia Bos pascens.

Udalricus Ciliæ Comes per amicos hoc anno clàm Regi reconciliatur, reversúsque Viennam magno & splendido apparatu, mille ducens equites expeditos armis, adit: advenienti Rex obviam extra urbem factus est. Proceres, nobiles, populares omnes secuti salutare, amplecti, laudare Comitem: certare invicem, contumeliosiùs ejecerint, an magnificentiùs revocaverint. Mira rerum turbatio. Eitzingerus, qui culmen potentiæ consecutus eum dejecerat, quod in alium statuit, in seipsum pati cogitur. Intrante námque urbem Comite ipse cum amicis egreditur, spontaneum exilium eligens. Ferunt Comitem Eitzingeri cognito recessu laudâsse hominem, qui fortunæ ludibrio se subtraxerit. [2.] Ungari postquam Regem in Austriam rediisse accipiunt, Legatos ad eum evestigio mittunt; útque in Ungariam veniat suum regnum visitatum, petunt. Joannes Huniades per idem tempus Ungariam ferè universam in potestate habuit, Regiæ arces in manu ejus fuêre, equestres, pedestrésque copiæ uni ei paruêre. Id nonnullis regni Baronibus invidiosum ac molestum erat, atque inprimis Comiti Ciliæ, qui locum ejus optabat. Criminari ergo Joannem, Regi odiosum efficere statuit. Inde Viennam ad Curiam à Comite Regis nomine vocatur Huniades, antè à suis certior factus de structis sibi per Comitem insidiis, comparere extra regnum non voluit: persuasus tandem Viennam venit, sed urbem intrare noluit, ubi cum Comite loquens & deprehendens insidias, evitans illas rediît indignabundus in Ungariam, & Regi castra sua restituens quievit. Deinde Rex ipse Budam profectus est. [3.]

Cùm Monasterium Zwetlense post Hussiticos furores etiam aliquoties in subditis suis spoliatum fuisset, usuræ in dies accrescerent, aliæque necessitates variæ quotidiè ingruerent, Joannis Abbatis animum sollicitabat providentia diligentis œconomiæ futuræ, ut aliquando Monasterium è debitis emergere valeret. Cogitavit igitur pauciores alere homines, ut verò illud commodiùs & licentiùs faceret, D. Georgium de Chünring tanquam de Fundatorum Monasterii sui sanguine progenitum adiît, necessitatem illi suam explicuit, ædes nondum omnes refectas, colonos paucos, cósque quotidianis spoliis obnoxios esse,

debita

debita multa, usuras annuas, creditores importunos, censúsque improvisos nasci, neque ampliùs tantam alere familiam posse: quare se petere, ut numerum pauperum, quorum triginta in claustrali Hospitali nutrire tenebatur, diminueret, donec meliora tempora & Monasterii status pristinus effulgeret. Commotus his causis prægnantibus, quas antè satis perspectas habebat Chünringius, numerum restrinxit, ut per decennium tantùm pauperes decem de more antiquo, utì fundatio Majorum suorum postulat, nutrirentur. Datum annô Domini 1455. feriâ sextâ post Martini. [4.] Hujus Chünringii annis præcedentibus mentionem habui, cujus insignia sunt clypeus divisus, à sinistra campus albus cum lineis rubeis à dextra in sinistram declinantibus, à dextra verò aquilam habet dimidiatam nigram in campo flavo. Nitzo Chünringius pater ejus tulit insignia Chünringiorum quondam de Tiernstain dictorum, quæ erant clypeus flavus lineis nigris à dextra in sinistram ductis exornatus. Utrum autem Georgius præfatus primus prædicta insignia acceperit, nondum litterarum testimonium vidi, quamvis videtur is eadem à Ladislao Rege obtinuisse, cùm ex ejus parte contra Fridericum Imperatorem steterit, & munere donatus legatur. Hic item Chünringius de Seveld suscepit à Joanne Abbate Zwetlensi advocatiam super sex laneos in Füenfeld, quos ab Alberone Chünringio eidem Monasterio fundatos refert. Datum in Monasterio Zwetl annô Domini 1455. in festo Martini. [5.]

Cujusdam campanæ nostri Monasterii inscriptio talis est: „ Maria Mater „ gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos „ ab hoste protege, & horâ mortis „ suscipe. Annô Domini MCCCCLV. [6.] Hucusque inscriptio, in qua imagines visuntur in modum statuæ formatæ, Beata Virgo in ulnis Christum bajulans, S. Margaretha, & S. Dorothea ex utroque latere. Deinde visuntur duo ducati Venetiis sub Chygino cusi, & tertius cum inscriptione tali: „ Sigismundus D. G. Rex Ungariæ. „ Vocatur hæc Schlamingerinna à pago, ubi inventa fuisse fertur, qui in Ungariæ finibus situs esse dicitur. Accepi ego per quandam traditionem illam fuisse de turri in oppido ipso dejectam sive casu sive studio inimicorum, aut vi fulminis, caret enim ansis suis seu auriculis, quibus ligno adaptatur, & locum ipsarum clavi grossi supplent: deinde fuisse in fossam humo superjecta immersam; tandem post aliquot annorum spatium à porcis detectam, terram de more suo proboscide revolventibus, quæ in hoc Monasterium vendita creditur. Est altera post majorem campanam, gratô sonô, & hoc anno fusa. De hac campana infrà (*Annô 1483.*) plura.

Eodem hoc anno Joannes Abbas in Zwetl Curiam in Retschen ad triennium Thomæ Gaslein ejúsque uxori Catharinæ liberísque ipsorum hæredibus incolendam concedit. Datum anno Domini 1455. in festo Purificationis B. Virginis Mariæ. [7.]

Item Nicolaus Chrainhofer Civis Viennensis se recepisse fatetur à Joanne Abbate in Zwetl octo modios tritici, totidémque avenæ ratione precariæ, cujus suprà mentionem feci. Datum Viennæ annô Domini 1455. in Pentecoste. [8.]

Demum Joannes Abbas Nobili Viro Ulrico Chlem se obligat pro se súisque successoribus singulis per annum angariis solvenda 5. talenta ad dies vitæ ipsius pro summa sibi aliqua pecuniæ concessa. Datum annô Domini 1455. [9.] Dies tacetur & mensis. Eodem anno idem Ulricus fatetur se à Joanne Abbate recepisse 5. lib. denar. Datum feriâ sextâ ante Reminiscere. [10.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Nicolao V. & Callisto III. Papa.

Magnum Chronicon Belgicum.

Item Spondanus hoc anno n. 4. „ Mortuus est autem Nicolaus Romæ nonô Calendas Aprilis annô Pontificatûs octavô, die decimo nono, ex febre & doloribus articularibus, quibus toto ferè Pontificatu graviter laboravit: nec non ex tædio animi, quo post captam Constantinopolim continuè cruciatus est: ea sola clade infelix, cùm & pace Ecclesiæ, & Italiæ parta, ac multis aliis operæ pretiis omnium judiciô beatissimus sit habitus.

N. 5. „ Piè verò, post Sacramenta Ecclesiæ ritè suscepta, defunctus sepultus est in Basilica S. Petri honorificentissimâ pompâ &c.

N. 6. „ Peracto ejus (*Nicolai*) funere Cardinales quindecim, qui in urbe erant, conclave ingressi, plerique Bessarionem Cardinalem Nicænum eligere decreverunt (ùt Æneas, sive ejus Amanuensis Gobellinus narrat) quòd is omnium aptior ad Rempub. gubernandam videretur; conveniebátque numerus in eum sufficiens, adeo, ut jam ad eum supplicationes deferrentur: cùm Alanus Coëtivius Brito Archi-Episcopus Avenionensis illos Cardinales arguens, quòd neophytum eligere, ac Ecclesiæ Latinæ Græcum Pontificem dare vellent, contestánsque se & qui sibi crederent in Græcum Præsulem nunquam consensuros: movit adeo ceterorum nonnullos, ut factô scrutiniô Bessario numerô exciderit. Quod Platina in Panegyrico Bessarionis ab adversariis factum ait; quòd leves ac voluptuosi existentes ejus integritatem & modestiam vererentur. Electúsque deinde est, de quo minor erat expectatio, Alfonsus Cardinalis Presbyter SS. Quatuor Coronatorum, natione Hispanus, patriâ oppidô Setabensi Valentinæ Diœcesis, nobili familia Borgia, patre Joanne, matre Francisca; jam propemodum decrepitus, qui natus postremo die anni 1378., præsenti, quo electus est sexto Idus Aprilis, nonum jam ac nonagesimum diem in septuagesimo septimo agebat. Qui etsi ante aliquot annos, & vacante dum Sede Apostolica suam assumptionem ferè omnibus prædixisset, séque procul dubio futurum Pontificem affirmâsset; nemo tamen ei credens, delirare potius more Senum existimabatur. Fuit tamen ejus vaticinium verax; quod à B. Vincentio Ferrerio conterraneo suo se habuisse narrabat. Quem & forsan propterea, etiamsi multis aliis nominibus longè dignissimum, hoc ipso anno in festo Apostolorum Petri & Pauli solemni ritu inter Sanctos Christi Confessores retulit: literas verò ejusmodi relationis, cùm vivente Callisto publicatæ non fuissent, promulgavit Pius ejus successor.

N. 7. „ Mirandum verò ait Ciaconius Hispanus in vita Callisti, Hispanos, nationem (ùt sibi videtur) natam imperio, ante hoc tempus nullum protulisse Romanum Pontificem, nisi Damasum, & Joannem Hadriani V. successorem, & utrumque Lusitanum. Quibus tertius hic accedens, non absonè eâ etiam ex parte Tertius dictus est nomine Callistus; duodecimô Calendas Maji suæ coronationis insignia suscipiens &c. „

[2.] Sylvius in Histor. Bohemic. cap. 63. exscriptus.

Gerardus de Roó locô sæpe cit. „ Erant inter Proceres, qui Eitzingeri consilia minùs probabant, & veteri cum Comite amicitiæ aliquid dandum esse putabant, qui Eitzingero, ne & ipse insolesceret, opponendus esse videbatur. Hi captato cum Rege colloquio, malè actum esse dicebant ab Eitzingero, qui Ciliensem calumniis oppressum per invidiam aulâ ejecisset, utì ejus locum ipse occuparet; ea fide Comitem, eo rerum gerendarum usu ac dexteritate præditum, præsenti rerum statui quàm maximè necessarium videri. Hæc & alia dicentes, cùm secundis à Rege auribus accipi, quæ dicebantur, viderent (magis enim ex aliorum instinctu, quàm ex animo suo Rex ipsum ejecerat) nuncios ad ipsum mittunt, quo loco res ipsius sit, docent, utì, quàm honestissimo comitatu potest, in aulam postliminio redeat, Regémque nihil in se graviùs consulturum confidat &c. „

[3.] Iidem, qui & ubi suprà præcedenti n. relati, quorum prior Sylvius seriem rei fusiùs describit cap. 64.

Item Annales Ungariæ antiqui sub Joanne Huniade.

[4.] Ex Autographo ipsius Chünringii, atque etiam ex Apographo.

[5.] Item ex Autographo ipsius.

[6.] Ex ipsa campana.

[7.] Ex literarum monumentis.

[8.] Ex Apocha ipsius.

[9.] Ex litterarum monumentis.

[10.] Ex Apocha ipsius.

Annus

Annus Christi MCCCCLVI. Monasterii CCCXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Callistus III.	Fridericus IV.	Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

CAllistus Pontifex, quem ferunt ante Pontificatum vovisse odium in Turcas vatinianum, & omnem quantùm in se esset persecutionem, mandavit, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis signum dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas continuò dimicabant; creditum precibus communibus fidelium, Christianos ad Belgradum contra Turcas dimicantes, duce Joanne Weiwoda Viro clarissimo, astante etiam Joanne Capistrano Ordinis Minorum, Crucémque pro vexillo hostibus inferente, cùm Belgradum impugnarent, ingenti clade superâsse. *[1.] Ob hanc victoriam Pontifex festum Transfigurationis Domini instituit & composuit, jussitque eo modo atque his indulgentiis haberi debere, quibus & solennitas Corporis Christi. [2.] Callistus autem sedatis Italiæ rebus, novem Cardinales, & inter eos Æneam Piccolomineum, Senensem Episcopum, Cardinalem creavit, cujus sæpe mentionem in his Annalibus feci, qui apud Fridericum IV. Austriacum Augustum Secretarium egit, cujus commendatione tum Episcopatus Tergestinum & postea Senensem adeptus; tum Cardinalatum à Callisto obtinuit. Fuit autem factus primùm Diaconus Cardinalis tit. S. Eustachii, postmodum Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ, [3.] à Friderico Poëta Laureatus, in epistolis scribendis jucundissimus, & historicus sui temporis excellens. Hic autem Æneas oppugnationem Albæ ornatè describit, non tantùm in libro historiæ Bohemicæ, sed quoque in epistolis suis, cujus historiam ex parte referre placet, licèt mei instituti non sit, Ungaricas aut Bohemicas res Annalibus hisce inserere, quia tamen quædam historiæ connexio est, cùm Ladislaus, qui Archi-Dux Austriæ extitit, Ungariæ quoque regnum tunc, quàm modò, florentius habebat. Sic autem scribit: „ Mahumetes Constantinopolitanâ victoriâ superbus congregatis ingentibus copiis in Thracia per Triballos in Hungariam properans centum quinquaginta millium pugnatorum ducere ferebatur. Et inflatus opinione sui, tantóque tumens exercitu nil dubitare, quin devictâ Hungariâ Illyricos penetrare sinus, atque intima rura, regna Liburnorum & fontem superare Timavi, rerúmque caput Italiam atque Romam uno impetu subigere posset. Verùm parva urbs & alioquin ignobilis tantos ejus conatus retinuit. Taurunum appellavêre majores, nostra ætas Belgradum, alii vocant Albam ad confluentes Danubii Savísque sitam. Hanc primam oppugnare statuit propter opportunitatem transeundi fluminis. Joannes Capistranus Ordinis Minorum Professor, vitæ sanctimoniâ clarus ea tempestate Hungaros in arma publicis sermonibus excitabat. Qui ubi appropinquare Turcas accepit, nihil moratus in Albam se contulit, haud parvam cruce signatorum manum adducens. Joannes quoque Huniades contractis raptim copiis eò profectus est. Joannes Cardinalis S. Angeli Apostolicus Legatus Budæ remansit auxilia undique ciens. Rex ubi advenisse Turcas cognovit, nec vires Hungaris esse, quæ tantam vim ferre possent, mobiles gentis animos veritus, neque satis tutam Budæ moram arbitratus, sub specie ve-

„ nationis urbem egressus in Austriam „ properè se recepit. Turca interim „ apud Albam castra metatus, summis „ viribus eam urbis partem oppugnare „ adoritur, qua planus patuit aditus, „ dispositísque tormentis æneis raræ at- „ que insolitæ magnitudinis priores mu- „ ros aperuit. Vacuum haud parvum „ spatium intus erat usque ad murum „ alterum. Hìc Crucesignati stationes „ habuerunt. Parum tecta armis acies, „ gladiis, hastísque tantùm hispida, „ verùm ferocitate animi & cœlesti „ auxilio tuta. Ingressi per muri rui- „ nas Turcæ, atrox cum his prælium „ commisêre. Capistranus ex turri cla- „ mitans, Christianos hortari, vexil- „ lum Crucis ostendere, opem de cœ- „ lo promittere, maledicere hostibus, „ Dei præsentiam implorare. Hunia- „ des modò huc modò illuc cum glo- „ bo militum currere, instaurare Or- „ dines, pro fessis validos, &c. Postre- „ mò Turcæ Christiana virtute repulsi „ denuo periculi magis quàm pudoris „ anxii oppidum fœdâ fugâ relinquere. „ Rursus sequentibus Crucesignatis ex- „ tra muros pugnam instaurare. Mox „ eo proposito fugere, ut quàm remo- „ tissimè ab oppido Christianos pro- „ traherent. Interim aciem à latere „ immittere, quæ reditum in urbem „ egressis intercipiat: furentes nostri „ ac victoriâ exultantes, in quod præ- „ cipitarentur discrimen, non adver- „ tere, paululum processuris & à fronte „ & à tergo periculum imminere. Vi- „ dit ex muris Capistranus transversam „ hostium aciem, insidiásque cogno- „ scens, revocare suos cœpit. Cùm „ parùm exaudiretur, tympanis ac tu- „ bis confundentibus vocem, præceps „ in pugnam dilabitur; atque inter duas „ acies, inter tela volantia percurrens, „ clamoribus ac signis Crucesignatos „ redire coëgit: apud quos nulla erat „ Huniadis vel fides vel authoritas; „ quorum magna pars Teutonica fuit „ Ungarico infensissima generi. Frau- „ dati magna spe Turcæ in castra rediê- „ runt, cùm quatuor & viginti horis „ interdiu noctúque nunc muros qua- „ tientes, nunc manu pugnantes præ- „ lium protraxissent. Multi ex utra- „ que parte cecidêre, plurimi ex Turcis, „ & hi quidem præstantiores. De cæ- „ sis hostibus varia sententia est: qui- „ dam supra quadraginta millia periisse „ tradiderunt, nonnulli viginti millia, „ alii ad summum quatuor millia cæsa „ esse affirmant, quod nobis infra ve- „ rum fuisse videtur. Neque enim in „ tâto exercitu videri clades ea occidio „ potuisset. - - - Traditum est Tyran- „ num sub papilla confossum salutem „ desperâsse, vulnus ejus obsidioni fi- „ nem dedisse, inter fugiendum plures „ quàm in acie periisse. Victoribus ea „ tantùm præda relicta est, quæ non „ potuit ignis absumere, tormenta sci- „ licet ænea, & arietes ferrô graves, „ machinarúmque ingens vis. „ [4.] Hæc Æneas citatus in gratiam Lectoris.

Venerat post adeptam de Turca victoriam Viennam Legatus Apostolicus Joannes Diaconus Cardinalis tit. S. Angeli, apud quem Abbas Zwetlensis Joannes sollicitavit Indulgentias pro Capella B. Mariæ Virginis in Rafings, quæ paulò antè fuerat ædificata. Datum annô Domini 1456. 29. Decembris. [5.]

Habebat porro hoc tempore Joannes Abbas in Zwetl litem cum quodam de Fundatorum progenie exorto, Georgio de Chüinring, qui se Monasterii hæreditarium Advocatum esse asserebat, neque ab opinione sua divelli se patiebatur, unde conquestus Abbas Principi terræ de ejusdem injuriis, impetravit Commissarium à Ladislao Rege Udalricum Pataviensem Episcopum Austriæque Cancellarium, qui litem componens rem Monasterio adjudicavit, expensis utrinque suspensis. Datum Viennæ Sabbatô ante diem Matthæi, annô Domini 1456. [6.]

Porro Joannes Abbas, F. Stephanus Prior, F. Joannes Subprior, F. Wolf- gan-

gangus Cellerarius, & totus Conventus in Zwetl dederunt literas obligationis cum consensu Ladislai Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regis, Archi-Ducis Austriæ, Marchionis Moraviæ, &c. Monasterii in Zwetl Advocati ad dies vitæ Nicolao Kramhofer pro porrigendis quotannis circa Pentecosten 32. tal. denar. Datum in Monasterio Zwetl, annô Domini 1456. feriâ 5. post S. Ægidii. [7.]

Venditi quoque sunt duo coloni in Meyssaw habitantes per Joannem Abbatem in Zwetl Casparo Felebrunner ejúsque hæredibus ad viginti tantùm annos fruendi pro aliqua pecuniæ summa. Datum annô Domini 1456. die suppressa. [8.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Callisto III.

Spondanus hîc n. 1. „ Annô Christi millesimô, quadringentesimô quinquagesimô sextô Indictione quarta, Callistus Pontifex de bello contra Turcos solicitus, ad implorandam in eos divinam opem instituit per universum Christianum orbem singulis diebus inter Nonas & Vesperas pulsari in omnibus Ecclesiis campanas ad trinam recitationem Orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ, concessâ recitantibus indulgentiâ trium annorum & trium quadragenarum. Itémque singulis primis mensium Dominicis processiones generales fieri cum Missa & prædicatione ad rem apta: datâ iis, qui adforent pœnitentes & confessi, septem annorum & septem quadragenarum indulgentiâ. Et celebrantibus, qui adderent orationem pro victoria contra Turcos, tres item annos, trésque quadragenas. Cúmque apparuisset per aliquot dies cometa crinitus & ruber (quem duplicem fuisse Annales Turcici scribunt) idem Callistus ad avertendam iram Dei adversùs Turcos aliquot dierum supplicationes instituit. „

N. 2. „ Audivit Dominus de cœlo preces piorum, & exaudivit; insigni concessâ victoriâ, quam describunt S. Antoninus & Æneas, atque ex iisdem, & ùt putamus ex Thurosio Nauclerus: Bonfinio de more Thurosii orationem dilatante: præter græcum Chalcondylem, qui eandem victoriam non paucis explicavit &c. „

[2.] Ciaconius ubi suprà.

Item Spondanus n. 4. „ In memoriam autem hujus victoriæ, festum Transfigurationis à Papa Callisto anno sequenti per universum orbem sub officio duplici die sexta Augusti celebrandum jussum esse plerique volunt. Verùm longè antiquiùs illud fuisse tam apud Latinos, quàm Græcos certum est. Officium autem ejus composuisse Callistum Antoninus & Platina tradunt, concessásque easdem indulgentias, quæ officio Corporis Christi.

N. 5. „ Post abscessum Turcorum, & redditas de tanto beneficio Deo gratias; ne quid utriusque Ducis Christianorum felicitati posset adjici, divina utrumque benignitas haud multis pòst diebus non modò mortali, sed cœlesti quoque gloria donavit. Sed prior vocatus Huniades, qui longo intolerabilíque belli labore defatigatus in æstuantissimam febrim incidit, qua absumptus est in oppido Zemplen quartô Idus Septembris: Sacramentis Ecclesiæ ritè procuratus (ad Sacram tamen Eucharistiam sumendam in Ecclesiam se deferri jubens, quòd indignum diceret Dominum ad servum venire) & Capistrani, qui nunquam ab ejus latere discessit, hortationibus ad pium transitum roboratus, ac post obitum lugubri carmine lamentatus. Corpus, sicuti legârat, in Transilvaniam delatum ad ædem, quam in Alba-Julia fundârat.

N. 6. „ Capistranus defuncto Huniade nunquam ampliùs ridere visus, veluti qui triumphante jam victoriæ collega, ipse debitâ laureâ privaretur; demum ut qui in vita dilexerant se, in morte non separarentur, & ipse in languorem incidens, coronâ donatus est decimô Calendas Novembris; septuagenariô major mortuus ad Villachium diœcesis Bombergensis in agro Sirmiensi, atque in Sancti Francisci æde sepultus. Cujus corpus centum circiter pòst annis, cùm captô per Turcos Sirmiô in Zolozianum Monasterium delatum fuisset, ab impio hæretico Francisco Perenio direptô Monasteriô, pulsísque Monachis aut cæsis, confractum, & indignis modis profanatum, in profundum puteum projectum est: non sinè divina in Perenium vindicta. „

[3.] Item Ciaconius locô cit.

[4.] Sylvius Histor. Bohem. cap. 65. Item epistola 266. & alii sæpe citati.

[5.] Ex Autographo ipsius.

[6. 7. & 8.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCLVII. Monasterii CCCXIX.

Pont. Rom. Callistus III. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

LAdislaus Rex audita Huniadis morte, suadente Ciliæ Comite, in Ungariam rediit. Comiti non minùs Huniadis obitus quàm Turcarum conflictus cordi fuit, qui sublatô Adversariô Ungariam jam sibi parere non dubitabat. Metu igitur vacuus Regem in Albam ducit hostium spolia recogniturum & campos visurum, ubi prælia gesta, ubi barbara castra fuêre. Eam urbem Ladislaus Huniadis filius validô præsidiô retinebat. Qui venienti Regi purpuratus, togatúsque portas aperuit, armatorum circiter quatuor millia ab ingressu prohibuit. Quod ægrè Comes Ciliensis ferens, Ladislaum apud Regem infensum reddidit. Odium enim, quod in patrem tulit, in filios omne suum convertit. Quæ omnia Ladislaus intelligens, in conventum nonnullorum Ungariæ Procerum eundem advocat,quo diploide vix penetranda ferrô indutô veniente, Corvinus eum proditorem compellat, ipse contrà rebellem Regi suo: inde Comes arreptô ab armigero gladiô Ladislaum petit, ejúsque digitos nonnullos amputat capútque vulnere perstringit. Ladislaus verò & ipse eductô gladiô frustrà Comitem loricatum ferit, inde clamore exorto Ungari irrumpunt, defendentémque magnô se animô Comitem, multis confossum vulneribus obtruncant. Cæde perpetratâ Regem adeunt, occisum Regni hostem dixêre. Rex quamquam vehementer commotus magna virtute dissimulavit, juréque cæsum affirmavit necessitate exigente. Mox igitur Albâ relictâ comitante Ladislao Rex Budam petere statuit; inter equitandum ad oppidum Huniadum, Themesvarum vocant, pervenit. Ibi conjunx Huniadis obviam facta est ob mortem mariti lugubri veste induta simul & puellæ pedissequæ. Rex matronam complexus eidem persuasit, ut lugubres habitus pullásque vestes exueret, Joannis animam gaudiis jam frui beatitudinis. Filii autem Huniadis his blandimentis allecti posito metu Regem usque ad Budam secuti sunt, erant hi Ladislaus & Matthias, qui postea Rex fuit, aulámque inprimis æstimati cultíque frequentabant. Rex à Consiliariis suis Comitis cæsi quondam amicis aut sanguine conjunctis permotus, adolescentes unà cum ipsorum amicis quibusdam Proceribus in ipsa aula sua capi jubet atque in carcerem rapi. De Ladislao sumptum est supplicium, frater ejus in vinculis retentus est. De ceteris captivis suspensum judicium, qui tamen paulò pòst effractis carceribus evasêre. Rex Budæ non diu moratus in Austriam se recepit, Matthiam Huniadis filium coævum captivum ducens. * [1.]

Cùm Rex Ladislaus ex Ungaria redisset Viennam, Abbas Joannes eundem accessit, petiît & impetravit confirmari Monasterii sui Zwetlensis privilegia, unde Rex tales exhibuit confirmationis litteras: „ Nos Ladislaus „ D. G. Ungariæ, Bohemiæ, Dalma- „ tiæ, Croatiæ &c. Rex, Dux Austriæ, „ & Marchio Moraviæ, fatemur & no- „ tum facimus præsentium tenore omni- „ bus in perpetuum, quòd ad nos ve- „ nerit Venerabilis ac Nobis devotus „ Abbas in Zwetl nomine suo & totius „ sui Conventûs, & litteras tres seu „ privilegia obtulerit ab Illustribus „ quondam Principibus Leopoldo & „ Friderico Austriæ Ducibus emanatas.

„ Lit-

„ Litteræ primæ Leopoldi prædicti „ Ducis in se continebant, quòd ipse „ imitatus Majorum & prædecessorum „ suorum Zwetlensis Monasterii Fundatorum clementiam, omnium bonorum Monasterio donatorum aut „ adhuc donandorum advocatiam sibi „ reservet, quòd etiam eidem Claustro „ denuò confirmat, atque in omnibus „ pedagiis ac teloniis suis dicto Monasterio jus suum donavit. Datæ „ ab Incarnatione Domini 1201. Litteræ alteræ ab eodem Leopoldo Duce datæ in se continent bona illa, „ quæ Hadmarus de Chünring cum „ consensu Offemiæ uxoris ejus, item „ Alberonis, Hadmari, & Heinrici filiorum, nec non Gislæ filiæ ipsorum „ Monasterio Zwetlensi dedit, atque „ in iis se ab omni jure proprietatis & „ advocatiæ singuli abdicârunt. Hæc „ bona Dux Leopoldus authoritate sua „ confirmavit, perpetuum robur habeant & apud Monasterium maneant. „ Datæ sunt annô Domini 1215. Litteræ tertiæ à Friderico Duce Austriæ „ & Stiriæ porrectæ, in quibus bona in „ iisdem litteris suis numerata Monasterio in Zwetl perpetuò confirmat, „ quæ præfatus Chünringius aliíque „ nonnulli largiti sunt, insuper sibi advocatiam reservat, atque etiam Monasterio per omnes suas terras liberam agendi facultatem & per pedagia sua transitum donat. Datæ sunt „ hæ litteræ annô Domini 1234. Item „ Albertus I. Romanorum Rex, cùm „ adhuc Dux esset, & ejusdem Ducis „ filii Otto & Rudolphus Duces Austriæ propatrui magni nostri Felicis „ memoriæ, Monasterio litteras & diplomata sua dederunt, in quibus eidem libertatem, jus & gratiam super „ advocatia aliásque immunitates, quas „ Monasterio eidem Fridericus II. Romanorum Imperator, tam in personis, quam in bonis dedit aut confirmavit, præsertim quæ in judiciis per „ Monasterii prælibati possessiones præfati nostri propatrui magni concessêre, exceptô judiciô sanguinis, ita „ ut si reus mortis in Zwetlensis Claustri bonis deprehendatur, eundem „ ipsius Claustri Præfectus judici competenti absque rebus cum eo captis „ cingulotenus tradat, quem judex ille, „ cui præsentatur, ita accipere, & prout „ meritus est, pœnâ afficere tenetur. „ Præterea suprà memoratus Abbas „ Nobis significavit, quatenus ipsis „ Charissimus Dominus ac Progenitor „ Noster Albertus Romanorum, Ungariæ, & Bohemiæ Rex bonæ memoriæ, cùm adhuc Dux tantùm esset, „ omnia privilegia, immunitates & libertates suas diplomate suo confirmâsset, quod diploma in bello Bohemico, cùm Monasterium dictum „ flamma vorax devastâsset, unà perist „ & combustum est. Rogavit itaque „ supplex Abbas, ut sibi ac Conventui „ suo præfatorum Austriæ Principum, „ Majorum Nostrorum litteras, diplomata, libertates, gratias, & jura de „ benignitate Regia renovaremus & „ confirmaremus: Nos igitur &c. „

[2.] Confirmat ergo Rex privilegia non tantùm suprà memorata & ipsi exhibita, sed omnia & singula Monasterii quæcunque extant, tanquam Archi-Dux Austriæ & Princeps terræ. Signatum est hoc diploma Regium sigillô, quali in Austria ipse uti solet. „ Datum Viennæ „ feriâ secundâ ante festum Exaltationis „ S. Crucis, annô Domini 1457. regnorum Nostrorũ, Ungarici octavô decimô, & Bohemici quartô. Ex hoc constat diplomate Monasterium Zwetlense ab Austriæ Principibus tam de familia Habspurgica, quàm Babenbergica fuisse semper defensum, atque exinde injuria patet, quam Chünringii postremi super advocatia Monasterii movêre, quæ à Fundatoribus ejusdem familiæ primis Monasterio nostro tradita, & à Principibus Austriæ suscepta, & hactenus semper custodita fuit.

Joannes Abbas porrò laboravit, ut

 privi-

privilegia Monasterii reformarentur, quæ hactenus tum ob bellum Austriæ intestinum, cùm ob Bohemorum excursiones enervabantur. Adiît inprimis Pataviensem Episcopum antiqua petens confirmari privilegia, deinde Principem Austriæ, ut pacis tempore, pace quoque vi privilegiorum suorum frui posset. Hujus præmisi diploma, jam indultum refero Pataviensis Episcopi. Erat Monasterio Zwetlensi ab Archi-Episcopo Salisburgensi sal certum fundatum, (*vid. Tom. I. ad Annum* 1243.) id per flumina nonnulla usque Crembsium aut Ipsium deducebatur. Telonia verò erant sequentia: Burckhusii ad Salsam; Braunoviæ, Obernbergæ, Schardingæ, & Patavii ad Oenum, & Lintzii ac Ipsii ad Danubium; quorum Domini Duces Bavariæ, Pataviensis Præsul, & Austriæ Princeps. Petiît igitur Abbas Joannes Zwetlensis à moderno Episcopo antiquum renovari & confirmari privilegium de sale sine telonio aut muta (ut ipsi loquuntur veteres) per Oenum sui juris devehendum. Dederat autem Leonardus Udalrici III. Episcopi Pataviensis antecessor Monasterio confirmationem super sale liberè deducendo, in qua Bernardi quondam Episcopi sui prædecessoris similem gratiam inseruit. Has litteras in suis inclusit Udalricus quoque Episcopus, renovans & confirmans indultum antiquum. Datum est privilegium Udalrici Viennæ 31. Januarii annô Domini 1457. Atque hæc de sale.

ADDITIONES.

• [1.] Æneas Sylvius Histor. Bohemic. c. 66. 67. & 68.

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 29. „ Nullus magis acerbus casus (*occisô Comite Ciliæ*) „ Regi contingere potuit, tam alta in juvene „ tamen animi moderatio fuit, ut summum „ illum dolorem intra se penitus contineret, „ mœstitiámque nec in vultu ostenderet, nec „ proderet gemitu; denique non dubitavit „ (quoniam ita Hungaris videretur) Comitem, qui loricatus inter togatos incedere „ ausus fuerit, jure cæsum profiteri &c. „

Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 6. „ Erant in aula Regis nonnulli, quibus vetus „ cum Ciliensi necessitudo fuerat, multis Corvinorum potentia gravis & invidiosa videbatur, timentibus, ne si Ladislaus ad gubernationis munus evehatur, nimis juveniliter dominatione abuteretur. Hi Regis „ animum ad perpetratæ cædis vindictam sollicitabant, audax id facinus fuisse, impunitatem majores illis animos parituram, occurrendum esse Corvinorum potentiæ, quâ freti, „ ne de regno occupando consilia aliquando „ ineant, cavendum. Inter alios verò Ladislaus Garus præcipui nominis vir erat, & „ cæsi Comitis sorore genitus, is etsi, Corvino, ùt suprà diximus, filiam desponderat, „ avunculi tamen cædem ægrè ferens, fluctuantem Regis animum ad sumendam de genero (qui nondum filiam traduxerat) vindictam confirmabat. Cùm enim Rex ad „ opprimendam fratrum factionem, non satis „ sibi virium adesse diceret, subjecit Garus, „ nihil ob eam rem cunctandum, satis supérq; „ præsidii in Giscra esse, qui cum Germanis „ cruce signatis Pesthi substiterat. Itaque „ persuaso jam Rege Giscram cum militibus „ accersiri, & clam in arcem intromitti placuit.

„ Interim Corvini fratres, securi degebant, „ & officii causâ cum æqualibus subinde Regem visebant nihil timentes, & eorum, quæ „ mater abeuntibus præcepta dederat, parum „ memores. Ea enim materna sollicitudine, „ sive augurio quodam ducta, multis cum lacrymis utrumque monuerat, ne unquam „ ambo simul in aulam se conferrent. Cùm „ igitur de more in Regiam venissent, occlusis portis ac militibus ex latebris prodeuntibus, in vincula conjiciuntur. Capti cum „ illis quotquot aderant amici, qui aut cædis „ conscii, aut administri fuisse putabantur. „ Inter eos præcipui fuêre Joannes Varadinus „ Episcopus, Sebastianus Rosgonius, Ladislaus Canysa, Paulus Madaratzius, ac alii „ nonnulli honesto locô nati, ac egregiâ sub „ Joanne Corvino militiâ functi. Tertio pôst „ die qui erat duodecimus Cal. Aprilis Ladislaus Corvinus capitali supplicio afficitur, „ indignante ac multa in Regem ipsum, ceterósque Proceres convicia jaciente plebe. „ Varadinus postea intercedente S. Angeli „ Cardinale vinculis exemptus, ac Strigoniensis Metropolitæ judicio permissus fuit. „ Reliqui captivi exceptis Matthia Corvino, „ & Madaratzio nocte quadam effractis claustris evasêre. Rex verò, ne quid illi, qui „ evaserant, molirentur, veritus, reliquos duos „ secum

„ secum abducens, Viennam ex Hungaria reversus est. „

Spondanus hîc n. 1.

Annales antiqui Hungariæ sub Joanne Huniade & Ladislao Rege.

Thwrocz in Chronica Hungarorum cap. 58. & seqq. & alii.

[2.] Ex Autographo ipsius seu Diplomate Regio.

[3.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCLVIII. Monasterii CCCXX.

Pont. Rom. Pius II. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Ladislaus Rex.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

CAllistus III. Pontifex morbo correptus intra quadraginta dies, & extremô seniô confectus moritur Romæ in Palatio Vaticano octavô Idus Augusti. Persolutis Callisti exequiis, Cardinales octodecim præsentes Conclave ingressi 14. Kal. Septembris elegerunt in Papam Æneam Sylvium Picolomineum, Senensem, Presbyterum Cardinalem tit. S. Sabinæ, qui Pius Papa II. appellatus est. Coronationis suæ insignia suscepit tertiô Nonas Septembris. *[1.] Suscepto Pontificatu historiam Bohemicam hucusque continuatam, sicut etiam Austriam suam, sic librum inscribit, imperfecta reliquit, qui hoc anno exspirat. Ceterùm de eodem Pontifice sic prophetavit B. Malachias Hibernorum Archi-Episcopus: De capra & Albergo. Quia Æneas fuit à secretis Cardinalibus Capranico & Albergato.

In Austria de conjuge Regi tradenda diu agitatum, multæ virgines offerebantur tantum conjugium expetentes. Verùm nobilissimo Regi quæ conjungi meritò posset, nulla dignior visa est Magdalenâ (*al. Margarethâ*) Caroli Regis Franciæ filiâ, tum propter ætatem convenientem, egregiam formam, pudicos mores, tum propter sanguinis excellentiam rarámque nobilitatem, & Majorum ejus latè vulgatam gloriam. Placet Legatos mittere, qui sponsam petant. De loco nuptiis eligendo contentio exoritur: Ungari Budam, Australes Viennam, Bohemi Pragam tantæ celebritati deputandam ajunt. Diu res trahitur nutante Rege. Ob eam causam Georgius Podiebradius cum octingentis expeditis equitibus in Austriam usque ad Danubium proficiscitur, atque eò Regem deducit, ut Pragæ nuptias suas celebrare concludat. Ordinatis igitur Austriæ rebus, Rex Pragam petit, ubi à Rochezana hæretico cum sacrilego presbyterorum comitatu primùm exceptus vix gratias egit, torvo vultu eum cum clero suo respiciens: Canonicis verò majoris Ecclesiæ obviam factus, de equo desiliens consalutatis omnibus reverenter, sacram Crucem osculatus est. Inde duæ legationes missæ, altera ad Fridericum Imperatorem de pace actura, in qua Princeps fuit Eitzingerus: altera ad Carolum Franciæ Regem, ejus filiam petitura. In hac primas partes gessit Ulricus Pataviensium Præsul, quem tradunt octoginta equos albicantes duxisse. In ea legatione septingenti equites profecti sunt, quadrigæ auratæ, matronæ ac virgines quadringētæ splendido apparatu, quæ sponsam ducerent: vestes præterea donáque tantô matrimoniô digna missa sunt. [2.] Ladislaus autem 10. Calendas Decembris horâ circiter duodecimâ noctis ægrotare cœpit, atque post sex & triginta horas extinctus est. Corpus defuncti in sinu proavi sui Caroli IV. Romanorum Imperatoris sepultum. Mortem ejus alii morbo, alii veneno imputavêre. [3.] Medici Teutones in Austriam reversi palàm dixêre, in Rege ægrotante manifesta mortis ac veneni signa comprehendisse, neque

que ausos in aliena terra manifestare quæ viderant: Regi tamen clàm aperuisse omnia, respondisse illum, non ignorare toxicum datum, silentium imperâsse, ne Regiæ morti suam adjicerent. Senatus Viennensis ubi vulgari eam famam animadvertit, medicorum sermonem prohibuit, ne Bohemorum adversùs se ferociam provocarent. [4.] „ Mortuô „ & conditô Ladislaô, ubi dies comi- „ tiorum novi Regis creandi advenit, „ affuerunt plurimi regni competito- „ res: Carolus Rex Franciæ pro uno „ filiorum suorum, aut marito sponsæ „ defuncti Ladislai futuro regnum pe- „ tebat. Casimirus Poloniæ & Guil- „ lelmus Saxoniæ Dux nomine conju- „ gum suarum, quæ erant Regis mortui „ sorores. Fridericus Imperator ejus- „ dem Regis ordinationem suam esse „ affirmabat, in qua feudi solennia ne- „ glecta fuissent. Sigismundus verò „ & Albertus Austriæ Duces sine spe „ non erant, qui deficiente Rege Bo- „ hemiæ sine virili sobole ex Austria vo- „ candum veteri fœdere Principem „ nôrant. Verùm his omnibus sepo- „ sitis Georgius Poggiebracius Rex pro- „ nuntiatur, militiæ domíque apprimè „ clarus, cui ad res gerendas nec con- „ silium nec ætas deesset. „ [5.] Huc usque Sylvius, & finit suam Bohemiam. De regno Ungariæ mihi quoque dicendum foret, quis illud hæredum obtinuerit, verùm cùm mei instituti non sit longioribus periodis id tractare, paucis expediam. Mortuô Ladislaô, qui secum Viennam Matthiam Corvinum Huniadis filium captivum deduxerat, ibíque sub custodia firma tenebatur, Georgius Podiebradius electus Bohemiæ Rex detractô Ladislai annulô nomine illius litteras Viennam dirigit, Matthiámque Pragam vocat, quo illuc adducto & nihilominus bene custodito, interea Proceres Ungariæ coëunt, Regémque opera & contentione Michaëlis Zylagii avunculi Matthiam declarant; Georgius facti illius inscium mensæ suæ adhibet, Regémque Ungariæ salutat, eíque genero adoptato filiam suam formâ elegantem despondet. Inde comitatus eum usque ad fines Moraviæ splendidè in regnum suum abire finit. Hic Matthias Austriacis postmodum multa & magna damna intulit, Viennâque ipsâ potitus est. [6.] De Austria controversia inter hæredes exorta est, qui erant Fridericus Augustus, Albertus VI. ejus frater, & Sigismundus Tirolensium Princeps utriusque patruelis; Albertus enim Austriam ad se trahere totis viribus nitebatur, Sigismundus miti & placido ingenio facilè quiescebat, Fridericus autem primogenitorum suorum jura fortiter defendebat. Igitur provincia nulli legitimo commissa Domino iterum latrociniis, furtis ac rapinis crudeliùs quàm unquam antea vexari cœpta, Udalricus Eitzingerus, Michaël Burggravius Magdemburgicus, Wolfgangus à Waltsee, Bernardus Schaumbergicus, & alii quidam Proceres à Principibus impetrârunt, ut sibi potestas gubernandæ Austriæ traderetur, quoad proximus Ordinum conventus concordiam inter ipsos stabiliret. [7.]

Porro Balthasar de Chünring Dominus in Seveld scribit Joanni Abbati in Zwetl illum rogans, quatenus pauperem quendam in Hospitale Monasterii Majorum suorum fundationem ad suam præsentationem suscipere velit. Datum in Seveld annô Domini 1458. feriâ sextâ ante Pentecosten. Fuit hic Balthasar filius Georgii Marschalci Austriæ, nepos Nitzonis, & Schetsonis pronepos; uxor ejus Elisabetha filia Nicolai de Liechtenstain in Muraw ex Stiria: liberi eorum Joannes Chünringius, Ehrentrudis Jacobo de Arberg ejus familiæ ultimo nupta, & Anna. [8.]

ADDI-

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Callisto III. & Pio II. PP.

Spondanus hìc n. 7. „ Pontificis autem „ Callisti molitiones in Ferdinandum (*filium* „ *ex obliquo Joannis Ferdinandi Regis Aragoniæ* „ *& ab hoc hæredem Regni Neapolitani institutum)* „ ejus obitu dissipatæ sunt; qui contigit Ro- „ mæ octavô Idus Augusti, extremô propè „ ipsius seniô, nempe ætatis annô octogesimô, „ cùm sedisset annos tres, menses quatuor, mi- „ nùs tribus diebus, ac morbum quadraginta „ dies pertulisset. - - - Sepultus est autem „ in Sacrario S. Petri marmoreô tumulô: re- „ lictis centum & quindecim (ùt Platina, seu, „ ùt Antoninus, centum & quinquaginta) „ millibus nummûm aureorum in usus belli- „ cos contra Turcos. „

N 9. „ Finitis Callisti exequiis decima „ die post ejus obitum de more octodecim „ Cardinalibus tunc Romæ existentibus con- „ clave ingressis; tertia pòst die, nempe de- „ cimô quartô Calend. Septembris electus „ est ei successor frequentissimè superiùs no- „ minatus Æneas Sylvius Bartholomæus (tri- „ nominis enim fuit) patriâ Senensis è pago „ Corsiniano, duo & viginti circiter millibus „ Senis distante, ubi fundi gentilitii erant; „ patre Sylvio Piccolomineo, matre Victoria „ Fortiguerra, nobili sed tenuiori prosapia; „ Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ per omni- „ um dignitatum gradus ad munus Aposto- „ licum evectus, literis, eloquentia, dexte- „ ritate, & prudentia nulli Secundus. - - - „ Qui nomine Pii II. suscepto, & symbolo: „ *Protector noster aspice DEUS, & respice in* „ *faciem Christi tui*; coronationis insignia „ suscepit tertiô Nonas Septembris, annos na- „ tus quinquaginta tres. De cujus matre „ tradunt; cùm per quietem visa sibi esset in- „ fantem cum mitra parere, veritam ne somni- „ um illud puero & familiæ ignominiam por- „ tenderet (quòd solerent mitræ chartaceæ „ suppliciô afficiendis imponi) nunquam po- „ tuisse hujusmodi suspicionem deponere, „ quousque intellexit filium Tergestinum Epi- „ scopum designatum fuisse. Confestim verò „ post coronationem scribens de sua assum- „ ptione literas, orationes omnium Christia- „ norum humiliter flagitavit: ùt videre est ex „ iis, quæ datæ reperiuntur pridie Nonas „ Septembris ad Universitatem Parisiensem. „

[2.] Æneas Sylvius Histor. Bohem. c. 69. Bohemia Pia lib. 2. „ Erat Rex magni „ animi, optimorum consiliorum & multa „ pro tuenda Republ. Christiana, Turcisque „ evertendis secum cogitabat: sed incertæ va- „ næque cogitationes hominum. Dum in- „ signes Oratores cum muneribus splendidis „ in Galliam pro sponsa Margaretha Regis „ Galliæ filia mittit, ea nuptias solennes ap- „ parat: quadam die tristis & illacrymans cer- „ tam sibi mortem instare dixit interrogatus. „ Et licèt fuerunt, qui consolarentur, & licèt „ cum purpuratis solito more cænârit, iturus „ cubitum rapulas comedit, ex quibus dolo- „ rem sine somno sensit, nihil ampliùs me- „ dicis proficientibus per totam noctem, do- „ nec post sex & triginta horas, quàm ægro- „ tare cepit, innocentem animam Deo Opt. „ Max. offerret. Sed & ipse Georgius priùs „ convocatus, percunctari ex Rege quid do- „ leret, quid morbi esset, spem bonam præ- „ bere, ne sibi ipsi deesset, hortari, peteret, „ quæcunque vellet, omnia in arbitrio suo „ posita, mandaret parere cupientibus. Ad „ quem Rex tua mihi Georgi jam pridem „ cognita est fides, spectatáque virtus, per te „ Bohemus usque in hunc diem me Regem „ appellavit. Speravi me potiturum regnô, „ quod ipse paraveras: nunc contrà jubent „ Superi. Mihi moriendum est, Regnum in tua „ manu erit. Duo ex te peto: alterum, utì pro- „ vinciales justè regas, pupillis, viduis, imbe- „ cillibúsque rectum judicium patrociniúm- „ que ne subtrahas: alterum, ut qui me „ secuti sunt ex Austria, cæterísque pro- „ vinciis, in patriam suam inviolatos remit- „ tas. Hoc mihi supremum beneficium ne „ deneges. Præmaturas Regis cogitationes „ Georgius esse respondet: Futurum brevì „ sospitem, ex suo arbitrio regnaturum, de- „ fineret ea proloqui, quæ & sibi incommoda „ & aliis forent molesta: Tum Rex appre- „ hensa manu. Age, inquit, promitte, quod „ cupio, nam me mori certum est. Si fece- „ ris, quæ jubeo, Deum propitium tibi red- „ dam. Neque enim ita vixi, ut cœlum mihi „ negari putem: pro cœlestibus terrena re- „ linquo: tu cave postulatis adverseris. Non „ potuit tenere lachrymas Podiebradius, „ dedítque fidem se facturum, quod Rex im- „ perâsset. Finito sermone, intromissis Sa- „ cerdotibus, de curatione animæ actum, „ Christiano more Sacramenta exhibita. Rex „ ornamenta sua Ecclesiæ Pragensi legavit, „ jussitque crines in auri modum fulgentes, „ ne qua superesset vanitas, amputari. Id „ ministri causas moræ vertentes neglexêre. „ Ubi anima ægra ampliùs demorari non po- „ tuit, sacram candelam petiit, eámque ma-

„ nu prehendit, & intuens Salvatoris imagi-
„ nem Crucifixi, Orationem Dominicam di-
„ cere orsus, ad finem usque perduxit: pro-
„ nuntiatisque ultimis verbis: *Sed libera nos à*
„ *malo*, nihil ampliùs locutus, non extrema
„ pati, sed quietem arripere visus, mortalis
„ vitæ lumen reliquit. Ego cùm haberem sub
„ custodia mea corpora Imperatorum, Re-
„ gúmque mortuorum, dum nova Cæsarea
„ sepultura in Templo Metropolitano con-
„ strueretur, & Serenissimus Maximilianus
„ Archi-Dux Austriæ Ordinis Militum Theu-
„ tonicorum Supremus Magister, &c. videret
„ Ladislai corpus integrum, & ex omni parte
„ incorruptum, etiam quoad vestimenta sacra,
„ quibus indutus erat, caligas item & calceos,
„ ungues excrevisse, & per me brachium Ladis-
„ lai moveri sine ulla difficultate, quæreret ex
„ me de tempore & causa mortis suæ, respondi
„ mortuum annô millesimô, quadringentesi-
„ mô, quinquagesimô septimô, causam verò
„ mortis Bohemos asserere rapulas superdictas.
„ Ad quæ bonus Princeps post paucum silen-
„ tium & suspirium respondit. Deus in illo ex-
„ tremo judicio declarabit, quæ causa fuerit. „

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 29. prope finem.

Gerardus de Roó lib. 6.

Spondanus ad annum præcedentem n. 10.
„ Cùm appropinquaret ingenti apparatu die
„ festo S. Michaëlis, fine Septembris egregius
„ ac generosus adolescens Pragam (annos
„ tantùm natus decem & octo) &c. - - Missæ
„ inde legationes ad Imperatorem de pace,
„ ad Carolum Francorum Regem pro filia ejus
„ adducenda, ad Callistum Papam pro con-
„ troversiis de Religione dirimendis, regnó-
„ que Boëmiæ Romanæ Ecclesiæ ex integro
„ conjungendo: erátque quarta cura de com-
„ parando contra Turcos valido exercitu:
„ Cùm hos tantos cogitatus, has pulcherri-
„ mas institutiones, tantum rerum Ordinem &
„ apparatum immatura & repentina mors Re-
„ gis interrupit; quæ seu ex ulcere pestifero in
„ inguine, seu ex intempestivo rapularum, quæ
„ apud Boëmos dulcissimæ sunt, multa nocte
„ esu, ùt nonnulli jactârunt, seu, ùt commu-
„ nior fuit opinio, venenô ei à Podiebracio
„ & Rockysana præbitô, vel etiam, ùt apud
„ Michovium reperimus, ab Ulrico Eyzingero,
„ de quo aliàs; contigit 9. Calendas Decem-
„ bris triginta & sex horis postquam ægro-
„ tare cæpisset &c. - - - - Nonnulli cùm mor-
„ tem Ladislai in annum sequentem (*nobis*
„ *præsentem*) referunt, falli eos certissimum
„ est. „

Idem ad hunc ann. n. 1. „ Annô Christi
„ 1458. Indict. 6. tam in Austria & Hungaria
„ quàm Boëmia laboratum est in successore
„ dando Regi Ladislao ad finem anni præte-
„ riti defuncto. „

Item Hagecius disertè ait Legatos pro sponsa in Galliam missos, mortémque Ladislai contigisse annô 1457.

Verùm his non attentis aut non visis Compilator textûs nostri contendit Regem Ladislaum hoc, & non præcedenti anno è vivis excessisse, secutus Dubravium, de Roó, & vel maximè Chronicon MS. nostrum, cui multum fidei tribuit, ad annum sequentem relatum.

[3.4.5.] Æneas Sylvius suprà cit. cap. 70. cap. 71. & cap. 72.

[6.] Gerardus de Roó ubi suprà.

Annales Ungarorum antiqui præter alios suprà dictos Authores.

[7.] Item Gerardus de Roó loc. cit. & Piespordius in Alberto VI. Prodigo.

[8.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MCCCCLIX. Monasterii CCCXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

PRoceres Austriæ cùm viderent Principes suos cogitare ea quæ belli sunt, ipsorum animos in concordiam redigere omni studio conantur, nihil tamen efficere potuerunt. * [1.] Fuerunt præcipui ex quovis Statuum Ordine octo lecti sequentes inter eos arbitri:
„ Ex Ecclesiasticis, Præpositus D.
„ Stephani Viehensis. Abbas Mellicensis,
„ Gotvicensis, Campi-liliorum, S. Cru-
„ cis, Cellæ-Mariæ, Lambacensis, &
„ Prior Maurbacensis. Barones, Ge-
„ orgius Puechaymius, Albertus Poten-
„ dorfius, Georgius Chünringius, Ul-
„ ricus Stahrenbergius, Albertus Eber-
„ storfius, Georgius alter Potendorfius,
„ Vitus

„ Vitus alter Eberstorfius, Georgius „ Struno. Equites, Nicolaus Druch-„ sessius, Sigismundus Eitzingerus, Ber-„ nardus Tahenstainerus, Christopho-„ rus Pottingerus, Sigismundus Fri-„ tzenstorfius, Georgius Sawseneckе-„ rus, Wolfgangus Missendorfius, „ Wolfgangus Oberhaymius. Civi-„ tates, Jacobus Starchius Consul, „ Oswaldus Reicholfus, Christianus „ Wissingerus, Ulricus Cramerus, Vi-„ ennenses omnes. Petrus Wolckius „ de Corneoburgo; Michaël Marck-„ feldius Tullensis; Ipserus Stainensis; „ Rupertus Lincensis Judex. [2.] „ Cúmque Principes Viennam venis-„ sent, Imperatori privatæ Petri Stras-„ seri ædes, Alberto Pragensis domus, „ Sigismundo Laurentii Heydemi do-„ mus hospitia præbuêre. Arx Vien-„ nensis propria Principis Sedes pro-„ vincialium firmô præsidiô tenebatur, „ nulli aperienda, priusquam inter ipsos „ convenisset. Conventu Procerum „ deinde coactо res proposita est à par-„ tibus, verùm in alium & alium con-„ ventum semper prolata. Inter hæc „ Matthias Ungariæ Rex Legatos Nea-„ polim ad Imperatorem mittit, qui sa-„ cram regni coronam, eáque loca, „ quæ ab illo tenebantur, repeterent, „ reddere nolenti bellum denuntiarent. „ Verùm Proceres plerique Zelagii fa-„ ctioni adversántes Ungariæ citerioris, „ contrarium Cæsari suadebant, eúm-„ que Regem elegêre, eíque fidem, „ opésque, militem item ac comea-„ tum se daturos pollicentur. Sunt „ qui Fridericum ab illis Neapoli Regem „ Ungariæ creatum, atque ea de causa „ tam illic, quàm Viennæ supplicatio-„ nes publicè habitas meminêre. Ad-„ firmat idem Nicolaus Langmannus „ Friderici Sacellanus, notátque Fri-„ dericum utì ante septennium Romæ, „ eo die, quo canitur Lætare Hierusa-„ lem, Imperii: ita tunc eodem die „ regni Ungarici coronam suscepisse. „

[3.] Hæc ex manuscriptis Gerardus suprà citatus referre se fatetur. „ In-„ terea Matthias Corvinus Rex Simo-„ nem cognomentô Magnum in Unga-„ riam Superiorem & Austriæ fines cum „ exercitu ablegat, cui à Friderico op-„ ponitur Udalricus Graueneggerus, „ cui se Nicolaus Vilachus Croatiæ Dy-„ nasta & alii conjunxêre. Verùm „ Teutonica virtute repulsi Ungari vi-„ cti campum reliquêre, victoria tamen „ incruenta non fuit. Nascitur sub „ idem tempus Friderico filius 22. Mar-„ tii, cui Maximiliani nomen datum, „ puer sacri Baptismi undis tinctus à „ Sigismundo Volckendorfio Salisbur-„ gensi Præsule. Intereà Matthias Rex „ Fridericum denuo leniter tentat de „ restitutione coronæ, cui spes de ipsâ „ assequenda facta fuit. Induciæ in-„ terim firmæ servari jubentur. Ve-„ nerat rursum Cæsar Viennam, ibíque „ inter ipsum & fratrem Albertum no-„ væ discordiæ oriuntur, quas ægrè „ admodum composuêre Proceres. „ Tandem eò res deducta fuit, utì Cæ-„ sari Austria Inferior usque ad Anasum „ relinqueretur, ea verò regio, quæ „ supra Anasum est, Alberto cederet, „ Sigismundo Superior Carinthia Ti-„ roli contermina traderetur, in arce „ Viennensi suum quisque hospitium „ seorsum ab aliis haberet. Circa Ju-„ lium Fridericus Neapolim rediit, Al-„ bertus autem inquietus Austriam in-„ tegram cupiebat fratre Cæsare exclu-„ so, & ad hoc etiam anteà propensum „ Conradus Fraunauerus seditiosis vo-„ cibus exstimulabat, quæ res maxima „ belli civilis incendia excitavit. Pro-„ ceribus itaque quibusdam sibi asso-„ ciatis, insuper de Bohemiæ Rege in „ societatem vocando consilia agitabat. „ Id improbantes Udalricus, Stepha-„ nus, Oswaldus & Sigismundus Eitzin-„ geri relictô Albertô Cæsaris partes se-„ cuti sunt. „ [4.] Hæc quidem Gerardus; Struno tamen se ex actis Fri-derici habere affirmat, Regem Bohemo-

rum Alberto auxilia misisse, ac demum ipsum venisse armatum, non contra Cæsarem, sed contra Eitzingeros, qui arma in Albertum majora parârant, quàm ipse putabat. „ Viennam autem advo- „ lans Albertus Udalricum ex Eitzinge- „ ris primarium, omnia dissimulans, ad „ colloquium vocatum capi jubet, ac „ in Austriam Superiorem secum ducit. „ Unde cæteri ejusdem familiæ conci- „ tati, Austriæ præfatæ agrum popu- „ labundi percursant, Bohemiæ insuper „ Proceres vocati cum auxiliis jam ad- „ venerant. Bohemi ad quinque ho- „ minum millia carrorum objectu se mu- „ nientes aperto Marte congredi detre- „ ctabant, & retrogredientes, Albertus „ Laam usque insecutus castra ibi meta- „ tur. Cùm verò Regem majore cum „ exercitu adventare rumor esset, Cor- „ neoburgum rediît, & præsidiô illic „ collocatô, Viennam secundô fluviô „ descendit. Inter hæc Bohemiæ Rex „ in Austriam progressus castra prope „ Crembsium habebat. A Cæsare mo- „ nitus, ne in se Austriæ Dominum ni- „ hil in ipsum molitum arma injusta „ contra fœdera ferret, ille acceptis „ conditionibus Austriâ relictâ domum „ rediît. Friderico deinde laborante „ inter Albertum fratrem & Eitzinge- „ ros pacem componit, liberátque Udal- „ ricum, ut in Srattendalium arcem „ Eitzingerorum liberè restituatur, aliá- „ que, quæ in bello capta sunt, reddan- „ tur. „ [5.] Hæc omnia ex Gerardo.

Quidam anonymus MS. Author Abbas aut Monachus Zwetlensis obitum Ladislai in annum suum rejicit, atque inde secundùm mentem Scriptorum res alias anno isto gestas sub uno quasi fasciculo comprehendit, cujus verba ista sunt: „ Annô Domini 1458. in die S. Clemen- „ tis Nobilis & Inclytus Ladislaus Rex „ Ungariæ & Bohemiæ; Dux Au- „ striæ & Marchio in Moravia interfe- „ ctus (*venenô sublatus per Podiebra-* „ *dium & Rochezanam, ut rumor erat*) „ est à perversis & nefandis hæreticis in „ civitate sua Pagrass (*Praga*) non in „ prælio, sed dolosè & in occulto, in „ cubiculo suo. Unus magnus plan- „ ctus factus fuit in universis regnis, „ unde factum est sequenti anno, quòd „ quasi tota terra Austriæ devastata est „ per Bohemos, & multa castra sunt „ destructa, & villæ succensæ sunt igni. „ Et magna Karistia (*annonæ caritas*) „ secuta est per totam Austriam, ita „ quòd una metreta siliginis vendeba- „ tur pro sex solidis denariorum, & ma- „ gna persecutio facta fuit in Clero, & „ præsertim Monasteriorum „ [6.] Hucusque ille. Verùm recurrendum est ad suprà dictas belli Bohemici causas, quòd non propter vulgatos hos sermones Bohemi in Austriam excurrerint, sed in auxilium vocati ab Alberto Principe contra Eitzingeros sibi adversantes, qui per Austriam potentes multa castra & ditiones habebant. De Bohemorum & Eitzingerorum devastationibus litteræ pòst subjungendæ plura dicent. De annonæ quoque caritate facit mentionem Struno, sed causam dat monetæ novæ multúmque valenti, de qua anno sequenti dicam; denique devastationis pedissequa plerumque solet esse agrorum nuditas & rerum caritas, sic quoque tunc potuit evenisse. Ceterùm litteræ quædam annum quidem præcedentem respicientes missæ sunt Cistersdorfiô Viennam, quæ nova sequentia ferebant: „ F. Nicolaus Sen- „ ginger Monachus Zwetlensis, Pleba- „ nus in Cistersdorf scribit Ulrico „ Chlem de Dieppach, qui eum ad se „ Viennam vocaverat, nova talia: „ Eytzingeri cœperunt Valckenstai- „ nam, inde deprædantur Austriam, „ præsertim agros circa Cistersdorfium „ devastant, quoniam illud castrum à „ Cistersdorfio duobus & dimidio mil- „ liaribus distare fertur. Prædatur „ etiam in eodem territorio quidam „ Nedwenco dictus, & quotidianus ve- „ lut hostis in conspectum mœnium „ educit, messores capit, obvios spo- „ liat,

„ liat, armatos cædit, & oppidum Thabor vetus dictum in Ungariæ limitibus situm præsidiô munivit, qui uno quoque milliari à Cistersdorfio castra metatur. Rex item Bohemiæ fertur habere exercitum quinque millium virorum, cujus statio est in Wisternitz & Teyntz, & dicitur Cistersdorfium cum castro & omni dominio ibidem petiturus, ídque invadere, nî dedatur, ferro & igne, donec in suam redigat potestatem. Unde cives hìc præmoniti sunt, ut diligenter vigilent, omniáque ad defensionem parent, cùm ipse post tres aut quatuor dies civitatem sit obsessurus, qui quatuor tantùm milliaribus inde abest. Hinc Plebanus præfatus excusat se non posse venire Viennam, cùm sit velut Simius in cavea inclusus. Datum in Cistersdorf feriâ quintâ post Jacobi, annô 1458. „ [7.] Ubi ait Bohemum quinque millium virorum in Austria habere (*exercitum*,) sciendum absque Rege illos fuisse Proceres, qui Alberto Principi usque ad Laam eos insecuto pugnæ copiam facere nolebant, usque dum cum Rege suo, cujus adventum rumor prævenerat, conjungerentur. Qui deinde adveniens non ad Cistersdorfium descendit, sed ad Crembsium ascendit, ibíque terram circumquaque devastavit, unde postea annonæ caritas secuta fuit. Reperi in Gerardo, quæ erat ratio tumultûs Austriæ, quem litteris suis Viennam nuntiavit Plebanus Cistersdorfiensis: „ Milites quippe, *ait Gerardus*) atque ex his Bohemi præcipuè, quorum operâ Albertus usus erat, ob stipendia integrè non soluta per provinciam latrocinia passim exercebant, ac subditis undique damna inferebant gravissima, quos contrà cives & rustici ex locis circumvicinis educti mille & quingentos ex eis capiunt, cæteris fusis fugatísque. Erant insuper in ea Austriæ parte, quæ Marchæ-Campus vocatur, pagi aliquot, quos Cæsar tutor adhuc Ladislai Eitzingero dederat, hos ille fidei Sacramentô obligatos habebat. Ægrè eam rem ferebant ex Ordinibus nonnulli, contra libertatem id esse factum dicentes. Multi præterea ditiones quasdam & prædia tenebant, super quibus diplomata à Ladislao sibi concessa ostendebant. Ea Cæsar irrita esse volebat, quæ Ladislaus nondum sui potens, nec rectè, nec ordine fecisset. „ [8.] Hæc Gerardus; unde Eitzingeri commoti Valchenstainam occupârunt Cæsareanos ubique devastantes, cujus partes sequebantur Potendorfii, ad quos castrum Cistersdorfense unà cum civitate pertinebat, qui per Præfectum illud gubernabant. Demum in monumentis litterarum Monasterii sequentia quoque reperiuntur: „ Annô Domini 1459. quintâ, (*scilicet feriâ*) in die Cœnæ post Benedicti, (*scilicet festum*) vel 21. die Martii, Leonaria (*Leonora*) filia Regis Portugalliæ, Imperatrix, Friderico Imperatori Regi Ungariæ, Duci Austriæ peperit secundum filium Maximilianum, baptizatus per Episcopum Salzpurgensem Volckerstorfer. „ [9.] Notandum hìc Fridericum Imperatorem vocari Regem Ungariæ, unde verum erat ipsum talem creatum fuisse, utì suprà scripsi.

Dum hæc in Austria geruntur, Ordo Cisterciensis apud Pontificem Romanum Pium II. sollicitat & impetrat notabile privilegium, suam exemptionem confirmans, quod incipit: Pius Episcopus Servus Servorum &c. Datum Mantuæ 7. Calendas Augusti, annô Domini 1459. Pontificatûs autem sui annô primô. [10.] Erat tunc Mantuæ Pontifex, ibíque Conventum Principum celebravit, in quo de expeditione in Turcas actum est. [11.]

Porro cùm Monasterium Zwetlense ratione Parochiarum suarum in territorio Weitracensi sitarum, nimirum in Schöenaw & Schweickarts, vexaretur, sup-

ſupplicatum ab Abbate Friderico Imp. fuit, quatenus illud hac de moleſtia liberaret, unde tale diploma largitus eſt: „ Fridericus Romanorum Imperator „ ſemper Auguſtus, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Dux Auſtriæ, „ Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Dominus Marchiæ & Portûs-Naonis, „ Comes Habſpurgi, Tirolis, Phyrdt, „ & Kyburg, Marggravius Burgoiæ, & „ Landgravius Alſatiæ confirmat Plebanorum omnium in Dominio Weitracenſi reſidentium privilegium, quod illis Archi-Dux Auſtriæ Albertus V. antequam Rex Romanorum fieret, donavit, & in ſe continet, nè ullus omnino Capitaneus ſeu Caſtellanus, aut Præfectus, ſeu quocunque nomine vocetur, dominii in Weitra relicta Plebanorum prædictorum defunctorum bona jure aut nomine dominii Weitracenſis conſcribere, aut ſibi attribuere jure patronatûs audeat, ſed illa vel ex teſtamento cedant legitimis hæredibus, aut ipſis Eccleſiis uſuveniant. - - - „ Da- „ tum in Weitra feriâ quintâ poſt Aſ- „ ſumptionem, annô Domini 1459. „ Imperii autem ſui octavô, & regno- „ rum Romani vigeſimô, & Ungarici „ primô. „ [12.] Notandum in hoc diplomate ipſius, ſeipſum vocare Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Regem, quoniam electus & coronatus erat in Regem à quibusdam Proceribus illius, ùt ſuprà ſcripſi.

Non ſolùm autem Abbas Zwetlenſis apud Imperatorem laboraverat, cui Auſtria Inferior erat adjudicata, ſed etiam anteà impetravit ab Alberto, qui Ducatum Auſtriæ prætendebat, privilegiorum ſuorum confirmationem. Unde tale diploma Principis accepit: „ Al- „ bertus Archi-Dux Auſtriæ, Dux Sti- „ riæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes „ Tirolis, &c. confirmat privilegium „ datum à Ladislao Rege felicis recor- „ dationis patruele ſuo ſuper ſales Mo- „ naſterii per Danubium & terras ſuas „ liberè, ſine cenſu telonii deducendos. „ Datæ in Lintz, feriâ quintâ poſt fe- „ ſtum Georgii, annô Domini 1459. „ [13.] Sciendum Albertum hunc VI. Prodigum cognomentô, Friderici Imperatoris fratrem, Auſtriam Superiorem ſortitum in Lintzio reſidentiam ſuam habuiſſe. Ubi ſales noſtri Monaſterii in Danubio navibus erant deducendi.

Vendidiſſe Joannem Abbatem in Zwetl curiam in Gundrambſtorf ſitam litteræ quædam ejusdem declarant. Quarum eſt datum annô Domini 1459. in die S. Viti. [14.] Coactus vendidit, cùm Monaſterium debitis pluribus gravatum extiterit, eâque de re forſan à Capitulo Generali licentiam obtinuerit, cùm nunquam ea curia ad Monaſterium rediêrit.

Fuit tunc temporis in Zwetlenſi oppido Decanus & Plebanus Gregorius Talheimerus, cujus cooperatores in ſpiritualibus vocantur Nicolaus Ceſpeckh & Joannes Rewſs presbyteri, inter Abbatem & eos commiſſio quædam inſtituta eſt. Datum in oppido Zwetl feriâ ſecundâ, quæ incidit in 24. Septembris, annô 1459. [15.] Hæc ob notitiam vicinitatis.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó Hiſtor. Auſtriac. lib. 6.

[2.] Struno in Annalibus ſuis Superior. Auſtriæ.

[3.4.5.] Gerard. loc. ſuprà cit. Spondanus ad hunc ann. n. 2. „ Ibidem „ (*Senis*) receptis Friderici Imperatoris Re- „ gúmque Henrici Caſtellæ, Matthiæ Hun- „ gariæ, Alphonſi Portugalliæ, & Georgii „ Boëmiæ &c. - - Oratoribus, qui Chriſti „ Vicarium pro veteri more adoraturi adve- „ nerunt: cùm indignè ferrent Imperiales, „ Matthiam Hungariæ Regem à Pontifice „ appellatum fuiſſe, cùm ipſum Imperatorem „ Barones Regem ſupra ſe elegiſſent, Ponti- „ fex injuſtam querelam eſſe dixit, quando „ mos eſſet Apoſtolicæ Sedis eum Regem „ appellare, qui regnum teneret, & prior „ ante

„ ante se Callistus Matthiam Regem appellâsset. „

[6.] Chronicon MS.

[7.] Ex litterarum monumentis.

[8.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 6. in fine.

[9.] Annotationes Rechwein civis Viennensis, qui hoc anno obiisse conjicitur.

Hundius in Metropol. Salisburg. sub iisdem Archi-Episcopis in Sigismundo. „ Sigismundus Primus à Volckenstorf, Præpositus Salisburgensis fit Archi-Episcopus annô 1452. - - - Maximilianum Regem & Georgium Ducem Bavariæ è sacro fonte levavit. „

[10.] Ex litteris Pontif.

[11.] Ciaconius in Pio II. „ Mantuam postremò undequaque ventum est; magnus aderat Principum numerus, magna Legatorum vis; ex tota enim Europâ nulla natio, gens nulla fuit, quæ non aut Principes, aut Legatos eò miserit. Actum denique est in illo celeberrimo conventu, Pio ipso dicente, ut bellum communi omnium decreto Turcis indiceretur: dictæ sententiæ, qua id ratione geri posset, propositum periculum, quod cervicibus Christianorum immineret. „

[12. & 13.] Ex Autographis ipsorum.

[14. & 15.] Ex litterarum monumentis.

Annus Christi MCCCCLX. Monasterii CCCXXII.

Pont. Rom. Pius II. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

AUstriæ Proceres communicato cum Fraunauero in Stockeraw consilio, Gelersdorfii conventum indicunt futurum, postmodum rursus Woldersstorfii coëunt, non enim Cæsar pro eorum votis responderat. Audaciores ibidem facti capita nonnulla postulatorum ac gravaminum descripta templorum valvis affigebant. Inter illa præcipuum erat de moneta, cujus ratione à nonnullis malè administrata, rerum pretia intendi, paucísque ditescentibus reliquos ad inopiam redigi graviter conquerebantur. * [1.] Anno priori promisi aliquid ex Strunonis Annalibus de hac moneta referre, de qua sic ille scribit: „ Dux Albertus „ tum Anasi, tum alibi novam cudi monetam cœpit, quæ Schindering, vel „ Schinderling dicta est, sicut etiam Cæsar Græcii & Neapoli Austriæ contra „ Ungelti ùt vocant libertatem. „ Hæc ipse ex Haselbachio habet. Deinde ex eodem alibi sic loquitur: „ In moneta „ vili Schindering florenus ascendit ad „ duodecim, tredecim, & quatuordecim solidos, unde rerum omnium „ incrementum tam per Austriam, „ quam extra illam provenit. Acta „ Friderici sic de ea loquuntur: Numorum horum ratio primùm ea fuit, „ ut pro floreno talentum denariorum „ daretur, ubi suum rebus adhuc pretium constitit: deinde valebat decem „ solidos: postmodum 2. 4. 6. 8. & tandem duodecim talenta, atque omne „ vendibile secundùm florenos dabatur, quare tanta pretii caritas facta est, „ ut lepus pro decem solidis, ligularum „ duodena (ein Dutzet Nestl) pro dimidio talento, gallina pro quatuor solidis, „ libra unius pondo piperis pro quatuor „ talentis den. modius tritici pro quinquaginta florenis venderentur. Hoc „ monetæ primum incrementum agricolæ arridebat, qui sua tantô pretiô „ distrahebat, verùm dulcedo demum „ transiit in amaritudinem, cùm pecuniæ majorem partem rursum in valore „ amitteret. „ [2.] Hucusque ex Strunone. Atque hæc causa erat, ut Fridericus Cæsar postea in tantam inciderit calamitatem. Nam Albertus mox Magistrô monetæ spoliatô, qui magno cum thesauro pecuniæ jam fugam meditabatur, provinciales suos conquiescere fecit: Cæsar autem segniùs rem agens videbatur nolle quicquam immutari, unde

unde Proceres Austriaci in Albertum respicientes ipsum in Austriæ regimen introducere conabantur, Cæsare excluso. Fridericus ob Procerum factionem Viennenses suspectos habens scrutatur ipsorum animos, iísque immunitates ac privilegia sua confirmaturum se spospondit, si priùs denuo in verba ejus jurent. Primò quidem tumultus exortus; verùm re intellectâ ipsi sese offerunt ultrò, fidem se atque obsequium præstaturos, conceptis verbis jurant. Venerat iis diebus Viennam Udalricus Eitzingerus cum aliis quibusdam Proceribus ad trecentos equites, impetratis à Cæsare fiduciæ tabulis. Aderant & Regis Bohemiæ Legati, qui ejus nomine tanquam arbitri honorarii lites omnes dirimerent. His coram Eitzingerus ac reliqui Ordines postulata sua exponunt, de moneta, vini, frumenti, salis aliarúmque mercium portoriis, in quibus esse querebantur, quæ immunitates suas ac privilegia labefactare viderentur. Re diutiùs disceptata nihil eo tempore transigi potuit, præterquam de monetæ reformatione, eáque de re confecta sunt diplomata. Post hæc Fraunauerus comparuit vocatus, qui per eos dies aliquot Præpositi Claustri-Neoburgensis ac aliorum, qui in judicio sententiam contra ipsum dederant, loca sui juris fecerat: sed nihil cum eo transactum. Mox verò Trebenseïum insigne Pataviensis Episcopi municipium occupat, præsidiô munit, incolas in verba jurare cogit, novum vectigal loco imponit. Eodem anno Tulnæ quoque in publico conventu cum Fraunauero actum est, sed frustrà, jámque audacior ille ac Procerum quorundam opibus fretus pagos & municipia non pauca occupabat, tributáque subditis imperabat; móxque dissidio iterum inter fratres recrudescente ad Alberti se partes contulit. [3.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó Histor. Austriæ lib. 6. prope finem. „ Cum illis (*nonnullis „ ex Ordinibus ægrè ad postulata sua ferentibus „ Cæsaris responsionem*) causam suam sociabat „ Cunradus Fraunauerus, & communicatis „ inter se in pago Stockeraw consiliis diem „ futuro Conventui dicunt Gelesdorffi, in „ Octavum Idus Januarii. - - - - - Lib. 7. Advenerat dictus conventui dies, & Provin„ciales, qui frequentes aderant, ne quid con„tra Cæsarem moliri videantur, per inter„nuncios eum orant, utì Legatos eò mittat, „ qui in re præsenti adsint, quæque illic acta „ essent, ad ipsum referre omnia possint: quòd „ si minùs videretur, tum se ex suis ad ipsum „ missuros, qui, quid actum sit, exponant; „ interim de libera commeandi securitate, „ fiduciæ tabulis caveatur. Fridericus priore „ postulatorum parte rejecta alteram appro„bavit. Mittuntur itaque ex Conventu, qui „ Ordinum nomine ipsum orant, utì liber„tatem Austriæ, veteráque privilegia ab Al„berto, Ladislao, & Majoribus concessa fir„met; contrà: quicquid superiorum tempo„rum iniquitate invectum ea labefactare vi„deretur, id irritum esse jubeat. Eam sese „ rem pro sua quemque facultate adjuturos „ convenisse. Ad hæc ubi Cæsar non eo mo„do, quo sperabant, respondisset, novum „ rursus conventum indicunt Woldersdorffi; „ jámque audaciores facti &c. *ut in textu nostro.*

[2.] Annales Richardi Strunonis Superioris Austriæ annô 1459.

[3.] Gerardus de Roó ubi suprà.

Annus Christi MCCCCLXI. Monasterii CCCXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

GEorgius Bohemiæ Rex anno isto de Cæsaris consensu Olomucium Provinciales Austriæ ad se vocavit, utì dissensiones omnes componeret, sed

quòd

quòd animi partis utriusque obstinatiores essent, re infecta discessum est. Albertus deinde Lincii, ubi tum agebat, audita Procerum legatione non negligendam esse occasionem ratus, non defuturum se Reipublicæ aut subditorum libertati respondet. Igitur arma iterum in fratrem sumens iniquam hæreditatis divisionem ac Austriæ privilegia ab ipso violata causam bello prætexit. * [1.] Struno (*in Annalibus Superioris Austriæ annô 1460.*) vult causam hujus belli fuisse monetæ confusionem, cujus anno superiori mentionem feci. Albertus igitur è Divi Hippolyti fano, ubi milites conscripti convenerant, Tulnam movet, missóque è castris nuntiô Viennenses sollicitat. Hi frustrà fidei Cæsari jurejurando datæ à Præfectis Cæsareis commoniti, se suáque omnia in adventantis Alberti potestate fore, mox paciscuntur. Interea Præpositus civésque ac Magistratus Claustri-Neoburgenses ad Fraunaueri suasionem præsidium ab Alberto accipiunt. Deinde sub initium Augusti Albertus cum suis rectà Viennam pergens suburbanum D. Nicolai Cœnobium occupat. Viennæ ad arma concursum est Cæsareanis populum utcunque in officio continentibus. Præerant illis Giscra Bohemus nobili Brandorum genere natus, vir impiger, Udalricus Graveneccerus, & Andreas Paumkircherus viri militares, qui urbe egressi cum Alberti milite propiùs muros subeunte manum conseruêre, & Albertum retrocedere coëgêre. Bohemorum Legati tandem inter Viennenses atque Albertum inducias in diem usque Calendarum Julii anni sequentis impetrârunt, in quibus Alberti instantiæ dabatur, utì ea loca, quæ ipsius præsidiis tenebantur, retineret. Ea conditio, cùm Cæsari non probaretur, induciæ utrinque violari cœptæ, & Cæsareani aliquot municipia Alberto eripiunt. Viennâ enim egressi Dreskirchiam expugnant. Mox adulta jam hyeme, Guntrami-vicum, vulgò Guntramstorff aggrediuntur, loci Templum tumultuario opere vallo ac sepibus munitum machinis concutiunt, terrámque ac fimum noctu diúque aggerunt, utì aggerem exæquare ac in Templum irruere possent. Obsessi viribus impares ad dolum confugiunt, aquæ magnam vim aggeri superfundunt, quæ gelu durata subeuntem per declivia militem firmo pede consistere prohibebat; ea res promptissimo cuique exitiosa ceteros ab ipso insultu deterruit. [2.]

Bohemi, qui impunè in Austria tumultuariâ prædonum manu nonnunquam grassabantur, auxiliantibus ipsis Austriæ quibusdam primoribus, quibus cum Cæsare discordiæ & inimicitiæ erant, Monasterium quoque Zwetlense non munitum, non ubique clausum inopinato adventu suo invaserunt. De quorum irruptione antiquitas Monasterii sic loquitur: „ Annô Domini 1461.
„ Bohemi inimici fuerunt in Monaste-
„ rio nostro, & spoliârunt illam pro-
„ vinciam &c. Item debuimus inimicis
„ dare mille, ducentos florenos, & sex
„ fasciculos serici, & decem vulpina
„ pellicea, & combusserunt nobis vil-
„ lam Ruedmars &c. „ [3.] Hucusque antiquitas, de eo quòd spoliârint provinciam illam, accipiendum est de territorio Zwetlensi & circumquaque, aliàs enim non intelligo. Verùm hanc Monasterii calamitatem fusiùs & clariùs litteræ quædam ab ipsis Bohemis Monasterio super pace datæ describunt, quarum placet referre tenorem: „ Con-
„ ditiones sequentes pacis sunt positæ
„ inter Generosum Virum D. Albertum
„ de Jewspitz, & inter Nobiles Wolf-
„ gangum Gasner & Wolfgangum
„ Schachinger Claustri in Zwetl Allo-
„ diorum Magistrum: Item inter Hono-
„ rabiles ac prudentes Viros Nicolaum
„ Prüegl Judicem *Zwetlensem*, Joan-
„ nem Slosser, & Georgium Liechten-
„ berder cives ibidem ex una, & inter
„ Nobiles ac Strenuos Capitaneos Her-
„ mannum Rewtter, Georgium March-
„ schalch, aliósque Fronawer secretos

„ consiliarios & aulæ suæ seniores viros „ ex altera parte taliter: Inprimis con- „ clusum est inter præfatas partes, ut „ Monasterium Zwetlense tam pro „ fundo suo, quàm pro colonis & sub- „ ditis suis omnibus intra & extra sil- „ vam Norticam habitantibus mille du- „ centos florenos in auro & pondere „ justos, aut pro floreno unam denario- „ rum libram communis aut Wiennen- „ sis monetæ jure homagii Fronawer „ persolvant. Item decem è pellibus „ vulpinis pallia (vocant Füchsene „ Schauben) quatuor volumina serici „ operis, duos fasciculos lini Italici. „ His infra sex septimanas porrectis se- „ curi tutíque tam Monasterii, quàm „ civitatis inquilini manebunt, quam- „ diu bellum inter Fronawer aliósque „ ipsi addictos, & inter Cæsarem ho- „ stem ejúsque Capitaneos durabit, ad „ cujus executionis fidem majorem „ Conventus pro Abbate absente spo- „ pondit. Testes autem sunt prædicti „ omnes nominati D. Albertus de Jew- „ spitz cum aliis, ac vades seipsos pro „ Monasterio Capitanei præfati obtu- „ lerunt. Si verò pax fieret inter ipsos „ & Cæsarem, tunc in ea pace Mona- „ sterium quoque includeretur. Ca- „ pitanei demum sigillis suis has pacis „ conditiones muniêrunt, & parti uni- „ cuique schedam unam reliquerunt. „ Datum in Claustro Zwetl, in festo „ Annuntiationis Beatæ Mariæ, annō „ Domini 1461. „ [4.] Abbas tunc temporis potuit fuisse in Conventu Procerum Olomucii, quem Rex Bohemiæ jussu Cæsaris celebrabat, ubi de componendis Principibus actum est, sicut suprà retuli. Ubi quoque Fraunauerus fuit, ubi multa cum Rege de alio Austriæ imponendo Principe, Cæsare excluso, transegit. [5.] Verùm Rex candidè respondit, nunquam se ipsis authorem fore, utì nova cujuspiam imperia sequantur, si Friderici ferre nequeant. Atque ita in absentia Fraunaueri relicti aliquot Capitanei ipsius in Austria, cujus curia fermè aulam Principis frequenti satellitio si non superabat, at saltem æquabat, insolentes facti, pecuniam interim corradebant, loca sacra sine munimentis extantia involantes & spoliantes, aut certè pauperes homagiantes, seu exactionibus & tributis emungentes. Quod tunc Monasterio nostro & colonis ejus contigit.

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Gerardus de Roó lib. 7. Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III. „ Albertus autem descendens ad Lyntzium „ Provinciales in suas partes deducit, ac ple- „ risque oppidis Austriæ subactis coacto ma- „ gno exercitu contra fratrem Imperatorem „ Viennam obsedit; quem Bessarion Cardi- „ nalis, qui Viennæ tunc erat, obsidionem „ solvere hortabatur, ac arma in Turcos ar- „ ripienda suadebat. At is amore patriæ, „ quæ lacessita passim omnibus exponeretur „ latronibus, se contra fratrem lites agere „ causatus, nihili fecit Cardinalis admoni- „ tiones, & studii Viennensis persuasiones: „ à quo item oratores missi, verba fecerunt „ Alberto. Dissolutus est exercitus tum in- „ gens interventu Oratorum Imperatoris, & „ Regis Bohemiæ, Albertúsque cum copiis „ suis Austriam reliquit. Hungari item do- „ mum repedârunt. Sed non defuerunt, „ qui inter Imperatorem & Ducem Albertum „ fratres discordiam ampliorem quotidiè se- „ rerent. Multi sunt civium ac Procerum „ facti conventus. Viennæ quoque plebs „ impetum in nobiliores cives faciens, quos „ Consules vocamus, plerosque in carceres „ dejiciunt, vímque illis faciunt. Albertus „ habet, qui eum sequuntur, plures. „

[3.] E Codice quodam MS. Bibliothecæ Monasterii Zwetlensis.

[4.] Ex litterarum monumentis.

[5.] Gerardus de Roó ubi suprà.

Annus Christi MCCCCLXII. Monasterii CCCXXIV.

Pont. Rom. Pius II. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

MIserrima hujus anni erat Austriæ conditio, quæ non tam justô bellô quàm latrociniis vexabatur, Templis pagorum jam in prædonum receptacula conversis, qui non prædas tantùm ex agris agebant, sed pueros, facinore hactenus inaudito passim raptos, ante se utì bruta pecora abigebant, nonnisi magnâ à suis pecuniâ redimendos. Hunc rerum statum primi quidam ex Proceribus pertæsi, ac iniquam subditorum conditionem miserati, conventum Stettldorfii indixerant, ubi de pace & patriæ remedio consultant. Mittuntur inde ad Cæsarem & ad Viennenses Rudingerus Stahrenbergicus, Heinricus Liechtenstainius, & Vitus Eberstorfius Procerum haud postremi, quibus è Magistratu Viennensi viri sex delecti additi, qui unà cum Rudingero Græcium Stiriæ proficiscuntur, ubi tunc Cæsar erat. Similiter Albertus ad D. Hippolyti fanum jam primum habitum, & alterum Tulnæ conventum celebrandum indixerat, in quo de pace acturus, Viennenses quoque illuc suos ablegarent, mandavit. Sed illis se excusantibus, quòd jam ad Imperatorem ea de causa ablegâssent suos, neque sibi interim alios frequentare conventus integrum esse. Graviter inde Consul conqueritur, esse inter Principis milites (ex iis Georgium Potendorfium nominabat) qui nullâ adversùs fas nefásque reverentiâ ducti sacras ædes in profanos usus convertant, imbellem turbam more barbarico prædentur, vineas erutis passim radicibus evertant. Ita tunc discessum est. Legati ad Cæsarem missi ab eo impetrant, ut Viennæ conventus Procerum celebretur, ad quem ipse suos quoque dirigat. Primus congressus ad D. Jacobi ferias celebratus est in Augustinianorum Cœnobio, sed Udalricô Holzerô in partes à seditiosis advocatô, magnis utrinque clamoribus certatum est, donec solutum est consilium. Iterum postridie convenitur ad Franciscanos, ubi, cùm duæ essent factiones, quarum una Senatus & potior pars Cæsari studere videbatur, reliqua multitudo cum Proceribus ab eo deficientibus sentiebat, nihil diffiniri poterat. Non multò pòst Kirchaymerus quidam cum sexaginta suis armatus in Senatum irrumpit, potiores cum Consule capit, & in vincula conjicit, Holzerum autem tanquam Tribunum plebis præficit. Hæc à suis edoctus Cæsar æstate jam propè exacta cum quatuor equitum Stiriorum millibus Viennam ire maturavit. Urbe exclusus ad D. Marci divertit. Cives considerata rei indignitate, aut pœnitentiâ ducti, impunitatem ejus rei priùs pacti ipsum intromittunt. Qui mox novum Consulem Magistratúmque se præsente creari jussit, qui tamen postmodum rursum mutatus ex inquietorum factione Consulem sortitus est Holzerum. Susceptô igitur à novo Consule & Magistratu fidei sacramentô Stirios urbe emittit. Quibus dimissis mox tumultus exoritur ob licentiam militum, qui Cæsari prioribus bellis pars & Alberto stipendia fecerant. Hi solutionem importuniùs efflagitabant, eáque non ad plenum exhibitâ agros infestabant. Cæsar à pecunia imparatus, cùm neque Viennenses pecuniam ipsi mutuam numerare vellent, iratus, neque cum militibus transigere curavit, neque eorum rapinas inhibuit. Jámque illi vindemiantibus molestiam exhibebant, neque vinum in urbem importari sinebant; hæc causa malorum fuit.

Mox Alberto fratri hæc nuntiantur, instigantur contra Cæsarem infimi de plebe homines & opifices, renuntiatur ei fides, negatur ei ex publicis vectigalibus & portoriis pecunia dari, verùm in suum ærarium redigunt. Cæsar qui cum uxore & liberis in palatio agebat, Legatos ad componendam seditionem misit Udalricum Riedererum & Gravenecerum in curiam urbanam, sed isti è subselliis trahuntur, & in carcerem conjiciuntur. His itaque transactis Cæsar gravissimè de hac suorum injuria conqueritur, arcémque pro præsenti copia contra subitos incursus muniri jubet. Auditô Cæsaris periculô Andreas Paumkircherus & Hinco Bohemus cum non contemnendis uterque copiis advolantes denuntiatô Viennensibus bellô agros ferro & igne devastare cœperunt. Ea res ipsos ab arcis oppugnatione distinebat: tandem Viennenses magnam hominum agrestium manum conducunt, qui mœnia tutentur, & propulsatis hostibus, quantum vini possint, inducerent. Ipsi arcem sibi oppugnandam desumunt. Fuêre cum Cæsare illustriores in arce conclusi tunc Udalricus & Hugo Werdembergici fratres, Joannes Preisingus Mareschalcus, Sigismundus Sebriachus, Georgius Kunachius, Sigismundus Spaurerus, Hartnidus Buchaimius, Matthias Wihelmarus, Matthias & Christophorus à Spaur, Joannes Rorbachius, Joannes Sibenhirterus, Christophorus Morsbergerus, Wolfgangus Kadauuerus, Wilhelmus Bebringerus, Fridericus Ungerspacherus, Justus Hauserus, Henricus Vogtius, Georgius Teufenbachius, Wilhelmus Saurauerus, Antonius Himmelsbergicus &c. Qui in arce erant, ducenti ferè viri majori ex parte Nobiles animo imperterrito defensionem parant, & Cæsar ipse præter omnium & opinionem & spem suorum animos confirmans circumibat, opportuna hostibus loca muniens & custodias suis locis disponens, identidem alta voce, ita ut ab hostibus exaudiri posset, clamitans: arcem eam suum cœmiterium fore, neque Deum justæ causæ vindicem sibi defuturum. Missilibus inde agi cœptum est, qua in re superior erat Cæsarianorum fortuna, qui saxa immani pondere ex tormentis bellicis, atque iis maximè, quæ mortaria vulgò appellant, in urbem ejaculabantur. Erant apud Cæsarem Zirckendorfius quidam & alii nonnulli tormentorum in hostes dirigendorum artifices, qui ex editioribus murorum pinnis ac fenestris collimantes, quoscunque incautiùs sese exhibentes petebant, & ne quis temerè muros subiret, prohibebant. Igitur in proximis sese ædibus continebant, quique illis egrediebantur, dolia ante se agebant. Tertia obsidionis die tres ex terra tumulos aggerunt, ad quos singula tormenta bellica adducunt, quartum verò in Viti Eberstorfii ædibus constituunt. Saxa postmodum & pilas in pistrinum maximè ejaculantur, quô dejectô fontem proximum obrui aut corrumpi posse putabant, quod metuens Christophorus Quossius, qui illic curabat, sublicis & asseribus ita fontem muniebat, ne ruderibus ullis aut maceriâ illapsâ obstrui posset. Cùm verò nihil ferè incommodi cuiquam ab hoste eveniret, domesticum Cæsar periculum vix evitavit. Nam dolium quoddam in turri pulvere plenum, ubi tum Cæsar bellicam machinam inspexerat, fomite temerè ventilante, quo illa incendi solet, Udalrico Werdenbergico, igne concepto erupit, ac Cæsar hoc advertens summa faciei cute leviter ustulatus è turri se proripuit. Viennenses verò admotis undique machinis omnes oppugnationis modos experti, nunc hanc nunc illam arcis partem tentabant, & quod in tam incondita multitudine solet, insolentiùs agebant: contrà qui apud Cæsarem erant, omnia ex militari disciplina agere, taciti quisque sua munia obire, ad omnem hostium strepitum intenti esse. Tormentarii verò ac pyrotechnitæ suadebant, ignita ex pulvere pice, oleo, resináque

ac

ac similibus tela in domos urbanas conjicienda. Sed Cæsar ipsos id facere prohibebat, nec eò descensurus videbatur, nisi major aliqua vis ab hoste ingrueret. Recensetur hoc loco singulare pietatis exemplum in quodam adolescente Franco (Cronbergerum vocant) qui bonis litteris operam illic dabat. Is iniquam Cæsaris fortunam, inprimis verò Maximiliani pueri ætatem miseratus, aviculas, quas habere potuit, & carnes per occulta viarum compendia in arcem detulit, magnis ob eam rem præmiis meritò postea remuneratus. Victorinus interea Regis Bohemiæ filius cum Joanne Vitobitio, Schaumburgico, Sebriacho, Georgio Volckensdorfio, Guillelmo & Heinrico Bucheimiis, aliisque Austriacis cum exercitu Viennam versùs movet. Albertus similiter à Viennensibus vocatus & ipse sub Mensis Novembris initium in urbem cum suis venit. Erant in exercitu ipsius Guilielmus Thirstainius, Sigismundus, Wolfgangus, ac Georgius Schaumbergici Comites, Henricus Liechtenstainius, Georgius Potendorfius, Vitus Eberstorfius, Sigismundus & Andreas Buechaimii, Udalricus & Joannes Starckenbergici, Hartungus Traunius, Sigismundus Tepelius, Hartnidus Losenstainius, Rembertus Waldsejus, Sigismundus Eitzingerus, Georgius Stainius & plures alii. Fraunauerus præter opinionem omnium in partibus manere noluit, itaque Viennâ discessit. Ceteri duobus magnis tormentis quæ Albertus secum adduxerat, contra arcem collocatis oppugnationem instaurant. Cúmque aperto Marte nihil effici posse viderent, actis clam cuniculis muros suffodere incipiunt, & processura res videbatur, si absque Thoma Septemcastrensi (Siebenbürgero vulgò) fuisset, qui tres in arcem sagittas conjecit, quibus obvolutæ membranæ ejus rei indicium obsessis fecêre. Advolant igitur ad eam muri partem jam perfossam nonnulli cum suis, magna vi hostem subeuntem repellunt, picem tædásque & pulverem aggerentes, quibus incensis fumus molesti odoris oppugnatores infestabat, donec congestâ intus materiâ foramen obstruerentur. Igitur cùm neque ab hac parte neque alibi procederet expugnatio, de pace aliquoties agi cœptum est, sed nihil convenire potuit. Urgebat verò obsessos frumenti, vini, ac aliarum rerum vitæ necessariarum penuria, adeò uti relictô Cæsari ejúsque uxori & Proceribus triticô, reliqui vel pisa & hordeum ex dimenso acciperent, vel furfuraceo pane uterentur, vinum etiam parcè admodum distribuebatur, nonnulli aquâ contenti erant, quam melle temperâsse nonnemo ex Proceribus legitur. Sigismundus Schawnbergicus rerum humanarum memor puero Maximiliano ova aliquot, farinam & alia, quibus ea ætas gaudet, ad portam arcis miserat, non prohibente id nec Alberto Principe, neque Holzero, aut quopiam alio ex civibus. Agrestes verò conductitii, qui stationem illic habebant, omnia illa famulo erepta corrupêre & solo illisa pedibus conculcavêre. Ad medium Novembrem Victorinus cum ceteris Austriacis & exercitu suo Gumpendorfium ducit, unde post quietem instructo agmine per vineas ad D. Udalrici Suburbium veniunt, summáque cum alacritate & hostium contemptu vallum oppugnant. In prima acie erant Guilielmus Buechaimius, Henricus Streinius, Wolfgangus Roggendorfius, quibus commissum erat vexillum Austriacum. Hos sequebantur Georgius Volckenstorfius, Pancratius Planckenstainius, Joannes Hofkirchius, Haidenricus Dapifer. Pugnatur utrinque acriter, Cæsareani magno clamore sublato in vallum insiliunt, unde telis repulsi iterum atque iterum fortunam tentant, sed pauciores à pluribus semper deturbabantur, & nix quæ ceciderat, firmare pedem non sinebat. Jámque multis occisis reliqui passim recipere se coacti Gumpendorfium abiêre. Viennenses

D. Udalrici portâ effusi fugientes insecuti duo tormenta secum in urbem adduxêre: ducenti ex Cæsarianis & Bohemis desiderati sunt. Paucis diebus pòst Georgius Podiebradius Bohemorum Rex cum exercitu Corneoburgum ipse venit, octo hominum millia fuisse proditum est. Conventus ibidem agitur, ac de pace tractatur, ad quem Albertus & Holzerus fide publica interposita profecti, Legatos quoque suos Cæsar illuc destinavit. Rex autem voluit, pacem priùs fieri non posse, nisi Cæsar ipse in colloquium veniat. Concedente itaque Alberto Cæsar arcem egressus conjugem Eleonoram cum puero Maximiliano in D. Theobaldi Suburbium comitatus, Stiriis & Carnis Neapolim deducendam tradit, ipse Corneoburgum ad Regem pergit, deducente eum Victorino cum mille equitibus. Cæsar ubi ad Regem venisset, amplissimas illi gratias egit, suam vicissim operam promittens. Articuli autem seu pacis leges Rex jam antè in hunc modum confecit: Uti captivi utrinque liberi dimitterentur; Albertus arces, oppida, ditionésque omnes bellô occupatas fratri restitueret, Austriæ Inferioris gubernationem vicario nomine ad annos octo gereret, quatuor ducatorum millia quotannis fratri exsolveret. Postridie Cæsar summo mane cum Rege Ensesdorfium, quod majus vocant, concessit, ubi post triduum in venatione & convictu exactum, Rex in Bohemiam rediit, Cæsar ad Pontem Leytæ, atque porro Neapolim se contulit. Albertus Viennam reversus palatium sibi tradi postulat, útque sibi fidem & obsequium jurejurando astringant tam Magistratus quàm Academiæ Primates. Utrumque sine magno negotio obtinuit ipsis D. Stephani feriis. [*] Atque hæc in gratiam curiosi Lectoris scripsisse fusiùs volui, tum quia intestinum Austriæ bellum huc spectat, tum quia multa exinde sequentia patebunt.

ADDITIONES.

[*] Gerardus de Roó lib. 7.
Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.
Struno in Annalibus Superioris Austriæ hoc anno.
Megizerus in Annal. Carinthiæ lib. 10. cap. 13.
Lazius Genealog. Austriacæ Commentarior. lib. 2. longè & latè in Histor. Alberti VI.
Nauclerus Generatione 49. „ Annô Salutis 1463. Imp. Fridericus obsessus est in arce „ Viennensi à civibus, quibus auxilio frater „ Dux Albertus erat; oppugnabatur autem arx „ bombardis & omni genere tormentorum. „ Vidisses impleri fossas, admoveri scalas, cominus eminúsque pugnam misceri, vulneribus & sanguine multo rem geri. Unde „ coactus fuit auxilium à Rege Boëmiæ Georgio, qui se antè pro hæretico declaraverat, postulare, immò Pio Pont. Maximo „ scribere, ne interim in Georgium, quamvis „ hæreticum se declarâsset, juris pœnas fulminaret; quod necessitate cogente Pontifex „ admisit. Liberavit Bohemus Fridericum, „ arte usus, ut neque periret, neque vinceret. „

Annus Christi MCCCCLXIII. Monasterii CCCXXV.

Pont. Rom. Pius II. — *Imp. Rom.* Fridericus IV. — *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. — *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

ALbertus Princeps Viennæ & Austriæ gubernationem potitus eo successu lætus conventum omnium Ordinum ad Epiphaniæ festum Viennæ edixit. Interim neque bellô occupata Cæsari restituuntur, neque hic illi gubernationem attribuit, utì à Rege constitutum erat. Igitur edictis passim promulgatis Cæsar omnibus gravi denunciata pœna interdicit, ne conventum fre-

frequentent, cujus indicendi jus penes fratrem nullum sit. Deinde missis ad Imperii Principes Legatis ac litteris gravissimè de fratris injuria conqueritur, qui contra jus gentium adjudicatam sibi hæreditariam ditionem eriperet, subditos in legitimum Principem armaret, cum summo Cæsareæ Majestatis adeóque totius Imperii contemptu. Interea Andreas Paumkircherus Corneoburgi ex mandato Cæsaris, cui pro sua in eum fide sex aureûm nummûm millia ex reditibus loci assignârat, præoccupatô oppidô arcem excitat, præsidium in ea collocat, crebrísque excursibus vicinos hostium agros infestat. In armis quoque erant Sigismundus Buechaimius, & alii Cæsaris Duces. Bellum inter hæc utrinque restauratur. Primarii Viennæ cives ab Alberto majestatis postulati, ac in vincula conjecti ex fictis litteris hebraicè formatis, cùm de objecto maleficio nihil probari poterat, solum tamen mutare coacti sunt, bonáque eorum fisco adjudicata, quos omnes Cæsari addictos esse constabat. Principes verò ac Status Imperii acceptis Imperatoris litteris circa festos Resurrectionis Dominicæ dies comitia Ratisbonæ habebant, de quorum consilio & consensu Cæsar publicô edictô fratri aqua & igni interdicit, omniáque commoda, quæ ab Imperio habebat, omnésque tam intra quàm extra Austriam ditiones adimit. Albertus hoc modo ab Imperio proscriptus appellationem ad Romanum Pontificem interposuit. Is erat Pius II. qui, quòd utrumque fratrem domesticè novisset, non tantùm Albertum excommunicationis gladiô ferit, sed omnibus eis, quotquot Cæsarem Viennæ obsederant, aut obsidionem adjuverant, sacrorum usu interdixit, à quibus censuris absolvi sibi reservavit. Albertus denuo ad Pontificem meliùs (*ut loquuntur*) informandum provocat. Verùm ejus purgatio multùm momenti non habebat, unde neque Pontifex, neque Cæsar ipse aut Imperii Principes quicquam mutabant. Interea temporis milites nonnulli non persolutô stipendiô propè Medlingam oppidum cœtus agunt, agrum Viennensem Alberto infensi percursant, vineatoribus insidiantur, multos capiunt, abducunt, & fumo in cellis vinariis inclusos enecant. Deinde per vicina nemora in agrum Tulnensem excurrunt, Herzogburgum Cœnobium cum pago adjuncto captum aggere ac septis muniunt, unde agros longè latéque populati agrestes capiunt, captos pecuniâ mulctant. Nec minus in urbe inter cives & plebem indies dissidium gliscebat. Albertus ipse ludis equestribus interim & comessationibus ocium suum oblectabat. Holzerus homo inquietus & novarum rerum studiosus à Principe deficiens ad Cæsarem transire molitur, unde consilium capit urbis ipsi tradendæ cum spe veniæ consequendæ. Quare quadringentos equites, quos non procul ab urbe Graveneccerus sub Augustino quodam Tristramo Præfecto reliquerat, in urbem introduxit. Unde tumultus exortus & Principis jussu equites summo cum periculo urbe pelluntur, captis nonnullis, qui tamen rursus dimittuntur præter Augustinum. Holzerus verò diu quæsitus nusquam comparuit. Captus tandem post fugam Nusdorfii, in urbem reducitur, ubi cum nonnullis ejus rei consciis capite plexis, inter quos & Tristramus fuit, acerbissimô suppliciô affectus est. Dissecto enim corpore caput attollens & exempta jam viscera aspiciens, invocato Divæ Deiparæ Virginis auxilio, luctantem inter cruciatus spiritum reddidit. Corporis partes ante quatuor urbis portas palis alligantur, caput ad Suburbium illud suffixum est, per quod equites introduxerat. Hunc finem habuit Udalricus Holzerus, qui Cæsarem in arce Viennensi obsederat. Per id tempus Rupertus quidam Creutzerus homo militaris occupatô Leupoldsdorfiô agrum Viennensium quotidiè incursabat, donec arcem loci Dominus, numera-

meratis quingentis florenis, eam recepit. Alius item miles cognomentô Sweitzerus arcem Ralspergam prope Berchtolsdorfium occupat, qua capta ipse quoque in Principis Alberti manus captivus incidit. Alii porro Rauheneccium, Mitterdorfium, aliásque arces in potestatem redactas communiunt, nováque receptacula excitant (vulgò tabernæ vocabantur) ex quibus agros & itinera infestabant. Hæc tum erat Austriæ facies. Interea Matthias Corvinus cum Friderico transegerat, ut coronam reciperet Ungariæ sacram, quare numeratis sexaginta nummûm aureûm millibus res processit, & inter alia pactum fuit quoque illud de titulo, uti Cæsar ab omnibus regni statibus Ungariæ Rex vocaretur. Quare Cæsariani cum pecunia in civitatem, Ungari cum corona læti Sempronium abiêre. Dum hæc cum Ungaris aguntur, Legatus Pontificius pacem inter Principes formare advenerat, jámque Tulnensis conventus ea de re agebatur, ubi conditiones utrinque servandæ factæ sunt, inter quas erat quoque, ut receptacula & tabernæ à militibus excitatæ destruerentur: quo tempore multas arces destructas ego tam intra, quàm extra Norticam silvam existimo prædonum nimirum receptacula. Conventus postmodum Neapoli agitur Pontificis Legato adnitente. Interea quoque optimi quique & intimi Consiliarii ab Alberto spreti ab eo deficiunt, qui nominantur: sunt Stephanus Hohenbergicus, Vitus, Rempertus & Albertus Eberstorfii, Christophorus Potendorfius, ac Nicolaus Liechtenstainius; hi omnes pro eis & cum eis supplicantibus Sigismundo Posingico, Udalrico Graveneccero & Paumkirchio in gratiam à Cæsare recipiuntur. Viennæ quoque Legatus Papæ cum Alberto multa transegerat ad effectum pacis consequendum, tandem cùm Neapolim rediîsset, Albertus subito quodam morbo correptus obiît Viennæ in Palatio quartô Nonas Decembris, & quinto die pòst ad D. Stephani Majorum sepulchro illatus est. Mortem ejus partim ultioni divinæ, partim veneno imputaverunt, alii ob vitæ incontinentiam apoplexiâ percussum putavêre. Prodigi cognomen tulit, quòd nulla unquam pecunia ei ad domesticos & bellicos sumptus satis magna fuerit. Atque ita eo mortuo ipsius partes secuti præsertim Viennenses graviter suspirant, Austriaci verò respirare cœperunt Friderici Cæsaris clementiâ fulfulti. * [1.]

Annales Superioris Austriæ commemorant hoc anno Dominicâ Invocavit Fridericum Cæsarem Domino de Stahrenberg oppidum cum castro Weitracense tradidisse, è quo vicinos Proceres Albertum secutos impugnavit, atque etiam ipsum Albertum in Austria Superiori spoliis, incendiis, & exactionibus tandem invasit. [2.] Hoc castrum cum suo dominio ad Austriæ Duces devenerat, cujus Purckgravii aliquamdiu fuerunt Waldseienses Reguli.

Venio ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas hoc anno Cœnobium Monialium ad S. Bernardum in regno Bojorum situm visitavit. [3.]

Erat tunc temporis Magister vini & D. Abbatis Sacellanus F. Georgius de Aychstätt, qui de perceptis & distributis indicem fecit plenum historiis & molestiis, quibus tunc Monasterium Zwetlense gravabatur, & utinam antiquiores simile quid edidissent, clarior Monasterii nostri status jam eluceret, propterea dignus, quem annis sequentibus frequenter citem, qui hoc quidem anno cœpit à festo Michaëlis, & finivit annô MCCCCLXXIV. usque dum obiisset Joannes Abbas suus. Hoc igitur anno inter cetera ponit distributa, quòd unum vini ternarium Raffenhardo pro homagio dederit. [4.] Homagium autem, cujus vocis sæpiùs mentio habebitur, & antiquis valde familiaris fuit, est astrictio servitutis facta Domino cuidam, qui violenter id expetit per pactionem, promittente homine libero fide-

fidelitatem, séque constituente hominem vel vasallum ipsius. [5.] Erant enim tunc milites, sicut suprà scripsi, qui arces aut loca opportuna insidentes, ipsa muniêrunt, quæ vulgariter tabernæ nominabantur, è quibus vicina quæque devastare, aut exactionibus ejusmodi aggravare solebant. Horum unus Raffenhardus appellabatur, qui in Nortica silva opportunum insidiis locum occupaverat. Contra quem Buechaimius castra ponere jussus est. Quas miserias tunc quoque Monasterium Zwetlense pertulit, cujus initium respectu finis valde lene contributionis genus fuit, unum nimirum vini ternarium: duriora verò sequentur.

ADDITIONES.

[1.] Gerardus de Roó & reliqui Scriptores utì suprà ad annum priorem. „ Matthias Hungariæ Rex, secundis aliquot præliis in Turcam usus, cùm majora jam animô concepisset, quod unum deesse videbatur, sacram regni coronam à Cæsare tandem redimere statuit. Igitur cùm Joannes Præsul Varadinus, cui id negotii injunctum fuerat, per fidos interpretes cum Cæsare collocutus, eò rem adduxisset, utì numeratis sexaginta aureûm nummûm millibus, coronam Hungari reciperent; ex Proceribus nonnulli pretii magnitudine deterriti, quò negotium impedirent, Fridericum per litteras monent, videat ne verba sibi à Varadino dentur, cui soli non liceret absque aliorum adsensu de re tanta transigere, & ea promittere, quæ præstare minimè posset &c. „

Spondanus ad annum sequentem num. 1. „ Annô Christi millesimô quadringentesimô sexagesimô quartô, Indictione duodecima Matthias Rex Hungariæ sextô demum electionis suæ annô coronatus est sacrâ regni coronâ, quæ in potestate Friderici Imperatoris viginti quatuor circiter annos manserat; nec ut restitueretur, ullis precibus, aut pretio aut armis impetrari unquam potuerat. - - - Cùm verò ob ejus defectum Matthias, quamvis aliàs acceptissimus Hungaris, despectior nonnihil tractu temporis fieret; plurésque Friderico, quem etiam olim elegissent in Regem, auscultarent: exorabilior is factus periculo Viennensi (de quo ante biennium) consensit tandem coronam reddere gravibus quibusdam conditionibus: quæ leviores Hungaris visæ fuêre, præ vehementissimo desiderio eam recipiendi, à qua Regni incolumitatem ipsúmque regnum pendere existimabant. Fuêre autem istæ: (utì habentur in concordiæ litteris, quæ insertæ reperiuntur Historiæ Bonfinii, datæ in Nova-Civitate feriâ tertiâ ante festum Mariæ Magdalenæ decimô nonô Julii annô præteritô 1463.) ut Imperator Matthiam filii adoptivi locô haberet, cúmque Matthias patris, sicque inter sese nominarent. Si Matthias absque filiis seu nepotibus legitimis decederet, regnum Imperatoris esset, aut unius ex filiis ejus, quem regnum eligeret. Interímque etiam nonnulla intra regni fines oppida cum titulo Regio retineret: veteres injuriæ abolerentur, & firma concordia inter Principes, populósque esset; ac sine ullo discrimine utriusque subditi ab utroque Principe tractarentur. Nulla verò fit in iis mentio sexaginta aureorum millium, quæ præterea pro ejusdem coronæ restitutione soluta fuisse idem Bonfinius tradit; aliíque septuaginta, vel etiam octoginta numerant. Turpe enim nimìs fuisset, hanc nundinationem, quæ & aliunde satis iniqua plerisque videbatur, publicis actis apponere. Ad coronam autem pro dignitate deferendam, equitum circiter tria millia cum Legatis missa fuêre: eáque singulari pompa advecta, haud aliter atque res de cœlo demissa ab Hungaris prærreverenter adorata est, & in arce Budensi collocata.

„ Quibus, ùt diximus, anno superiori gestis, eâ Matthias præsenti, post reditum à bello Turcico, quo Jayzam cepit, apud Albam celeberrimo regni conventu coronatus est, in die Cœnæ Domini, ùt Thurosius, & Nauclerus habent, sive die Parasceves, ùt Bonfinius. „

[2.] Annales Austriæ Superioris Strunonis hoc anno.

[3.] Ex Autographo ipsarum.

[4.] Ex Autographo ipsius.

[5.] Cæsarius in Procemio Dialogorum.

Ann. Christi MCCCCLXIV. Monasterii CCCXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

PIus Papa II. cùm per totum Christianum orbem Cruciatam fecisset prædicari, classisque jam Anconæ expectaretur, illuc profectus, dúmque Venetorum Ducem belli socium sustinet, diutina & lenta febri afflictatus moritur, Annô MCCCCLXIV. 17. Cal. Septembris. Tumulatô Piô pridiè Cal. Septembris habitô scrutiniô Petrus Barbus, Venetus, Presbyter Cardinalis tit. S. Marci eligitur, cui priùs nomen inditum Formosus, postea Marcus, tandem Paulus vocari placuit: coronatus est quintô Idus Septembris Romæ in gradibus ante fores Basilicæ S. Petri, cùm in Laterano electus fuisset. * [1.] De eodem B. Malachias sic prophetavit: De Cervo & Leone. Erat enim Venetus, & Commendatarius Ecclesiæ Cerviensis, & Cardinalis tit. S. Marci, qui cum Leone pingitur.

Anno adhuc priore Austriæ Inferioris nonnulli Proceres, partes præsertim Alberti secuti, Hederstorfii apud Cambarn Monasterii nostri prædium conveniunt, sicut etiam hoc anno Lincii Austriæ Superioris Primates; ubi Sigismundus Princeps per Legatos suos Cæsari patrueli tertiam Austriæ partem ex Ladislai Regis morte ad se devolutam dono dedit. Itaque jam omnia Cæsari secunda eveniebant, passimque ex omni Austria multi quotidie ex Alberti factione ad eum sese conferebant, quibus pro animi sui lenitate admissorum veniam haud gravatim largiebatur. Soli verò è civitatibus Viennenses in pervicacia sua manserant, qui & ipsi omni præsidio ac spe destituti seriùs quàm oportuit, de rebus suis cœperunt cogitare. In memoria enim habebant offensas & contumelias, quibus Imperatoris iram & vindictam in se provocaverant. Sola igitur spes in misericordia & clementia supererat, quam antea quoque experti erant. Mittuntur ergo de communi consilio Neapolim Fridericus Ebmerus Consul, Jacobus Storchius, Joannes Kirchaimius, Valentinus Liebhartus cum aliis civibus ad septuaginta, quibus per Gurcensem Cæsar respondit supplicibus: Cæsarem famæ quàm pœnæ amantiorem, ubi primùm ipsi ac hæredibus ipsius melioris sexûs fidelitatis sacramentum dixissent, injurias illis & contumelias omnes condonaturum. Inde dimissos comitabantur duo Sedis Apostolicæ Legati, Georgius item Volckensdorfius, Heidenrichus Dapifer, Joannes Mülfelderus, Hartungus Capellius, & Joannes Potendorfius Cæsari à consiliis. Qui Viennæ nomine Friderici fidei Sacramentum acceperunt initiô Februarii mensis, Pontificii autem Legati ab omni excommunicatione Viennenses solenni ritu absolvêre. Restituti quoque sunt cives exules ab Alberto aut Holzero pulsi. Rebus ita constitutis majus incumbebat negotium in exhaurienda militum sentina, qui non persoluta sibi stipendia causati omnia circùm loca rapinis fœdabant. Jam enim agros inter Viennam & Neapolim depasti ad Ungariæ fines Edinburgum usque progressi, absumptis quæ esui erant, locum subinde mutabant, magnísque damnis & incommodis agrestes tota regione vexabant. Utque latiùs prædas agere possent, in cœmiteriis nonnullis aliísque oportunis locis receptacula munita habebant, eò tandem audaciæ progressi, utì Cæsari & toti provinciæ bellum palàm denunciarent. Cæsar illis æquas conditiones offerebat, sed gra-

gratis. Unde ſpretis conditionibus Sanctæ-Crucis & Mariæ-Cellæ Monaſteria ſpoliant, vinitores & ruſticos multos capiunt, pecuniâ & reliquis fortunis mulctant. Smicoſcius quidam ex eorum ducibus aſſumpta mille latrunculorum manu Stiriæ fines invadit, & priusquam incolæ ad defenſionem concurrere poterant, prædas agit, quæque agi & ferri nequibant, igne corrumpit. Tandem poſt multam cum militibus tractationem habitam Cæſar provinciales arma in eos ſumere jubet, qui poſt Reſurrectionis feſta id præſtantes aliquo modo Auſtriam pacatam reddiderunt. Interea Viennæ ab opificibus nonnullis novæ iterum turbæ motæ ſunt, quas Wolckenſtorfii, qui ibidem Vicarius Cæſaris in aula reſidebat, ſumma vigilantia & dexteritas ſtatim compoſuit. [2.]

Interea Joannes Abbas Zwetlenſis Viennam deſcenderat in cauſa Monaſterii, ubi ad dies vitæ agricolæ cuidam vineam in Grintzinge ſitam conceſſit, quæ ob militum graſſantium licentiam effrænem coli diu non potuit, uti ex ſuprà dictis patet. Datum Viennæ Sabbatô ante Magdalenæ feſtum, annô Domini 1464. [3.]

Porro ex Indice F. Georgii de Aychſtet, cujus anno priori mentionem feci, referuntur ſequentia hoc anno contigiſſe: „ Item Starenbergico ad Weitra „ unum ternarium vini pro reverentia „ vel gratis. „ Sciendum hìc eſt, Starenbergicum in Auſtria Superiori Albertum, qui ibi bona ſua habuit, quæque illi Princeps confiſcavit, bello perſecutum eſſe, ſuáque recuperâſſe, cui præfatus F. Georgius ternarium præfatum gratìs obtulit. „ Item ait ſe Schermero „ ad fortalitium unum medium terna„ rium gratìs dediſſe. „ [4.] Fortalitia vel ſunt ea munimenta, quæ milites contra Cæſarem & provinciales excitârant, alióque nomine tabernæ tunc vocabantur, aut in cœmiteriis Templorum muratis præſeferentia caſtelli ſpeciem, è quibus vicinos devaſtabant: ubi tamen hoc fortalitium (ùt vocatur) ſitum fuerit, non proditur &c. Tales dein violentas præſtationes plures enumerat, è quibus miſer Monaſterii ſtatus cognoſcitur, miſerior tamen fuit, qui ſequebatur, & cum annis creſcebat, ùt aſſiduò legentibus annos ſequentes patebit.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Pio II. & Paulo II. PP. Nauclerus ubi ſuprà ad annum præcedentem relatus, hoc anno.

Spondanus hìc n. 8. „ Pontifex Lauretum accedens, perſolutis ibi votis, Anconam ad medium ferè Julii pervenit. Confluxerat turba multa ex variis gentibus non ſatis conſideratè domo egreſſa. Etenim cùm eos ſolos evocâſſet Pius, peccatorum propoſitâ veniâ, qui vel annum vel anni dimidium ſuo ſtipendio in exercitu militarent; illi tamen venerunt credentes ſtipendium ac victum miniſtrante Pontifice non defuturum; cùm autem non invenirent, quod ſibi animis finxerant (neque enim Pius unus alere tantum concurſum equitum ac peditum poterat) venditis armis, regrediebantur in patriam. Quos nihilominus ne omnino fruſtrà ſe veniſſe angerentur, decreti ſui de peccatorum venia participes fecit &c.

N. 9. „ Nuntiô interim allatô, Turcum „ non longè à Raguſia conſediſſe, quaſi eam „ civitatem obſeſſurus; voluit Pontifex, quamquam duplici febre conſumeretur, quarum altera concepta in venis ceſſabat nunquam, & magnis membrorum doloribus detineretur, cum claſſe, quæ aderat ad obſidionem repellendam, accurrere, ſperans ſi res ſuccederet, re in omnem partem vulgata, incitatum iri Principes ad eum ſequendum. Verùm quatriduò pòſt nunciato receſſu hoſtium parcendum concilio fuit. Recreatúsque Pontifex adventu Mauri Venetiarum Ducis cum inſtructa claſſe ad expeditionem; ingraveſcente nihilominus morbo, cùm veniſſe jam horam ſuam intelligeret, vocatis ad ſe Cardinalibus, qui aderant, commendavit eis proſecutionem ſancti propoſiti; & petita, datáque invicem offenſarum veniâ, poſt recepta piiſſimè Sacramenta Eccleſiæ conſuetâ (acerrimè tunc quidem, ùt ſcribit Platina, diſputans cum Laurentio

„ Roverella Episcopo Ferrariensi Theologo „ doctissimo, liceretne Extremam Unctionem „ iterare, qua semel inunctus fuerat, dum „ Basileæ pestilentiâ gravissimè ægrotaret) „ expiravit placidè in Domino decimô nonô „ Calendas Septembris, ipsa nocte Vigiliæ „ Assumptionis Beatissimæ Virginis, annô ætatis quinquagesimô octavô, mense nono, die „ vigesimo septimo, Sedis sextô, minùs quin„ que diebus. Visceribus ibidem Anconæ in „ Ecclesia S. Cyriaci humatis, corpus Romam „ relatum conditum est sepulchrô marmoreô „ in Basilica S. Petri Sacello, ubi ipse Ca„ put S. Andreæ Apostoli deposuerat.

N. 10. „ Fuit porrò vir verè magnus, cu„ jus meritissimas laudes cuncti celebrant. „ Cui & præsentes Annales grates debent cum laudibus immortales, quos sæpiùs eruditissimô calamô suô illustravit.

[2.] Gerardus de Roó lib. 7.
[3.] Ex literarum monumentis.
[4.] Ex Registro F. Georgii MS.

Ann. Christi MCCCCLXV. Monasterii CCCXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

Viennenses anno priori novis quorundam molitionibus in Cæsarem excitati, hujus anni initiô frequentem ad ipsum legationem decreverunt, qua paucorum motus deprecantes, ne toti civitati succenseret, per Pataviensem Præsulem responsum & veniæ & gratiæ obtinuerunt. Inter hæc bellum adhuc gerebatur inter provinciales & externos milites, qui Wenceslao quodam duce pagum Petersdorfium per eos dies invaserant, Templúmque loci & cæmiterium communiêrant. Cæsar Georgium Potendorfium Supremum militiæ Præfectum, eíque omnes dicto audientes esse jubet. Is Tulnam primùm Proceres convocat, deinde Egenburgam conventum provincialium transfert, sed parùm admodum ad rei summam actum est. Viennenses quoque, ne quid ab ipsis moveretur, æstate jam adulta denuo in verba sua jurare jubet. Id in præsentia Ernesti Saxoniæ Ducis Electoris, Pataviensis & Gurcensis Episcoporum, aliorúmque nonnullorum è consilio suo missorum præstitêre. Posthæc Tulnæ rursum conventus indicitur, sed propter raptores, viarúmque insessores, nemo eum tutò frequentare potuit. Circa ea tempora Sigismundus Comes Posingicus Cæsari quoque bellum intulit, arcémque Berchtolsdorfium occupavit, inde vicinum agrum rapinis infestabat. Tandem Fridericus arcem eam obsidet, & occiso Smicoscio eâ potitur, quem in belli societatem Comes adduxerat. * [1.]

Sublato hoc quoque bello intestino, Austriáque paululum respirante Proceres ad pietatem animos convertêre, memores quondam Divi Leopoldi Marchionis Austriæ, qui per eos dies miraculis coruscabat. Hic erat Fundator Monasteriorum Neoburgensis ad radices montis Cæcii in ripa Danubii, & alterius in Viennensi nemore nuncupati ad Sanctam-Crucem, quorum illud Canonicis Regularibus, hoc Cisterciensibus incolendum concessum erat. Sepultus autem in Neoburgensi Claustro miraculis clarescebat. Pro cujus nomine in Sanctorum Catalogo inserendo jam aliquoties Romana Sedes fuit tentata, sed semper aut suspensum, ut miracula ibidem facta examinarentur; aut bellorum motibus intervenientibus impeditum hucusque manserat. Quare quietem aliqualem assecuti Austriaci, instantiam, ùt vocant, apud Pontificem fecêre sequentes Proceres Sæculares: „ Michaël Comes Hardeccius S. „ Rom. Imperii Burggravius de Magde„ burg. Georgius Wolckerstorfius. „ Rudgerus Scharfenbergicus. Joannes „ Liech-

„ Liechtenstainius. Oswaldus Eitzin-
„ gerus. Heinricus Puechaimius. Sigis-
„ mundus Eitzingerus. Vitus Eberstor-
„ fius. Joannes Kranbergius. Sigis-
„ mundus Toppelius. Georgius Rho-
„ rius. Bernardus Tiernstainius, Baro-
„ nes omnes, anno nimirum isto, 10.
„ Decembris. Idem præstitêre Prælati
„ Austriæ 12. Decembris, qui fuerunt:
„ Joannes Melicensis, Martinus Got-
„ vicensis, Hieronymus Scotorum Vi-
„ ennæ, Georgius Sanctæ-Crucis, Pe-
„ trus Campi-liliorum, Laurentius in
„ Cellis Sanctæ Mariæ, Joannes in
„ Zwetl, & Wolfgangus in Altenburg,
„ Abbates S. Benedicti & Cistercienses.
Verùm hoc anno nihil adhuc obtinere potuêre aliis Austriæ tumultibus supervenientibus. [2.]

Porro Nicolaus Stockhorner dictus de Starein vendidit Ecclesiæ Parochiali in Schöenaw, cui tunc Parochus præsidebat quidam Michaël, villam suam Stierberg nominatam de consensu uxoris suæ jam defunctæ Dyemudis Georgii Graflini filiæ pro 204. lib. den. Datum in festo Martini, annô 1465. [3.]

Recipio F. Georgii Magistri vini in Zwetl Indicem, qui hoc anno vinum acetosum maximè crevisse refert, cujus hæc sunt verba: „ Et omnia vina acer-
„ ba, & præ nimia acerbitate homines
„ non potuerunt nec voluerunt bibere
„ gratis, & quamplures effuderunt ad
„ plateam, & cognominaverunt Reiß-
„ beisser (quasi audires calculi & colicæ
„ causam esse.) Prosequitur deinde
„ idiomate vernaculo citatus: Item
„ eodem anno feriâ sextâ & Sabbatô
„ ante Dedicationem Ecclesiæ (quæ
„ tunc feriâ tertiâ Pentecostes celebra-
„ batur) ita Campius inundavit, ut
„ supra pontem lapideum trunci serrâ
„ secandi defluxerint, nobísque ea in-
„ undatio magnum damnum intulerit
„ in molendino & in pecore, oves &
„ porci submersi sint. Item in Refing mi-
„ sit D. Abbas pro ædificatione curiæ
„ Peregrino famulo duos ternarios. „
[4.] Scilicet ad cœmentum seu calcem eodem præparandum, nam vinum, uti suprà retuli, acetosum nimis creverat, quod potanti morbum aut calculi aut colicæ causabat.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 7.
[2.] Polzmannus Præpositus Claustro-Neoburgensis in vita S. Leopoldi.
[3.] Ex litterarum monumentis.
[4.] Ex Registro F. Georgii MS.

An. Christi MCCCCLXVI. Monasterii CCCXXVIII.

Pont. Rom. Paulus II. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.
Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

PAulus Pontifex anno isto Georgium Bohemiæ Regem, quòd neque Basileensis Synodi decretis acquiescebat, & Hussi dogmata foveret, Sacrorum communione & Regia dignitate privat, omnibúsque illi fidem & obsequium exhibentibus fulmen Apostolicum denuntiat, eáque de re interdicta Olomutii, Wratislaviæ, Brunnæ, ac aliis in locis promulgari jubet. Viennæ quoque Crucis commilitium prædicatur, largæque peccatorum veniæ arma in hæreticum sumentibus proponuntur. Id ne antea fieret, Fridericus potissimum intercesserat, Matthiásque Ungariæ Rex à Pontifice contra Regem Bohemiæ socerum suum ad occupandum regnum sollicitatur, promittente ei auxilium Friderico Cæsare. Inter hæc cùm Inferior Austriæ pars à diuturnis belli molestiis respi-

respirare videbatur, Imperator ad Superiorem pacandam animum adjecit, ea enim Alberti partes secuta magnis Procerum & Nobilium dissensionibus æstuabat. Eam in rem Lincii conventum indicit, quò ille quoque profectus est. * [1.]

Imperator cùm adhuc Neostadii existeret, Abbati Joanni in Zwetl commissionem quandam dedit, ut duos vicinos inter se dissidentes lite ipsorum sublata & articulis firmatis, in concordiam revocare studeret. Datum Neostadii annô Domini 1466. feriâ secundâ post Jacobi. Unde colligitur Fridericum primò circa finem anni Lincium ad conventum sese contulisse. [2.]

Porro in manus venit quædam Templi Monasterii nostri, Sacellorum ejusdem ac cœmiteriorum reconciliatio facta, cujus tenor talis est: „ Wolfgan-
„ gus Episcopus Ypponensis, Udalrici
„ Passaviensis Episcopi Suffraganeus ad
„ instantiam Joannis Waltpeckh Ab-
„ batis in Zwetl Chorum seu Ecclesiam
„ cum omnibus Capellis ibidem, Clau-
„ strum & cœmiterium intus & foris
„ cum Capellis eorundem reconciliavit.
„ Datæ sunt literæ propterea annô Do-
„ mini 1466. in Vigilia Natalis Domi-
„ ni. „ [3.] Mirabar primùm, quid hæc sibi reconciliatio significaret, cùm denuo nusquam post Hussiticas faces Monasterium Zwetlense invenerim exsecratum aut spoliatum: verùm annis prioribus (*Annô 1461. & 1464.*) repetitis reperi de fortalitio ante civitatem Zwetlensem posito milites aliquando viginti, plures semper, nonnunquam etiam centum frequentâsse Monasterium, in eóque potitâsse vinum: unde fortè ebrii inter se duellum commisêre aut bellum è rixis bacchicum, in quo tumultu aliqui occisi fuerint, unde Ecclesia vel Claustrum, vel cœmiteria humano sanguine defœdata & prophanata fuerint, quare ad Abbatis instantiam indiguerint reconciliatione: nam post Hussitarum exsecrationem præfata loca omnia de novo fuêre jam antè consecrata. Atque hæc de expiatione Monasterii.

Florebat eo tempore de Fundatorum nostrorum progenie mirum in modum Georgius Potendorfius non tam muneribus publicis quàm virtutibus egregius Heros. Erat enim Summus Austriæ & Pincerna & Mareschalcus, qui civitatem Cistersdorfensem hæreditariam sedem tum possidebat. A bellis igitur intestinis abhorrens, animum ad pietatem convertit, justitiæque tenax suum cuique tribuit, liberalis in pauperes. Hic memor Majorum quoque suorum, Parochiæ in Cistersdorf Monasterio nostro incorporatæ decimas integras minutas, ùt vocant, in, & extra civitatem ibidem porrigendas legavit. Datum annô Domini 1466. in Dominica infra Octavam Corporis Christi. [4.]

„ Idem Georgius Potendorfius
„ Summus Pincerna, Mareschallus &
„ Capitaneus Austriæ nuntiat Abbati
„ Joanni in Zwetl ejúsque Conventui,
„ quòd bellum seu potiùs litem inter
„ eum suúmque Conventum ex una,
„ & Nobilem Dominum Haidenricum
„ Druckses, Joannem de Hofkirchen,
„ Bernardi Druckses relictam viduam
„ ejúsque filiam domicellam Barbaram
„ ex altera parte, his literis sublatam
„ velit & pronuntiet, induciis à festo
„ nimirum Martini (quousque partes
„ modò dictæ jam inter se convenerant)
„ usque ad Nativitatem Domini proxi-
„ mam duraturis. Nam Imperator
„ comitia provincialia indixerat, ad
„ quæ partes conveniant & compare-
„ ant jubet, ut amicabilis aliqua com-
„ positio possit iniri. Datum Viennæ
„ annô Domini 1466. feriâ tertiâ post
„ Colomanni, circa Idus Octobris. „
[5.] Credo ego hanc litem suscitatam fuisse tempore tumultûs, quo Sæculares potentes præsertim in Monasteriorum bona cupidi ferebantur. De hoc autem Georgio Potendorfio sic Gerardus loquitur:

tur: „ Interim qui ex prædonibus „ (*per Austriam*) adhuc in armis erant, „ à Provincialibus sub Potendorfii du- „ ctu adversis aliquot præliis attriti in „ Ungariæ fines sese proripuêre, & „ propè Tirnaviam excitatâ de more „ tabernâ agros populabundi infesta- „ bant. Igitur Matthias Rex milite „ Posonii & in vicinis locis collecto ab „ excursionibus prohibitos obsidione „ circumvallat. Accurrit ad ipsum in „ castra Potendorfius cum sexcentis „ Austriacis, urgetur totis viribus ob- „ sidio, & munimentum noctu diúque „ oppugnatur. Prædones viribus suis „ diffisi & veniam desperantes, eruptio- „ ne facta, quà possunt effugere, ten- „ tant, sed in hostium manus incidunt: „ centum ex illis suspendio dati, reli- „ qui in custodias & ergastula distri- „ buti. „ [6.] Hæc Gerardus, ubi quoque hujus Potendorfii nostri præclaræ in bello res gestæ describuntur. Habebat hic Vicarium Leopoldum de Wulzendorf, fortè Wolckerstorf, qui litem etiam quandam Monasterii nostri hoc anno in præfati Georgii absentia tanquam Vice-Mareschalcus composuit sub dato Viennæ. [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 8. „ Erant „ per idem tempus Romæ Matthiæ Regis Le- „ gati Joannes Rosgonius unus è principibus „ Optimatum, & Joannes Quinqueeclesien- „ sis Antistes, quibuscum multa Pontifi- „ cem antea collocutum ferebatur. Nemo „ certè ad bellum Georgio inferendum magis „ idoneus reperiebatur, quàm Matthias, sive „ animi robur, sive militares copias, quas ille „ paratas, multísque præliis exercitatas ha- „ bebat, spectes. Hunc igitur Pontifex cre- „ bris litteris ac nunciis exhortatur, juvenem „ laudis & belli avidum, utì qui secundis ali- „ quot præliis Turcæ sævissimi Christianorum „ hostis vires fregerat, hunc quoque contu- „ macem hæreticum, à quo non minùs, quàm „ ab illo, rei Christianæ periculum metuere- „ tur, debellandum sibi desumeret, quam „ rem immortale Corvinæ domui decus esse „ parituram, neque tam arctum affinitatis esse „ vinculum, quod ab hoc tam sancto nego- „ tio absterrere eum debeat. Præter has ex- „ hortationes quinquaginta aureûm num- „ mûm millia in belli sumptus missa, Bonfi- „ nius meminit. Instigabat Matthiam Fride- „ ricus quoque, & auxiliares copias se missu- „ rum pollicebatur, Pontificis authoritate „ potissimum inductus: etsi non deerant ei „ authores, utì Matthia neglecto, sibi regnum „ illud aut Maximiliano eximia spe ac indole „ puero compararet. Matthias verò multa „ animô secum volvens, nihil agendum statuit „ absque Procerum suorum consilio. Vide- „ batur enim id, quod res erat, negotium „ tam arduum longiori deliberatione indi- „ gere, neque enim arma quàm facilè sumun- „ tur, tam facilè deponi quoque possunt. „ Metus etiam à Turca erat, ne si & ipse in „ Hungariam duceret, utrique impar esset. „ Spondanus hìc n. 1. „ Acta est apud „ Sedem Apostolicam causa Georgii Regis „ Boëmiæ annis præteritis cœpta & conti- „ nuata. Suspensa illa fuerat, ùt vidimus, „ intuitu Friderici Imperatoris, qui Georgii „ protectionem spe emendationis susceperat. „ At novo superveniente casu, resumpta illa „ est, & judicata. Quam rem gestam pluri- „ bus describit Cardinalis Papiensis, qui in- „ terfuit: ex quo breviter eam referemus. „ Erat inter Proceres Regni Hynco quidam „ (Zdenconem vocat Dubravius, alii Sten- „ conem) fide & Religione Catholicus. Hunc „ Georgius, quòd minùs ceteris sibi consen- „ sisset, per occasionem criminum bellô ador- „ tus, ceteris ademptis intrà Zarasten oppi- „ dum obsidebat. Is noctu per stationes „ elapsus, Romam implorandæ opis causâ „ accedens, & à Paulo Pontifice in fidem „ acceptus; impetravit etiam, ut ad Im- „ peratorem de ferendo auxilio scribere- „ tur, & anathema in eos pronunciaretur, „ qui ab obsidione actutùm non abirent. „ Georgius hoc audito, ceterorum Procerum „ nomine, quantumvis plerisque rem ignoran- „ tibus scribi Romam curavit, & obsidionis „ causam in crimina Hynconis rejici, petíque, „ ut mitteretur noscendorum omnium causâ „ Orator ad Imperatorem, apud quem etiam „ de reducenda Boëmia agi necessaria possent. „ Pontifex fraudem subodoratus perstitit qui- „ dem in jussione solvendæ obsidionis; verum- „ tamen Rudolphum Laventinum Episcopum „ hominem natione Germanum ad Imperato- „ rem misit cum mandatis, ne quid cum Ge-

„ orgio aut ſuis priùs tractaret, quàm & ſo- „ lutam obſidionem, & arma depoſita cogno- „ viſſet. At Georgius contemptis monitis, „ Zaraſtenſes demum annuali obſidione ad „ extrema redactos deditione recepit &c. „ Ceterùm memorat quoque Michovius, hoc „ eodem anno Joannem Rockyſanam Boëmi- „ cæ hæreſis verticem, & aurigam doloſum, „ ſubita paralyſi percuſſum, apud Pragam lo- „ quendi uſum amiſiſſe: juſtiſſimô Dei judi- „ ciô, ut qui linguâ ſceleratiſſimam hæreſim „ extuliſſet & prædicâſſet, linguâ languidatâ „ puniretur. Haud tamen perfidus iſte tunc „ obiît, ſed in aliquot adhuc annos vitam „ propagavit: de cujus obitu dicetur ſuô lo- „ cô; ſicuti & de proſecutione cauſæ Geor- „ gii. „

[2.] Ex litterarum monumentis.

[3. & 4.] Ex Autographo ipſorum.

[5.] Ex litterarum monumentis.

[6.] Gerardus de Roó ubi ſuprà.

Annales Ungarorum antiqui ſub Matthia Rege.

Fuggerus in ſpeculo lib. 5. cap. 18. prope finem.

[7.] Ex litterarum monumentis.

Ann. Chriſti MCCCCLXVII. Monaſterii CCCXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Paulus II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Epiſcopus Pataavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Ulricus III.	Joannes IV.

IMperii Principes Norimbergæ conveniunt, & Fridericus ob domeſticos motus in Auſtria retentus Udalricum Patavienſem Epiſtolarum Magiſtrum eò cum mandatis miſit. A Pontifice aderat Laurentius Præſul Ferrarienſis. Actum fuit ibi de bello Turcis & Hæreticis inferendo, verùm motus inteſtini fuêre huic expeditioni impedimento. Legatus autem Pontificius id operam ſe daturum pollicitus, ſoluto conventu in Auſtriam proficiſcitur; Puechaimio, Stainio, ac aliis nonnullis ad ſe vocatis pacem & concordiam ſuadet, obſequi nolentibus ſacrorum uſu interdicit. * [1.] Sub initium Septembris deinde obiît Eleonora Auguſta Neapoli Auſtriæ pia ac multis exornata virtutibus fœmina; ſepulta eſt ibidem in Choro Monaſterii ad S. Trinitatem dicti, Ordinis Ciſtercienſis. [2.]

Friderico Imperatore Auſtriam pleno jure occupante & à provincialibus fidei Sacramentum recipiente, Abbas Joannes in Zwetl noluit ſuo quoque deeſſe Monaſterio, ſed Imperatorem Neapoli ſupplex conveniens petiît omnia ſui Monaſterii privilegia & immunitates diplomate Cæſareo confirmari, & impetravit, cujus diplomatis initium & finis talis eſt: „ Fridericus D. G. Romano- „ rum Imperator ſemper Auguſtus, Un- „ gariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Dux „ Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Car- „ niolæ, Dominus Marchiæ & Portûs- „ Naonis, Comes Habſpurgi, Tyrolis, „ Pfürth & Kyburg, Marggravius Bur- „ goviæ & Landgravius Alſatiæ, &c. „ Datum in Nova-Civitate annô Do- „ mini 1467. feriâ ſecundâ S. Viti, an- „ nô Imperii decimô ſextô, Regni verò „ Romani vigeſimô octavô, & Unga- „ rici nonô. „ [3.]

Porro F. Georgius de Aychſtät pro tunc Magiſter vini & D. Abbatis Capellanus in ſuo vini Indice ſequentia commemorat: „ Annô Domini 1467. „ Item Victorin hæreticus venit ad Mo- „ naſterium noſtrum in die Agnetis Vir- „ ginis cum exercitu quaſi quinque mil- „ lia, & Dominus de Puechaim Wil- „ helmus, & Georgius de Stain, & Crey- „ der, & manſerunt in Monaſterio uſ- „ que ad tertium diem, & ebiberunt „ ad minus quinque ternarios, quia tan- „ tùm Domini cum certis fuerunt in „ Monaſterio, cæteri in diverſis villis „ Monaſterii. „ [4.] Hucuſque Index; ubi ſciendum hos Dominos unà cum Victorino Georgii Regis Bohemiæ filio

filio, qui hæreticus vocatur, eò quòd Hussitica labe infectus erat, fuisse Cæsaris inimicos, & Austriam non solùm Superiorem devastâsse, sed quoque Inferiorem incursâsse ultra Altenburgense Cœnobium descendentes, uti paulò post patebit. Nam Austriæ Nobiles præfati, cùm à Laurentio Ferrariense Legato Pontificio, eò quòd pacem inire cum Cæsare nolebant, excommunicationis gladiô percussi fuissent, in Monasteria passim grassabantur. De quorum excursione hostili talia Struno refert: „ Postmodum absque mora Stainius & „ Puechaimius grassabantur in provin- „ cia suprà Anasiana ferro, igne & ho- „ magiis, illúdque summè devastabant, „ Monasterium Montis-Pomerii effrin- „ gebant, simili modo impetum facie- „ bant in Monasterium Lambacense, „ quod non poterant occupare, homa- „ giabant quoque Monasterium Flo- „ rianense, omnésque indigenas undi- „ que usque ad Gamundium. In op- „ pido Kirchdorfio agricolas ducentos „ occidebant, tantáque damna pro- „ vinciæ inferebant, quæ vix credi „ poterant. Invadebant quoque bona „ Waldseii reguli, eáque incendio de- „ vastabant: nemo denique fuit, qui „ sese ipsis opponeret. „ [5.] Hæc Struno. De eodem bello Gerardus clariùs sic loquitur: „ Imperator ejus- „ dem mensis (*Septembris nimirum*) fine „ Udalricum Graueneccerum in Supe- „ riore Austria summum militiæ Præfe- „ ctum creat. Is conscripto milite re- „ bellium aliquot locis ex itinere captis „ ac dejectis Stiram ducit. In oppi- „ dum à civibus receptus arcem perti- „ naciùs resistentem post dies aliquot „ vi in potestatem redigit. Inde Ibis- „ cum, vulgò Ipsium quoque capit, „ nam Victorinus Boëmorum Regis „ filius, qui ad ferendam opem accur- „ rerat, Danubium transire non potuit. „ Igitur Altemburgum Cœnobium „ expugnat ac diruit. „ [6.] Hæc Gerardus.

Fuit tunc temporis in grangia seu curia Weinzierl (ita dicta, quòd inter vinitores sit sita) Magister curiæ F. Hainricus Gapler Monasterii Zwetlensis Professus, qui subditos quoque sub cura sua habebat non tantùm villæ curiæ adjacentis, sed etiam illos, qui in Fuersprun, Offarn & Hafnerbach habitabant, ipse sub officio suo continebat. Hic facit in eodem suo Indice mentionem quoque F. Andreæ tunc Monasterii Zwetlensis Cantoris. [7.]

ADDITIONES.

[1.] Gerardus de Roó lib. 8. ubi inter ea in textu nostro relata & hæc habet: „ Laurentius - - vir pietate ac rerum usu, „ prudentiáque insignis. Is luculenta ora- „ tione Principes quotquot aderant, horta- „ tur, utì pro officio suo, ac fide, qua Deo „ inprimis, ac Ecclesiæ, ejúsque Summo Pa- „ stori, quáque Imperio ac patriæ suæ de- „ vincti essent, imminentes à Turca & hæ- „ reticis calamitates profligare adnitantur. „ Respondent Principes; paratos se esse, pro „ sua quemque facultate quod possint præ- „ stare, sed si Pontifex expeditionem in Tur- „ cam seriò cogitaret, ante omnia opus esse, „ ut pace inter Christianos confirmata, extra „ suæ ditionis limites cum armis exire liceat. „
Spondanus ad hunc ann. n. 8.

[2.] Piespordius in Friderico VI.
Gerardus ubi suprà.
Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.

[3.] Ex literarum monumentis.

[4.] Ex Registro F. Georgii MS.

[5.] Annales Austriæ Superior. Richard. Strunonis hoc anno.

[6.] Gerardus de Roó suprà cit. locô. Et ex eo Struno citatus.

[7.] Ex Registro F. Heinrici Gabler MS.

Ann. Christi MCCCCLXVIII. Monasterii CCCXXX.

Pont. Rom. Paulus II. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Joannes IV.

MAtthias Rex Ungariæ in conventu Procerum totius regni Agriæ de bello Regi Bohemorum Georgio Podiebradio socero suo inferendo retulit, Pontificísque ac Imperatoris literas in consilio legi jussit. Post aliquot consultationes tandem omnium sententiis bellum in Bohemos decretum est, & fœdus cum Cæsare denuò instauratum approbata Austriacorum successione, si absque prole Regem mori contigisset. Igitur ineunte hujus anni vere Matthias cum exercitu Posonium primùm, inde Laam Austriæ oppidum venit, quò Austriaci equites ad ipsum gratulatum mittunt; quos cum peditatu secuti castra prope Regios locant. Georgius verò Rex Bohemiæ Trebitiô, ubi tunc erat, movens Znoymam ducit cum tribus armatorum millibus, unde Victorinum filium cum copiis assumens Laam profectus in hostium conspectu castra metatur, eáque essedorum & curruum objectu undique circumvallat. Inter utrumque exercitum Marus amnis erat (quem aliàs Marcham, quasi limitem vocant) qui Ungariam ab Austriæ finibus & vicina Moravia disterminat. Ibi post aliquot tractatus inter utrumque Regem nihil effectum est, sed Georgius Trebitium retrò castra movit cum Victorino. Hos secutus Matthias Znoymam primò venit, deinde Trebitium pulsô inde Victorinô (Rex autem Georgius in interiora regni loca secesserat) occupat, mox Brunnam pergit, & ab obviis civibus excipitur, ubi arcem Spilbergam situ, opere, & præsidio validam obsidione cinxit. Relictis autem ibi Præfectis Rex in Ungariam hibernatum abiît. * [1.]

Sub initium Novembris Cæsar res in Austria satis jam quietas, & Matthiæ ob fœdus fidendum ratus suscepto in Italiam itinere vesperi ante diem Natalis Domini nostri Romam venit, ubi ea nocte sacra faciente Pontifice Evangelium *de edicto Cæsaris Augusti* decantâsse dicitur, exemplô Imperatoris Sigismundi. Sedecim dies illic commoratus domum rediît. [2.] Varii varias causas afferunt ejus itineris Romani.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 8. „ Erant „ qui bello hoc abstinendum, & Hungariæ „ Regi abundè ad laudem sufficere dicerent, „ quòd Turcam suo Marte à Christianorum „ finibus submovisset. Pars verò, quibus superiorum temporum injuriæ, & damna à „ Boëmis accepta, cordi & vindictæ erant, „ bellum suadebant, ne Hungari, Turcâ in „ Asia occupatô, pacem ac otium nacti, remissô bellandi exercitiô degenerantes, hosti aliquando prædæ ac ludibrio sint. Ad „ horum sententiam Rex ipse pronior, eam „ orationem habuit, ex qua satis eum ad hoc „ bellum animatum esse facilè intelligebant. „ Variantibus adhuc sententiis, Legati à Turca „ missi interveniunt, qui à Nicolao Vilacho „ Inferioris Pannoniæ Præfecto introducti, „ eodem interprete, pacem petiêrunt, atque „ impetrârunt. Eam verò legationem Turca „ miserat, ne dum ipse rebus Asiaticis distinebatur, metus ab Europa relinqueretur. „ Id etsi ab Hungaris satis intelligeretur, „ omnium tamen sententiis bellum contra „ Boëmos decretum est &c. „

Dubravius Histor. Bohemic. lib. 30.

Spondanus ad hunc ann. n. 4. „ Matthias Rex Hungariæ - - - - - in Moraviam „ ducens, obvium habuit Georgium cum forti „ exercitu; paribus, ùt apparebat, utrimque „ viribus, ducibus pari virtute & prudentia, „ sed longè impari ætate, cùm septimum vix „ Matthias & vigesimum clauderet annum, „ Geor-

„ Georgius sexagenarius jam fortassis esset. „ Sejunctis post quasdam velitationes exercitibus, Matthias nonnulla oppida quà obsidione, quà spontanea deditione recepit. „ Rursúmque ad Brunam, quæ Moraviæ caput est, exercitibus prope admotis, cùm „ Georgius, objecta Matthiæ affinitate filiali, „ obtulisset etiam singulare certamen in angusto loco; respondit Matthias, potiorem „ sibi esse causam fidei: resipisceret pater, & „ de fide sacrosancta rectè sentire studeret: „ quoad verò certamen, non se rusticum esse, „ qui in angusta fornace tribulis frumentum „ tereret; sed Principem, cujus sit armatum „ in campo decertare: proinde si Princeps „ Georgius esset, equestri certamine depugnarent. Non accipiente illo conditionem, cùm ad mutuum colloquium de pace, „ quinimmò & post nonnullas contentiones „ ad convivium inter media castra descendissent, intérque prandendum duo histriones „ Regii jocis suis seria solverent; proponente „ quodam ex Proceribus Boëmis Catholicis, „ ut in histrionibus fidei periculum fieret, & „ qui in palæstræ certamine victor esset, ejus „ fides præstantior haberetur; approbantibus „ sententiam Regibus, nequicquam reluctante „ Legato, qui aderat, (numquam à latere „ Matthiæ discedens, ne in suscepto titubaret) commissi inter se histriones, quorum „ Catholicus Hungarus staturâ longè minor „ erat, post longam colluctationem Hungarus tandem insanam Boëmi molem in aëra „ sustulit, humum continuò inversurum, nî „ Boëmus quidam dextram objecisset. Exactô „ conviviô, rebus infectis, singuli in castra „ rediêre: & Matthias post quædam capta „ oppida, appropinquante hyeme, relicto „ exercitu in Moravia, in Hungariam rediit: „ utì hæc prolixè Bonfinius refert. De quibus est etiam Cardinalis Papiensis epistola „ ad Paulum Pontificem ex secessu Pientino „ scripta, qua ei congratulatur de indicto à „ Matthia bello Georgio: hortatúrque ad indicendas preces pro felici susceptæ rei successu. Aliáque ad Rovarellam Legatum, „ de præclara navata ab eo in his opera.

N. 5. „ Verùm quod Bonfinius omisit, „ habent alii, Matthiam cum Georgio inducias „ pepigisse in prædicto ipsorum congressu usque ad finem anni. Sed Bonfinius, qui „ non nisi laudes Matthiæ quæsivit, nihil ferè „ umquam quod vitiò aut dedecori verti ei „ possit, historiæ suæ inseri passus est. Id „ verò de induciis habent disertè auctores Poloni: ac distinctiùs Cromerus, postulante „ Georgio de pace inter eos agi cœptum esse; „ & fortasse conventuram fuisse sine arbitris, „ nisi Legati Pontificii & Proceres Hungari „ & Boëmi piô zelô incitati Matthiam avertissent: Inducias igitur dumtaxat inter Reges factas esse ad finem usque anni. Quas „ tamen Nauclerus pacem vocavit, cùm scripsit, abeunte Imperatore ex Germania, „ (quem paulò pòst videbimus Romam accessisse ad finem anni) statim Matthiam pacem cum Boëmo percussisse, contra pacta cum „ Imperatore inita: quæ fecit irrita, inquit, „ quòd hac ratione confirmari vires & adversùs Turcum & contra ipsum Imperatorem „ putaret. At verò restauratum esse bellum „ annô proximô, dicetur ibi. „

[2.] De Roó, ubi suprà.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.
Megizerus Annal. Carinth. lib. 10. c. 15.
Spondanus citatô suprà locô, num. 15.

„ Calendis Decembribus (ùt Papiensis narrat) „ cùm nunciatum esset Romæ Fridericum Imperatorem in Italiam descendisse voti solvendi causâ, quod ad Ecclesiam Apostolorum ex Germania fecerat; conversus Pontifex ad ejus suscipiendi curam, unum ex Secretariorum Ordine quàm longissimè ire obviam jussit, negotiô injunctô, ut crebris „ nunciis de ratione viæ, & ceteris quæ cognovisset, sine mora significaret. Inde quatuor ex diversis nationibus Episcopos designavit, Judicésque Rotæ duos, & consistoriales Advocatos totidem, qui Secretario succedentes secunda salutationis officia „ exhiberent. Denique delegit Cardinales, „ Guillelmum de Estoravilla Gallum Rotomagensem dictum, Episcopum Ostiensem, „ & Franciscum Picolomineum Pii II. nepotem „ Diaconum tituli S. Eustachii, qui præstarent tertia, non tamen ultra bidui viam „ progrederentur. Ingressum deinde in urbem describit speciatim idem Papiensis; „ quòd, ùt ait, ejusmodi solemnitas neque ex „ cæremonialibus libris, neque ex omni historia reperiri tunc posset; quippe aliter cùm „ coronam petit, aliter cùm privatæ rei causâ „ venit, accipi debeat Imperator. Qui ergo „ singula cupiêrit, legat apud illum; nos solidiora videamus. Ingressus est igitur provecta jam nocte Natalis Domini, cùm jam „ Pontifex in Ecclesia sacrum Matutinum „ inchoâsset: ibíque à Pontifice ad osculum „ pedis, manus & oris exceptus, in propinqua „ sede collocatus inter Pontificem & Cardinales, donec completum est Sacrum: eóque absoluto Diaconi Cardinales duo ad „ Altare eum deduxerunt; ad cujus ille primum gradum in genua procidens, tamdiu

„ perseveravit orans, donec & votum absolveret, & divinæ preces super eum à Pontifice recitarentur. Inde in cubiculum & quietem ductus: paulò ante diluculum rediens in Ecclesiam ad secundum Sacrum, quod solemniùs celebratum est, quia primum ferè tumultuarium fuerat; ense tunc de more benedicto à Pontifice donatus, quem ille, ùt nudus erat, armigero adstanti tradidit; camiseô, stolâ, & pluviali ornatus inter duos Diaconos Cardinales Evangelium lectionis septimæ cantavit, lectionem ipsam eorum alteri prosequendam relinquens. Manè tertii officii tempore, Missam Pontifex celebravit: in qua post communicationem suam, Eucharistiæ partem in hoc ipsum servatam Imperatori porrexit. Finitô Sacrô, & ostensô ad venerationem Sanctô Sudariô, Pontifex benedicens plebi, quæ innumera convenerat, summam peccatorum veniam impertiit. Et admonitæ turbæ à Diacono Cardinali, ut acceptæ hujus gratiæ memores pro Romana Ecclesia & Pontifice suo orarent; additum est, & pro Friderico Imperatore nostro, ut contra infideles gentémque hæreticam divinum illi semper subsidium adsit. Atque hactenus de celebritatibus.

N. 16. „ Quarto pòst die in Consistorium veniens, quod dari sibi ob publicam causam poposcerat, cùm unà cum Cardinalibus quidam Germani Proceres, & Regis Hungarorum, & Cypri & Venetorum Legati frequentes adessent; per Laventinum Episcopum itineris sui causam proposuit; tam videlicet ad reddendum Deo votum, quàm ad inquirendum modum providendi saluti Christianorum adversùs Turcos; sæpe à se pluribus in Germania conventibus quæsitum, nec inventum. Cùm Pontifex ad hæc respondisset, tàm se quàm antecessores multùm in eo laborâsse, nec quid modò aliud consilii habere, rogaréque, ut si quod Imperator attulisset, promeret; is post consultationem cum Proceribus suis & prædictis Legatis habitam exposuit in tanta consiliorum inopia nihil meliùs invenisse, quàm ut Constantiæ, quæ Germaniæ civitas esset Italiæ propinqua, conventus Principum indiceretur, ad quem Pontifex & Imperator accederent, & reliquos omni diligentia convocarent. Quod cùm Pontifex prætæritorum exemplô inutile futurum ostendisset, post alias subsequentes consultationes, duo communi animo sunt constituta, videlicet ut literæ ad Principes utriusque nomine scriberentur, quibus ad Calendas Novembris anni venientis Legatos suos Romam mittere rogarentur, de ratione tuendæ fidei cum Pontifice acturos: & ut Venetis diutinô Turcorum bellô exhaustis decimæ Clericorum, Hebræorum vigesimæ, & Sæcularium trigesimæ in ditione sua concederentur; quales decretô Mantuanô Pius olim Italis quibusque indixerat. Nec multò pòst cùm totos septemdecim dies Romæ Imperator fuisset, in Germaniam reversus est, multis interim à Pontifice officiis, & muneribus gratisque spiritualibus honestatus: adeò ut etiam quamdiu Romæ, atque in reditu intra Statum Ecclesiasticum fuit, victum sibi, & comitatui, qui sexcentorum ampliùs equitum extitit, largissimum acceperit. Quæ omnia eò studiosiùs illi collata fuêre, quòd notissimum erat, propugnatorem se eum ostendisse Romanorum Pontificum, & nec abiisse unquam in eorum consilia, quibus transalpinæ nationes sæpe in Romanam Curiam tumultuari consueverant. Hæc Papiensis pluribus, qui omnium fuit particeps. Meminítque eorum Platina, qui æquè tunc fuit Romæ; sed in ærumnis, ex falsis, ùt profitetur, accusationibus. Aítque Pontificem ad Imperatoris adventum equitum & peditum suorum magnam partem in Urbem vocâsse, veritum ne quid tumultûs à Populo Romano excitaretur præsente Imperatore. Cùm is alioqui (ùt loquitur Krantzius) parvo comitatu ingressus esset Italiam, nemini formidabilis, paucis etiam fortè venerabilis. Vivere tamen tunc viderunt, (inquit in sugillationem Imperatoris) quod antea difficulter credebant, qui nulla insigni opera se vivere declararet. „

Ann. Christi MCCCCLXIX. Monasterii CCCXXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

MAtthias Rex constitutis domi rebus, initiô Februarii mensis in Moraviam cum exercitu accelerato itinere profectus est; utì suis, quos in obsidio-

ſidione arcis Spilbergæ reliquerat, in tempore ſubveniret. Ad famam adventûs ejus obſeſſi deditionem fecêre. Non multò pòſt duo Reges prope arcem Leüchtenbergam in colloquium venêre. Variant hìc Scriptores Bonfinius & Dubravius. Gerardus è manuſcriptis loquitur, conveniſſe Reges memoratos in Suburbano Sternbergæ Olomucio vicini oppiduli, ibíque ad anni exitum inducias ſecum pepigiſſe. Interea Matthias Rex Bohemiæ & Marchio Moraviæ Olomucii ab Ordinibus orthodoxæ fidei addictis appellatur, præterea à Sileſiis vocatus Wratislaviæ Princeps, eam ditionem in fidem recipit. Revocatus in Moraviam Victorinum novi quippiam molientem, & in oppido Weſſale obſeſſum fugam tentantem capit, inde abductô ſecum Victorinô in Ungariam rediit. *[1.]

Habetur porro vicinorum Monaſterii noſtri mentio anno iſto ſequentium: Domini Hartnidi Puechaimii de Gmünd, Joannis Hofkircheri de Cholmuntz, ſub cujus jurisdictione Ludweigs villa tunc erat, de qua inter ipſum & Joannem Abbatem in Zwetl, atque Georgium Pilgrimum Magiſtrum curiæ in Raſing lis & contentio verſabatur, & Domini Friderici Chrafftonis de Miſſingdorf. Datum in curia Raſing annô Domini 1469. Dominicâ Oculi in Quadrageſima. [2.] Horum ideo mentionem feci, quia ſucceſſu temporis lites novas & bella Monaſterio gravia ſuſcitârunt ſub Wolfgango I. Abbate Zwetlenſi, utì ſuo tempore patebit.

Erat hoc anno Allodiorum noſtrorum Magiſter Wolfgangus Schachinger, qui pietate tactus Monaſterio noſtro centum denariorum talenta legavit. Datæ deſuper literæ annô Domini 1469. in Vigilia Aſſumptionis B. V. Mariæ. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus ubi ſuprà ad priorem ann.

Spondanus hìc n. 9. „ Matthias Rex Hungariæ Idibus Februariis (ùt Bonfinius ait) „ iter iniens in Moraviam adversùs Georgium „ Boëmiæ Regem hæreticum; --- Olomutium „ inſignem Moraviæ urbem accedens, ibi à Catholicis Boëmis & Moravis Rex Boëmiæ & „ Marchio Moraviæ declaratus eſt, quò honeſtiùs ac juſtiùs pro addictis ſibi ditionibus dimicare videretur. Inde Wratislaviam „ Sileſiæ petens, ibi quoque in Sileſiæ Principem receptus eſt. Mittens verò ad Imperatorem in Auſtriam, qui pecunias, quas „ in eam expeditionem promiſerat, reciperent, „ hi verba pro nummis habuerunt, adeo parum aut nihil exigere potuerunt. Ex quo „ diſcordiarum, quæ Matthiæ cum Imperatore interceſſerunt, bellíque Auſtralis ſemina profluxêre. Interim verò in Moraviam rediens, Victorinum Georgii Boëmi „ filium ad quoddam oppidum obſidione cepit, & honeſtâ cuſtodiâ detinuit. Indéque „ in Hungariam ad hiberna rediit, & ad ſupplementa legionum conquirenda. Hæcque ſecundò belli Boëmici annô (quod „ ſeptennium duravit) geſta eſſe, Bonfinius „ deſcribit. Dubravius autem Victorinum, „ dum iter ageret ad ſororis ſuæ virum, interceptum ab Hungaris ait, Budámque perductum, & omnibus miſeris modis ab iis habitum: projectum videlicet in quandam turrim tectô carentem, ut die ac nocte nivibus aut pluviis complueretur, ac ceteris aëris tempeſtatibus vexaretur, quaſi parum eſſet „ famem & ſitim eum ſicciſſimam tolerare. „ Michovius tamen de captione Victorini „ Bonfinio conſentit: quem denique Cromerus per proditionem captum ſcribit. „

[2. & 3.] Ex literarum monumentis.

Annus

Ann. Christi MCCCCLXX. Monasterii CCCXXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus II.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

OBiît hoc anno hæreticus à Pontifice Romano excommunicatus ac ab Imperatore proscriptus Georgius Podiebradius Bohemorum Rex, unde Matthias hyeme nondum finita hibernis excedens properans Iglaviam venit. Sunt, qui ex hoc itinere Viennam divertisse eum affirmant; & benignè exceptum, insidiarum metu an alio consilio incertum, non salutato hospite abiisse. Gliscebat enim jam inter ipsum & Cæsarem simultas, qui ægrè ferebat se inconsultò Bohemiæ Regis titulum illi esse tributum, & indignū Moraviæ statum miserebatur, quem acerbè nimis ab illo vexari dicebat. Unde amicitiâ illius spretâ ad fœdus cum Polono ineundum respexit, qui Viennam Legatos mittens suos positis utrinque fœderis novi capitibus illud conclusit. Erant inter regni competitores præter Matthiam, Fridericus Cæsar, Vladislaus Polonus & Henricus Georgii defuncti Regis filius. Item proximi his Albertus Misnensis Marchio, Ludovicus Bavarus, & Galliæ Rex. In Polonum ex his plerique Bohemi proniores erant, soli ex Proceribus Joannes Rosembergicus, Sdenco Sternbergicus, & Hainricus à Nova Domo Matthiam postulabant. * [1.]

Dum hæc in Bohemia geruntur, in Austria denuo in Curia Romana pro Divo Leopoldo quondam Marchione in Sanctorum Catalogum inserendo Proceres Sæculares laborârunt, qui fuerunt ferè iidem, qui suprà An. MCCCCLXV. notantur. [2.] Non tamen canonizationem, ùt vocant, ejusdem Beati à Paulo II. Papa impetrârunt, rursum bellis per Austriam flagrantibus.

Porro Guillelmus Abbas Morimundi Monasteriorum Cisterciensium per Germaniam Visitator ordinarius deputatus & contributionum Ordinis collector dum constiterat Crembsii, cum ibidem Joannes Abbas in Zwetl conveniens, Monasterii sui statum miserum exposuit, séque de contributionibus porrigendis excusavit; qui ejusdem intelligens desolationem ipsi misericorditer compatiens Monasterium Zwetlense pro annis tredecim incipiendo ab Annô Salutis MCCCCLVIII. usq; ad MCCCCLXX. de quinquaginta florenis Rhenensibus liberum & absolutum pronuntiavit respectu multarum infortunarum (*pro multorum infortuniorum*) ùt gwerrarum, incendiorum, ac quàm plurium gravaminum, quæ dictum Monasterium tum à Bohemis hæreticis & prædonibus, tum ab aliis inimicis terræ publicis sustinuit, & toleravit. Datum in oppido Crembs, annô Domini 1470. 12. Julii. [3.]

Præterea Joannes Abbas in Zwetl censum solvit quinquaginta duorum florenorum Rhenensium Matthiæ Abbati Scotorum Viennæ in Vigilia S. Joannis Baptistæ, annô Domini 1470. [4.] datâ desuper apochâ. Census iste de anno in annum crevit ob belli continuos apparatus faciendos, modò contra Bohemos, modò contra Ungaros, aliósque Austriæ prædones, utì hoc annis sequentibus patebit.

Inter cetera quoque F. Georgius in Indice suo sæpè memorato refert sequentia gesta: „ Annô 1470. Item „ eodem anno in Krems habuimus no- „ va vina tredecim ternarios cum di- „ midio, & unum ternarium vini à Do- „ mino Abbate de Campo-liliorum, & „ obligatur Monasterio nostro dare per „ quinque annos ex parte Offarn, pro- „ pe Ducumburgum, & Dominus Ci- „ ster-

„ stercienfis concordavit nos & ipsos. „ [5.] Hæc ex Indice. Fuit lis orta de prædicta villa Offarn, quam Monasterium Zwetlense eidem Abbati ad tempus impignoravit, quam litem Generalis Ordinis determinare tandem debuit. Petrus tunc Abbas Campi-liliorum erat.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 8. „ Hoc „ anno pridie Nonas Decembris, Imperator „ Fridericus Viennam rediit, eodem die, quo „ ante septem annos, cum uxore & filio, so„ luta palatii obsidione exierat, & maxima „ cum lætitia ac plausu exceptus est. Se„ quenti anno, qui ejus seculi septuagesimus „ fuit, Matthias hieme nondum exita, hiber„ nis excedens, Boëmicum bellum satis ha„ ctenus feliciter succedens prosequi statuit. „ In itinere cùm esset, prope Jaurinum illi nun„ cius adfertur, de Georgii Boëmorum Re„ gis obitu. Igitur magis properandum ra„ tus, Iglaviam contendit. Sunt &c. *ut in* „ *textu nostro.* Quare (*Imperator*) alienatô „ jam à Matthia animô Legatum ad Casimi„ rum Poloniæ Regem miserat Raphaëlem „ Lescinium equitem Polonum, sed diu in „ aula sua versatum. Is graves de Matthia „ querelas exposuit. Cultum eum multis à „ Cæsare officiis, & Pontifici commendatum, „ ex belli Boëmici successu superbiùs se ge„ rere, & iniquam pro acceptis beneficiis gra„ tiam reponere, dúmque ipse in Italia Rei„ publ. causâ abest, novam in Stiria & Austria „ seditionem excitâsse, Paumkircherum & „ alios rerum turbatores patrociniô suô fo„ vere, ídque agere, uti occupato motibus „ domesticis Cæsare regni sui pomœria pro„ ferat, & effrænem dominandi libidinem „ cum vicinorum injuria expleat. Quibus „ rebus motum Fridericum diutiùs cum eo „ amicitiam nolle, & ad fœdus Polonicum „ respicere, quod si affinitate aliqua firmari „ placuerit, non reprobaturum. Casimirus, „ qui & ipse Boëmiæ regnum, ad filium suum „ majorem natu Vladislaum trahere niteba„ tur, hac Cæsaris legatione exhilaratus, suos „ quoq; Legatos Viennam mittit, fitque inter „ ipsos fœdus, quod Polonis quibusdam non „ satis probabatur, qui ægrè ferebant, Hun„ garici regni titulum à Friderico usurpari, „ cujus successionem suis deberi Regibus con„ tendebant. Inter fœderis capita & illud „ erat: Uterque ad alterius regna ditionés„ que aditum sibi strueret. Fridericus quo„ que tertiam dotis partem, quæ Elisabethæ „ Ladislai Regis sorori debebatur, certis pen„ sionibus soluturum se pollicebatur. Inter „ hæc Matthias in Moraviam profectus, ex „ suis in Boëmiam misit, qui Procerum non„ nullorum animos quà precibus & promissis, „ quà metu belli injecto, in ejus partes ad„ ducerent. Erant inter regni competitores „ &c. „ *ut in textu nostro.*

Dubravius Histor. Boiemic. lib. 30. in fine. „ Præter autem curas alias, valde eum (*Georgium*) anxium habuit regni successor, quis„ nam ille futurus post mortem suam esset, „ unúsne è filiis, quod omnium maximè de„ siderabat, an externus aliquis nihil ad se „ pertinens. Hunc scrupulum ut sibi de ani„ mo eximeret, tum fortè etiam corpore im„ becillior, vocat ad se primores ex omnibus „ Ordinibus, & illis coram: *Sentio*, inquit, „ *finem vitæ, quem mihi natura constituit*, „ *appropinquare. Nollem autem, quantum* „ *in me situm est, libenter committere, ut post* „ *obitum meum ipsum regnum in aliquod* „ *discrimen adduceretur, propter dubium* „ *regni successorem. Proin scire aveo, quid*„ *nam in hac causa agere, quémve Regem vo*„ *bis legare destinaveritis?* Respondentibus, „ nullam, ipso Rege superstite, successoris „ faciendam esse mentionem, instabat avidus, „ donec ab illis extorqueret, non admodum „ sibi gratam sententiam, qua se dicerent „ sentire, apud Polonos Regem esse quæren„ dum, cum quibus & linguâ convenirent, „ & moribus non multùm dissentirent. Adesse „ præterea vires Polonis, quibus regnum „ Boiemiæ tutari possent. Georgius ea spe, „ quam velut certam de successione suorum „ conceperat, dejectus, in rem suam aliena „ convertere, arces, oppidáque regni, & alio„ rum bona filiis suis attribuere, omne ar„ gentum ex montibus Cuthnensibus, quos „ Loculum suum cognominabat, in arcem „ Podiebradam convehere, id denique agere, „ ut dites atque opulentos filios relinqueret. „ Priùs tamen Rokiczanum omnium malo„ rum architectum mors oppressit, quàm Ge„ orgius suum diem obiret. De sepultura „ contentio suborta, quibusdam vetantibus, „ ne ad ædem Divi Viti, Romanæ religioni „ devotam, sepeliretur: sed vicit factio va„ lentior, ut in illa ipsa æde juxta Regum „ conditoria conderetur. „

Notæ marginales ad allatum Dubravii textum. „ Mors Rokiczani, quam & Regis se„ qui-

„ sequitur mors quintodecimo die hydrope „ defuncti annô 1470. alii 1471. die 22. Martii. „

Inter hos est Hageccius in Histor. Bohemic. in Georgio ad annum 1471. ita scribens: „ Am Tage Petri Stuhlfeyr, ist M. Joannes „ Rokyczan, welcher eines Schmides Sohn, „ aus der Stadt Rokyczan bürtig, und ein „ gelehrter Mann, auch erwählter Ertz-Bischoff in Böhmen, und Pharrherr bey Unser Frawen zum Tein in der alten Stadt „ Prag gewesen, gestorben, und in derselben „ Kirchen, vor dem hohen Altar, ehrlich „ begraben worden &c.

„ In vier Wochen hernach, nemlich am „ Freytage nach Oculi, umb die vierdte Stunde in die Nacht, ist König Georg gestorben, und ward des Montages nach Mariæ „ Verkündigung in der Präger-Schloß-Kirchen, in dem Chor zu Unser Frauen, neben anderen Bömischen Königen seiner „ Vorfahren, von denen so ihn lieb gehabt, „ nach Königl. Ehren begraben. Wiewohl „ etliche Herren, und besonders die jenigen, „ so ihme nicht günstig gewesen, neben der „ Priesterschafft des Capitels darwider waren, „ sagende: Dieweil er diejenigen Kirchen, „ darinnen die Christliche Römische Ordnung gehalten, bey seinem Leben gehasset, „ so wäre es billich, das er dieselben nach „ seinem Tode auch meiden solte. Zudeme, „ hätte er den Kirchen, welche Kayser Carl „ reichlich versehen, viel entzogen; derowegen er darinnen nicht begraben werden „ solte. So sagten die andern: Ob gleich „ in dem Leibe böse Neigungen gewesen, „ so müste darum der Cörper derselben nicht „ entgelten &c. Und ward also nach weitläufftiger Disputation und Streite, wie gemeldt, begraben. „

Astipulatur sæpè relatus Spondanus ad ann. sequentem n. 5.

Verùm Fuggerus subscribit compilatori nostro lib. 5. c. 19.

[2.] Poltzmannus Præpositus Claustri-Neoburgensis in vita S. Leopoldi.

[3.] Ex literarum monumentis, & autographo ipsius.

[4.] Ex Apochis ipsorum.

[5.] Ex Registro F. Georgii MS.

An. Christi MCCCCLXXI. Monasterii CCCXXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus IIII.	Joannes IV.

OBiit hoc anno quintô Calendas Augusti Paulus Papa II. apoplexiâ tactus Romæ in Palatio Vaticano, sepultus in Basilica ibidem S. Petri. Eo sepulto eligitur in novum Pontificem M. Franciscus de Ruvere Albizzola Savonensis Ligur, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ: Vocatur Sixtus IV. Coronationis autem suæ insignia suscepit Romæ ante fores Basilicæ S. Petri octavô Calendas Octobris. * [1.] Hunc Pontificem prædixit B. Malachias: Piscator Minorita. Nam piscatoris filius & Franciscanus seu Minorita fuit, licèt sint, qui eundem piscatoris filium esse negent.

Ad septimum Calendas Junias re in Concilio Bohemorum, qui anno præcedenti Cuthnæ coiërant, ob suspectam Pragam deliberatâ, Vladislaum Casimiri Poloniæ Regis filium quindecim annorum adolescentem Bohemiæ Regem renunciant, & decreta legatione in regnum vocant. Hujus electionem, quam Pontifex Paulus II. improbare conabatur, quia ab hæreticis excommunicatis facta fuisset, Imperii Principes, qui tum Ratisbonæ comitia celebrabant, Friderico Cæsare suadente ratam habuêre, diplomate desuper confecto. Quod postmodum Cæsari Pontifex literis dolenter proposuit. Matthias verò Rex repulsâ irritatus, nam & ipse Legatos eò miserat pro sui confirmatione, bellum Austriæ grave intulit, utì patebit. [2.]

Intereà Joannes Abbas Zwetlensis reperitur supplicâsse pro salium fundatorum consueta deductione apud Bernar-

nardum Archi-Episcopum Salisburgensem. Datum in Monasterio Zwetl, annô Domini 1471. feriâ tertiâ Pentecostes. [3.] Fuit hic Bernardus oriundus ex Austria è familia Dominorum de Rohr, Plebanus anteà Salisburgensis, electus annô Domini 1468. [4.] cujus posteri in Ottenstein castro non procul à Monasterio nostro consederunt.

Porro inter Monasterium & dominium Liechtenfeldense secundò lis magna exorta fuit super agro inter Ruedmars & Friderspach villas sito, cùm utraque pars illum ad se spectare contenderet, quare res ad Cæsarem delata est, qui illam regimini Viennæ determinandam dedit. Joannes igitur Abbas in Zwetl dat plenipotentiam, ùt vocant, F. Wolfgango Conventuali suo & Monasterii sui tunc Cellerario apud Regimen præfatum Cæsareum Viennæ transigendi modô & formâ, utì Juris regula permittit. Datum in Monasterio Zwetl, feriâ tertiâ ante Jacobi, annô Domini 1471. [5.] Fuit hic F. Wolfgangus postea Abbas ejus nominis primus hujus Monasterii, sub quo primùm lis de agro prædicto terminata fuit.

Ceterùm de more suo subjungam ea, quæ modò de tempore, modò de Monasterio Zwetlensi alíisque hujus anni gestis variis F. Georgius annotavit, sunt autem sequentia: „Item eodem anno „ 1471. vindemium fuit pro majori „ parte circa festum Exaltationis S. „ Crucis, & fuerunt optima vina, sicut „ in triginta annis fuerunt & ultrà, pro- „ ut antiqui dixerunt. Item eodem „ anno incœpimus communire, & con- „ struere Monasterium contra inimi- „ cos cum fossatis & sepibus, & deso- „ lavimus domum seniorum & infirmi- „ torium in divisione Apostolorum „ 1471. cum consensu & voluntate „ Domini Abbatis, Prioris, & totius „ Conventûs. Item eodem anno cir- „ ca festum Omnium Sanctorum in se- „ ptem diebus receperunt nobis inimi- „ ci undecim optimos equos, & duos „ equos Magistro curiæ in Rasing. Item „ eodem anno ad Yembnitz (*Jemnitii*) „ pro pace perpetua Monasterii & co- „ lonorum centum florenos Ungarica- „ les, de vulpinis pellibus pallium, duos „ fasciculos lini Italici, Scriptori duos „ florenos Ungaricales. Item eodem „ anno à festo Martini usque ad Purifi- „ cationem Mariæ ad Frann pro homa- „ gio à colonis dati 204. floreni Unga- „ ricales, scriptori pro - - - (*legi nequit*) „ duo floreni, item pallium. Item eo- „ dem anno familiares propter inimi- „ cos: Joannes Troppiscus Allodio- „ rum Magister, Joannes Reiss &c. „ Enumeratis per ordinem personis ita concludit: „ Summa centum sex personæ „ quotidiè enutritæ, absque laborato- „ ribus & operariis diurnis, & absque „ aliis militibus & vigilibus, omni tem- „ pore sufficienter. Item Magistris „ piscinarum unum vini ternarium & „ sex urnas dedimus pro fossa in Mo- „ nasterio ducenda, uni (*scilicet Ma- „ gistro piscinarum*) 44. tal. den. & mo- „ dium siliginis, duas metretas tritici, „ duas metretas hordei, unam metre- „ tam pisarum, carnem mensuratam, „ (vulgò ùt author loquitur) ein bachen „ Fleisch/ quatuor octalia butyri, & vi- „ ginti caseos &c. „ [6.] Hucusque Index suprà citatus, in quo aliqua produntur, quæ alias in tenebris oblivionis sepulta jacerent. Nam primùm hoc anno Monasterium muniri cœptum est, sicut modò ex parte conspicimus, nam antea (*modò est antemurale seu* Zwinger *vulgò ad Cancellariam & Sartoriam*) cœmiterium erat à templo antiquo, ejus occidentali parte mensurando, usque ad turrim horologii porrectum, de quo tam in templum, quàm per scalas lapideas in S. Bernardi Sacellum ascendebatur. Sacellum autem S. Bernardi tunc erat illud spatium, (*hodiè Abbatia vocatur*) quod hodiè non modò sacellum abbatiale ejusdem Sancti, sed etiam atrium, hypocaustum & camera Abba-

tis occupat, ficut hoc fornix ejusdem fuper contignationes altitudinis & æqualitatis & formæ, & nonnullæ fenestræ (*rotundæ*) demonftrant: Abbas autem Wolfgangus II. Sacellum in hodiernas anguftias, Abbatiámque fibi in eodem cum camera conftruxit, Udalricus verò II. Abbatiam eandem magis tantùm exornavit. Cœmiterium igitur dictum foffatâ munitum eft, atque ita domus feniorum cum Infirmitorio Converforum exclufa fuit, & defolata, ùt author loquitur, nam alterum ad S. Nicolai Sacellum, quod Monachorum appellatur, conftructum erat. Quod Infirmitorium unà cum domo præfata ædificatum ftetiffe videtur eo in loco, ubi modò Abbatialis hortus foris confpicitur. Foffa verò, cujus hic mentio habetur, ducebatur profunda à turri majori angulari meridiem refpiciente ufque ad Infirmitorium Monachorum. Agger porro per Magiftros pifcinarum ducebatur ab horto Abbatiali hodierno in modum lunæ ufque ad Ebronis Abbatiam antiquam, ubi hodie granarium, ùt vocant, à munimento (vulgò Pasteykasten) fitum eft: ficut etiam idem agger, qui fupereft, id declarat. Alebat nihilominus Abbas Joannes in Conventu domi pro tanta rerum anguftia & temporum confufione Fratres viginti quatuor, cùm in univerfum effent triginta quatuor, qui partim in Parochiis Monafterii, partim alibi morabantur. Munitô igitur Monafteriô contra hoftes, qui undique quotidiè augebantur, Friderico Cæfare contrà nihil aut parùm audente, neceffarium erat homines plures alere, quorum tunc ultra centum cum familiaribus fuiffe numerantur præter operarios, vigiles &c. qui Monafterium contra prædonum impetus fuftinere potuiffent. Hoftis autem erat Cæfaris Matthias Rex Ungariæ ob fuprà allatas caufas, unde per Auftriam graffabantur non tantùm Ungari, fed etiam Bohemi, qui partes Matthiæ fovebant, quorum nobis vicini potiffimùm erant Joannes Rofembergicus, qui circa Budvicium & Crumloviam caftra fua poffidebat, Sdenco Sternbergicus, qui ad fines Auftriæ caftra & oppida nonnulla cum factione fua occupaverat, & Henricus à Nova-Domo, qui omnes à Monafterio noftro ultra unius diei iter, aut ad fummum duorum non diftabant. Nominantur illorum quidam, qui jam hoc anno Monafterium vexârunt, loca imprimis Jemnitium, Frana-caftrum, Placium in Moravia & Bohemia, Domini verò inimici, Joannes & Petrus Sterenbergici feu de ftellis Bohemiæ reguli, quorum ifte Ottenslagum caftrum occupaverat, aliíque Ungari inimici.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Paulo II. „Poft difceffum Borfii Eftenfis, quem ad urbem cum „magno equitatu venientem, magnificentiffimè, & lautè fufceperat, Ducémque Ferrariæ creaverat, Pontificatûs fui annô 6. „menfe decimo, V. Kal. Augufti, annô 1471. „Pontifex ipfe apoplexiâ moritur, fecundâ „horâ noctis, folus in cubiculo, nemine vidente, cùm eo die lætus confiftorium habuiffet, cœnâffet hilariter: pituitofis humoribus, quos ex nimio efu fructuum, præfertim melonum contraxerat; fuffocatus „apoplexiâ fuiffe creditur. - - - - - In Bafilica Vaticana, Sacello S. Andreæ, maufolæo marmoreo à Marco Barbo Cardinale S. „Marci conftructo - - - tumulatus eft.

Idem in Sixto IV.

Spondanus hìc N. 9. „Paulus - - Pontifex, - - ad fextum, ùt quidam, feu ad „octavum, ùt plures, Calendas Augufti noctu apoplexiâ extinctus eft, nemine adftante, cùm eo die Confiftorium lætus habuiffet, hilaritérque cœnâffet. Ita namque „Platina, ac ceteri quique. - - - Quod verò Paulum tangit, fi de ceteris ejus rebus „(præter illas, quas pro Ecclefia & Republ. „Chriftiana geftas fingulis propè annis retulimus) eos, qui de illo egerunt, confulas, „(nec Platinam quidem excipiens, quamvis „dolore plenus non pauca in eum amarô animô fcripferit) talem fuiffe reperies, ut nec „valde laudandus, nec vituperandus dici „poffit.

N. 10. „Finitis Pauli Pontificis exe- „quiis

„ quiis ingressi conclave octavô Idus Augusti „ Cardinales octodecim - - - - ad Franciscum Ruvereum Presbyterum Cardinalem S. „ Petri ad Vincula vota sua convertentes, „ cùm ab eo omnia, quæ postularent, obtinuissent, manè ad quintum Idus Augusti „ scrutiniô factô curârunt eum in Pontificem „ eligi: patriâ Savonensem Ligurem, patre „ Leonardo de Ruvere, matre Luchinâ Munlionâ, natum Cellis pago maritimo quinque passuum millibus distante à Savona, „ cùm eo parentes fugissent vitandæ pestis „ causâ: sive fuerit familia nobili, ùt Onuphrius in ejus Vita contendit; seu potiùs, „ ùt alii, obscurâ, cujus & patrem, ipsumétque piscatorem fuisse velint: Baptista „ Fulgosus, nauticam exercuisse. Denique „ Bernardus Justinianus vir gravis, & disertus, „ Senatúsque Veneti ad ipsum pro obedientia præstanda legatus, oratione ad ipsum habita de laudibus ejus apertissimè declarat, „ non eum à Majoribus nobilem, sed à seipso ob propriam virtutem & scientiam fuisse, &c. Factus Pontifex nomen Sixti ejus „ nuncupationis IV. assumpsit, quòd die festo „ Sixti Papæ & Martyris Patres Conclave ingressi fuissent: Symbolúmque ex psalmis „ Davidis cepit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Coronatus apud „ S. Petrum octavo Calend. Septembris: cùm „ ad Basilicam Lateranensem de more ad possessionem adeundam lecticâ veheretur, maximum vitæ periculum adiit; dum Romanis „ quibusdam civibus, ab equitibus Pontificiis „ pressis, saxis seu casu seu ex composito appetitus est. Fuit autem cùm electus est, annorum quinquaginta septem; natus videlicet annò 1414. 12. Cal. Augusti. „

[2.] Gerardus lib. 8. „ Dum hæc in „ Boëmia fiunt, Fridericus Cæsar, & Imperii „ Principes Electores, ac Reliqui Ordines Ratisbonæ in Comitiis, publicam totius Germaniæ pacem stabiliêre, & missis in omnes „ ejus partes edictis, arma deponi, & quascunque controversias æquæ juris disceptationi cognoscendas, dijudicandásque committi imperatum. Actum etiam est de Boëmorum electione, quæ an rata haberi deberet, disceptatum. Improbabat verò eam „ Pontifex ùt ab hæreticis factam, ac irritam „ fieri debere per Legatum suum in Comitiis „ contendebat. Matthiæ quoque Legati, „ nè ea ab Imperii Ordinibus approbaretur, intercedebant; quòd ipse prior electus esset, „ ac Pontificis confirmationem haberet ob „ egregia in Rempubl. Christianam merita, à „ cujus finibus Turcam toties submovisset. „ Principes verò plerique Imperatoris Friderici judicium secuti ad Vladislaum proniores erant. „

Dubravius hist. Bohemic. lib. 31.

Hageccius in Chronic. Bohemic. sub Rege Georgio in fine.

Spondanus hìc N. 5.

[3.] Ex literarum monumentis.

[4.] Hundius in Metropoli sua sub Archiepiscopis Salisburgensibus in Bernardo.

[5.] Ex literarum monumentis.

[6.] Ex Registro F. Georgii MS.

Ann. Christi MCCCCLXXII. Monast. CCCXXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

PONtifex hoc anno animum convertit ad pacem inter Principes Christianos faciendam, unde in Austriam Legatum Franciscum Picolomineum Senensem Cardinalem ad Cæsarem misit: missus etiam ad Polonorum Regem Marcus Barbus Venetus Cardinalis eandem ob causam. Summum enim illi studium erat, ut conjunctis viribus in Turcam iretur. Jámque Pontificii Legati & aliorum quorundam Principum intercessu pax quædam inter Fridericum & Matthiam convenerat, & pulcherrima benè gerendæ rei occasio sese ostentabat, si tam facilè Matthias cum Polono pacificare voluisset. *[1.]

Erat tunc etiam vicinus Monasterio nostro Rudigerus Stabrenbergicus, qui castrum Rapotenstainium seu Rapotonis Lapidem possidebat, hic quandoque Monasterio nostro fuit contra inimicos auxilio ac adjumento. Mentio autem ipsius habetur feriâ secundâ post S. Ulrici. [2.]

Refero item gesta circa Monasterium nostrum per F. Georgium conscripta, quorum tenor talis est. „ Item ad „ Platz homagium à festo S. Jacobi „ Apostoli hujus anni usque ad festum „ S. Georgii Martyris anni septuagesi- „ mi tertii dedimus cum colonis du- „ centos florenos Ungaricales, scripto- „ ri quatuor florenos Michaëlis. Item „ eidem quinque ternarios vini, & „ quinque modios avenæ &c. „ ubi plures graves tales exactiones specificat. [3.] Quæ de Indice F. Georgii excerpta demonstrant, Austriam æquè ac Bohemiam turbulentissimo statu tunc commotas fuisse, unde quoque Monasterium Zwetlense multas miserias perferre debuit.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roo lib. 8. „ Urgebat eandem quoque rem (*pacem inter Christianos*) Ussumcassanus Persarum Tyrannus, qui per id tempus Trapezunte & Sinopoli expugnatis, ac Asia minore omni ferè armis sub potestatem redacta, Turcam gravi bello vexabat, quare Christianos adhortabatur, uti Græciam, militari robore exhaustam, invaderent. Jámque Pontificii Legati &c. *ùt in textu nostro*. Angebat ingentis spiritûs virum (*Matthiam*) prærepta præter spem à Polonis Boëmia, & ab iisdem concitata Procerum in Hungariæ regno Seditio, & res bellô feliciter gestæ, animum addebant. Præterea, quod neque à Turca bellum timeret, & cum Cæsare pacem haberet, Casimiri inopiam divitiis ipse ac prædâ affluens contemnebat, & res suas in Boëmia superiores fore, certam in spem adducebatur. Nam oppidula aliquot ac arces à Victorino dimissionis ac libertatis precium in eo regno acceperat. Igitur vix aliquot mensium inducias abs se impetrari passus est; cúmque Casimirus conditiones pacis proponeret non satis ipsi gratas, non opus sibi esse ea pace respondit, venturum se brevì, & calvo reliquos crines evulsurum.

Spondanus hìc n. 1. „ Annô Christi 1472. Indictione quinta emissi Legati Sedis Apostolicæ - - - primus viam ingressus Marcus Cardinalis Aquileiensis, (de cujus vigesimô secundô Februarii Româ discessu sunt epistolæ Papiensis) mandata à Pontifice accepit ad Fridericum Imp., ut Advocatum se Ecclesiæ Romanæ atque Defensorem Reipublicæ Christianæ meminisset; ac propterea arma contra Turcum assumeret, inhiantem Hungariæ & Germaniæ. Reges Poloniæ & Hungariæ de Regno Boëmiæ contendentes, ad concordiam, quantum cum Romanæ Ecclesiæ & Imperialis Majestatis dignitate posset, revocare contenderet, ac Boëmorum hæreticorum audaciam reprimeret. Ad Matthiam Hungariæ Regem; nè timeret desertum se iri à Sede Apostolica & Imperatore, à quibus ad bellum contra Boëmos excitatus fuerat: Neque enim Sedem Apostolicam electionem Boëmorum de Polono approbare voluisse: Et quoniam procliviores viderentur Boëmi ad Polonum, sanciendam esse cum illo aliquam pacem; quam arbitrio Pontificis & Imperatoris permittere deberet: Curaturum utrumque ut intestini quoque Hungariæ contra eum motus conquiescerent. Ad Casimirum Poloniæ Regem; haud probè factum, ut qui à Sede Apostolica ad capessendum Regnum Boëmiæ olim invitatus, recusâsset illud accipere, postea hæreticis postulantibus filium suum Regem dederit, armáque pro Boëmis contra Matthiam Hungariæ & Bohemiæ Regem sumpserit. &c. Cæterùm profectus Marcus in Poloniam, valde quidem honorificè à Rege exceptus est: at parùm vel nihil pro pace profecit; difficiliorem se ad eam Matthia præbente, ob pactam cum Imperatore, quamquàm non adeò firmam, pacem. Cum Matthia autem Legatus non nisi per internuncios tunc egit: adeò ut nec minimum de eo verbum apud Bonfinium reperiatur in tractatibus, qui inter eum & Polonos habiti de pace fuêre. Diligentiores Poloni in iis recensendis, quoniam Legatum penes se habuerunt. Res autem in sequentes annos per varios induciarum tractatus dilata. „

[2.] Ex literarum monumentis.

[3.] Ex Registro F. Georgii de Aychstet MS.

Annus

Ann. Christi MCCCCLXXIII. Monast. CCCXXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Joannes IV.

FRidericus Cæsar hoc anno cum Maximiliano filio Augustam Vindelicorum, & inde in Ubios Treverim proficiscitur, quò & Carolus Burgundus advenit, qui utì cum Friderico congrederetur, diu summis votis exoptaverat. In eo congressu Carolus Maximiliano filiam suam Mariam despondit: verùm posteà à Carolo conditionibus quibusdam Cæsari non probatis propositis nuptiæ impeditæ fuêre & suspensæ usque ad Novesianam obsidionem, quæ anno sequenti contigit. Inde Cæsar relictô Carolô Augustam reversus est. *[1.]

Interea dum Cæsar abest, Austria variis tumultibus & clandestinis cum Ungaris, hostibus contra Fridericum, sermonibus colludens & actibus æstuabat. Proceres enim quidam partes Regis Matthiæ foventes Cæsarianis infensi, ipsos tum homagiis, cùm cædibus, incendiis, & spoliis invadebant, & qui fortior erat, contrariam factionem opprimebat. Monasteriis præsertim & bonis Ecclesiasticorum vis inferebatur. Hæc Fridericus Cæsar, dum Augustæ adhuc staret, edoctus, quosdam suorum Comitum & arcani sui consilii participum Viennam cum mandatis remisit, ut initis provincialium comitiis consulerent, quibus mediis & quibus modis hostibus patriæ obviam eundum, & pertinaces exterminandi essent. Defensionem intereà sui pararent usque ad suum reditum. Diploma datum Augustæ Vindelicorum, feriâ quartâ ante Ascensionem Domini, Annô à partu Virgineo 1473. Imperii verò sui vigesimô secundô. [2.] Sub hoc dato literæ Abbati Zwetlensi missæ sunt ipsum Viennam ad comitia præfata convocantes.

Vix Abbas Viennam descenderat, ecce magnum Monasterio bellum movetur à Baronibus DD. Joanne & Laurentio Hofkircheris de Kolmuntz. Istis se pro Monasterio opposuit Wilhelmus Puechaimius Archidapifer Austriæ, Monasterii Advocatus à Cæsare constitutus. Qui præfatos Dominos de pace commonefaciens, ab eis responsum accepit, se nescivisse, ipsum Monasterii Zwetlensis Advocatum esse: deinde minimè se teneri ad restituenda ea, quæ flagrante inter eos bello abstulerint &c. Datum in Kolmuntz Annô Domini 1473. in Vigilia SS. Simonis & Judæ. [3.] His Puechaimius acceptis literis magìs institit, suámque in Monasterium sibi commissum voluntatem ipsis declaravit, cui præfati Hofkirchenses superbè satìs respondent sciscitantes ex eo, qualem ipse in se Liberos Barones in Kolmuntz, Austriæ æquè regulos ac ipse sit, animum gerat, quòd ita pro Abbate Zwetlensi hoste suo stare non desistat &c. Datis itaque ultrò citróque litteris, [4. 5. 6. 7.] interponente se etiam D. Abbate Altenburgensi, causa (quæ erat miseria & afflictio subditorum nostrorum continuò ab illis illata) devoluta est ad Excelsum Regimen, quò pars utraque dein citata per decretum fuerat. Datum Viennæ feriâ sextâ post Martini festum, Annô Domini 1473. [8.] Atque ita videtur hoc bellum per Regimen à Monasterio Zwetlensi sublatum fuisse.

Porro in quantis tribulationum fluctibus hoc anno Monasterium nostrum jactatum fuerit, luculenter coævus & plurima pars miseriæ illius F. Georgius describit sequentibus: „ Item (*sic incipit*) in annô 1473. post Pascha Degen-

„ genhardus Dachsnerus de Marckarts-
„ dorf Austriæ provinciæ bellum indixit, atque D. Stephanum cum filio ejus Joanne de Jemnitz in terram intromisit, & multa damna provinciæ intulerunt spoliis & incendiis &c. Item fruebamur homagiô annô 1471. illis factô, nè nobis & nostris damna magna inferrent isti de Jemnitz &c. Item eodem anno 1473. homagium nostrum, ad Platz incœpit in die Georgii, & coloni nostri inopes ampliùs homagium præstare nolebant, postquam iste de Platz pro pace continua postularet mille florenos Ungaricales, neque minus acciperet &c. Item iste de Platz Domino de Stahrenberg, Dominis Henrico, Hartnido & Joanni de Puechaim & aliis multa etiam damna intulit. Item villam Sidenaw feriâ quartâ post Michaëlis totam combusserunt. Item Deraspurgum castrum cœpit Krazer, quod erat viduæ Vollenbrunnerin, hoc iste de Pernstain pecuniâ sibi comparavit, & indè provinciæ multa damna intulit, & homagiis coëgit homines usque huc, D. Heinricum Strunonem per quadringentos & quinquaginta florenos; Dominum de Rohr per ducentos florenos; Dominum Hartnidum de Puechaim unà cum Monasteriis Altenburgensi & ad S. Bernardum pro sexcentis florenis, aliósque plures tam superioris hujus, quàm inferioris provinciæ. „ [9.] Specificat hìc præfatus Georgius per longum, flebilem nostri Monasterii statum, damna quasi innumera, continua spolia, pagorum incendia, incarcerationes, cœdésque hominum, ac inauditas pecuniarum emunctiones &c. Quæ tanquam Lectori fastidiosa credentes, præterire cogimur. Ubi tunc circa nos impleri videbatur: à septentrione panditur omne malum; Bohemia nobis ab illa Cœli plaga adjacet, è qua tempestas belli exurgens Monasterium nostrum sæpiùs multùm exagitabat, donec contagione Hussitica invalescente totum ædificium in cineres redactum fuit. Demum hoc anno Bohemis in Austriam à vicinorum regulorum invidia immissis tam atrociter afflictum gemit. Causa hujus Bohemicorum regulorum excursionis erat, quòd iniquè Cæsar Fridericus, ùt ipsis videbatur, Matthiæ Ungariæ Regi, cujus tunc partes fovebant, Regnum Bohemiæ præripuisset, atque Vladislao Polono illud contulisset: unde exacerbati Austriam continuis excursionibus vexabant, quos reguli quidam rebelles apertis portis in Austriam non tam vocârunt, quàm intromiserunt. Proditores hujusmodi & patriæ perduelles nominantur Degenhardus Dachsnerus de Marckartsdorf, Krazerus latronum Dux, Pernstainius incubator Teresburgi arcis, Wilhelmus Missingdorfius de Dobra, Joannes & Laurentius de Hofkirchen reguli inexorabiles, qui non tam provinciæ quàm Monasterio Zwetlensi damna non parva intulerunt. Hi Bohemos exciverunt jam anteà assuetos vivere raptô, Stephanum & Joannem Jemnicenses regulos, atque insatiabilem tyrannum Placensem Dominum. Iste præsertim in D. Wilhelmum Puechaimium, qui sederat in Gmünd, nostri causâ spoliis & incendiis debacchatus est: præterea invasit Stahrenbergium Rapottenstainæ arcis dominum, Hartnydum, Henricum & Joannem de Puechaim Cornutenses (*Horn civitas*) in Austria regulos. Pernstainius autem prædo Henricum Strunonem de Schwarzenaw, Rohrium Dominum in Ottenstain, Hartnydum Puechaimium Cornutensem, Monasterium Altenburgense & Cœnobium Monialium ad S. Bernardum ad numerandos insuetos census sub homagii nomine superbè coëgit. Pagos etiam nobis tum incendiis, tum colonorum incarcerationibus, tum pecuniarum summis non parvis destruxerunt plures quàm quatuordecim &c. De his nunc sufficiat.

ADDI-

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó, Histor. Austr. lib. 8. „ Inter hæc Fridericus Cæsar, cum „ Maximiliano filio Augustam Vindelicorum „ profectus, fidei Sacramentum ab ejus urbis „ civibus exegit, magnísque & ipse & filius „ ejus muneribus affecti sunt. Indixerat il„ lic comitia Cæsar, & Polonorum ac Boë„ morum legationem, de fœdere & Vladislai „ confirmatione ad se missam, eò venire jus„ serat, sed ad alia vocatus, comitia eo an„ no obire non potuit. Erant enim in Ubiis, „ & reliqua Imperii ditione ad Rhenum ne„ gotia, quæ ipsius præsentiam flagitabant. „ Igitur ad ea loca profectus, ad quartum „ Calendas Octobres, magno Principum co„ mitatu, Trevirorum Augustam venit. Ade„ rat & Carolus Burgundus, qui utì cum Fri„ derico congrederetur, diu summis votis „ exoptaverat. In eo congressu Carolus Ma„ ximiliano filiam suam Mariam despondit; „ cùm nuptias illas primo quoque tempore „ celebrari Cæsar vellet, Carolus nimìs am„ bitiosè prius Burgundiæ se Regem, quod „ Regnum ea olim fuerat, & Imperii Lega„ tum ac vicarium quem vocant, creari postu„ labat. Id si fieret, omnia se ab aliis Impe„ rio erepta, armis recuperaturum. Hæ ipsius „ petitiones Friderico improbæ videbantur, „ & ad quas nonnisì de communi Principum „ Electorum, & omnium Ordinum consilio „ responderi deberet. Post longam discepta„ tionem, Carolus Cæsarem Nonis Octobri„ bus ad prandium vocavit, eo luxu iísque „ divitiis instructum, utì passim illud per to„ tam Germaniam & Galliam omnium ore „ fuerit celebratum. Dein de Geldriæ du„ catu, alisque ditionibus suis Imperio ob„ noxiis, fidem Cæsari de more dedit. Of„ fendebat verò Cæsarem, Caroli in congres„ su fastus, & affectatus in omnibus rebus „ splendor, quo continentiam suam & fru„ galem modestiam superari, atque adeò in „ contemptum adduci videbat.

„ Cùm igitur Carolus nihil minùs, quàm „ repulsam se illarum rerum, quas petierat, „ passurum cogitaret, sceptrúmque & coro„ nam ac cætera dignitatis regiæ insignia fie„ ri, subsellia in templo & solium, quæque „ ad coronandi & inungendi ritum faciunt, „ parari jussisset; Cæsar neque ex re Imperii, „ neque ex sua dignitate esse videns, utì com„ potem voti ipsum faceret, non datô ei re„ sponsô, in Ubios abiît, & Coloniam Agrip„ pinam ingressus, magno cum honore exce„ ptus est. „

Cuspinianus in Cæsaribus sub Maximiliano I.

[2.] Ex Autographo ipsius.

[3.4.5.6.] Ex litterarum monumentis.

[7.] Ex Autographo ipsius.

[8.] Ex Autographo ipsorum.

[9.] Ex Registro F. Georgii de Aychstet PMS.

An. Christi MCCCCLXXIV. Monast. CCCXXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Wolfgangus I.

ANnum istum totum sibi vendicat Monasterium Zwetlense, (dum interim Cæsar Fridericus contra Carolum Philippi Boni filium Burgundiæ Ducem rem gerit, qui Episcopo contra Colonienses opem tulerat, eámque sibi ditionem Ubiorum præsertim vendicare cupiebat) *[1.] D. Wilhelmus Puechaimius Summus Austriæ Dapifer Joanni Abbati in Zwetl scribit ratione belli Jemnicensis, quod circa ipsum gerebatur. Datum in Gmündt, Annô Domini 1474. feriâ quintâ ante Lætare in Quadragesima. [2.] Unde Joannes Abbas Zwetlensis adhuc in vivis fuisse deprehenditur.

Præcedenti item anno mentionem feci excursionis Jemnicensis, qui arcem quandam suis spoliis commodam in Austriæ finibus occupaverat, unde in omnem provinciam, supra & infra Mainhardi montem prædari commodè poterat. [3.] Hic in arce Marckartsdorf ab Austriæ Proceribus obsessus tandem

Ppp eò

eò redactus est, ut acceptâ aliquâ pecuniæ summâ arcem illam resignârit, de cujus transactione sic Abbati in Zwetl scribit Georgius Halmer quondam Monasterii tubicen, vel ab eodem cum aliis missus, vel sponte nomine militiæ dato militans; „ Quod herì Dominus „ de Jämnitz ratione Marckartsdorf „ cum Provincialibus convenerit in „ pacis articulos sequentes, nimirum: ut „ octingenta talenta den. sibi protinus „ numerentur; ipse autem contrà in- „ fra quatuordecim dierum spatium D. „ Daxnero arcem Marckartsdorfensem „ atque adeò totum ejus dominium in- „ tegrum restituere teneatur: deinde „ ut inter Gemnicensem & Eytzinge- „ rum, qui Austriacorum Capitaneus „ erat, captivi utrinque redderentur, „ è quibus tamen præstantioris fortis „ viri pecuniâ redimendi utrique pote- „ stas esset. Idem autem præfatus Hal- „ merus rogat sibi butyrum & caseum „ in campum dirigi. Demum nun- „ tiat se nihil adhuc cum Domino de „ Ludmanstorf agere potuisse ob Pro- „ ceres in rebus provinciæ publicis „ semper ferè occupatos. Datum è „ campis Annô Domini 1474. „ [4.]

Bellum porro alterum Monasterio, sed non diuturnum succrevit, nam quidam Dominus dictus Heroldus de Kunstat, Dominus in Plumaw oppugnârat Monasterium in Zwetl, ejúsque colonos vexare incipiebat. Unde cum ipso Joannes Abbas transigens, numeratis priùs centum florenis, pacem obtinuit, datis in testimonium literis in Teresburg, qui Domino de Pernstain hosti provinciæ adhærebat ùt cliens, fautor, & amicus. Datum annô Domini 1474. feriâ quartâ post Lætare in Quadragesima. [5.]

Viduatum hoc anno Monasterium fuit Abbate suo vigilantissimo & multis miseriis exercitato Joanne dicto Waltpeckh, cujus obitûs annô & die sic F. Georgius Indicem suum sæpissimè in annis superioribus à me citatum conclu-dit: „ Item, *inquit*, obiît Dominus „ Pater noster Joannes Waltpeckh de „ Ottensheim in vigilia Annuntiationis „ Mariæ Annô 1474. nocte, horâ quasi „ nonâ; & optimè viginti annis cum „ dimidio rexit, & totidem annis fui „ Capellanus suus, & cum hoc Magi- „ ster vini; & invenit Monasterium in „ debitis ad minus in tribus millibus ta- „ lentorum &c. „ [6.] Hucusquo F. Georgii supradicti Index, & finitur. Hunc Joannem Abbatem commendat quoque Wolfgangus II. Abbas sequentibus: „ Joannes Waltpeckh. Iste fuit „ Magister curiæ in Weinzierl, gratus „ omnibus penè hominibus, multas „ lites perpessus est, ædificavit murum „ apud portam sive apud turrim Mo- „ nasterii, & alia defendicula multa „ fecit, obiît autem circa annum Do- „ mini 1474. „ [7.] Conveniunt in ejusdem obitu quoque recentior author in suo Abbatum Catalogo, [8.] atque ad Martyrologium Romanum MS. commemorationes Abbatum defunctorum; [9.] Item Mortilogium MS. commune Zwetlensis Monasterii, ubi habetur: „ Octavô Cal. Aprilis, „ obiît D Joannes Abbas quondam „ Zwetlensis Annô 1474. quo die vi- „ gilia Annuntiationis celebrabatur. „ [10.] Construxisse porro Joannes iste refertur murum apud portam sive ad turrim Monasterii, unde sciendum, portam tunc dedisse transitum hominibus, equis & curribus per turrim horologii, sicut adhuc in muro verisimiliter apparet, unde à præfata turri murus ductus est rectâ lineâ usque ad alteram turrim versùs meridiem sitam. Portam verò hodiernam, sicut & hypocaustum in turri horologii Abbas Wolfgangus II. primùm construxit, quod tum annus, cùm insignia ipsius Wolfgangi picta, probant. Non tantùm autem murô præfatô Joannes Abbas Monasterium contra occidentem munivit, sed fossâ quoque per Magistros piscinarum factâ illum præmunivit, quæ fossa sicut

&

& murus ille seu paries hodie adhuc conspicitur, hic quidem ad granarium accomodatus, illa verò antemurali durabilior facta est. Atque hæc de ædificiis ejus. Sepulto igitur Joanne Abbate in Capitulo nostro, electio nova suscepta alium hoc adhuc anno substituit. [11.] Fuit is Wolfgangus ejus nominis primus, cognomentô Joachimi, fortè filius, sicut apud latinos mos est dicere, Petrus Georgii (*subintelligendo*) filius.

Quòd autem hoc anno Wolfgangus jam Abbas extiterit, clarè demonstrat apocha quædam Canonici Viennensis, qui Paulus Tag de Hertzogpierbaum Capituli S. Stephani in Vienna Procurator nominatur, hic à D. Wolfgango Abbate in Zwetl se recepisse fatetur pro annis MCCCCLXXIII. & MCCCCLXXIV. 52. libras den. sub dato Viennæ Annô Domini 1474. Dominicâ tertiâ Adventûs. [12.] Atque ita constat Wolfgangum I. jam Abbatem fuisse.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 8.

[2. & 3.] Ex literarum monumentis.

[4.] Ex Autographo ipsius.

[5.] Ex literarum monumentis.

[6.] Ex Registro F. Georgii de Aychstet MS.

[7.] Abbas Wolfgangus in sua Abbatum serie.

[8.] Recentior Abbatum Catalogus.

[9.] Martyrologium Romanum MS. ad 10. Kal. Aprilis.

[10.] Mortilogium Zwetlense commune eadem die.

[11.] Recentior Abbatum Catalogus. Abbas Wolfgangus in sua Abbatum serie.

[12.] Ex Apocha ipsius.

An. Christi MCCCCLXXV. Monast. CCCXXXVII.

Pont. Rom. Sixtus IV. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Ulricus III. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus I.

FRidericus Cæsar in Ubios contra Carolum Burgundiæ Ducem profectus; cùm circa Novesium (*Neus in Coloniensi districtu*) utriusque exercitus hæreret, Pontificis per Germaniam Legatô, & aliis quibusdam Principibus operam dantibus pax facta est. Inter alias pacis conditiones, quæ occultæ habebantur, scriptores ferè omnes affirmant, Mariam Caroli filiam unicam Maximiliano desponsam fuisse cum omnibus provinciis hæreditariis, si nulla alia prole auctus ipse moreretur. Tandem Cæsar domum profectus, ictô cum Poloniæ ac Bohemiæ Regibus fœdere, in sequentem annum statuit Matthiam bellô aggredi. Interim acceptis ab Vladislao quatuor millibus Bohemorum militum, Austriacos quosdam occultè cum Matthia sentientes ad obsequium redigere conatus est, imprimis verò quendam Nicolaum Comitem persequitur, nullàque hyemis asperitate deterritus receptacula ejus demolitus est. *[1.]

Porro habemus autographum Cardinalium quorundam super Sacello S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, ad quod illi indulgentias concedunt, sunt autem sequentes: Bartholomæus dictus Roverella titt. S. Clementis, Philippus de Levis Gallus Archiepiscopus Arelatensis, Presbyter titt. SS. Petri & Marcellini, & Franciscus Gonzaga, titt. Sanctæ Mariæ-Novæ Diaconus, S. Rom. Ecclesiæ Cardinales. Hi devotè Sacellum S. Thomæ Cantuariensis in

Dachsgraben visitantibus in festis sequentibus, nimirùm in festis S. Thomæ Cantuariensis, Resurrectionis Domini, Thomæ Apostoli, tribus feriis sextis semper post festum Michaëlis de mense Septembri proximè sequentibus (*post ad Quadragesimam translatis*) centum dierum indulgentias de injunctis pænitentiis concesserunt. Datum Romæ in ædibus solitarum residentiarum nostrarum annô Domini 1475. 10. Decembris Sixti Papæ IV. annô quartô. [2.]

Deinde Dominus Georgius S. Crucis Abbas in Austria omnibus Ordinis nostri Cisterciensis utriusque sexûs Monasteriis scribit & nuntiat Jubilæum Ordinis nostri personis specialiter concessum ad preces RR. Cisterciensis Generalis, unde etiam filiæ suæ Monasterio Zwetlensi illud significat, qui anno eodem fortè fuit in Capitulo Generali. Datum in sanctæ Crucis Monasterio, Annô Domini 1475. feriâ sextâ ante festum omnium Sanctorum. [3.]

Discordiæ & lites præterea Monasterio nostro moventur à quibusdam vicinis Dominis, qui impatientes quietis colonos quosdam nostros in vincula conjecerant. Unde D. Wolfgangus Abbas in Zwetl injuriâ colonorum suorum motus scripsit Domino Wilhelmo de Puechaim, Archidapifero supremo Austriæ, Advocato tunc Monasterii, eidémque conquestus est, Judicem Poëlanum Monasterii colonos in justitia sua molestiis affecisse sinè ulla querimonia apud se tanquam ipsorum Domino deposita: Datum in Monasterio Zwetl, Dominicâ Reminiscere, Annô Domini 1475. [4.] Mox perceptis litteris Advocatus Puechaimius dicto Judici literis significat, ut rem eam aut se arbitro componi curet, aut ad adventum Cæsaris differat, vel ad Regimen ejusdem deferat. Datum in Gmündt feriâ secundâ post Reminiscere, annô præfatô. [5.] Judex igitur prædictus Poëlanus non diu moratus, absente Cæsare, rem apud Regimen Viennæ relictum per viam juris defendere noluit, hoc tantùm Domino suo in Chrumpenawe ad Campium habitanti notificat. Et actum fuisset de colonis captivis, nisì Puechaimius apud Regimen ea de injuria Monasterio illato nomine Abbatis conquestus fuisset. Quapropter D. Michaël S. R. Imperii Burggravius Magdeburgensis, Comes Hardeccensis Mareschallus Austriæ, item Hugo Comes de Werdenberch & in Sancto-Monte, aliíque in Consilio Assessores citant Viennam ad certam diem coram se in judicio comparendum D. Wilhelmum de Awersperg, seu locum ipsius tenentem in Chrumpenawe præfectum, ut in causa quorundam colonorum Monasterii Zwetlensis de Neitzen, Glogniz & Kiebach à Judice suo in Novo Poëlan captorum respondeat jus suum prosequendo. Datum Viennæ annô præfatô feriâ quartâ ante Judica. [6.] Hanc citationem cùm ipsis famulus Georgius Halmer nomine Monasterii præsentâsset, illi dictum in famulum iram suam effuderunt, illúmque captum in vincula & carcerem conjecerunt. Unde rursum apud Regimen Abbas conquestus, mandatum ab eodem obtinuit, quo Præfecto in Chrumpenaw dicto Grimisser præcipitur, ut protinus Monasterii colonos, quos in vinculis tenet, solvat, & Georgium famulum Monasterii de Judicis Novi-Poëlani manibus liberet, nam Judicium Novo-Poëlanum ad Chrumpenaw castrum pertinet, unde penes Præfectum ipsos eripiendi & liberandi potestas est. Datum Viennæ mandatum anno isto feriâ quartâ ante festum Georgii. [7.] Tandem dimissô famulô Præfectus circa colonos liberandos tergiversari cœpit, unde rursum D. Wolfgangus Abbas coactus ipsum apud Regimen denuo detulit, alterum mandatum accepit, quatenus cum Abbate Zwetlensi concordaret, qui eum jam altera vice accusâsset, eò quòd contempto die judiciali ipsius subditos vexare non desinat. Indicit igitur ipsi

Mare-

Mareſchallus ſupradictus diem alterum Viennæ nomine Cæſaris coram ſe comparendi. Datum Viennæ, Annô Domini 1475. feriâ ſecundâ poſt diem Viti [8.]

Vix autem lites prædictæ ſopiebantur, aliud bellum Monaſterium ſuſtulit, nam quidam Bohemus Nobilis pacem tam Abbati quàm colonis nullam ferme ob cauſam renuntiârat. Hic igitur dictus Heinricus Ruobikh de Klalbawiz in Nottelitz ſub ſigillo ſuo fatetur, quòd cum D. Wolfgango Abbate in Zwetl & omnibus ejus ſubditis pacem fecerit menſtruam à dato literarum harum numerando, tali ſignatam conditione, ut ſi quis ſuorum ſatellitum vel clientum intereà durante pace Monaſterii colonos vel bona illius læderet, aut raperet, aut quomodocunque devaſtaret, ille arbitro Illuſtri ac Nobili Domino Zdencone de Sternberg ad ablata reſtituenda, ad devaſtata reſarcienda, & ad injuriam læſæ parti deprecandam teneretur: ſi verò præfatus Dominus Sternbergicus onus hoc arbitri negaret, tunc pars quælibet Nobilem aliquem Virum inter ſe & illam arbitrum conſtituere obligaretur, cujus ſententiâ ſtarent diſcordantes. Actum in Nottelitz annô Domini 1475. feriâ quintâ, in quam feſtum D. Bartholomæi incidit. [9.]

Item Auſtria tota bellô flagrabat, cùm Cæſar Fridericus quoſdam rebellium ſuorum perſequeretur, & Bohemi quoque frequenter hoſtes incurrerent obvia quæque vaſtantes. Unde Conradus Holtzler hubarum in Auſtria Magiſter ab Abbate in Zwetl poſtulat nomine Cæſaris indictum de Guntarſtorf cenſum &c. Datum Viennæ, annô Domini 1475. feriâ quintâ ante Gregorii feſtum. [10.]

Præterea quidam de ſtirpe Chünringiorum Fundatorum noſtrorum hoc annô quoddam ſibi advocatiæ nomen ſuper colonos Monaſterii in Terenberg, Haslach, & Weickerſtorf excogitavit, quæ cauſa fuit magnæ poſteà litis inter Chünringios & aliquot Abbates, utì ſuo tempore patebit. [11.] Scribit autem ea de re Chünringius Abbati eum ferè in ſenſum: Balthaſar de Chünring, Dominus in Seveld, Domino Wolfgango Abbati in Zwetl nuntiat cenſum novum ad militum ſtipendia perſolvenda indictum eſſe, quem cenſum ipſe tanquam Monaſterii ſuæ ſuorúmque Majorum fundationis advocatus ſe à villis advocatiæ ſuæ poſtulare cogitet &c. Datum in Seveld annô Domini 1475. Dominicâ poſt Tiburtii. [12.] Fuit hic Balthaſar Chünringius filius Georgii de Chünring, Mareſchalci Auſtriæ, cujus patrui fuerunt Bernardus, Achatius, Albertus, Joannes; avus verò Nitzo, proavus Schethſo, deſcendens de familia Weitracenſi, quæ quondam in Bohemiam migravit, & tandem Auſtriam, extincta Auſtriaca Weitracenſi familia, utì hæres intravit, & in caſtro Seveld reſedit. Balthaſar uxorem habuit Eliſabetham Liechtenſtainiam de Muraw Stirenſem. Tulit inſignia patris ſui plena, nimirum, quatuor campis diſtincta, in quorum uno aquila nigrâ media in flavo campo, cum lineis rubris per alterum album campum ſiniſtrorſum deflexis: in ſecundo campo albo ruber circulus ſeu annulus conſpicitur: in tertio campo albo flavus leo nigris aleis diſtinctus videtur: in quarto autem flavæ & nigræ lineæ à ſiniſtra ad dextram ductæ cum transverſali viridi contemplantur. Quæ inſignia ſingulæ olim familiæ Chünringiorum in plures ramos diſtinctæ circumferebant, ſicuti circulum, Chünringii de Chünring caſtro juxta Egenburgam ſito; Leonem, Weitracenſes Chünringii, quem à Rege quondam Bohemiæ ac Duce Auſtriæ Ottocaro impetrârunt; clypeum lineis nigris & flavis pictum, Chünringii de Thirnſtain poſſidebant; aquilam demum mediam, poſtremi Seveldenſes Chünringii obtinuerunt. Talibus inſigniis clara hæc Familia hactenus uſa fuit. Ut verò ad Balthaſarum noſtrum redeam, natus conjectatur annô

Qqq MCCCCLVII.

MCCCCLVII. quo tamen obiêrit anno, nemo est, qui profert. Sororem unam habuit Ameleiam dictam in matrimonium Hainrico de Kranichperg collocatam. Filias duas & filium ex uxore sua suscepit; Annam & Ehrentrudim, quarum hæc virum sortita est D. Jacobum de Arberg, ultimum suæ familiæ, altera verò cui nupserit, vel innupta obiêrit, ignoratur: filius autem Joannes vocabatur, qui uxorem duxerat Annam Zelckingensem de Weinberg. Legitur hic Joannes natus annô Domini MCCCCLXXXI. [13.] Atque hæc de Familia Chûnringiorum, qui à Monasterii fundatione tuenda deficientes, in familiæ suæ propagatione quoque defecerunt, nam posteri ferè omnes Zwetlensem Majorum suorum fundationem destruere, aut bona Monasterii dissipare, seque ipsis ditare tentârunt, sed foveam quam alteri foderunt, inciderunt in eam, ubi enim ad hæresim Lutheranam deflexerunt, ibi ultimus familiæ sinè mascula prole decessit.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 8.

Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III. „ Ingens profectò erat amor pacis Friderico, „ bella undique, quoad licuit, detestatus. „ Ad Nussiam ergo profectus, quam Carolus „ Burgundionum Dux, Martis fulmine expugnare, & Renatum Lotharingiæ Ducem vincere cupiebat, bellum crudele extinxit, furorem sedavit, & hostem Carolum socerum „ filio Maximiliano reddidit. Per inferiorem „ dehinc Germaniam vagatus totum Imperium circuibat, pacem ubique Principibus „ persuasit; filium ex Brugensium custodia liberavit &c. „

Nauclerus generat. 50. „ Erat Friderico „ Romanorum Imp. filius Maximilianus 21. „ annum agens, cum hoc nuptiarum fœdera „ conciliant. Conventum erat, ut res hæc „ apud Francofordiam publicis comitiis ageretur ad Cal. Junias. Ea re cognita, Ludovicus Rex Francofordiam nuncios mittit. „ Summa legationis fuit, ùt refert Robertus, „ qui unus ex missis erat, in conventu ipso „ memorare, quæ amicitia inter Imperatores, „ Regésque Francos diu permanserit, quibus „ legibus atque institutis perseveraverit, Mariam Burgundi hæredem feudi legibus erga „ Ludovicum adstringi, longo usu observatum esse, nequa illustris inter Francos fœmina viro peregrino jure nuptiarum Rege „ inconsulto conjungatur, decere illam patriis institutis obtemperare, Imperatoriæ „ dignitatis & fidei esse, non violare amici „ jura. Temperet ergo Fridericus, ne id committat, quo veteris amicitiæ sanctitudo offendatur. Talibus mandatis Legati sequuntur Maximilianum, qui per Rhenum descendens, Coloniam petiit. Post dies 20. „ quibus Maximilianus profectionem in Flandriam parat, edocti fuerunt nuncii Regis, „ tardè se venisse, nuptias firmatas esse, ideo „ ad Ludovicum mox rediêre. - - - - Annô „ 1477. Maximilianus Austriæ Dux, Friderici „ Imp. filius, adolescens magni animi, à Maria „ adolescentula Caroli Burgundionum Ducis „ filia, ex concilio Procerum invitatus, cum „ satis justo exercitu accessit Flandriam, & „ ipsam Mariam Illustrissimam Virginem sibi „ in conjugem desponsavit, ob hoc dotis nomine Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, „ Limpurgam, Lucemburgum, Hannoniam, „ Hollandiam, Selandiam, Artesium, Geldriam cum nonnullis aliis terris accepit, quamvis Ludovicus Francorum Rex nonnulla, „ quæ socer possederat, ademerit. Eapropter gravia inter eos bella fuêre suborta: „ leviáque primùm prælia hinc inde habita, „ &c. „

Piespordius in Habsburgic. „ Maximilianus I. Romanorum Imperator natus Neapoli „ Austriæ annô 1459. 22. Martii. Annô ætatis XVIII. Mariam Burgundam uxorem ducit, & ab ipsis statim nuptiis animum ad „ constituendum Reipublicæ Belgicæ statum „ convertit: Ludovicum XI. Galliarum Regem, Artesiæ, & multarum aliarum ditionum dotalium violentum occupatorem bellô aggreditur, & maximam ablatorum partem recuperat. „

Subscribit Fuggerus in speculo apertè aiens non præsenti sed 77. anno dictas nuptias esse celebratas.

Spondanus ad ann. 1477. n. 1. „ Annô „ Christi 1477. Indictione decima, rebus in „ Burgundia & Belgio ex morte Caroli Ducis „ ad principium hujus anni obita, - - - perturbatissimis; cùm minùs prudenter Rex „ Francorum Ludovicus erga Mariam Caroli „ hæredem, satis alioquin ad res Gallicas „ propensam, sese gessisset; nec deessent multi „ alii

„ alii tantæ hæreditatis prensatores; tandem „ tamen vicit pars Maximiliani Austrii, filii „ Friderici Imperat., cui Maria jussu viventis „ patris fidem de matrimonio dederat. - - - „ Gandavum accedens, matrimonium cum „ Maria consummavit ad finem mensis Julii: „ (ùt disertè Krantzius scribit) & intra vertentem annum Philippum filium ex ea suscepit; „ qui pater fuit Caroli V. & Ferdinandi I. „ Imperatorum. „

Verùm hasce nuptias hoc præsenti anno celebratas fuisse contendit Lazius Genealogiæ Austriac. Commentar. lib. 2. „ Itaque „ cùm mediocriter literis à Sacerdote indocto erudiretur (*Maximilianus*) eos tamen „ fecit progressus, in moribus præsertim, ut „ annô ei ætatis 14. pulcherrima ac opulentissima virgo Caroli Burgundiæ Ducis potentissima filia, & unica hæres ab utroque parente desponderetur. Cum qua in Belgium „ profectus, sub ipsam obsidionem Viennen. „ à Matthia Hungariæ Rege factam, nuptias „ splendidè celebravit, annô Salutis 1475. „ annos natus ferè X. & VIII. &c. „

[2. & 3.] Ex Autographis ipsorum.

[4. 5. 6. 7. 8.] Ex literarum monumentis.

[9.] Ex Autographo ipsius.

[10. & 11.] Ex literarum monumentis.

[12.] Ex Autographo ipsius.

[13.] Ex Genealogia Chünringiorum approbata.

An. Christi MCCCCLXXVI. Monast. CCCXXXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Wolfgangus I.

Turcæ hoc anno ad medium Octobris per Bosniam irruentes Carniolam, Carinthiam, & Stiriam depopulati multas abegerunt prædas, magnámque hominum multitudinem in barbaricam servitutem nemine resistente abduxerunt. Hanc cladem Cæsar Matthiæ acceptam ferebat, Turcásque vel ab eo in suas ditiones immissos, vel impunè eousque penetrare permissos ratus, Polonorum ac Bohemorum auxilia contra eum invocabat. *[1.] Atque hæc causa una videbatur belli Ungarici exorti.

Imperator porro tum ad rebellium quorundam Austriæ Procerum, cùm ad Bohemorum Matthiæ Ungaro adhærentium depopulationes prohibendas, qui hactenus Austriam vinculis, homagiis, rapinis, flammâ & ferrô defœdârunt, duo millia equitum & mille peditum conscripsit, quibus stipendium tum ex suo ærario, cùm è provincialium peculio solvere decrevit. Cùm igitur necessarium sit, ut hostes & latrunculi domestici abigantur, priusquam potentior hostis superveniat, ne cum ipso jungantur: jubet Abbati in Zwetl Cæsar, utì pro novem equitibus, quos Monasterium in bellum mittere cogebatur, numeret pro singulis militibus singulis septimanis singulos novem solidos, quos ad Jobum Hawserum censuum horum designatum collectorem dirigi mandat, qui tamen census ultra menses duos durare non debet. Datum in Nova-Civitate, annô Domini 1476. feriâ sextâ, in quam incidit S. Francisci festum, annô verò Imperii sui trigesimô quintô. [2.] Hoc utique mandatum Abbas executioni protinus dedit, qui æquè cupiebat debellatos provinciæ hostes.

Tandem conscripto & ordinato exercitu Cæsar summum militiæ hujus Capitaneum creaverat D. Hugonem Comitem de Werdenberg & Sancto-Monte, qui protinus nomine Majestatis Cæsareæ omnibus & singulis Austriæ provinciam supra Montem Mainhardi incolentibus Regulis, Prælatis, civibus & oppidanis mandat, quatenus mox omnes & singuli cum suis illis, quibus maximè possunt, viribus accedât ad Jobum Hawserum jussu Cæsaris castrum Schawnstain obsidentem, & ipsi ad omne imperium præstò sint, ut dictum castrum in

Cæsaris potestatem redigat, & vult ut sine mora & equites & pedites in campum producantur, eámque esse voluntatem seriam Cæsareæ Majestatis. Datum in campo ante Espestorf annô Domini 1476. feriâ tertiâ post Luciæ. [3.] Contigit hic apparatus circa Idus Decembres, media ferè in hyeme, adeo Cæsar pacem sanctam Austriæ diu exoptatam restituere laborabat.

Nec hoc anno intereà Bohemi vicini quiescebant, sed Austriam invadentes impunè cum præda repatriabant. Horum unus Bohemiæ regulus Zygnæus cognomentô hostili trànsitu pervaserat provinciam Regno vicinam, unde causa fuit, ut D. Wolfgangus Dachperckh de Graillenstain Abbatem in Zwetl monuerit, quatenus sibi ablata à subditis suis restitueret. Nam Domino de Schwanberg Bohemiam suam repetente milites ejus accusavit rapinæ, quam in villa sua Dachperck exercuisse narrat, cùm equos & pecora cuidam colono suæ jurisdictionis rapuissent, & colonis Zwetlensibus vendidissent, &c. Actum in Graillenstain Annô Domini 1476. feriâ tertiâ in die S. Hedwigis. [4.] Hoc tunc erat inventum vicinorum dominorum, quo Monasterio novam belli causam imputare possent.

Præterea aliud bellum Monasterio imminebat, nisì D. Wilhelmus Puechaimius tunc Zwetlensis advocatus à Principe terræ constitutus sese interposuisset. Nam Wilhelmus de Missingdorf Eques partes fovebat Stahrenbergici Rudigeri, ad quem tunc castrum in Rapotenstain pertinebat, cum hujus autem præfecto erat lis Abbati in Zwetl. Puechaimius igitur præfato Missingdorfio imponit, nihil intereà cum Abbate in Zwetl transigat, priusquàm diem sibi tanquam ejus Monasterii advocato in judició comparendi pronuntiârit, ut res sinè armorum strepitu componi queat. Datum in Schwarzenaw Annô Dominì 1476. feriâ quintâ in festo SS. Joannis & Pauli. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roo lib. 8. ad litteram.

Bzovius Continuator Baronii tom. 18. ad hunc annum n. 2. „ Ad medium Octobris „ Turcæ facta è Bosna excursione Carniolam, Carinthiam, & Stiriæ partem vastârunt, prædámque ingentem, & plurimos mortales captivos abegerunt; & mox munitiones ligneas ab ipso Matthia supra Danubium paulò infra Smideroviam extructas, & quinque millium militum præsidiô firmas, quatuor quidem expugnârunt, quintam verò per deditionem acceperunt, ipso Mahomete cùm majoribus copiis haud longè successum Regis expectante. Fecit istos progressus Mahometes, eo tempore, quo Matthiam cum tota Pannonia, nuptiis Beatricis sive parandis sive celebrandis, intentum fuisse cognovit. Hoc enim anno Beatrix Albam Regalem veniens, Regina inaugurata, & ritè coronata, Budæ paulò pòst, Idibus Decembris in leges matrimonii concessit, totâ ferè Ungariâ ad Regalium nuptiarum celebritatem confluente. Quod cùm Turcus apertè sensisset, tempus consilio suo nactus idoneum, quadraginta hominum millia, ad eas munitiones expugnandas misit. Iis in potestatem redactis, cum stratum glacie Danubium conspicaretur, cum expeditissimo triginta millium equitatu, Daciam invasit, & longè latéque vagatus, ignì ferróque cuncta vastavit: quæ res mentem Matthiæ, totiúsque Pannoniæ usque adeò consternârunt, ut nihil tale pòsthac in Turcum audentius molitus sit. Maximè intercedente inter illum & Fridericum Imperatorem dissidio. Fridericus enim, suspicatus Turcas à Matthia in ditiones suas immissos esse, simúlque ratus, oblatam sibi occasionem, perduelles suos, illius fœderatos, quorum Princeps erat Comes Nicolaus, ulciscendi, delectu suorum habito, quatuor millium Bohemorum auxiliis à Wladislao Rege acceptis, nihil retardatus hyemis asperitate, munitiones ipsorum perduellium partim per vim, partim per deditionem recepit, ac in æstatem anni insequentis bellum majus contra illum paravit. „

Lazius Genealog. Austriac. Commentar. lib. 2. sub Friderico Imp. „ Fuit illi (*Friderico*) interea etiam longè gravissimum absenti cum Matthia Hungariæ Rege bellum:

„ qui

„ qui non modò victor exultabat quorundam „ Austriæ regulorum proditione: verùm etiam „ totam pene Austriam cum Vienna Metropo- „ li præripuerat, in eáque rapinas agebat an- „ nis novem continuis: ab anno scilicet 1476. „ usque ad annum millesimum quadringente- „ simum octuagesimum quintum: cùm captâ „ Viennâ, ad clavum quoque sedisset septem „ annos. Hujus belli causas aliquot eviden- „ tes adnotatas in Annalibus invenio. Mane- „ bat primò omnium Matthiæ Regis alta men- „ te reposta captivitas, atque carcer Austria- „ cus, cùm à Vladislao Rege, Austriæ Prin- „ cipe, decollato fratre, ipse vinctus primùm „ in arcem Gutenstayn, postea Pragam etiam „ missus fuisset. Deinde verò, quòd mortuo „ Georgio Bohemiæ Rege, Polonum sibi Vla- „ dislaum Regem, tam in Regni Bohemici be- „ neficio, quod à Friderico ùt Imp. petiêrat, „ quàm etiam in viduæ nuptiis, feminæ opu- „ lentissimæ ac formosissimæ gentis Brande- „ burgicæ, prætulisset, vehementissimè utrùm- „ que ambienti. Prætereà evenerat, quòd „ Joannes quidam Strigoniensis præsul, in- „ dignatione Regis parta, cum ingenti the- „ sauro ad Cæsarem profugisset, quem Fride- „ ricus non modò non reddiderat exigenti, „ verùm insuper Viennensem inprimis præ- „ sulem, deinde Salisburgensem quoque ar- „ chiepiscopum designârat. Quæ res, ut ani- „ mum Matthiæ Regis, suapte natura fero- „ cem, maximè exulcerârat: ita non deerant „ Austriæ reguli quidam, qui ob liberatas à „ Friderico pignori oppositas arces, & pro- „ hibita nova ab illis constituta portoria ac „ vectigalia, frigidam suffundebant &c. An- „ no eodem igitur, de quo diximus (qui fuit „ à nato Servatore nostro, 1476.) eductis in „ aciem copiis, Matthias Austriam infestis si- „ gnis invadere cœpit, misso Selenc quodam „ cum aliquot millibus levis armaturæ equi- „ tibus: quos ponè sequebantur pedites, & „ cataphracti equites, Moravi magna ex par- „ te, ac Silesii, duce Dobeslao à Czernaho- „ ra Moraviæ regulo. Qui ut latrocinia com- „ modiùs exercere possent, ac locis munitio- „ ribus eo in agro sitis, qui est ad fines Hun- „ gariæ, potiri; Graveneckius, quem dictum „ est belli incentorem extitisse præcipuum, li- „ mitaneas arces, Scharfeneck & Trautmans- „ dorf Hungaro tradidit. Unde inflammatis „ pagis & arcibus, castellísque ac oppidis ad „ deditionem coactis, Haynburgo, ponte „ Lytahæ, Newnkirchio, Medlinga, Gum- „ pelsdorfio, Perichtolsdorfio, Grinczinga, „ Nusdorfio, & ipsa Neuburga, quam Claustra- „ lem appellant, divi Leopoldi tumulô clara, „ ad Viennam castra posuit, die Jovis ante „ festum beati Bartholomæi Apostoli, anno „ quo dictum est &c. „

[2.] Ex diplomate Cæsaris seu mandato ipsius.

[3.4.5.] Ex Autographis ipsorum.

An. Christi MCCCCLXXVII. Monast. CCCCXXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Wolfgangus I.

CUm per Austriam eousque jam bellum excrevisset, ut nemo quem cavere, quem sequi deberet, sciret, incolæ hostes æquè ac externi sese demonstrarent, súsque déque humana divina haberentur, ac passim in imbellem Ecclesiasticum statum grassarentur prædones, templa spoliarentur, Sacramenta conculcarentur, Monasteria vastarentur; Clerus Pataviensis Diœcesis per Austriam constitutus Summo Pontifici conquestum misit quendam ex suis legatum. Hic auribus paternis auditus à Sixto Papa impetravit, quod petiit. Nam bullam protinus fulmine excommunicationis armatam dedit in eos, qui subditos Ecclesiarum, aut Monasteriorum exactionibus sinè sacerdotum illis præpositorum consensu vexarent, aut bona illorum seu vivorum seu mortuorum diriperent, aut sibi quavis arte, quovis dolo, aut modô juri contrariô appropriare studerent. Datum Romæ Annô Domini 1477. septimô Cal. Julii. *[1.] Verùm quanti hanc bullam hostes fecerint, patebit ex sequentibus. Statum porro Austriæ (*Vide etiam Gerardum de Roô & alior.* [2.]) rudi & sim-

ſimplici calamo deſcriptum reperio inter cetera Monaſterii noſtri monimenta ſequentibus, præfixo tali titulo:
„ Facta & acta in terra Auſtriæ tempore Imperatoris Romanorum Friderici Ducis Auſtriæ. Annô 1477. Item obſeſſum fuit caſtrum propè Viennam nomine Eversdorf per ſtipendiarios Friderici Imperatoris hyemali tempore quaſi incluſivè ad feſtum S. Jacobi, & valdè deſtructum & annihilatum, ſed non receptum propter Regem Ungariæ. Item in eodem anno exivit filius (*Caſimiri Vladislaus*) Regis Poloniæ de Bohemia ad Viennam, & infra Octavam Corporis Chriſti conſtitutus, & in Dominica infra Octavam, mandat (*Cæſar nimirum*) & in Octava omni populo ſolenniter agere propter filium Regis, qui cuncta vidit, & omnes cæremonias, & eundem Imperator confirmat, & feudum eidem conceſſit in loco, qui dicitur Cujam (*curiâ ſeu Aula, vulgò* am Hof) manifeſtè & publicè. Item idem Rex Bohemiæ in favorem Imperatoris tranſivit ultra Novam-Civitatem ad caſtrum Pernek; & ibidem pertranſivit, Stirenſes oppugnaverunt per totum (*diem aut menſem*) caſtrum, & Dominus caſtri Pernek invocat Regem Ungariæ, qui miſit illac populum, & obſiderunt Stirien (*Stiram civitatem*) audito autem quòd Rex Bohemiæ adventabit, receſſerunt Ungari. Item idem Rex Bohemiæ circa feſtum Mariæ Magdalenæ intravit Bohemiam, & Imperator remuneravit eundem in centum vaſis boni & electi vini, & pluribus bobus & muneribus. Item circa idem tempus cernens Rex Ungariæ Matthias nomine, quòd Rex Bohemiæ ſubripuit ſibi benedictionem, quam ipſe ſperabat, ſe eſſe Regem Bohemiæ, & ſe confirmari ab Imperatore; ſicut tunc eidem antea aſcriptum fuerat à Paulo Papa, & à Friderico Imperatore realiter & publicè. Item circa idem tempus recenſuit populum Rex Ungariæ Matthias ad ſeptendecim millia equeſtrium & pedeſtrium, & obſedit Hamburg octo milliaria infra Viennam, & prima fronte perdidit tres Sturm. (*inſultus in mœnia*) Item deinde miſit partem populi ſui & obſedit civitatem Pruck firmam & bonam. Item tertiam obſidionem fecit ante Trautmanſtorf, & propter penuriam victualium dederunt caſtrum ad manus Regis Ungariæ. Item obſidionem civitatum audiens Imperator exivit de Vienna ad Krems cum notabili populo ſecundâ feriâ proximâ poſt Jacobi Annô MCCCCLXXVII. Iisdem temporibus poſt captionem Trautmanſtorf obſedit Viennam. Item Neuburgum Clauſtralem civitatem ſuperiorem & inferiorem recepit, & multos ibidem de civitate interfecit, facta expugnatione, nullo reſiſtente, dederunt ſe in civitate in manus Regis, & peſſimè tractati fuerunt ab Ungaris, nec quicquam habuerunt in manibus liberè, ſed ſunt ſervi cum timore. Item aliam Neuburgam (*Corneoburgum*) ſimili modo recepit nullo reſiſtente. Item civitatem Tulnam expugnaverunt, iſti potuiſſent bene reſiſtentiam feciſſe, quia plures pedeſtres habuerunt, & iſti prohibiti ſunt ad reſiſtendum Regi, & tradiderunt ſe peſſimè. Item poſt hæc circa feſtum Michaëlis præcisè, cùm debuiſſent collegiſſe vineas, obſederunt civitatem Crems cum vallo, ſimiliter & civitatem Stain. Item de Mautarn cum pixidibus (*ſclopetis*) ſagittaverunt ad Stain, ſed nihil prævaluerunt, & tandem turrem extra civitatem Stain occupaverunt, ſed modicum nocuerunt civitati. Item ante civitatem Krembs multi Ungari ſunt interfecti per ſagittarios (*ſclopetarios*) manualium pixidarum. Item notabiles viri magnifici interfecti & capti ad civitatem, & mirabiliter turbati ſunt à ci-

„ à civitate, numerum autem interfe-
„ ctorum de civitate solus DEus scit.
„ Item dicebatur, quòd septuaginta duo
„ castra propter timorem Regis Unga-
„ riæ tradidissent se in fœdus & amici-
„ tiam Regis. Item castrum Maricheck
„ expugnavit. Item Greifenstain. Item
„ ad S. Yppolytum. Item Pruk. Item
„ Hainburch non expugnavit. Item
„ in Anno Domini MCCCCLXXVII.
„ infra Octavam S. Joannis Baptistæ
„ Dominus de Rohr de castro Otten-
„ stain, item Missingdorfer de Dobra,
„ & Vintz de Waltreith concordârunt,
„ & unanimi voluntate contradixerunt
„ Imperatori & terræ Austriæ, & om-
„ nibus bonis suis. Item à Monaste-
„ rio pro homagio ducentos florenos
„ & quinque mut (*modios*) siliginis per
„ angariam, & exspirat (*scilicet anga-
„ ria*) Michaëlis; Item alterâ angariâ
„ iterum tantùm usque ad festum Cir-
„ cumcisionis inclusivè (*scilicet, Mo-
„ nasterium Zwetlense debebat dare.*)
„ Item multa spolia & vastationes fe-
„ cerunt, rusticos quoscunque potue-
„ runt capere, taxaverunt. Item duo
„ Domini --- magna incendia & vasta-
„ tiones fecerunt, & hi omnes cum
„ complicibus suis adhærent Regi Unga-
„ riæ, & inaudita spolia fecerunt, par-
„ vulos pueros, puellas, mulieres ca-
„ ptivârunt & exactionaverunt, ideo
„ maledicti & excommunicati ab Apo-
„ stolico Sixto majori excommunica-
„ tione ipsi & omnes adhærentes, fa-
„ vorem, auxilium, consilium dantes.
„ Item Dominus de Zelcking depræ-
„ dat decem barones (*fortè decem colo-
„ nos*) Domini de Rohr, & plures ca-
„ ptivavit, & cum incendio eundem
„ & populum suum angariat, quòd fe-
„ cerunt homagium supradicto Domi-
„ no, & magnam prædam vaccarum
„ in die Octava Petri ad vincula, (*ni-
„ mirùm abstulerunt*) & Ecclesiam Töl-
„ lershaym evacuaverunt, & oppi-
„ dum & plures villas spoliaverunt &
„ totas domos combusserunt Annô
„ MCCCCLXXVII. „ [3.] Hucusque simplici stilo Monasterii nostri antiquitas. Unde Austriæ status universus miser patet, quæ ita per Ungaros lacerabatur, quos Monasterium quoque sensit, eorúmque jugum ferre debuit, uti patebit. Ex his autem sequentia plurima explicabuntur, quò recurrendum erit.

Porro ante Ungarorum in Austriam excursus prædictos, Fridericus Cæsar quosdam Procerum suorum sibi rebellium ad obedientiam armis redigebat præsertim pertinaces & potentiores, ut pacem provinciæ tandem reddere posset tam diu desideratam. E perduellium eorum numero erat Ulricus regulus in armis non impiger de Graveneck, cum quo, Fridericus Cæsar scribens ad Abbatem in Zwetl ait, se convenisse, ut præfatus Ulricus ex Austria migret, omniáque sua castella ipsi resignet, ex adverso verò Cæsar quandam pecuniæ summam ipsi porrigat, quæ cùm è camera sua tam citò numerari non possit, à provincialibus illam mutuam accipere decrevit. Inde ab Abbate petit sibi mutuos porrigi sexaginta florenos aureos Jobo Hawsero camerario suo & Præfecto Crembsensi numerandos, atque de censu proximo publico delendos. Datum Viennæ, Annô Domini 1477. feriâ sextâ ante Dominicam Judica, Imperii verò sui trigesimô sextô annô. Hanc expeditionem Cæsar anno jam priori inchoaverat, sicut ibi videre est.

Ungaris præterea in Austriam irruentibus Rex eorum Matthias Austriam superiorem petebat rectâ ad Fridericum Cæsarem hostem suum, qui tunc Lincii morabatur, ut etiam Gerardus loquitur, interea tamen per legatos suos Crembsensem tripolim tentabat, & in suam potestatem redactam volebat. Legati igitur non tantùm oppugnationem urgebant civitatis, & Mauttern oppidum jam ceperant, verùm etiam circum circa omnia castra, castella, oppida,

da, vicos, villas, Monasteria Regi suo aperta & subjecta desiderabant. Sic quoque Monasterium Zwetlense ipsis nomine Regis sui homagium præstare hortabantur, Abbati mittentes sequentem denuntiationem: „ Paulus de „ Kynyz, nec non Joannes Zeleny de „ Slanow gentium serenissimi Princi„ pis Domini Domini Matthiæ Regis „ Ungariæ & Bohemiæ &c. campestra„ les capitanei Vos Venerabilem Vi„ rum Dominum Abbatem Claustri „ Swiethla præsentibus ammonemus, „ quatenus mox agnitis præsentibus, „ universis & singulis vestris subditis „ ad vestrum Claustrum pertinentes „ (*pertinentibus*) committatis, ut ad „ nos veniant pro homagio disponen„ do, eadem si non feceritis, ex tunc „ nos eosdem diversis gravaminibus „ ad homagium compellere curabi„ mus, vósque etiam factum vestrum „ cum Claustro provideatis, ita ut si„ tis Regi (*scilicet Matthiæ Ungariæ & Bohemiæ*) subditus & fidelis, secùs non „ facturus, ut si damna irrecuperabilia „ cupitis evitare. Datum in loco cam„ pestri circa expugnationem civitatis „ Crembs Annô Domini 1477. feriâ „ sextâ ante festum Simonis & Judæ. „ [4.] His Abbas Wolfgangus acceptis litteris tristis nonnihil factus est, neque quid ageret, protinus occurrebat. Suspendit itaque aliquamdiu responsum, neque intereà subditos quoque dirigebat ad præstandum homagium putans ita hostes suæ comminationis fore oblitos, neque ante captam urbem Zwetlam ascensuros. Verùm illi non immemores denuntiationis suæ primæ, cum minis majoribus alteram instituunt, nuntiántque Abbati denuò: „ Quatenus „ sinè mora lectis litteris suis, subditos „ suos omnes & singulos ad castra di„ rigat homagii faciendi gratiâ, si ne„ glexerint, sciat subditos suos ab iisdem „ gladio, igne, aliísque diversis grava„ minibus perdendos fore, & Claustro „ damna irrecuperabilia inferenda. Da„ tum in exercitu sub civitate Crembs „ Annô Domini 1477. feriâ sextâ post „ Leonhardi, nimirum septimô No„ vembris. „ [5.] Hæ literæ quid ab Abbate impetrârint, compertum non habeo: credo hoc primo Ungarico bello nullum Ungaris homagium præstitisse, nec subditis Monasterii permisisse. Nam ubi Cæsar cum Rege pacem iniîsset suasu maximè Pontificis, & Capitanei præfati à Crembsensi oppugnatione avocarentur, neque etiam tunc ulteriùs Abbatem futurum homagium, aut minas præfatas Ungarorum timuisse. Unde constat binis vicibus Viennam à Rege obsessam fuisse, & altera vice eam primùm deditione cepisse. Prætereà ex præmissis Capitaneorum literis colligitur Crembsium per aliquot septimanas obsidione clausum fuisse, & loca circumquaque devastata, sicut etiam grangia nostra inter vinitores (vulgò *in Weinzierl*) sita, de cujus sacello mentio habebitur. Non tamen Crembsium neque Stainam urbes capere potuêre, licèt jam turrim unam è regione portæ Mauterensis in Stain sitam occupârint, non tamen inde civitati quicquam detrimenti afferre poterant. Atque ita Wolfgangus Abbas hoc quoque timore hostium liberatus est.

Antequam verò Ungari Austriam invaserunt, Rex illorum Matthias Huniades Friderico Cæsari Viennæ moranti bellum indixit, cùm Vladislaus Rex Bohemiæ & Poloniæ adhuc adesset, & hoc contigisset Junio mense, nam circa festum Magdalenæ jam Bohemiam suam Rex attigerat: unde etiam ab Vladislao Cæsar contra Matthiam auxilium petiît, & promissum retulit, licèt nullum exspectare deinde potuerit, sicut in Gerardo videre est. Rex igitur Ungariæ non tantùm Cæsari pacem renuntiavit, sed quoque privatis litteris suis studuit quosdam in armis strenuos Austriacos Proceres contra eundem in partes suas deducere, quorum nonnullos, prout ipsis affectus in dominum suum inerat,

inerat, paratos & promptos invenit. Inter quos non contemnendus erat Wilhelmus Missingdorfius de Dobra ex Equestri ordine, hic non alia de causa renuntiat pacem & bellum Wolfgango Abbati in Zwetl, ejúsque colonis universis indicit, quàm quia Rex suus Ungariæ sibi literas misisset, quibus inclusam pacis renuntiationem ab eo Cæsari factam perspexisset suas ob causas justam, atque ideo & ipse tanquam regius vasallus Cæsari unà cum Rege suo renuntiat atque omnibus ejus fidelibus. Datum Dobra, Annô Domini 1477. in Vigilia SS. Petri & Pauli Apostolorum. [6.] Præstitit Abbas huic homagium ducentis florenis & quinque modiis siliginis per angariam sicut suprà retuli, ubi ejus socii nonnulli commemorantur, qui partes Ungari secuti sunt, & contra Cæsarem dominum suum militârunt ejusdem fideles devastando.

Scripsi prætereà de Ulrico Graveneckio, quòd contra Cæsarem rebellis insurrexerit, atque fideles ejus persecutus fuerit, sic quoque fidelis Cæsaris Wilhelmus Puechaimius de Gmünd Baro bellum Ulrico indixit, ab hoc bello conatur ipsum litteris suis avocare patruelis ejus Joannes Puechaimius Architriclinus Austriæ hæreditarius, nam olfecit bellum Ungaricum, quocum satìs Cæsari negotiorum moles incumbet, atque ita timendum esset, nè Graveneckius auxiliantibus Ungaris Cæsareanum ipsum aut gravissimè mulctaret, aut penitus à Cæsare desertum de libro viventium resistentem deleret. Suadet igitur, ut cum eodem ineat concordiam. Datum in Haidenreichstain Annô Domini 1477. feriâ sextâ ante diem Joannis ante Portam Latinam, nimirum circa sextum Maij. [7.] Inde colligitur, Ulricum vix Austriâ excessisse ante Ungarorum adventum, quibuscum deinde contra Cæsarem pertinaciùs bellum continuavit.

Fatetur demum Georgius S. Crucis Abbas se à Coabbate suo in Zwetl duodecim florenos Rhenenses contributionum Ordinis de annis MCCCCLXXV. MCCCCLXXVI. & MCCCCLXXVII. recepisse suarum testimoniô litterarum. Datum Viennæ Annô Domini 1477. Dominicâ Viti, id est, 15. Junii. [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Ex Transumpto Bullæ Pontificiæ.
[2.] Gerardus de Roó, lib. 8. in fine. Annales Strunonis Austr. Super. hoc anno. Megizerus Annalib. Carinth. lib. 10. cap. 21. Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.
[3.] Ex MS. Codice Bibliothecæ Zwetlensis.
[4. 5. 6. 7.] Ex Autographis ipsorum.
[8.] Ex Apocha ipsius.

An. Christi MCCCCLXXVIII. Monasterii CCCXL.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Wolfgangus I.

PAx quidem inter Cæsarem & Regem Ungariæ anno priori cœpta, hoc anno inter partes concluditur, de qua sic Gerardus loquitur, qui etiam aurei velleris comitia recenset: „ Cæsar igitur Pontificis authoritati obsecuturus „ oratores prior ad Matthiam de pace „ legat. Paci conditiones dictæ, utì „ Imperator capta abs Rege loca reciperet, quàm primùm ipsi centum „ quinquaginta aureûm nummûm millia „ numerâsset, utque obsidiones omnes „ ab

„ ab eo die ſolverentur. *[1.] Hoc verò „ anno Maximilianus à Belgio univerſo, „ Brabantia,Hollandia,& Seelandia Sa- „ cramentum fidei utì Princeps à ſubdi- „ tis ſuis recepit, inter cujus gratulatio- „ nes etiam ipſi Maria Princeps peperit „ Philippum filium primum ex Auſtria- „ cis Habſpurgicis Hiſpaniarum Regem „ poſteà potentiſſimum, eo maximè „ tempore, cùm periculoſum cum Lu- „ dovico Francorum Rege bellum ſuc- „ ceſſu quidem proſpero,ſed ſemper me- „ tuendo ob aleam belli dubiam habe- „ ret. Toto autem eo tempore, quo „ hæc in Belgis facta ſunt, Friderico „ Cæſari in Auſtria res ſatìs quietæ fuê- „ re. Matthias enim Polonico bello „ implicitus, cruciferorum Magiſtro „ in Boruſſia opem ferebat. „ [2.] Hæc Gerardus citatus, qui cauſam pa- cis aliquam cum Ungaro pactæ quidem affert, ſed ceterùm in Auſtria Cæſari non omnino res quietæ fuêre, nam Bo- hemi quidam vicini eam ſatìs cis Danu- bium vexârunt, utì antiquitas Mona- ſterii noſtri Zwetlenſis anno priori etiam citata pluribus commemorat, tali prius præmiſſa pacis mentione: „ Item „ treugæ pacis (*compoſitio pacis*) factæ „ ſunt inter Regem Ungariæ & Impera- „ torem firmæ, & proſcriptiones, (*id* „ *eſt*, *oblivio malorum illatorum*) & pro „ damno Imperator dat Regi Ungariæ „ centum millia florenorum ad duos „ terminos Annô 1478. circa feſtum „ Aſcenſionis. Item anno eodem „ 1478. populus trium dominorum exi- „ vit de Bohemia videlicet iſtius Leo- „ nis de Vronburck,item de Roſenberg, „ & de Schwanberg, & angariaverunt „ à Mathauſen usque ad Zwetl Mona- „ ſterium longè latéque cum incendio „ ad homagium. Item incenderunt „ nobis Obernhof. Item Groſſenweiſ- „ ſenbach, & dedimus eis ducentos „ florenos pro pace. Item illi iidem „ eodem tempore ſpoliaverunt in „ Schoënaw Eccleſiam, & omnes ru- „ ſticos angariaverunt noſtros ad ho- „ magium in dominatu caſtri de Wei- „ tra, & dederunt ad ducentos flore- „ nos. Item inter Regem Ungariæ & „ Regem Bohemiæ facta eſt pax eodem „ tempore & anno pro magna ſumma „ pecuniarum annô Domini 1478. item „ in eodem anno 1478. Dominus Leo „ de Vronburck homaginat Monaſte- „ rium noſtrum & noſtros ad trecentos „ florenos. „ [3.] Hæc antiquitas: unde quoque colligitur ſtatus Auſtriæ nec tunc in pace ipſa fuiſſe quietus. His adſtipulantur etiam Annales Auſtriæ Superioris, qui referunt Cæſarem ipſum certis poſitis conditionibus juſſiſſe Au- ſtriæ ſupra Anaſum regulis inire cum Bo- hemis eos incurſantibus concordiam & pacem, quam etiam ab ipſis violari in comitiis provincialium Cremſii hoc anno habitis conqueſti fuerant. Ve- rùm convenire non poterant Auſtriaci cum Bohemis, qui erant regulus unus Roſenbergicus & alter de Strakonitz, in pacem univerſalem, ſed tantùm ar- morum ſuſpenſionem impetrarunt us- que ad diem S. Viti proximam, inte- rea verò dies conventui præfigeretur vel Cremſii vel Zwetlæ utriusque par- tis, in quo de pace firma convenirent. Hæc ab Hugone comite de Wertenberg ſcripta fuêre Chriſtophoro Strunoni Weitracenſi Burggravio, cui caſtro de mandato Cæſaris præſidebat. Datum Viennæ feriâ tertiâ poſt Lætare Annô 1478. Prætereà in ſuprà citatis An- nalibus nominantur Bohemi præfati, qui Auſtriam devaſtârunt, nimirum „ Bocko Roſenbergenſis, Leo de Ro- „ ſenthal, Janus Swanbergius ſeu Cy- „ gnæus in Strakonitz, Hancko item „ de Swanberg Bohuslai filius, item „ Dietboldus de Lobkowitz, Petrus „ Caplanus de Windenberg & Vitus „ Stupensky. „ [4.] Atque ita pa- tet Auſtriæ miſeriam nondum tunc fuiſ- ſe finitam.

Porro Gerardus refert hujus anni ge- ſta ſequentia: „ Turcæ verò Carin- „ thiam ingreſſi prædas agebant, quos „ in-

„ incolæ concurſu facto abire coëge-
„ runt. „ [5.] Hæc ſuccinctè Gerardus; pluribus antiquitas Monaſterii noſtri illa rudi calamo ita perſtringit:
„ Item in anno 1478. Turci intraverunt
„ Carnioliam, vulgaverunt Crainlandt/
„ item Carinthiam & Stiriam, & depor-
„ taverunt omnem populum, quem ra-
„ pere poterant nulli parcentes ætati,
„ item Eccleſias, villas, civitates, Mo-
„ naſteria combuſſerunt. Item multi
„ boni Barones, Proceres & militares
„ ſunt interempti in iſtis terris à Turca
„ & capti. „ [6.] Hucuſque de Turcarum in Chriſtianorum ditiones incurſu: atque ita non tantùm Auſtria, ſed finitimæ quoque provinciæ vaſtabantur.

Præterea de comitiis provincialibus Crembſii futuris, in quibus pax cum Matthia Rege firmata fuit, ſic à Notario civitatis Crembſenſis Joanne Scharger dicto Abbati Wolfgango in Zwetl nuntiatur: „ Cæſarem nimirum ipſum Crem-
„ bſium eſſe venturum, & idem Stainæ
„ expectatur, quem jam præceſſerunt
„ Proceres ſequentes: Waldſeius, Stah-
„ renbergius, Eitzingerus, Puechay-
„ mius, Spawrerus, atque alii plures;
„ ſperat etiam (*ſcribit præfatus Notarius*)
„ ſe Dominum de Zwetl ibidem viſu-
„ rum. Datum in Crembs annô Do-
„ mini 1478. in Circumciſione Domi-
„ ni. „ [7.] Atque exinde patet, comitia menſe Januario adhuc Crembſii fuiſſe habita.

Nuntiat item Wilhelmus Puechaimius Architriclinus Auſtriæ Wolfgango Abbati in Zwetl, quod juxta ſententiam ſuam fecerit ipſe Abbas & Allodiorum ejus Magiſter Joannes, quia Domino de Swanberg in moneta Ungarica ſicut petiît, pecuniam non dediſſet. Deinde ſcripſiſſe ſe eidem Domino ait, ut à ſe ducentos florenos homagii Zwetlenſis ab Abbate ſibi miſſos numeratos acciperet in moneta Rhenenſi, vel certè in Grätzen à Chadoldo poſtularet, quibus acquieſcere Zygnæus noluit. Datum in Gmünd annô Domini 1478. feriâ quartâ ante Barnabæ Apoſtoli. [8.] De incurſione in Auſtriam Bohemorum horum ſuprà jam mentionem feci, atque etiam quomodo armorum ſuſpenſionem inierint per Auſtriæ regulos de mandato inducti Cæſaris: cauſam verò belli hujus fuiſſe præcipuam Annales Auſtriæ Superioris [9.] produnt, quòd Bernardus Scharfenbergius Auſtriæ Superioris Capitaneus civitatem Roſenbergam admotis ſcalis ex improviſo ceperit, univerſam ſpoliârit, damna magna intulerit, aliquot famulos & ſubditos Roſenbergenſis captivos abduxerit, aliáque hoſtilia exercuerit. Unde non tantùm commotus Roſenbergius, ſed quoque alii ejus vicini amici & clientes arreptis armis in Auſtriam Superiorem priùs, ac deinde in Inferiorem, nimirum in Norticam ſilvam, tractum Weitracenſem & Zwetlenſem moverunt.

Inſtrumentum item publicum reperi, talia declarans: Annô Domini 1478. 20. Februarii, annô Sixti Papæ IV. ſeptimô, Wolfgangus Abbas in Zwetl ſupplicanti Sigismundo Laher de Weythofen ſuper Teyia Clerico Pataavienſis Diœceſis contulit Parochiam in Schöenaw prope Weitra ad S. Laurentium & Leonardum, indicta eidem annua penſione viginti trium talentorum ſingulis angariis per quinque talenta & ſex ſolidos ſolvendorum. Acta ſunt hæc in oppido Crembs Patav. Diœceſ. in Stuba Monaſterii Fratrum Prædicatorum, & dicti Wolfgangi Abbatis habitatione, præſentibus ibidem Joanne Schaden, Andrea Atzpeckh, Michaële Kerkember, ac Wolfgango de All Laicis litteratis Patav. Diœc. teſtibus. [10.] Hucuſque inſtrumenti ſenſus.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 8. „ Beatrix verò Matthiæ uxor, quæ Posonii erat, „ per frequentes internuncios ac litteras, & „ maritum Regem, utì mitiùs ageret, & Cæsarem cognatum, utì ad æquas pacis conditiones inclinaret, exhortatur. Pontifex „ item & Veneti pacem summis studiis procurabant, utì conjunctis Christianorum „ viribus, Turcarum violentiæ obviam iretur, „ qui per id tempus maris Adriatici littus infestabant, & excursione in Forum Julii facta, ac superatis præter hominum opinionem fluviis, multas secum prædas, multósque mortales abegerant. Hungari quoque „ Proceres, & ipsi ab hoc bello alieni, arma „ in Turcas convertere malebant.

„ Cæsar igitur, &c. *ut in textu nostro.* Ad „ perficiendum ejus (*Maximiliani*) cum Maria matrimonium animum adjecit. „

[2.] Idem in compendio relatus lib. 9. ubi & sequentia habet: „ Post nuptias, Maximilianus ad negotia publica animum adjecit, & cogitare cœpit, quo pacto novum „ imperium optimè administrans, pace domi „ parta, & subditorum animis sibi conciliatis, ea recuperaret, quæ post Caroli mortem Gallus occupaverat. Imprimis verò „ vicina ejus regni loca, & ob hoc ipsum, „ injuriæ magis oportuna, adire statuit, & „ octo millium exercitu, ex Germanis & Flandris parato, Insulas primùm, ac inde per „ Tornacensem agrum Duacum perrexit, mox „ Valencenas iter flexit. Ubique magnis cum „ honoribus exceptus, & de more inauguratus, Montes petiît primam Hannoniæ civitatem, ubi totius ejus regionis ordines in „ ipsius verba juravêre.

„ Dum adhuc in Batavis ageret Archi-Dux, „ aurei velleris comitia, ad finem Aprilis, instituta erant Brugis, & per Oliverum Marchianum ea curabantur, quæ ad ejus rei „ actum adhiberi solent. Is ordo, ad annum „ humanæ redemptionis millesimum, quadringentesimum vigesimum nonum, à Philippo „ Bono institutus, paucis annis ad summam „ dignitatem evectus erat: sed tum ob Caroli obitum, supremo defensore, & quasi „ capite carere videbatur. Mittuntur igitur „ feciales ac nuncii, qui Reges, Principes, cæterósque Proceres Ordinis equites, convocarent. In Galliam qui missi erant, non „ satis benignè excepti sunt. Nam Ludovicus Rex Burgundiæ Principatum, à morte „ Caroli, ad se devolutum esse contendebat, „ & aurei velleris ordinem à nemine alio, „ quàm à se conferri posse. Cúmque equites quosdam in suo regno haberet, neminem eorum Brugas ad comitia proficisci „ permittebat. Hi erant Joannes Novocastrensis Montis acuti Dominus, Philippus „ Crevecurius, quem Cordæum appellant, „ Jacobus Lücemburgicus Dominus de Rusburg, & Philippus Pottius, quî suis quisque de causis aut potestati Regis sese permiserant, aut fidei commiserant, Antonius „ verò Burgundus Caroli frater nothus, ad „ Nancetum captus, à Rege in libera custodia „ tenebatur. Cum Maximiliano erant Joannes Lanoius, Adolphus Ravensteinius, „ Ludovicus Gruithusius, Carolus Croyus „ Chymaij regulus, Engelbertus Nassovius dictus Dives Bredæ Dominus, ac præter hos „ officiales quos vocant ordinis.

„ His igitur atque absentium aliquot legatis, ultimo die Aprilis, quo die Ascensio „ Christi celebrabatur, in sacra ejusdem Salvatoris æde, comitia haberi cœpta, & Tornacensis Episcopus Ordinis Cancellarius, „ luculenta oratione de ejusdem institutione, „ incrementis, ac dignitate quædam præfatus: ejus tutelam Archi-Duci commendavit. Ad ea Maximilianus, per Joannem „ Boverium consilii sui præsidem, respondet, „ ad Dei opt. max. honorem, orthodoxæ „ fidei defensionem, & equestris dignitatis „ augmentum, omnia se pro virili præstiturum, quæ à majoribus hactenus & instituta „ & servata essent. Atque ita Cancellarius, „ nudatum vaginâ gladium, à feciali acceptum, Ravensteinio in manus dedit, qui „ Principi, solemni more, equestrem contulit dignitatem. Inde in Sacrarium Templi „ deductus, solitum Ordinis habitum induit, „ mox in medium Templi progressus, loco „ æditiore, utì ab omnibus videretur, postquam in verba juràsset, Lanoius, qui collegas ætate anteibat, catenam cum vellere „ aureo illius collo circumdedit, in hæc verba ipsum allocutus: Quod felix faustum faxit Deus, Serenissime Princeps, ob summas „ virtutes, animíque fortitudinem generis tui, „ ac fortunæ celsitudine dignam, equestris aurei velleris Ordo, in suum te collegium assumit, summúmque & Ordinis & Collegii „ Principem ac defensorem creat. - - - - - - „ - - - - - - - - Interim Brugis Maria nonô „ Calend. Julii filium peperit, qui sexto pòst „ die ad D. Donati à Tornacensi Præsule sacris „ aquis lustratus, ex matris voluntate (utì ferebatur) avitum Philippi nomen sortitus est.

„ Fide-

„ Fidejussere pro eo Adolphus Ravensteinius
„ Imperatoris, Petrus Lücemburgus Comes
„ S. Pauli Edvardi Anglorum Regis nomine,
„ & Margaretha Caroli vidua. Ingens non
„ Brugis tantùm, sed in aliis quoque civita-
„ tibus gaudium, ob natum Principem fuit,
„ multíque festi ludi, aliáque publicæ lætitiæ
„ argumenta celebrata sunt. Imprimis verò
„ baptismi apparatus magnificus, & pompa
„ pene Regia fuit. Inter hæc cùm Maximi-
„ lianus ad pontem Salicis, & Rex prope At-
„ trebatum cum exercitu uterque valido es-
„ sent, Proceres nonnulli de pace inter ipsos
„ facienda egêre, à qua, post adversam suo-
„ rum pugnam, & amissum Baugimontium,
„ non alienus erat Regis animus, qui per eos-
„ dem dies Archi-Duci equum donò misit,
„ pulcherrimis ephippiis & phaleris ornatum. „

[3.] Ex Codice MS. quodam pervetusto Bibliothecæ Zwetlensis.

[4.] Richardus Struno in Annal. Super. Austr. hoc anno.

[5.] Gerardus de Roó lib. 9.

Megizerus Annal. Carinth. lib. 10. cap. 24. & 25.

[6.] Ex Codice MS. Bibliothecæ Zwetlensis.

[7. & 8.] Ex Autographis ipsorum.

[9.] Richardus Struno hoc anno.

[10.] Ex instrumento publico.

Ann. Christi MCCCCLXXIX. Monasterii CCCXLI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ulricus III.	Wolfgangus I.

ANtiquitas Monasterii nostri sequentia rudi stylo de more suo prodit:
„ Item annô 1479. fuerunt Turci in
„ Ungaria inter fluvium Raab & in Gu-
„ nis, & in metis Stiriæ & Sclavoniæ
„ inclusivè fluvio Muer. Item in eo-
„ dem anno concordati sunt Veneti
„ cum Turcis, & certas civitates tradi-
„ derunt ipsis & dominia. Item in eo-
„ dem anno Sixtus Papa obsedit Flo-
„ rentinos, & omnia in circuitu va-
„ stavit. Item in eodem anno circa
„ festum Matthæi fuerunt inquieti Bo-
„ hemi penes Freüstat/ & in circuitu
„ usque ad Dornbach/ & vastaverunt
„ incendio quasi omnem terram Au-
„ striæ cum incendiô & rapinis, & mul-
„ tos captivos & pecora deduxerunt. „
* [1.] Hæc ex antiquitate. De Pontificis expeditione in Florentinos Ciaconius refert, quòd Sixtus Laurentium Mediceum contra Ecclesiam superbè insurgentem armis compescere debuit, [2.] Meminit item citatus Ciaconius Turcicæ Tyrannidis, quòd nimirum Scodram (*nunc Scutarum dicitur*) ditionis Venetæ oppidum oppugnârint, quod Sixtus commeatu & pecuniâ juvit, ne Turcæ munitissima recepta arce ea ad occupandum Epirum & deinceps Illyricum uterentur.

Obiit hoc anno quartô Nonas Septembris Ulricus III. cognomentô à Nusdorf, Episcopus Pataviensis, sepelitur Patavii, in æde Cathedrali: post cujus mortem Canonici alterius Episcopi electionem celebraturi potentûm precibus ita omnes distracti fuerunt, ut neque libera ipsorum neque rata esse potuerint suffragia, Fridericus enim Imperator pro familiari suo Doctore Georgio Hæslero Ecclesiæ Romanæ Presbytero & Cardinali: Georgius verò Bojorum Dux pro Doctore quodam Legum Friderico Maurkirchero Bavaro, ac Aulæ suæ Cancellario, sedulis & cum necessitate penè conjunctis precibus intercedebant. Potior tamen pars Canonicorum Bavaro adhærebat, S. P. Q. Pataviensis cum aliquot Canonicis cum Cæsare sentiebat. Unde factum, ut ex hac dissensione Canonici Bavarum sectantes è civitate Schardingam cesserint, Bavarus autem arcem superiorem capiens in civitatem inferiorem crebrò fulminârit, armísque res dirimi videbatur. Cardinalis autem in Austria interea ditiones Episcopales circumquaque

que occupavit, & in Canonicos Patavienses sibi adversos, & in Bavaros & nonnullos alios excommunicationis fulmen extorsit. Duravit hæc tempestas totô bienniô, quo nunquam ab armis cessatum est, quoad Cardinalis Hæslerus in vivis fuit. [3.] Ego igitur per hoc biennium nullum etiam Episcopum nominabo, sed vacantem Episcopatum ponam.

Donârunt hoc anno Monasterio nostro quidam Nobiles Bernardus & Balthasar fratres dicti Tanner domum suam cum omnibus ad eam pertinentibus sitam in Otten villa in remedium animarum suarum. Datum annô Domini 1479. in die Gregorii. [4.]

Erant hoc anno F. Ægidius Magister vini in Cistersdorf, item F. Colomannus Magister curiæ in Rafing, & F. Nicolaus quondam Vicarius in Cistersdorf, nunc Magister curiæ in Chambarn circa vindemiam, è quorum numero F. Colomannus postea Abbas extitit. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Ex Codice MS. Bibliothecæ Zwetlensis.

Megizerus ad ann. præcedent. sub n. 6. relatus.

Fuggerus in speculo lib. 5. cap. 29. in initio.

Item cap. præcedente. „ Die Herrschaft „ Venedig, weil sie nun bey 20. Jahren mit „ dem Türcken gekrieget, vil Niderlägen und „ Schäden von ihnen erlitten, und auf so „ vilfältiges ansuchen von anderen Christlichen Potentaten keine Hilff erlangen konte: ward endlich gedrungen mit disem „ mächtigen Feind einen Frieden zu schliessen. „ Disen Frieden erhielten sie im folgenden „ 1479. Jahr durch ihren Secretarium Johannem Darium aus Candia bürtig, der wohl „ Türckisch reden, und daher die Barbaren „ bereden konte. Die Signoria bekame zwar „ hierbey einen starcken Erbrech-Tranck, „ muste die Stadt Scodra in Dalmatien samt „ Croja in Epiro (deren dise von den Türcken 11. Monath lang belägeret, jene aber „ mit Kugeln mit 550. in 700. auch mit Feuer-Kugeln von 750. Pfunden, doch ohne Schaden, beschossen worden) samt dem Vorgebürge Tenaro in Laconien, der Insul „ Lemno und andern Plätzen von sich geben, und der Pforte abtretten, über das „ innerhalb Jahrs-frist, 100000. Ducaten baar „ darzehlen, und jährlich 8000. Ducaten zu „ liefern versprechen. Hingegen haben sie „ die freye Schiffart und Handelschafft durch „ das Türckische Gebiethe, samt etlichen „ Plätzen erhalten; aber durch disen Frieden „ bey der gantzen Christenheit sich gar „ schwartz eingeschrieben. „

Spondanus ad hunc ann. n. 1.

[2.] Ciaconius in Sixto Papa IV. ad litteram.

[3.] Wig. Hundius in Metropol. Salisb. sub Ulrico III. Patav. Episcopo, de quo etiam hæc notat: „ Idem iste Antistes Venerabilis „ Judæos, qui in Illicensi oppido crudele facinus in Eucharistiæ Sacramentum designaverant, tristibus quæstionum formulis ad „ commissi sceleris confessionem adegit, reósque variis tormentorum generibus è medio „ sustulit, reliquos funesti negotii ignaros „ perpetuô exiliô damnavit; in locum verò, „ ubi horrendum illud facinus perpetratum „ fuit, Reverendissimus Princeps Ulricus collegiatam S. Salvatoris Ecclesiam perelegantem sanè in forma sphærica erexit, suísque „ manibus consecravit Annô 1478. Obiit annô 1479. quartô Nonarum Septembris sepelitur in septentrionali principalis Templi „ Pataviensis abside ante Altare S. Joannis, „ ubi adhuc hodie insigne & sumptuosum „ marmor, honoris ac memoriæ ergò, ei positum, & parieti insertum est cum tali inscriptione: Annô 1479. 4. Nonas Septembris obiit Reverendissimus in Christo Pater „ & Dominus, D. Udalricus de Nusdorff, Pataviensis Episcopus.

„ Post hujus Antistitis toti Reipublicæ „ lugubrem obitum Canonici alterius Episcopi „ electionem &c. *ut in textu nostro.* - - - -

[4.] Ex Autographo ipsorum.

[5.] Ex diversis Autographis ipsorum.

Annus

Ann. Christi MCCCCLXXX. Monasterii CCCXLII.

Pont. Rom. Sixtus IV. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcop. Pataviensis Vacat. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus I.

„ BEllum inter Fridericum Cæsarem „ & Matthiam Regem iterum hoc „ anno recruduit, pacem frustrà suadente „ Prospero Asculano Pontificis „ Legato, Mariæ-burgum ab Hungaris „ obsessum à Cæsareanis liberatur. In „ Stiria verò Pætoviam & Racolsburgum „ Matthias capit, sed quòd eo „ tempore Turcæ Transylvaniam vastabant, „ inducias cum Cæsare facit. „

*[1.] Hæc Gerardus de Austria summatim perstringit. Antiquitas verò Monasterii nostri hujus anni gesta sic describit: „ Item in anno Domini 1479. „ cùm in fine anni, & incipiente anno „ 1480. in Annuntiatione Dominica „ exiêrunt Bohemi spoliantes terram „ circumquaque ab Haslach & suprà & „ infrà quasi usque ad Pataviam homaginantes „ & devastantes terram cum „ incendio, nullo resistente. Item in „ eodem anno in festivitatibus Paschalibus „ venerunt ad Arbespach & Künigswisen, „ suprà & infrà devastantes „ inclusivè usque ad Monasterium „ Zwetl, & plurima damna fecerunt „ comburendo Grädnitz, Gerotten, „ Haslawe, insuper deprædârunt omnia „ pecora de villis istis, & homaginaverunt „ Monasterium propter colonos „ in ducentis & viginti duobus talentis. „ Item iisdem temporibus & „ eodem anno prope (*Dominicam*) Quasimodogeniti „ venerunt ad Gravenslag, „ & in circuitus versùs ad Danubium „ homaginaverunt, & descenderunt „ de istis partibus versùs Rastenveld, „ & versùs Poëlan & circumquaque devastaverunt, „ tandem aliqui ex ipsis „ citra octo personas invitati fuerunt ad „ prandium quoddam in Wegshaidt, „ & ibidem unus nomine Süssenbott „ fuit perfossus gladiô, ceteri verò capti. „ Ceteri autem Bohemorum rescientes „ factum, statim discesserunt versùs Bohemiam. „ Item Rex Ungariæ misit „ exercitum contra Venetos per terram „ Stiriæ & Carinthiæ cum consensu „ Imperatoris Friderici, cùm pervenit ad „ mediam terram Stiriæ, occupat eam „ vastando, homaginando, & occupando „ eandem, tamen omnia bona „ Ecclesiæ Saltzburgensis occupando, „ libenter enim (*anno sequenti ista elucidabuntur*) dederunt se expertæ Ecclesiæ, „ & Episcopus, & recepit Rakarspurck, „ Pettau, Ciliam civitatem, „ & plurima alia damna & infinita fecerunt, „ & omnia mentitus fuit Imperatori, „ quæ promisit, & obsedit „ Grätz, & obsedit Fürstenveld, & „ obtinuit eam, interfec - - - - - „ (*desunt quædam*) ad octingentos bonos „ homines cum civitate - - - (*desunt quædam*) Annô 1480. Item Imperator „ istis temporibus disposuit resistere „ Regi Ungariæ. Item in anno „ 1480. - - - - à festo Paschatis inclusivè „ festum SS. undecim millium Virginum, „ fuerunt spoliatores unà cum „ sociis & complicibus eorum de Bohemia „ de Holco unus, cui dedimus „ centum florenos & viginti florenos. „ Item D. Leo de Vronburck, cui dedimus „ ducentos florenos. Item tertius „ nomine Hasel, qui spoliat Ruedmans, „ provincialis - - - - - quasi „ omnia pecora. Item quartus D. de „ Nova-Domo, qui plures villas spoliat „ nobis, Erckenbrechts, Erlpach, „ Wurmpach. Item quintus Regis „ Ungariæ Capitaneus Sellene, qui plusquam „ cum mille equitibus venit prope „ Marckasdorf, & dedimus eidem „ du-

„ ducentos florenos & vina & farinam. „ Item eodem anno circa festum Michaëlis subtraxerunt (*castra metati sunt ad arcem*) castrum nomine Saxendorf, „ & circa festum S. Martini obsederunt. Item Marckastorf obsederunt „ circa idem festum, & circa illam obsidionem habuimus populum nostrum „ ad sexaginta pedestres cum curribus „ & equestres octo. Item Saxendorf „ obsederunt & destruxerunt, simili „ modo Marckastorf ad terram prostraverunt. Item Dominus Petrus „ de Sternberg in eodem anno circa festum undecim millium Virginum plures villas in territorio gramineo, vulgò in der Graß-Gegend quasi usq; ad „ Danubium, & multos boves & vaccas, & cetera animalia, porcos, vitulos, capras deportaverunt ad Bohemiam in æstimatione plurimorum „ ad tria millia. Item omnes isti de „ Bohemia Domini habuerunt treugas „ pacis cum terra Austriæ, & cum Domino nostro Imperatore Friderico „ inclusivè usque ad festum S. Georgii. „ Item Dominus Imperator congregavit „ exercitum, qui Regem Ungariæ prohibuit exire de Ungaria ad terram „ Austriæ, & intentio Regis fuit homaginare & spoliare tempore vindemiæ, pro parte fecit, & pro alia parte impeditus fuit ab exercitu Imperatoris. Item dicebatur, quòd populus de exercitu Imperatoris certam „ & notabilem summam populi Regis „ Ungariæ obtinuisset in campo in Ungaria, & multa spolia fecerint in Ungaria. Item eodem tempore multi „ Domini exiverunt de Bohemia ad „ stipendium Imperatoris, alius ad Ungariam, alius ad Stiriam verò designatur. „ [2.] Hucusque antiquitas Monasterii nostri, quæ annum hunc patefacit non tantùm molestum fuisse Austriacis ob Bohemorum & Ungarorum incursus, sed quoque Stiriam Ungarorum vires sensisse. Stiriacæ calamitatis literæ quædam ad Wolfgangum Abbatem datæ mentionem faciunt, quibus Joannes Schaden fortè tunc Allodiorum Magister Viennæ existens domum nunciat, exercitum Ungaricum quandam in Stiria Cæsaream obsedisse civitatem nomine Rackaspuruam: Cæsarem verò in Neapoli sua morari cum Domino de Liechtenstain. Datæ Viennæ annô Domini 1480. feriâ secundâ post Oculi. [3.] Meminit quoq; hujus devastationis Stiriæ Megizerus sequentibus: „ Interea „ Rex Matthias per egregium Capitaneum suum Maubitzium aliquot civitates, castra, & munitiones Carinthiæ, „ Stiriæ, & Austriæ Superioris occupari „ jussit, ubi quoque ipsi aliquot ab Archi-Episcopo Salisburgensi (& hoc „ contra Cæsaris voluntatem in maximum ditionum Austriacarum detrimentum) tradita fuêre, unde multi „ hominum cæsi, provincia incendiis „ & exactionibus ruinæ subjecta, civitatum muri tormentis dejecti, & pugnæ „ quædam velitationes inter utramque „ aciem commissæ fuêre, victoriâ modò ad Cæsarem, modò ad Ungarum „ declinante. „ [4.] Hæc Megizerus. Bohemorum verò in Austriam incursus non ita noti Historicis tacentur, quippe perpetui quasi fuêre præsertim suprà & infrà Maynhardi montem. A quibus potissimum Monasterium nostrum semper damnum accepit. Quòd verò Capitaneus etiam Ungaricus Sellene Austriam invadendo ad Zwetlam usque nostram ascenderit, sciendum est, ipsum cis-Danubianam tantùm plagam ita cum exercitu suo omnia devastando nullo se opponente percurrisse, quoniam ultra-Danubianam ripam miles Cæsareanus contra ipsius incursus defendit, & illuc idem tentantes prohibuit. Majorem lucem huic anno dabit anni sequentis post Antiquitatis nostræ citationem explanatio, ad quam curiosum Lectorem remitto.

Videtur hoc quoque anno Viennæ fuisse Georgius Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux, nam Monasterio

sterio nostro concessit seu potiùs confirmavit libertatem salium ejusdem deducendorum per Burckhausen & Scherdingen, sub dato Viennæ annô Domini 1480. feriâ sextâ post Ascensionem Domini. [5.]

Fit porro mentiô homagii facti ad Froburgum Domino Leoni à Monasterio Zwetlensi pro una angaria annô Domini 1480. feriâ secundâ post Palmas. [6.] Hujus homagii mentio supra quoque habita fuit.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó sæpè citatus lib. 9.

Non solum Transylvania sed & Rhodus & Calabria Turcarum sensit furias, immò toti Italiæ tremor incussus est. De quibus Spondanus ad hunc annum n. 2. „ Ægrè admodùm ferens Mahometes, Rhodiam urbem, „ Equitúmque Jerosolymitanorum ditionem „ finitimam, non solùm liberam à suo jugo „ esse, nec unquam induci potuisse ad solven„ dum ei tributum, verùm etiam continuis „ maritimis excursionibus mare infestissimum „ Turcis reddere; postquàm diversis tempo„ ribus immissis classibus eorum castella & „ agros numquam non cum gravi suorum cæ„ de & ignominia adortus esset; sæpè & pro„ ditionibus eorum perniciem quæsîsset; & „ ut inanium suorum conatuum pudorem ali„ quo modo contegeret, frequentibus suasio„ nibus pacem firmam & perpetuam obtulis„ set, si vel leve tributum, vel saltem munus „ aliquod annuum penderent; hácque etiam „ in parte repulsam passus semper esset: De„ mum tam infestissimô ex his odiô in eos de„ latus, quàm etiam nonnullorum ad eum de„ ficientium, qui res ejus urbis & insulæ planè „ perspectas habebant, sollicitationibus per„ suasus, omnino decrevit urbem aggredi. Et „ post longam de his consultationem, parata „ quàm secretò potuit ingenti classe, præfecit „ ei Mesitem, sive ùt alii vocant, Misacum Ve„ zirem Bassam Græcum, gente Palæologâ; „ qui decimô Calendas Junii exscensionem in „ Insulam fecit. Erat tunc Magister Ordinis „ Petrus Albussonius Gallus Arvernus, ma„ gno & excellenti ingenio ac prudentia, pa„ rique fortitudine: qui mira sollicitudine „ rebus omnibus providens, non solùm aper„ tas, easdémque horrendas oppugnationes „ Turcorum, quibus etiam disjectis vi tormen„ torum mœnibus aliquando intra ipsam ur„ bem irruperunt; verùm etiam clandestinas „ quorumdam proditiones ita repulit; ut post „ novem & octoginta dierum obsidionem Me„ sites novem millibus è suis fortissimis amissis, „ quindecim millibus sauciis abductis, insu„ lam turpiter deserere coactus fuerit; cùm „ etiam interim audîsset de suppetiis, quas „ Sixtus Pontifex & Ferdinandus Rex ad opem „ Rhodiis ferendam parâssent: & maximè ter„ riti fuissent Turci de prodigiis divinis, qui„ bus urbs defensa est ab eorum impetu. A„ junt enim, cùm in ultima universarum copia„ rum impressione, Magister Albussonius, vul„ neribus quinque in corpore susceptis, quo„ rum unum lethale censebatur, nihilominus „ scalam conscendens, Vexillum Imaginis „ Domini nostri JESU Christi, & Religionis, „ cum Imaginibus Beatissimæ Virginis & S. „ Joannis Baptistæ, expandi & ad dejecta mœ„ nia erigi jussisset; Crucem auream in aëre „ splendidissimam Turcis apparuisse: insupér„ que candidissimam virginem clypeum & ha„ stam gestantem, atque hominem vili veste „ obsitum, splendidissimo comitatu ad defen„ sionem urbis accurrere: hísque visionibus „ adeò Turcos perculsos esse, ut ingenti pa„ vore pedem retulerint, nec ampliùs ausi sint „ quicquam attentare.

N. 3. „ Eodem propè tempore, quo Ma„ hometes per Vesirem Mesitem Rhodum op„ pugnabat, ùt erat homo vasti animi & im„ moderatæ cupidinis, alium misit Vesirem „ Bassam Geducem Achmetem, rei militaris „ peritissimum Ducem, cum æquè valido exer„ citu in Italiam; sive ad eam tentandam, ut „ paulatim occupare posset; sive speciatim ad „ oppugnandum Ferdinandum Regem Nea„ politanum; in quem per Venetos impulsus „ fuisse à nonnullis dicitur, invidiâ tentatæ „ ab eo contra ipsorum jura regni Cypri oc„ cupationis: seu denique propriô Turcorum „ in Ferdinandum odiô, ob suppetias non„ nunquam ab eo Christianis in Turcos latas. „ Quacumque verò de causa Achmetes ex Va„ lona, quondam Aulone Epiri oppido, sexa„ ginta duntaxat interjecto mari milliaribus „ ab Hydrunte Calabriæ maritima civitate di„ stante, cum classe solvens, eò ad quintum „ Calendas Augusti appulit; eámque obses„ sam, & diu noctúque tormentorum impetu „ quassatam, decimo septimo die expugnavit. „ Ferunt ad duodecim propè Christianorum „ millia vel cæsa fuisse, vel in captivitatem ab„ ducta; matronis stupratis, virginibus raptis, „ sanctimonialibus fœdatis, prægnantibus

„ cum semivivis corpusculis dilaniatis, seni-
„ bus hominum & equorum calcibus concul-
„ catis, sacerdotibus intra Ecclesias jugulatis;
„ Archiepiscopo sene & annoso, Pontificali-
„ bus induto, sacratissimam Crucem manibus
„ tremulis tenente, & Christianos ad con-
„ stantiam fidei exhortante, capto & serrâ li-
„ gneâ in duas partes diviso; ut Breidenba-
„ chius habet: quem alii vivum excoriatum
„ volunt. Octingenti circiter educti oppidò
„ nudi, cùm nollent fidem Christi abnegare,
„ inter se ad constantiam cohortati, in parva
„ valle (quæ deinceps Martyrum vallis vocata
„ est) trucidati sunt. Expugnationem verò Hy-
„ druntis tantum terrorem universæ Italiæ at-
„ tulisse tradunt, ut de illa deserenda magìs,
„ quàm defendenda, cogitatum passim fuerit.

Item Nauclerus Generatione 50. ad hunc annum, ubi sic concludit: „ Et nisì Ma-
„ humetes citò de medio sublatus fuisset, non
„ modò de Apuliæ regno, sed de tota Italia
„ actum fuisse credebatur. Alphonsus Cala-
„ brorum Dux, qui tum Senam Hetruriæ ur-
„ bem obsidebat, audiens hæc, mox obsidio-
„ nem solvens cum exercitu in Apuliam pro-
„ perat. Verùm statim ut barbarus Impera-
„ tor diceretur mortuus, Alphonsus ipse,
„ confestim urbem Hydruntum valida obsi-
„ dione cinxit, & Turci audito sui Principis
„ obitu diffisi urbem se posse tueri, salvâ vitâ
„ & rebus, Alphonso sese tradidêre, qui ur-
„ bem introgressus, universa sibi retinuit, &
„ Turcos pro suis mancipiis reservavit. „

[2.] Ex codice quodam MS. pervetusto Bibliothecæ Zwetlensis.

[3.] Ex Autographo ipsius.

[4.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 10. cap. 26.

[5.] Ex diplomate ipsius.

[6.] Ex literarum monumentis.

An. Christi MCCCCLXXXI. Monasterii CCCXLIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcop. Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Vacat.	Wolfgangus I.

ANnum istum Antiquitas Monasterii nostri sic describit: „ Item D.
„ Imperator misit exercitum suum ad
„ Stiriam, ubi Rex Ungariæ obsederat
„ civitatem Marpurck cum populo suo,
„ & veniens Archiepiscopus Strigo-
„ niensis cum exercitu Imper. propria
„ in persona, & fugat Ungaros de ci-
„ vitate Annô 1481. in festo Penteco-
„ stes. Item dicebatur, quòd Archi-
„ episcopus misisset de exercitu ad Un-
„ gariam, qui multa damna, homagia,
„ & incendia fecissent. Item quidam
„ provincialis Baro nomine de Hohen-
„ berg intromisit in castra sua de popu-
„ lo Regis Ungariæ, qui devastarent
„ terram trans Danubium homaginan-
„ do, devastando cum incendiis, ca-
„ ptivando pauperes rusticos. Item
„ fraudulenter obtinuit Ecclesiam Wil-
„ halmsburck. Item Meirling prope
„ Gotwigium. Item istud castrum ob-
„ sederant provinciales trans Danu-
„ bium ad mille quingenti equestres &
„ pedestres. In die autem Kiliani, qui
„ erat Dominica die, venerunt latro-
„ nes istius de Hohenwerck 81. fuerunt
„ quingenti equestres & nostrates; (*sen-*
„ *sus est, quòd Hohenbergius tantùm octua-*
„ *ginta & unum milites habuerit, Cæsarea-*
„ *norum autem ad 500. fuerint*) & Capi-
„ taneus de Potendorf aptat se cum
„ equestribus suis contra eos auß der
„ Wagenburg. Tunc unus baro no-
„ mine Tursch von Osterwerckh (*Arx est*
„ *Osterberg*) fecit fugam cum pedestri-
„ bus & equestribus de campo, & isti
„ prævaluerunt, & receperunt arma,
„ equos, currus, & omnia clinodia eo-
„ rum cum omnibus pixidibus, (*sunt*
„ *tormenta bellica.*) Item ob quam cau-
„ sam in procinctu D. Imperator scri-
„ psit & mandat, quantò citiùs potuit
„ esse, promptos iterum congregari
„ omnes in campo circa Dominum de
„ Potendorf. Item in ejusdem litteris
„ scriptum erat sub pœna privationis
„ honoris & libertatis & privilegio-
„ rum,

„ rum, & minimè curaverunt &c. Item „ in Annô 1481. certus populus & sti- „ pendiarii Imp. fuerunt revocati ab „ Ungaria ad terram Austriæ, videli- „ cet Bohemi, & - - - - (*deest aliquid, non potest legi*) Capitaneus Wulski- „ wasla & Cunschwab, cum duobus „ millibus equestribus & pedestribus, „ qui unum integrum annum spoliave- „ runt terram Austriæ, & habuerunt for- „ tilicia prope Stettldorf. Item Purck- „ Sleintz. Item Clemens. Item Ludweis. „ Item Gruenaw super Danubium. „

*[1.] Hucusq; Antiquitas, quam in nonnullis interpretandam existimo, ut clarius Lector benevolus rerum seriem intelligat. Memini me anno præcedenti scripsisse ex eadem Monasterii nostri Antiquitate citata, Regem Ungariæ Matthiam per Stiriam transitum à Cæsare petiisse & impetrâsse quasi bellum Venetis illaturus: verùm illuso Cæsare eandem multis damnis affecisse, donec tandem Rackaspurgum, Petoviam, & Ciliam civitatem occupârit, sicut etiam Stiriæ metropolim Græcium tentavit, item Fürstenfeldam in finibus Ungariæ sitam civitatem multis cæsis expugnavit, ut nimirum terminis Stiriæ potenter occupatis, ipse, si bellum procederet, commodiùs & faciliùs Ducatum reliquum invadere, aut si pax rediret, conditionibus sibi utilibus aut occupatis locis frui posset, licèt in successu rerum suarum prospero in Cæsarem exacerbatus nimiùm, pacem minimè cupiebat. Hoc autem anno terminos regni sui dilataturus tentavit quoque supra Petoviam oppidum Marpurgum dictum ad Dravum fluvium situm, verùm Archiepiscopus Strigoniensis milite Cæsareano circumdatus cives ab obsidentibus liberavit. Ut autem planiùs pateat, quare hic Antistes Ungarus Ungaros in Stiria invaserit & fugârit, operæ pretium est rem altiùs repetere. Erat hoc tempore Archiepiscopus Salisburgensis Bernardus de Rohr Austriacus, qui variis de causis, quæ in Metropoli ab Hundio ex parte proferuntur, Archiepiscopatum alteri cedere voluit: hoc Fridericus Cæsar intelligens, eundem convenit, ut sinè consensu suo cessionem non faceret. Fuit autem his temporibus apud Matthiam Ungariæ Regem quidam Archiepiscopus Strigoniensis Joannes nomine Wratislaviâ oriundus, qui paulatim plurima beneficia in Ungaria adeptus, à Cæsare quoque inscio Rege Ungariæ, magnâ pecuniæ summâ totum dominium Steir cum pluribus castris perpetuis temporibus possidendum emit. Tempus porro jam advenit, quo Bernardus Cæsari significat, sese jam abdicare velle, unde ut res in occulto maneret, Cæsar Bernardum Græcium vocavit, atque paucis è consilio utriusque arcano vocatis pro præsente tunc Strigoniense, ut Bernardus eidem Archi-Episcopatum resignaret, intercessit, quod & impetravit. Verùm postea Consiliarii Salisburgenses quidam ab eodem actu exclusi, & quid actum fuisset edocti, Bernardum eò adduxerunt, ut resignationem suam priùs factam & jam scriptô confirmatam revocaret: insuper re in Concilio Salisburgi provinciali propalata, maxima pars provincialium eundem ita precibus ad retinendum Archi-Episcopatum onerârunt, donec & ipsis consentiret, & huic Concilio Legati Cæsaris interfuêre: A quibus omnia edoctus Cæsar, ob tam insignem contumeliam omnes munitiones & castra ad Ecclesiam Salisburgensem pertinentia in Ducatibus Austriæ & Stiriæ occupavit, Tackenpeunt & Vanstorf funditùs evertit. Bernardus autem cùm ei resistere non posset, fœdus iniît cum Matthia Rege Ungariæ tunc hoste Cæsaris, eíque omnes arces & civitates, quæ ab Imperatore nondum occupatæ erant, in tutelam tradidit. [2.] Inde jam intelligitur illa anno priori adducta periodus, quæ ita sonat: „ Tamen „ omnia bona Ecclesiæ Saltzpurgensis „ occupando, libenter enim dederunt „ se (*id est, Matthiæ*) expertæ Ecclesiæ

„ & Episcopus. „ [3.] Sed Bernardus tandem homo quietus & tranquillus, & malorum horum pertæsus, liberè pluribus renitentibus anno sequenti ad Cæsarem veniens, Joanni suprà fato Strigoniensi Archi-Episcopatum suum resignavit, atque Salisburgum ipse deduxit. Atque ita, Matthiæ hoc anno Marpurgum obsidenti, Strigoniensis auxiliô Cæsaris in faciem restitit, atque eundem obsidionem solvere coëgit. Porro de Barone Hohenbergico sciendum, ipsum non procul à Monasterio Campi-liliorum quondam sedisse, qui Ungaris è Stiria sibi proxima advocatis traditô suô castrô provinciam adjacentem circumquaque devastandam donavit, unde Wilhelmi-burgum & Meirlingum castrum fraude occupârunt. Quod Meirling juxta Monasterium Gottwicense situm Austriaci jubente Cæsare protinus collectô milite obsederunt, à qua obsidione Austriaci ab Hohenbergicis prædonibus, quos citata Antiquitas numerat tantùm fuisse octuaginta & unum milites, pulsi fuerunt. Inde Fridericus cladem acceptam novo milite delere cupiens, provinciales ad novos milites conscribendos & mittendos, & sub duce Potendorfio rursum militandos colligere jussit, unde quoque Abbati in Zwetl mandata Cæsarea missa fuêre, quorum postremum in manus meas tantùm devenit, cujus tenor talis est secundùm sensum: „ Fridericus „ Romanorum Imperator, postulat altera vice ab Abbate in Zwetl, ut milites tam peditum quàm equitum certum numerum mittat ad militiæ suæ Ducem, seu ùt vulgò dicitur, ad Campi-ductorem suum D. Georgium de Potendorf Austriæ summum Pincernam, in Ducis-Burgo, seu Hertzogenburg provincialium militem colligentem, ut quamprimùm hostium conatibus obviam ire possit. Addit quoque se jam cum Serenissimo Rege Bohemiæ Ladislao in conventu Principum de quadam inter Bohemiæ Proceres Austriæ vicinos, atque Austriacos discordia convenisse, litémque omnem composuisse, unde timendum non sit de ipsorum ampliùs excursione. Datum Viennæ annô Domini 1481. Dominicâ post Bartholomæi, nimirum 26. Augusti. „ [4.] Hucusque mandatum Friderici: Hæc multam lucem afferunt tam anno præcedenti quàm sequentibus, unde pluribus ea referre debui.

Præterea Wolfgango Abbati in Zwetl à Joanne Turnero cive in Crembs è novis sequentia nuntiantur: „ Cæsarem feriâ sextâ ante (*Dom.*) Quasimodo: Viennâ discessisse infra horam 10. & 11. comitante illum Wolferstorfio cum aliis Dominis & Proceribus, ducendo secum mille quadringentos milites & currus multos & viginti modios farinæ, cujus discessum multi in omen malum accipiunt. Dicitur etiam Comes Hugo (*fortè Wertenbergicus*) Capitaneus provincialis constitutus esse. Discessum Cæsaris protinus secutus est incursus in Suburbana Claustri-Neoburgensis, quæ tunc igne perdiderunt, & circa Krieczendorf omnia vastaverunt: inde timendum ait, Ungarum vix civitates præteriturum, nisi rursum obsidionibus eas vexet. Dicitur etiam in Stain civitatem nuntius à juniore Principe missus venisse, qui ad Cæsarem festinus properat: unde quoque timor cujuslibet animum pervadit, qui omnibus futura capitis & fortunarum damna præsagire videtur. Datum raptim in Crembs annô Domini 1481. feriâ tertiâ post Quasimodo: „ [5.] Literis istis nonnulla confirmantur, quæ suprà scripsi, nimirum Græcii in Stiria tunc morantem Cæsarem cum Bernardo Salisburgensi ad se vocato egisse de Archi-Episcopatu cedendo Joanni Strigoniensi, unde Viennâ Græcium migrâsse hìc perhibetur, & inde in Völcklmarckt (*Volmarchia*) Carinthiæ oppido, quò priùs Ber-

Bernardum vocârat, ab Hundio fuisse memoratur. [6.] Postea meminit incursûs hostium in Noviburgi Suburbia, quæ civitati huic ab occasu adjacent, nam Ungari venerant è Wilhelmiburgo, quod suprà fraude occupatum scripsi, agrósque, vineásque incensis Suburbiis, circa Krieczendorf devastavêre. Demum juniorem Principem intelligit Maximilianum Burgundiæ Ducem, Belgarum Principem, Cæsaris filium, qui occulti cujusdam negotii gratiâ ad patrem nuntium direxerat.

Item Abbatem in Zwetl nonnihil jam vexare incipiebant Ungari, quorum unus Capitaneus in Dürnpach nomine Watzlaw Martinsky postulat à Monasterio sex currus, octo fabros lignarios, & viginti laboratores, si Abbas petita negârit, damna minatur. Datum Dürnpach annô Domini 1481. feriâ quintâ in festo S. Stephani. [7.] Hæc petiisse videtur ad muniendum locum.

Habetur demum mentio Rudolphi Comitis de Wertenberg, Fratris Ordinis Militaris Hierosolymitani Baiolini Brandenburgensis, Commendatoris Domûs S. Joannis in Freyburg &c. Commissarii etiam negotii Indulgentiarum Apostolicarum pro defensione Fidei Catholicæ & insulæ Rhodi per Sixtum Papam IV. contra perfidos Turcas per universum orbem motu proprio concessarum specialiter subdelegati, qui concedit Indulgentias D. Wolfgango Schenweiss. Datum annô Domini 1481. 25. Junii. [8.] Turca hoc tempore Christianis Principibus inter se gladiantibus optimam occasionem nactus, Rhodum, insulam & urbem tentavit in suam redigere potestatem. Quod Papa percipiens per Legatos suos Cardinales aliquot pacem tam Cæsari quàm Regi suadebat, ut conjunctis armis & viribus Turcam superbum & Christiani cruoris avidum hostem persequerentur, atque ut promptiores nonnullos ad nomen suum militiæ tali dandum efficeret, Indulgentias plenissimas, seu peccatorum suorum veniam largissimam concessit, quarum Commissarius præfatus Rudolphus tunc erat.

ADDITIONES.

*[1.] Ex Codice MS. pervetusto Bibliothecæ nostræ.

Spondanus ad hunc ann. n. 9. „ Cùm „ verò mortuo Mahomete, & filiis ejus inter „ sese digladiantibus, præclara sese obtulisset „ occasio Matthiæ Regi, Mysiam, Illyricum, „ Daciámque recipiendi; haud cunctanter co- „ pias undique contrahens, dum eò versùs „ castra moveret, certior factus de vastatione „ à præfectis Friderici Imperatoris Superiori „ Pannoniæ illata; - - - - deserta Turcica „ expeditione, ad ulciscendam Imperatoris „ pertinaciam, universas animi vires intendit, „ inito fœdere cum Stephano Vaivoda Wa- „ lachiæ. Ingressúsque Austriam, primò Ham- „ burgum totius provinciæ propugnaculum, „ deinde & alia oppida cepit, varia certamina „ iniit: demúmque continuatô impigrè bellô, „ Viennam Austriæ Metropolim obsidione „ cepit annô Domini 1485. uti pluribus Bon- „ finius describit. „

Lazius in Genealog. Austriac. suprà ad ann. 1476. sub n. 1. relatus ita prosequitur: „ Mittitur à Pontifice Max. Bessarion Cardi- „ nalis Græcus, ad componendos Principes. „ Qui collatis consiliis cum Gabriele Cardi- „ nale S. Georgii, & Bachi Agriensi Episcopo, „ Matthiæ Regis Consiliario præcipuo, diem „ partibus ad Kremsium dixit: ubi conventu „ Provincialium Legatorúmque constituto „ annô 1478. formula concordiæ hæc con- „ cepta, ac vulgata fuit. Uti acceptis XVI. „ millibus ducatorum à Cæsare, Hungarus „ arma deponeret, atque abiret. Sed hæc „ non totum annum rebus tranquillis pax „ mansit. In Styria enim & Carnis, cùm „ fraude interea comparâsset Leybniciam, „ Frisacum, & Wansdorfium arcem, bellum „ non extinctum, sed aliò translatum vide- „ batur. Nec multò pòst Viennam quoque „ ab Hungaris reversum fuit, aucto exercitu „ decem millibus Moravorum, Slavorúmque, „ quæ Czernahorius adduxerat, & quidam „ Waczlavius. Ad quam solvendam, cùm „ Imperii comitia Cæsar ad Noribergam indi- „ xisset, XX. millia Germanorum navigiô „ Viennam properârunt, à Principibus Ger- „ maniæ passim laboranti Austriæ subsidiô „ missa annô 1481. Hîc rursus interponen- „ tibus authoritatem suam, Vladislao Bohe-

„ miæ Rege, & Alexandro Foro-Julienſi Epi-
„ ſcopo nuncio Apoſtolico, pax recuperatur.
„ Quæ altero mox anno reſciſſa, & latroci-
„ nationes Auſtriæ, & obſidionem Viennæ
„ reduxit: quibus tam provincia, quàm urbs
„ exhauſta, annis ferè quinque: poſtremò,
„ ſæviente præſertim in miſeros ac innocen-
„ tes cives quodam Laurentio Ketner Juris-
„ Conſulto, Fiſci Imperialis Advocato, Vi-
„ ennam à Cæſare miſſo (ut qui conſulem
„ urbis Laurentium Haydem, antiquiſſimæ
„ proſapiæ patricium, ac de domo Auſtriæ
„ bene meritum, fidéque integerrima ſemper
„ adhærentem, cuſtodiæ nullis cauſis tradi-
„ derat: & ob ſolam ſuſpicionem, capitis
„ pænâ Thomam Tenck Senatorem innocen-
„ tem adſfecerat) deditionem fecit, in pro-
„ feſto Corporis Chriſti, annô à reparata ſa-
„ lute 1485. poſteaquam ademptô ſuburbiô
„ Landſtraß / & Abbatia S. Nicolai iſthic ab
„ Hungaris expugnata, nec in Cæſaris auxi-
„ liis, nec in re frumentaria, cujus nihil pe-
„ nè ſupererat, quidquam præſidii collocari
„ potuerat. A quo tempore Matthias Hun-
„ gariæ Rex exactô à civibus & provincialibus
„ proximis juramentô, Regiam ſuam perpe-
„ tuò Viennæ tenuit, uſque ad obitum ejus,
„ qui fuit annô 1490. in fine Quadrageſimæ:
„ totiúsque Auſtriæ Inferioris, exceptô
„ Krempſiô & Nova-Civitate, potitus, ſive
„ connivente Cæſare, ſive aliis occupato,
„ moderatè & planè remiſsô Regióque animô
„ gubernacula tam Auſtriæ quàm Viennæ,
„ quinquenniô ferè capeſſivit. „

[2.] Hundius in Metropoli ſua ſub Archi-Epiſcopis Salisburg. in Bernardo Præſule 53.

[3.] Relata Antiquitas anno præcedenti.

[4.] Ex Autographo mandati Cæſarei.

[5.] Ex Autographo ipſius.

[6.] Hundius ubi ſupra.

[7. & 8.] Ex Autographis ipſorum.

Ann. Chriſti MCCCCLXXXII. Monaſt. CCCXLIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Sixtus IV.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Epiſcopus Pataavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Fridericus I.	Wolfgangus I.

SUb hyemis finem Maria Burgundica Maximiliani uxor cum ſuis egreſſa Brugis, utì animum venando oblectaret, ex equo prolapſa lumbos & femur graviter offendit, & dies viginti ex eo caſu decumbens, rebus ex ultima voluntate ordinatis, obiît quintô Calend. Aprilis, magnum marito, cujus amantiſſima vixerat, & ſubditis omnibus luctum ac turbulentum rerum ſtatum relinquens. Corpus ejus Brugis ad D. Deiparæ Virginis ſepulchro illatum eſt. Superſtites reliquit liberos Philippum primum è Domo Auſtriaca Hiſpaniarum potentiſſimum Regem, & Margaretham Carolo Delphino Galliarum Regis filio poſtea deſponſam. * [1.]

Ut autem revertar ad Auſtriam, de eadem antiquitas noſtra ſequentia refert:
„ Item in anno Domini 1482. in Qua-
„ drageſima miſerunt certi Domini &
„ Principes Romani Imperii, inſuper &
„ civitates Imperiales ſtipendia in ad-
„ jutorium Imperatoris exercitui, qui
„ pro eiſdem ſibi militarent contra Re-
„ gem Ungariæ. Item in diverſis tem-
„ poribus habuerunt conflictum cum
„ Rege Ungariæ & populo ſuo, & gra-
„ tiâ Dei ſemper victores extiterunt.
„ Item meliorem populum captivârunt
„ & interfecerunt incluſivè uſque ad fe-
„ ſtum S. Joannis Baptiſtæ, & tribus vi-
„ cibus fuit proſtratus. Item eiſdem
„ temporibus exercitus Imperatoris ob-
„ ſederat caſtrum Domini de Hohen-
„ werckh, videlicet Merckenſtain,
„ quos revocaverat Imperator, & mi-
„ ſit eos contra Regem Ungariæ &
„ populum, & multos ex ipſis pro-
„ ſtravit & cepit. Item Weſpiach (*pro*
„ *Weisbriach Baro Carinthiæ*) quidam
„ Nobilis de Stiria habuit ad duo millia
„ equeſtrium & pedeſtrium ſtipendia-
„ rios omnes militantes Imperatori, qui
„ ex illa parte, & in alia parte Danubii
„ ſpoliaverunt, & magna damna fece-
„ runt

„ runt in 1481. & 1482. anno. Item „ Sellene circa festum Nativitatis & „ Purificationis Capitaneus Regis Ungariæ cum quatuor millibus perlustravit & homaginavit à Vienna incipiendo terram Austriæ longè latéque „ inclusivè usque ad provinciam deß „ Land ob der Ennß / (*ad Austriam super Anasum*) immò & in eadem provincia damna majora faciendo, & in „ pace iterum descendit in anno 1482. „ Item per totum integrum annum in „ anno 1481. & secundo fecimus homagium ad Wulski-wasla ex parte „ pauperum nostrorum tantummodo „ pro sex septimanis, & nullum diem „ ultrà dederunt, qualibet vice ducentos florenos, & pixides & pulveres, „ piper & crocum, pellicia vulpina, „ & alia plurima, quæ postulabant, præsertim laboratores pro fortaliciis construendis, & hoc quod deterius est, „ nostri & alieni æquè fuerunt spoliati, „ & tot fures equos, ovès, porcos, boves, & quæ potuerunt invenire receperunt; omnia ista exceperunt in homagio præter capere rusticos & cremare, & alia omnia fuerunt ipsis licita facere secundùm æstimationem „ ipsorum. Item villam Erckenprechts „ combusserunt nobis propter unum „ hominem, qui ex ipsis erat, qui tradidit Ludweis in manus latronum, „ qui fuit interfectus ab eisdem rusticis. Insuper pro morte ejusdem hominis solverunt 32. florenos, cùm „ hæc omnia bona eorundem abstulerunt in anno ùt suprà circa festum „ Corporis Christi, aut propè antè. „ [2.] Hucusque rudis antiquitas, ex qua provinciæ miser status apparet, cùm non tantùm Ungari uti hostes Austriam vastando percurrerent, sed etiam Cæsareanus miles ducibus Wulskiwasla Bohemo, & Balthasaro de Weisbriach Carinthiæ Præside (sicut eum Megizerus in Annal. Carinth. lib. 10. c. 27. nominat) inobedientiam Austriacorum Cæsare puniente, juxta ripam Danubii grassabatur, ita ut plena omnia tumultu & luctu conspiciebantur.

„ Sub tanto rerum turbine annô „ 1482. (*ait Hundius*) Cardinalis Hæslerus Pataviam centum septuaginta „ equitum comitatu (quorum duces „ erant Bernardus Scherffenbergicus „ & Christophorus Hochenfelder) ingressus, & à Senatu Populóque Pataviensi receptus est: perpetuis autem „ tormentorum globis ex arce in civitatem emissis ita exterritus est, ut subinde locum vix occupatum mutare „ cogeretur. Reversus itaque in Austriam paucis diebus pòst è vivis excessit; aliqui eum in aquis prope Melicum periisse annotârunt. Sepelitur „ Viennæ ad B. Virginem in ripa. Hæslero Cardinali rebus humanis exempto omnis bellorum motus cœpit conquiescere, Canonici è Scherdingo, „ quò confugerant, Pataviam rediêrunt, de competitoris fato & Friderico legitimè electo triumphantes. „ Fridericus autem hic fuit cognomine „ dictus Maurkircher Bavarus, à Georgio Bojorum Duce commendatus, „ & à potiori Canonicorum parte electus, tandem à Pontifice etiam confirmatus est. „ [3.]

Dum hæc Patavii geruntur, Ungari interea, sicut suprà retuli (*Annô 1480.*) duce Sellene trans-Danubianam plagam exactionibus & incendiis vexabant, nec minùs cis-Danubianam ducibus Wulskiwasla & Cunschwab Cæsareani, unde hoc anno mentio habetur homagiorum duorum, quorum unum Monasterium in Mautern Ungaris, alterum in Stettldorf Cæsareanis mittere cogebatur, ne bona illius incendiis deformarent. [4.] Præterea cùm potentes per Austriam prædones in minùs potentes idem quod hostes tentarent, Conradus Dachsnerus Wolfgangum Abbatem sibi quoque ad homagium præstandum compulit; unde quinquaginta quinque florenos sub eodem nomine in Hardeccum mitti sibi protinus postu-

postulat, quò famulum suum direxisse scribit, nam cùm partes Regis foveret, propter Cæsareanos ausus non erat in Monasterium vel ipse ascendere vel alium mittere; petit item unà duas balistas, quæ à famulo Monasterii dicto Weichselpeckh recipiendas esse scribit. Datum in Niclaspurg annô Domini 1482. feriâ secundâ post Pentecosten. [5.] Utrum verò hanc pecuniam ab Abbate receperit, mihi non constat. Fuit autem Ludovicus Weichselpeckh Allodiorum Magister tunc in Monasterio, cujus aliàs hoc anno feriâ tertiâ post Annuntiationem fit mentio.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib.9. exscriptus. Nauclerus. „ Mortua erat jam anteà annô 1482. Maria filia Caroli Ducis Burgundiæ, uxor Maximiliani Archi-Ducis Austriæ, mater prædictæ Margarethæ miserabiliter. Cecidit námque in venatione de equo, qui calce eam jacentem percutiens neci dedit. Alii ajunt in equi strepa hærentem discerptam esse. Reliquit Philippum atque Margaritam. Probiùs sic dicitur, quòd de equo in venatione ceciderit, ipsa læsa lumbos & femora, ex quo jacuerit usque in 11. diem, 27. die mensis Martii expiravit imprægnata. „

Piespordius ad dexteram Maximiliani I. sub Burgundionum Ducibus, & alii.

[2.] Ex Codice quodam MS. Bibliothecæ Zwetlensis.

[3.] Hundius in Metropoli sua sub Episcop. in Episcopo 63.

[4.] E literarum monumentis.

[5.] Ex Autographo ipsius.

Ann. Christi MCCCCLXXXIII. Monast. CCCXLV.

Pont. Rom. Sixtus IV. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Fridericus I. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus I.

„ HOc anno in Austria Cæsari res parùm quietæ fuêre. Matthias enim Ungariæ Rex retentam diu coronam ac ingenti pecunia redemptam, aliásque veteres offensas nondum ex animo deponens, quoties à Turca quietem habere poterat, arma in Austriam movere non desistebat. Tenebantur adhuc ab eo oppida nonnulla, nondum numeratâ eâ pecuniâ, quæ ei pro belli sumptibus promissa erat. Illis superiore anno Hamburgum, munitam ad primum in Austriam ex Hungaria ingressum civitatem, adjecerat, & vicinum latè agrum perpopulatus multa cum præda domum redierat. Hoc verò anno ex hibernis movens Pontes ad Leitham amnem longa ac difficili obsidione cinctam expugnavit, multósque mortales occidit. Cæsareani in arcem confugêre, quam post mensem tradere coacti sunt, inediâ magìs, quàm armis impulsi. „ * [1.] Hæc Gerardus.

Porro Bohemi nonnulli versùs Austriæ fines sedentes Matthiam sequebantur, è quorum numero unus etiam erat D. Jutha de Lewchtenburgk, Dominus Vetoviæ, quod castrum olim erat munimentum latronum, & sæpè à Ducibus Austriæ Babenbergicæ stirpis expugnatum & dirutum, at semper restauratum ob locum aptum invadendæ Austriæ, qui Dominus præfatus scripsit Abbati in Zwetl propter quendam famulum suum Laurentium dictum, forsan ab ipso fugerat, & ab Abbate in præsidiarium susceptus fuerat, unde ipsum repetiisse videtur. Datum in Gemnitz annô Domini 1483. feriâ quartâ post Ægidii. [2.] Gemnitzium, legitur etiam Kemnitzium in finibus Moraviæ situm est oppidum munitum, non

non procul Iglaviâ distans; aliud autem est castrum dictum Jeminitzium atque Jamnitzium supra Caroli-lapidem (Carlstain) & infra Bistricz situm, cujus reguli aliquando Monasterium multis & magnis tam exactionibus quàm spoliis & devastationibus affecerunt, sicut suô locô retuli.

Inter cetera praeterea loca, quae Ungari nomine Bohemi per Austriam occupata tenebant, erat etiam castellum Schoënberga seu Bellus-Mons, cujus tunc Praefectus vocatur Joannes Guiffis, Dominum autem nominat suum Joannem de Künigsperg Bohemum infra Egram dominium suum habentem, qui Matthiae partes contra Austriacos fovebat. Praedictus autem Praefectus illius Abbati Zwetlensi scribit, quatenus colonos Monasterii de villa Weissenalbern ad censum sibi debitum solvendum hortetur, quaerens nimirum causam Monasterium exactionibus vexandi. Datum in Schoënberg annô Domini 1483. feriâ quintâ post Elisabethae. [3.] Reperi autem Indicem exactionum, unde colligitur censum suprà nominatum accipi ibidem pro homagio, quod à colonis praefatis postulaverat Praefectus, atque ita sonat: „ Annotatio homagii „ ad Schoënberg facti feriâ 5. ante Tri- „ um Regum ad 12. hebdomadas. Item „ ducentos quadraginta florenos pro „ toto mense cum tribus septimanis, „ unus florenus valet 10. solidos & 10. „ den. summa facit trecenta & decem „ talenta. Item duos ternarios vini „ cum vectura, sexaginta talenta. Item „ duas libras croci, undecim talentis „ & octoginta quatuor denariis. Item „ duos fasciculos boni lini, septem ta- „ lentis. Item quinque modios tritici, „ quinquaginta talentis denariorum. „ Item quinque modios avenae 15. tal. „ Item quinquaginta libras pulveris 5. „ tal.. Item campanam unam 10. tal. „ 3. sol. & 10. den. Item octo partes „ laridi, 6. tal. Item unum vasculum „ halecum, & duas metretas canapis „ 10. tal. Item promisimus, &c. duos „ Ungaricos florenos. Summa sum- „ marum facit 486. talenta absque com- „ putatione vecturae, expensarum & „ honorarii: item colonorum. „ [4.] Hucusque Index citatus. Quantum ad campanam, non ego existimo, illam etiam Belli-montensi Praefecto nomine homagii datam, sed potiùs à milite Caesareano pecuniâ comparatam fuisse. Nam cùm superioribus annis Caesareani Ungariam devastâssent, campanam quoque praefatam in oppido Schlaminga in finibus Ungariae sito, à porcis proboscide terram exerentibus proditam effoderunt & rapuerunt, atque in Austriam secum venalem deduxerunt, quae Annô Christi MCCCCLV. consecrata nomen accepit Margarethae & Dorotheae, ùt eo anno retuli. Cùm autem Monasterium pecuniam homagii nomine Caesareanis juxta Stettldorf castra metantibus collectam illic porrigere teneretur, milites dictam campanam Schlamingerinnam Monasterio pro decem talentis, tribus solidis, & decem denariis vendiderunt.

Interea cùm Abbas videret súsque déque per Austriam ferri omnia, & à Caesareanis atque Ungaris cuncta devastari cerneret, & ipse Monasterii sui securitati prospiciens, milites etiam in praesidium sui, suorúmque conscripsit, & Monasterium jam antè aliquo modo munitum contra primos grassantium impetus defendere paravit. Cùm autem milites, hoc hominum genus sit praedae avidum, itinera quoque circum Monasterium diligenter observabant, viatorésque obvios spoliabant, neque enim amicus aut inimicus tunc discernebatur, Proceres ipsi Austriaci spoliis inhiabant, inde miles Caesareanus, inde Bohemus Matthiae addictus, inde Ungarus idem factitabant. Wolfgango igitur Abbati in Zwetl scribunt Thomas & Laurentius vocati Perimer & Georgius Swab fortè cives in Gmündt, ut ea, quae praesidiarii ejus sibi transeuntibus rapuêre, resti-

restitui curet. Datum in Gmündt annô Domini 1483. in Vigilia Corporis Christi. [5.] Atque ita quis rerum status tunc fuerit, facilè apparet.

Porro inter hos tumultus securius iter semper præeligendum erat etiam per hostes, sed fidem quis in hoste requirat? pecunia tamen fidem invenit. Igitur Abbas Zwetlensis, qui Ungaris quoque homagii nomine pecuniam solverat, inter ipsos etiam invenit transitum tutum. Unde vina forsan ex Nusdorf per suos adducturus trans Danubium egit cum Capitaneo in Greitzensteten nomine Klein Gaims, quatenus ad currus vel plures vel pauciores quàm viginti daret inter suos salvum, ùt vocant, conductum. Dedit autem literas hujusmodi securitatis præfatus Capitaneus in Greitzensteten annô Domini 1483. in die S. Barbaræ. [6.]

Non tantùm autem Zwetlense Monasterium calamitatibus multis afficiebatur, verùm etiam alia per Austriam Monasteria fundata. Ita eam ob causam Christophorus Abbas Viennæ Scotensium Wolfgango Abbati in Zwetl scripsit, & misit F. Wolfgangum Monasterii sui Professum ipsi nomine suo aliqua expositurum, cui respectu sui fidem adhiberi rogat. Facit autem mentionem in genere calamitatum, quibus agitatur & fluctuat, quas ait ex fama notas esse. Cogitabat quidem prolixè rem perscribere, sed omissionis causam afferunt discrimina viarum, infestationésque prædonum & nebulonum. Datæ Viennæ annô Domini 1483. in festo S. Elisabethæ viduæ. [7.] His è literis constat, quòd viæ per Austriam ubique à prædonibus obsessæ nulli securum iter præstabant.

Præterea Georgius Potendorfius consanguineus Fundatorum nostrorum bellum Monasterio nostro movere cœpit, significans F. Wolfgango in Cisterstorf tunc Vicario per literas, quòd neque hujus neque præcedentis anni vindemiam domum in Monasterium deduci velit, omni viæ impedimentum allaturus. Hic quondam egregius Capitaneus Cæsareus contra Ungaros multa tentavit, & successissent ipsi stratagemata sua, si non perfidiam quorundam tam minorum suorum Capitaneorum aut tribunorum, quàm Austriacorum Procerum auxilii denegationem sustulisset. Illi enim fugâ suâ hostibus victoriam, hi autem inobedientiâ suâ ignominiam & multa damna peperêre. Atque ita suis rebus ipse studens arma sua domi continuit, paratus hostem potiùs à cervicibus suis repellere, quàm in ejus cervices gladium intentare, eousque res Austriæ publica devenerat, ut quilibet domi suæ consulere cogeretur. Res tamen inter ipsum & Monasterium paulò pòst fuit composita.

ADDITIONES.

[1.] Gerardus de Roó lib.9.
[2.] Ex literis ipsius.
[3.] Ex Autographo ipsius.
[4.] Ex literarum monumentis.
[5. & 6.] Ex Autographis ipsorum.
[7.] Ex literarum monumentis.

An. Christi MCCCCLXXXIV. Monast. CCCXLVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius VIII.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Fridericus I.	Wolfgangus I.

Romæ hoc anno Idibus Augusti obiit Sixtus Papa IV. seniô & podagrâ confectus, ad S. Petrum sepultus. Cui Pontifex subrogatur Joannes Baptista Cibo Genuensis, Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina quartô Calendas Septem-

Septembris electus, coronatus autem pridie Idus Septembris. *[1.] Hunc Pontificem prædixit B. Malachias: Præcursor Siciliæ. Innocentius enim vocabatur ante Pontificatum Joannes Baptista, & vixit in Curia Alphonsi Regis Siciliæ.

„ Redeo ad Austriam, quam Mat-
„ thias Rex iterum ingressus Corneo-
„ burgum obsedit. Cæsar verò exer-
„ citum ex Noricis & Vindelicis conscri-
„ ptum eò mittit. Fit pugna, ex qua
„ Germani cedere coacti in vicina se
„ oppida recepêre. Manent nihilomi-
„ nus in fide Corneoburgenses, etsi in
„ summa commeatuum inopia, equis
„ felibúsque vesci coacti. Pugnatur
„ quotidie sub ipsis mœnibus, & in fos-
„ sis, ubi Stephanus David Hazy non
„ ultimus inter Matthiæ duces periit.
„ Rex vi expugnari posse diffidens, fa-
„ me oppidanos domare statuit. Itaque
„ suos ad obsidionem relinquens ipse in
„ Valachos ire parat ad liberandam
„ Achilleam. In itinere acceptô nun-
„ tiô de Achillea & Nestoralba jam ca-
„ ptis in castra redit. Corneoburgen-
„ ses verò neque auxiliis neque com-
„ meatu sublevati, ne ad extremum fa-
„ me perirent, deditionem fecêre. „
[2.] Hæc Gerardus, unde jam patet ea, quam anno priori ex literis ad Abbatem perscriptam retuli, expeditio, quæ ad liberandum Corneoburgum à Matthia obsessum, in Austriam deducta fuit. Turcæ autem rursum in Croatiam, Carinthiam, Carniolam septem millibus equitum irruperunt, magna damna facientes; unde Cæsar in illos ducturus credebatur: verùm Turca in reditu per Croatiam à regulis illius regni ad internecionem usque deletus est, liberatis decem millibus captivis, magnáque prædâ receptâ. Quare in Matthiam Cæsar conversus ipsum de Austria sua expellere nitebatur: verùm pugnâ infaustâ victoriam Matthiæ cessit. [3.]

Interea tamen cum provincialibus Austriæ egit Fridericus, ut contra hostem suum conferrent auxilium, quare in eodem negotio Wolfgangus Abbas ad Cæsarem nomine suo ablegavit F. Thomam Capellanum Sacerdotem Monachum in Zwetl Professum suum, ut referret, quid à cæteris provincialibus ea in re concluderetur, quid Cæsar in hostis propulsionem decerneret. Datæ in Monasterio Zwetl annô Domini 1484. 24. Septembris. [4.] Interea Conradus Circkendorfius arcis Weitracensis Præfectus ab Abbate accipit mandatum Cæsareum, quo fortè Cæsar, ut conscriptis militibus in districtum suum hostem irrumpere non pateretur, adhortatus eum fuerat, nam præfatus Conradus scribit se Regias literas cum reverentia accepisse, velle se feriâ sextâ vel Sabbatô proximô ad Monasterium venire, licèt viribus planè destitutus sit, consiliô tamen Abbatis uti se cupere & desiderare. Datæ sunt hæ literæ in Weitra annô Domini 1484. feriâ sextâ post Michaëlis. [5.] Mandatum igitur Cæsareum Weitracenses effectui daturi, censum omnibus in districtu suo habitantibus colonis pro conscribendo milite indixerunt, unde quoque Monasterii colonos eodem aggravabant, quibus ea super re conquestus Abbas cùm à Weitracensibus nihil impetrare posset, eos apud Imperatorem detulit, unde Fridericus Cæsar Sigismundo Junghern Officiali suo in Weitra mandat, quatenus colonos Monasterii in Zwetl ampliùs non gravet. Datum Græcii annô Domini 1484. Dominicâ post Dionysii, annô verò Imperii sui quadragesimô tertiô. [6.] Mandat præterea Cæsar Nobilibus Viris Heinrico Prüeschenck Libero Baroni in Sterenberg & de Sermyngstain Consiliario suo, & Casparo de Rogendorf Camerario & in Ips Castellano suo, quatenus ab Abbate in Zwetl pro tempore tantùm centum denariorum libras accipiant, reliquas dimittant, usque ad alterum mandatum suum. Datum locô, annô, & die ùt suprà.

suprà. [7.] Hæc pecunia pro scribendo milite contra hostes porrigebatur locò censûs, verùm hostes nihilominus Austriam occupârunt. Demum post adversam pugnam juxta Corneoburgum factam, ut obsessos liberaret & cladem suorum ulcisceretur, Fridericus Imperator provinciales rursum Austriæ Inferioris publicô edictô convocat Crembsium, ut illuc vel arma adferant, vel armati compareant, vel pedites equitésque mittant, ut Corneoburgum ab hostibus obsessum liberari possit. Datum in Lintz annô Domini 1484. Sabbatô post Ursulæ. [8.] Neque hac vice quisquam in armis comparuit, unde tandem fame coacta civitas Corneoburgensis se dedidit Regi Matthiæ.

Convocatis igitur provincialibus in Crembsium & nemine comparente, Georgius de Egckharzaw magni apud Cæsarem nominis literis suis Abbatem Wolfgangum monet, quatenus ipse primus Cæsarem, qui jam in Austriam Superiorem venisse fertur, adeat, & de singulis suis gravaminibus, atque adeo totius provinciæ calamitatibus eundem certiorem faciat, ne per moram immorigeram à Cæsare aliquâ, pulsis nebulis & sole redeunte, inobedientiâ notari aut ipsi ascribi possit. Datum Meissaw annô Domini 1484. in vigilia Simonis & Judæ. [9.]

Porro sequuntur quædam nova à Cellerario de Sancto Bernardo domum nuntiata, utrum autem de Cæsaris milite, aut de Ungaro loquatur, perspicuum non est. Scribit autem Abbati Wolfgango in Zwetl, quòd in S. Bernardo fuerit, ubi quam primùm Abbatissam cum Grunnawer contulisse ait de faciendis homagiis, cujus sicut & Abbatis Altenburgensis tunc præsentis consilium erat, ne homagium præstaremus, quia fidem homagiatores non servant. Ipsis autem ita consultantibus Vitus Puechaimius de Horn per velitem suum Abbatem Altenburgensem & in S. Bernardo Abbatissam moneri curat, ut suis rebus disponant, hostes enim cum quibus pacem constituerat, oppidum suum Gelestorf Sabbatô vesperi insultibus vehementer oppugnâsse, sed tamen binis vicibus à munimentis repulsos, tertio insultu illud expugnâsse, omnia ipsorum bona pretiosiora nimirum in currus sex collegisse, & septuaginta florenos pro redimendis laribus extorquentes abiisse; quæ eum valde perturbâsse nuntiat. [10.] Modus autem homagiandi illorum talis est: Omnes villæ conscribi debent, quas homagiant, pecuniam recipientes, quòd neque vinculis, neque flammis nocere velint; & ne aliquis sub eorum homagio constitutus ulli civitati quicquam de commeatu afferat: quos verò transgressores harum conditionum offendunt, hos capiunt, æstimant, & acceptâ pecuniâ homagiô suô excludunt. Significat porro Altenburgi Abbatem omnia sua pretiosa ad arcem Rosenbergensem vicinam servanda adduxisse & dedisse. Idem se cum Confessore Monialium conatum fuisse persuadere Abbatissæ memoratæ, sed eam ad hæc tardiorem inveniri: unde subornat Abbatem in Zwetl suum, ut ipse per literas suas ipsam compellat, ut ad loca tuta cum clenodiis Monasterii sui confugiat. Datum festinanter anno Domini 1484. Dominicâ Palmarum. [11.]

Nuntiat item Wolfgango Abbati in Zwetl F. Colomannus Magister curiæ in Rasing juxta Pulka, quòd puer dicti Grunnawer nomine Erhardus de Stockeraw rediêrit cum tali relatione, quòd hostes (*quos Daynger vocat*) qui Neoburgum obsidebant, carrorum suorum munitionem contra Danubium moverint, vel si fortè munimentum ante Neoburgum præsidiô muniissent, scribit, se non omnino exploratùm habere, Vitus tamen Puechaimius plura Abbatissæ in S. Bernardo retulisse de hostibus narratur, nimirum ea, quæ suprà retuli. Datum annô Domini 1484. feriâ quartâ ante festum S. Bernardi. [12.]

Porro

Porro cùm Austria undique tumultu indies streperet, quietis & pacis amans Sigismundus Lacher Plebanus Ecclesiæ S. Leonardi in Schöenaw prope Weitra, eandem Parochiam Monasterio Zwetlensi resignavit propter Austriæ Ducatûs patriæ turbationem suámque salutem, rogavítque, & D. Wolfgango Abbati in Zwetl commendavit Joannem Staindel Presbyterum Passaviensis Diœcesis in Vicarium ibidem perpetuum instituendum cum pensionis aliorúmque Parochiæ onerum reservatione Monasterio semper libera. Acta sunt hæc in Monasterio Zwetl in Stuba Abbatiali per Notarium Publicum Wolfgangum Toplar de Kirichperg super Wagran, annô Domini 1484. 17. Martii, annô Sixti Papæ IV. quartô decimô, præsentibus Wolfgango Scherntatzel Plebano in Sweickers, Michaële Rauscher tunc sæpè dicti Monasterii Judice curiæ, aliàs Magistro possessionum, Andrea Atzenpeckh, Martino Heltzl, Hermanno Rastenvelder, Stephano Pecham clientulis & servitoribus ibidem, Presbytero & Laicis testibus. [13.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Sixto IV. & Innocentio VIII.

Spondanus ad hunc annum n. 2. „ Sixtus, sive domesticô contra Columnenses bellô, quos occasione Ursinorum adversarios patiebatur, fatigatus; seu animi dolore, quòd præter ejus voluntatem, immò se neglecto & inscio, Veneti jam pene contusi Bellô Ferraricô, fractísque præliis, pacem à sociis obtinuissent: podagra insuper aggravante, qua ultimis annis maximè laboravit, in graviorem morbum incidens: accedente (ùt quidam volunt) apoplexia, obiit in Palatio Vaticano Idibus Augusti, annô ætatis septuagesimô, die vigesimo secundo, horâ duodecimâ, (ùt in ejus Epitaphio legitur) Pontificatûs annô decimô tertiô, die quinto. Corpus gutture inflatum, ad Basilicam S. Petri deductum cum viginti tantummodo faculis, atque aurea planeta lacerata, æreô monumentô conditum est, quod in Sacello à se constructo Julianus Cardinalis S. Petri ad Vincula fratris filius, structuræ elegantiâ inter cetera urbis ornamenta in primis conspicuum, faciendum curavit.

N. 5. „ Mortuô Sixtô post Novemdialia, septimô Calendas Septembris Cardinales viginti quinque conclave ingressi; Juliano Ruvereo Episcopo Ostiensi, & Roderico Borgia Cancellario maximè annitentibus; ex Presbytero Cardinale tituli S. Laurentii in Lucina à Sixto facto, (Melfitensi tamen vulgò dicto ob Episcopatum ejus urbis olim acceptum) creatus est Pontifex Joannes Baptista Cybo ex nobili familia Genuensi ortum ex Græcia trahente: filius Aaronis Equestris Ordinis viri, & virtute militari clari, quísque & Vicariatum urbis Neapolis pro Regibus Renato & Alfonso gessit, & Romanæ urbis amplissimam Senatoriam dignitatem laudabiliter exercuit. Ipse verò Joannes, cùm primò inter Alfonsi Regis Neapolitani, deinde ejus filii ministros egisset, posteáque Romæ longo tempore in contubernio Philippi Calandrini Cardinalis Bononiensis, fratris Nicolai V. Pontificis, commoratus fuisset; per diversarum dignitatum optimè obitarum gradus ad Cardinalatum, ac nonnullis legationibus dignissimè in eo gestis demum ad Pontificatum pervenit; formâ egregiâ & liberali, staturâ procerâ, humanitate & mansuetudine insignis; parcior tamen de more gentis, præterquam in pauperes & afflictos. Renunciatus est autem Pontifex die Dominica 4. Calendas Septembris: Et accepto nomine Innocentii ejus nominis VIII. in recordationem Innocentii IV. æquè Genuensis; ac sententiâ sive symbolô: *Ego in innocentia mea ingressus sum*; coronatus est pridie Idus Septembris, annum agens ætatis unum & quinquagesimum. „

[2.] Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 9. in fine.

Fuggerus lib. 5. cap. 31.

[3.] Megizerus in Annal. Carinth. lib. 10. c. 32. in fine.

[4.] Ex literis testimonialibus.

[5.] Ex literarum monumentis.

[6. 7. 8.] Ex mandato Cæsareo.

[9. 10. 11. 12.] Ex literarum monumentis.

[13.] Ex instrumento ipsius in Originali.

An. Christi MCCCCLXXXV. Monast. CCCXLVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius VIII.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Fridericus I.	Wolfgangus I.

„ IN Epiphania anni 1485. Pontifica-
„ tûs primi, Innocentius VIII. Pon-
„ tifex Max. inter Sanctos Confessores
„ retulit Leopoldum IV. cognomentô
„ Pium, VI. Marchionem Austriæ, qui
„ vitâ functus fuerat annô 1136. Qui ob
„ vitæ sanctissimè actæ miraculorúm-
„ que gloriæ claritatem dignus est ha-
„ bitus consortiô Sanctorum: suppli-
„ cantibus & instantibus Friderico III.
„ & Maximiliano I. Impp. „ *[1.] Hæc Ciaconius. Sed quædam occurrunt circa nomina Austriacorum hìc annotanda: vocat enim Author hic Leopoldum cononizatum IV. ejus nominis secundùm Genealogiam Babenbergicorum in Austria Principum, in hoc secutus Cuspinianum, qui à Leopoldo Illustri suam Austriam auspicatur, primum illum ejusdem nominis & stemmatis constituens Marchionem, verùm ego alios authores in genealogia Babenbergicorum secutus alium Leopoldum Illustri præmisi, eóque mortuô fratrem Albertum in Marchionatu successisse, ac tandem hujus filium Leopoldum Illustrem, neque primum ejus nominis, sed secundum; neque primum, sed tertium Marchionem Marchiam ùt hæredem acceptâsse retuli, de quibus fusiùs in Apparatu meo hac de re tractavi, quo cupidum Lectorem remitto. Igitur si numerum Leopoldorum inibimus, inveniemus D. Leopoldum V. non IV. esse. Leopoldus enim primus erat, qui sinè liberis obiens Marchiam reliquit Alberto fratri. Leopoldus II. cognomentô Illustris. Leopoldus III. cognomine Fortis seu etiam Fulmen belli, quod nomen à devictis Ungaris reportavit. Leopoldus IV. Pulcher, & Leopoldus V. Pius, Pulchri modò dicti filius, qui ab Innocentio Papa VIII. in numerum Sanctorum relatus dicitur. Præterea Ciaconius citatus vocat D. Leopoldum sextum Austriæ Marchionem, quod etiam non subsistit: nam Marchio primus erat Leopoldus I. qui eam ab Henrico Aucupe Imperatore suscepit, qui non diu supervivens eandem fratri suo Alberto reliquit, unde secundus Marchio: hic quoque post brevem vitam Marchiam filio suo Leopoldo II. Illustri hæreditariam dedit, unde hic tertius Marchio: Quartus erat hujus Leopoldi filius Henricus I. cognomentô Rebellis. Hujus filius Albertus II. Victoriosus dictus, quintus erat Marchio: Sextus autem Marchio Ernestus Strenuus nominatus, qui Patri in Marchionatu successit. Septimus Marchio Leopoldus IV. Pulcher, Ernesti præfati filius, ac tandem octavus Leopoldus V. Pius; igitur hic Leopoldus, qui inter Sanctos relatus est, non VI. sed VIII. Marchio Austriæ erit. Deinde Fridericum Imperatorem de Domo Habspurgica Austriacum nominat Cæsarem ejus nominis III. quod inde procedit, quia Fridericum cognomine Pulchrum ex eadem Domo progenitum è catalogo Imperatorum nonnullos Scriptores secutus delevit. Verùm licèt Pulcher cum Ludovico Bavaro in schismate Cæsar electus fuerit, electio hìc examinanda foret, sed eandem pluribus suô locô demonstravi veram ex parte Friderici, falsam autem ex parte Ludovici stare; unde verus Cæsar Fridericus, non Ludovicus erat, quare etiam post adversum prælium & captivitatem Austriaco Bavarus Imperium contulit, eúmque in collegam Imperii suscipiens Fratrem appellavit: atque ita usque ad mor-

mortem Imperator Romanorum permansit, igitur è catalogo Cæsarum mihi excludendus non videtur. Quare Fridericus cognomentô Pacificus non III. sed IV. erit: nam primus ex Cæsaribus germanis Fridericus cognominabatur Barbarossa seu Ænobarbus. Fridericus II. erat simul Rex Siciliæ & Hierosolymorũ. Fridericus III. cognomine Pulcher cum Ludovico Bavaro in schismate Cæsar electus: & tandem Fridericus IV. Pacificus dictus, Austriacus, quo sollicitante unà cum filio Maximiliano, Leopoldus V. Marchio VIII. in numerum Sanctorum Confessorum inscriptus fuit. Atque hæc fusiùs quàm volebam de Austriacorum nominibus. Instantiam autem pro hoc Sancto apud Sedem Apostolicam fecerunt plurimi Austriacorum, inter quos etiam Abbas fuit Zwetlensis, non tamen nomen Wolfgangi reperitur, sed Joannis ejus nominis IV. cognomentô Waltpeckh, & hoc ante plures annos. Et hæc de Divi Leopoldi canonizatione sufficiant.

Ceterùm de Austria sic Gerardus scribit: „ Annô ejus Sæculi octogesimô „ quintô Matthias Ungariæ Rex Au- „ striam ingressus Viennam ipsam arcta „ obsidione cinctam cùm expugnatu „ difficilem esse videret, fame ad dedi- „ tionem adigere statuit. Igitur ne „ commeatus alicunde inferretur, om- „ nes viarum aditus interclusit, futu- „ rum sperans, utì ea quæ antè conve- „ cta erant, ab ingenti hominum mul- „ titudine brevì absumerentur. Inde „ cum Prætorianorum exercitu castris „ egressus, dum Eberstorfium capere „ animô destinat, vitæ periculum pro- „ pè adiît. Dum enim in humili quo- „ dam tugurio cum familiaribus accum- „ bit, ferreus globus ex oppido emis- „ sus perrupto pariete proximè ipsum „ decidit. Hinc animô jam commo- „ tior oppidum summa vi aggressus ca- „ pit, ac victor in castra revertitur. „ [2.] Et post unum aut alterum folium sic rem Gerardus prosequitur: „ Per „ eosdem dies in Austria Matthias Rex „ Viennam semestri obsidione cinctam „ acerrimè oppugnabat. In urbe ma- „ gna commeatuum inopia erat, neque „ ab equina, nec à fœdiorum animan- „ tium carne abstinebatur. Itaque fa- „ me coacti Calendis Junii deditionem „ fecêre Cæsariani, & Matthias potiori „ parte Austriæ unà cum urbe Vienna „ potitus est. Mox victoriam prose- „ cutus Rhetium, Egemburgum, & alia „ quædam loca in potestatem suam re- „ degit. Tandem & Neapolim post „ septem mensium obsidionem fame „ ad deditionem compellit. Frideri- „ cus verò cum octingentis equitibus „ Austriâ excesserat, Germaniæ Princi- „ pum auxilia operiens, & fortunam „ suam animô non nimis iniquô ferens. „ Unde hæc verba symboli locò passim „ usurpâsse ipsum referunt: Summa „ felicitas est rerum irrecuperabilium „ oblivio. „ [3.] Hæc Gerardus: de Vienna obsessa & capta sic quoque Catalogus Rectorum Viennensium loquitur: „ Vigesimâ tertiâ Januarii secun- „ dò obsessa est Vienna à Rege Matthia: „ in qua obsidione tanta fuit penuria, „ ut modius farinæ venderetur 107. „ floren. Deditio autem urbis facta „ est Matthiæ 2. Junii. „ [4.] Hæc ex Catalogo, unde patet Austriam nobilem terram tunc sub jugum Ungaricum venisse integram, præter Cremb- sium & nonnulla alia sed perpauca loca, in quibus fides Habspurgicis data constanter servabatur.

Porro captâ Viennâ & omnibus ferè Austriacis ad Regem declinantibus Fridericus Cæsar Lincii morabatur, qui „ scribens Abbati in Zwetl eundem ad- „ monet, ne cedat Regis Ungariæ ma- „ chinis, neque illi se subjiciat, sed vi- „ riliter pro Domo Austriaca se cum „ ceteris ejus fidelibus opponat. Pro- „ mittit Cæsar se non defuturum auxi- „ liô, atque ait jam properare ad co- „ mitia Principum cogenda, qui con- „ tra suos hostes auxilium spopondêre,

„ ac etiam filium Regem velle manu mi-
„ litum fortiori instruere. Datum Lin-
„ cii annô Domini 1485. feriâ quartâ
„ ante Corporis Christi, annô verò
„ Imperii sui quadragesimô quartô. „
[5.] Filium Regem intelligit Maximilianum Belgarum Principem & Burgundiæ Ducem, quem ideo Regem nominat, quia cùm Fridericum ætas & curæ Imperii quotidiè enervarent, Principibus Electoribus potestatem dedit novum eligendi Romanorum Regem, qui in negotiis Imperii sibi collega foret, ipsis verò in unum Maximilianum prædictum convenientibus, filius Cæsaris Rex Romanorum electus est, & anno sequenti coronatus: licèt Gerardus electionem ejusdem conjiciat in tertium Calendas Martii anni sequentis Francofurti habitam, attamen Fridericus Pater in hoc suo mandato modò citato filium suum appellare Regem non potuisset, aliud enim regnum ante Romanum non habuit. Deinde etiam apparet è mandato Cæsareo, Austriacos non omnes à Friderico discessisse. Post aliquot septimanas Sigismundus I. Friderici senioris filius, Cæsaris Friderici patruelis, Tyrolensium Princeps in hunc sensum quoque Abbati in Zwetl scripsit: „ quatenus perceperit
„ Regis Ungariæ in Austriam Domum
„ suam hæreditariam intentum, & ma-
„ chinamenta, & cogitaverit militem
„ mittere in præsidium civitatum Au-
„ striacarum; præterea intellexisse se
„ nuntiat Cæsarem Crembsii conven-
„ tum Austriæ Procerum decrevisse, ad
„ quem etiam suos Consiliarios ablegare
„ proposuit: quare Abbatem etiam ad
„ dictum conventum, & in cunctis Cæ-
„ sari ad obediendum invitat, neque
„ tam facilè alicui contra se aut Cæsa-
„ rem ipse sese dedat, sed fortiter cum
„ aliis repugnet & resistat. Datum
„ Oeniponti annô Domini 1485. feriâ
„ sextâ post Ulrici, vel septimâ Julii. „
[6.] Hucusque mandata Cæsaris & Principis Tyrolis, quæ sub eodem sensu non tantùm Abbati, verùm etiam mutatis mutandis aliis Austriæ Proceribus transmissa videntur; quia, si tantùm Abbati Zwetlensi fuissent ita à Principibus præfatis tradi jussa, ridiculum esset, ut unicum Monasterium etiam adjunctis sibi vicinis Nobilibus tanto hosti, tam potenti, tam bellicoso debuisset se opposuisse, cùm integræ civitates anteà magis populosæ, magis bellaces, imo ipse Cæsar resistere Ungaris non valuêre. A Lazio quidem Zwetla oppidum metropolis Norticæ silvæ & Bojorum regni nuncupatur, verùm tantæ ipsi vires nunquam fuerunt, ut à prædictis locis hostem minùs potentem quàm Matthiam arcere valeat, licèt nonnullis munimentis & castris loci naturâ munitis sit quasi turribus vallata.

Matthias porro Ungariæ Rex utì bellicosus Princeps capta Austriæ Metropoli non quiescebat, donec Austriam universam suo regno adjiceret, unde ad festum Joannis Baptistæ Viennam omnes Austriæ status convocavit ad comitia ineunda, in quibus de censibus Regi porrigendis agebatur, utique etiam fidei Sacramentum præstare ipsi debuerunt. Convenientibus igitur provincialibus Viennæ dictam ad diem & inter sese consulentibus Matthias Rex Ungariæ & Bohemiæ à quatuor Austriæ Inferioris statibus rogatur, quatenus novas auctiones & census insuetos aufferat, nè provincia antè devastata penitùs destruatur, & in desolationem terra abeat, qui ad supplicationes ipsorum protinus terminum sex hebdomadarum spatiô conclusum illis concessit, quo Austriæ Proceres consilia ineant secúmque concludant ad census sibi porrigendos. Datum à Rege diploma Viennæ annô Domini 1485. in vigilia Petri & Pauli Apostolorum, annô verò regnorum suorum Ungarici quidem vigesimô quintô, Bohemici autem decimô septimô. [7.] Hæ Ungari actiones causam dederunt mandatis postremis duobus suprà allatis à Principibus Austriacis ad Abbatem Zwetlensem

lensem aliósque provinciales dirigendis, ut in fide confirmarentur.

Castrum Belli-montense vulgò Schöenberg, occupârunt Bohemi Matthiæ addicti, qui tandem susceptô Ungarorum præsidiô illud hucusque possederunt, finitimis magnum homagiis suis damnum inferentibus. Sic quoque colonos Monasterii homagiis suis subdiderunt, ita tamen ut neque ipsos spoliis, incendiis, aut vinculis ultrò molestarent; verumtamen à spoliis non abstinuerunt. Unde Wolfgangus Abbas in Zwetl Nicolao Stedlitz & Petro Pogen in Schöenberg scribit, quatenus equos septem colonis Monasterii in homagium & fidem à se susceptis raptos restitui curent, qui respondent eidem, si mille rapti fuissent, nec unum quidem eorum ipsis restitui curare se velle, quoniam dolosè censum dictum Auffschlag Regiæ Majestati suæ deputatum coloni spoliati prætériêrint. Datum in Schönberg annô Domini 1485. post Exaltationem S. Crucis feriâ sextâ, nimirum, 15. Septembris. [8.]

Dum hæc in Austria geruntur, interea obiit in oppido Bavarico Branaw ad Oenum sito Fridericus I. Episcopus Pataviensis hoc anno, tertiô Calendas Decembris, Quo defuncto, anno primò sequenti alter substitutus fuit, utì vult Hundius. [9.] Sed patebit ex subjiciendis, Fridericum II. Comitem Oetingensem ex Riœsa, quæ Sueviæ particula est, natum, Guillelmi Comitis ex Beatrice Veronensi Scaligera filium, hoc adhuc anno electum fuisse Episcopum Pataviensem, & Fridericum I. non Novembri mense, sed ante Septembrem mortuum fuisse. Sic enim Officialis Pataviensis titulum suum format: Michaël Lochmayr, Artium, SS. Theologiæ & Decretorum Doctor, Canonicus Ecclesiæ, & Curiæ Pataviensis in Wienna Officialis per D. Fridericum electum & confirmatum Pataviensem Episcopum ad hoc specialiter Commissarius deputatus, &c. Datum Viennæ, annô Domini 1485. 22. Septembris. [10.] Quo mense jam electus & à Pontifice confirmatus fuisse legitur.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius sub Innocentio VIII. Item vita S. Leopoldi à Balthasare Poltzmanno Claustro-Neoburgensi Præposito edita. Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Annô „ Christi millesimô quadringentesimô octo„ gesimô quintô, Indictione tertia, Inno„ centius Pontifex, octavô Idus Januarii ipso „ sacro die Epiphaniæ, Leopoldum, olim Au„ striæ Principem, Pium Marchionem cogno„ mentô appellatum, annô Domini 1136. vitâ „ functum, & innumeris miraculis clarum, „ Friderici Imperatoris & Principum Germa„ niæ precibus inter Sanctos retulit; statuens „ festum ejus die decimo septimo Calendas „ Decembris. De cujus laudibus & miracu„ lis est apud Surium oratio egregia Francisci „ Patavi. Atque in ejus fine fit insuper men„ tio alterius libri de ejusdem miraculis & „ canonizatione per Joannem Franciscum de „ Pavinis conscripti. „

Item Bzovius Tom. 18. ad hunc annum n. 14. ubi ad literam producit diploma canonizationis.

[2. & 3.] Gerardus de Roó lib. 10. Lazius in Genealog. Austr. lib. 2. suprà ad ann. 1481. sub n. 1. relatus. Fuggerus ubi suprà ad ann. præcedentem.

[4.] Georgius Ederus in Catalogo suo Rectorum Viennensium ad annum præced.

[5.] E Mandato Cæsareo.

[6.] E Mandato Principis Sigismundi.

[7. & 8.] E literarum monumentis.

[9.] Hundius in Metropoli sua sub Episcopis Pataviens. in Udalrico III. & Friderico II.

[10.] Ex Autographo ipsius.

An. Christi MCCCCLXXXVI. Monast. CCCXLVIII.

Pont. Rom. Innocentius VIII. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis Fridericus II. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus I.

CUm Principes Imperii Cæsar Francofurtum convocâsset Annô Salutis humanæ MCCCCLXXXVI. 16. die Februarii, unanimi Principum consensu Maximilianus Romanorum Rex eligitur, ac postea reversus in Flandriam se adornavit ad futuram coronationem, publicô gaudiô à suis exceptus. Dehinc cum mille quingentis electissimis & ornatissimis equitibus rediît coronam accepturus. Ubi pater Fridericus filio non sine ingenti lætitia occurrit, eúmque paternè amplexatur. Ac simul urbem ingressi, mox Aquisgrani honorificè inunctus coronatur. * [1.] Hæc Cuspinianus & Gerardus referunt, hos sequitur Megizerus & Heuterus, [2.] sed utì anno priori è mandato Cæsareo Friderici demonstravi, jam Rex illo anno Romanorum electus fuerat Maximilianus, igitur non electio, sed coronatio hoc anno transacta est. Piespordius quoque cum suprà citatis sentire videtur, verùm declaratum Francofurti tantùm fuisse Regem Romanorum non electum scribit, [3.] quod vocabulum Gerardus pro electione posuit, aliud enim est eligi, aliud electum declarari, sicut aliud est electum declaratum coronari.

Peracta Francofurti electione solenni Maximilianus Rex protinus animum ad recuperandam Austriam adjecit, ideóque Austriacis mandatum suum dirigit sub tali stylo: „ Maximilianus Romanorum Rex semper Augustus, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ, Comes Flandriæ & Tyrolis &c. mandamus vobis nostri Archi-Ducatûs Austriæ Inferioris Prælatis, Comitibus, Prioribus, Baronibus, Nobilibus, aliísque nostris fidelibus, nec non civium Rectoribus, Judicibus, Præfectis &c. in quo mandato refert sibi patríque Cæsari in comitiis Imperialibus Francofurti celebratis à Principibus robustum exercitum promissum fuisse, quem contra Regem Ungariæ educturum se ait, ut nimirum Matthiam de civitatibus, castris, castellis, aliísque Austriæ locis & angulis ejiciat. Jubet itaque ùt Princeps & Dominus legitimus, atque etiam rogat omnes & singulos provinciales dictæ Austriæ, quatenus & ipsi arma sua expediant, misso ex Imperio militi se conjungant, eíque commeatu aliísque vitæ & belli necessariis subveniant, séque tandem post coronationem suam, ad quam more solito peragendam ait jam se cum patre Cæsare iter suum Aquisgranum versùs instituisse in Austriam ipsis auxiliô venientem exspectent. Datum Francofurti, annô Domini 1486. feriâ 2. in Paschate, annô regni sui Romani primô. „ [4.]

Hæc Regia diplomata cùm ad manus Matthiæ venissent, nihil aliud apud intemperatum militem effecerunt, nisi ut eò citiùs quàm sibi opportuniùs omnes Austriæ regulos, civitates, Monasteria, castra, & oppida subjiceret, unámque Austriam contra Maximilianum posset opponere murum, licèt Austriæ limite solo contentus non fuisset. Quapropter in obsidione Egenburgæ juxta Pulka oppidum sitæ constitutus ulteriùs semper processit, militem suum in reliquam Austriam universam emittens occupandam. Misit igitur etiam Abbati in Zwetl diploma suum tali cum titulo: „ Nos Matthias D. G. Rex Ungariæ & Bohemiæ, &c. in quo mandat eidem, „ qua-

„ quatenus militem suum in Monasterii „ sui tutelam & præsidium suscipiat, „ & hoc, ait, se jam anteà illi significâsse: monet igitur ipsum altera vice, „ & jubet, ut Capitaneum suum Nicolaum Spanobsky, quem illis in partibus cum commilitio nomine suo „ regnare commisit, intra Claustrum „ pro præsidio intromittat. Datum in „ Campo ante Egenburgam, annô Domini 1486. feriâ tertiâ post Martini, „ annô autem regnorum suorum Ungarici vigesimô sextô, & Bohemici „ decimô octavô. „ [5.] Atque ita Monasterium milite hostium complectum, Abbate nullum in promptu auxilium habente, atque ad resistendum non potente in manus Ungarorum devenit, qui illud, sicut Abbas Wolfgangus tunc vivus & præsens scribit, ducentis viris ad annos penè tres tenuerunt. [6.] Hinc continuæ gravésque exactiones, sacrorum turbationes, & flebilis undique status, uti ex variis literis constat. [7.8.]

Quia non tantùm Monasterium Zwetlense Ungari in suam receperant, verùm etiam castella circumcirca aut deditione, aut vi, aut proditione occupârunt; „ unde Nicolaus Spanobsky Zwetlensis Monasterii Capitaneus Ungarus, & Wilhelmus Tetauerus quendam suorum famulorum „ Thomam nomine ad Abbatem miserunt, ut ipsi quæcunque nomine suo „ referret, fidem habeat. Datum „ Alentsteig, annô Domini 1486. feriâ „ 5. ante Conceptionem B. Virginis Mariæ. „ [9.] Sic quoque Ungari Alentsteig castrum occupârunt.

„ Præterea Nicolaus Zwittar Regius Burggravius & Homagiator in „ Grätzen scribit nobili Viro Petro Pogen Regio etiam Homagiatori in Grätzen & Schöenberg, quatenus se certiorem faciat de civibus Zwetlensibus, quem Dominum, Regémne „ Ungariæ aut Cæsarem agnoscant, cujus homagio addicti sint, cujus partes sequantur: milites enim sui equos „ ipsis rapuerunt, pro quibus reddendis „ Abbas in Zwetl intercesserat. Datum „ in Grätzen annô Domini 1486. feriâ „ 2. ante Inventionem S. Crucis, nimirum 2. Maji. „ [10.] Ex his literis colligitur, Ungaros etiam in Bohemiam usque devenisse, siquidem in Gracio Bohemico resederint, tali autem deditione civitas dicta in hostium manus devenit, sicut hoc ex anno præcedenti patet apud Strunonem, qui sic loquitur: „ Annô 1485. scripsit Fridericus Imperator Regi Bohemiæ Vladislao, quòd Udalricus de Graveneck „ castrum & civitatem in Grätzen, quæ „ ipse ab N. de Rosenberg locò pignoris tenuit, hostibus suis (*Ungaris nimirum*) tradiderit, qui tentant in Ducatum suum Austriæ supra Anasum „ excurrere illúmque devastare, rogat „ igitur, curet Rex, ut à prædicto castro & civitate provincia sua nullum „ detrimentum capiat, neque oppugnetur. Datum in Wyspaden feriâ 2. „ post Nicolai annô Domini 1485. „ [11.] Itaque ab illo tempore Ungari dictum castrum cum civitate potenter tenuerunt, & non tantùm in Superiorem, sed quoque in Inferiorem Austriam excurrerunt.

Demum cùm per Austriam omnia bellô ferverent, qui aliquarum opum erant tam Ecclesiastici, quàm politici, singuli pro sui defensione milites conscribebant, & castra, oppida, civitates, pagos, curias, domus suas præsidiis muniebant contra subitos prædonum quorumcunque incursus, nisi vis aliud suaderet; hinc etiam Zwetlense Monasterium ita sibi ante Ungarorum irruptionem providerat, sed frustrà.

ADDITIONES.

* [1.] Cuſpinianus in Cæſarib. ſub Maximiliano I.

De Roô lib. 10. „ Fridericus cum ſeptemviris Imperii Electoribus, de filio in Regem Romanorum eligendo, conſilia agitabat. Eam rem impedire pro virili conabantur Gallorum Legati, multis & donis & promiſſis, animos Principum oppugnantes. Maximilianus verò, dexteritate quadam & gratia effecit, uti literæ, ad pleroſque ea de re, juſſu Regis, perſcriptæ, ſibi traderentur, quas Virodunenſi Præſuli, legationis Principi, multa excuſanti, oſtendit: qua re turbatus ille, & attonitus, nihil ulteriùs movit. Itaque ab omnibus ſimul Electoribus, Maximilianus conſors Imperii declaratus, & in æde ſumma D. Bartholomæi, receptô titulô, Romanorum Rex proclamatus eſt, ad decimum tertium Calendas Martii. Sunt qui Fridericum, renunciata filii electione, largiter illachrimâſſe, affirmant. Id variè pro ſuo quiſque judicio interpretabantur. „

Nauclerus Generatione 50. „ Annô 1486. die 20. menſis Januarii Maximilianus Auſtriæ Archi-Dux, cum genitore Friderico Rom. Imp. Francofordiam urbem ingreſſus, exin 16. die Februarii peractô officiô divinô in Baſilica S. Bartholomæi, Electores Rom. Imperii, obſervatô ordine Bullæ aureæ felici auſpicio Maximilianum in Regem Romanorum elegerunt: poſtea verò eodem anno, die X. menſis Aprilis, in civitate Aquenſi cum ingenti pompa coronâ Caroli Magni, ex archivis Norinbergenſibus allatâ, coronatus eſt, vir ſumma virtute, rei militaris ſcientiâ inſignis, in quo relucebat juſtitiæ fervor ac zelus, ſingularis benignitas atque clementia, cum vitæ ac morum obſervantia, quibus Regiis virtutibus ornatus, ex Regia domo nulla ex parte Majorum ſuorum laudibus inferior evaſit. Eodem anno menſe Martio Fridericus Imperator aſſiſtente Maximiliano Rege, Principibus atque communitatibus ſacri Imperii, eorúmque miſſis conſentientibus, legem tulit de pace tenenda per integrum decennium, qua mandavit univerſis & ſingulis ſacro Imperio ſubjectis, ut pacem invicem ſervarent, nemo alterum in perſona aut rebus offenderet viâ facti. Et quòd contrarium facientes, cujuſcunque gradûs, ſtatûs aut præeminentiæ eſſent, cum ſibi adhærentibus, conſilium, auxilium, aut favorem præſtantibus, ipſo jure & facto bannum Imperiale incurrerent: ita ut poſſent nulla præmiſſa declaratione, in perſonis ſuis & rebus impunè offendi à quocunque tanquam violatores pacis promulgatæ, non obſtantibus quo ad præmiſſa quibuſcunque conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, ligis aut ſocietatibus, juramentô vel quacunque confirmatione roboratis. Hæc pax poſtquam publicata fuit per Imperium, à multis extitit recepta, & præſertim à Suevis, qui ſequenti anno ad mandatum Imperatoriæ Majeſtatis in ſocietatem vigore pacis hujuſmodi coiêrunt, ligámque fecerunt de pace illa invicem conſervanda, & quòd mutuis auxiliis & conſiliis contra quoslibet violatores hujuſmodi pacis ſeſe defenderent ac manutenerent, non obſtantibus omnibus his quæ Princeps ipſe voluit non obſtare. Unde formidabiles facti ſunt vicinis ſuis in tantum, ut ad eorum ligam nonnulli potentiſſimi Principes venerint, & ſocietatem virtute pacis decennalis cum eis iniêrint, qui etiam hac liga freti, ſatis remanſerunt quieti. „

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Krantzius ait indixiſſe anteà Imperatorem Principibus Electoribus ibidem Francofordiæ conventum, ut de Rege novo conſtitueretur: mutâſſe quippe jam ſententiam, qui ſuperioribus annis ea de re à Principibus interpellatus reſponderat, filium ſe ſuum propiùs agnoſcere, ſciréque non eſſe rebus gerendis idoneum. Id ſive ex ſententia diceret, ſive ſimulatione proferret, ſive etiam magnum onus adminiſtrandi Imperii eviſcerati filio averteret, incertum eſſe; potuiſſe tamen illum ad mutandam ſententiam inflectere & maturiorem ætatem filii, & recentes de Francis ac Flandris, ſinè paternis armis, ſine amicorum ope partas victorias. Igitur cunctis annuentibus Rex creatus Maximilianus, inde Aquisgranum deductus eſt; ac nonâ Aprilis (ùt in Actis coronationis habetur, quæ erat Dominica ſecunda poſt Paſcha: ex quibus corrigas Nauclerum, qui diem 10. ſignat; & magis Michovium, qui vigeſimam octavam Martii) ab Archi-Epiſcopo Colonienſi de more inauguratus eſt coronâ Caroli Magni ex Archivis Nurembergenſibus allatâ. Conatum autem eſſe Matthiam Hungariæ Regem hanc Maximiliani aſſumptionem ſtudiô magnô impedire, idem Krantzius ſcribit. „

[2.] Megizerus in Annalib. ſuis Carinth. lib. 11. c. 1.

Pontus Heuterus lib. 2. rerum Belgicar. ſub Maximiliano & Philippo.

[3.]

[3.] Piespordius in Maximiliano I. „ Anno 1486. 13. Cal. Martii Francofurti Rex „ Romanorum declaratus, 3. Idus Aprilis „ Aquisgrani coronatur, & patre mortuo pleno jure in Imperio succedit. „

[4 & 5.] Diploma Regium in Autographo.

[6.] Wolfgangus in serie Abbatum Zwetlensium.

[7.8.] E literarum monumentis.

[9.10.] Ex Autographis ipsorum.

[11.] Richardus Struno in Annal. Austr. Superior. sub anno 1485.

An. Christi MCCCCLXXXVII. Monast. CCCXLIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius VIII.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Fridericus II.	Wolfgangus I.

FRidericus Imperator iterum hoc anno Norimbergæ conventum Ordinum habuit, in quo multa fuerunt acta de auxiliis, & in communem Christianorum, & in privatum ipsius hostem Matthiam, decernendis. In eo conventu fœdus Suevicum initium sumit, mutuis auxiliis & consiliis adeo firmum, utì & suis præsidio & exteris terrori sit. * [1.]

Intereà Matthias Rex utì jam Dux & Dominus Austriæ rem suam promovere studebat, inde ut stabile sibi regnum in Austria faceret, conventum Austriæ Statuum celebravit circa Viennam, non tamen in urbe, sed in campis, quod diploma Regium demonstrat ad Capitaneum suum datum sequentibus: „ Matthias Rex Ungariæ & Bohemiæ, & „ Dux Austriæ (*ita se nominat ipse*) scribit Nicolao Spanobsky castellano suo „ in Gmündt, quòd in comitiis proximis in campo celebratis cum Austriæ „ Proceribus ita egerit, ut omnes census hactenus consueti imposterum „ cessarent, uno tantùm per Austriam „ relicto, fisco suo Regio solvendo. De „ qualibet nimirum vini carrata extra „ provinciam portanda quatuor florenos monetæ Ungaricæ. Item de „ singulis cuppulis salis tres nummos. „ Item de quatuor bobus unum florenum, & de centum arietibus etiam „ florenum, & de aliis mercaturis sive „ intra sive extra provinciam ducendis „ vigesimum florenum. Hoc tantùm, „ ait, intelligendum esse de exteris, de „ indigenis autem & provincialibus „ non ita accipiendum, illos liberos „ pronuntiat. Item qui in uno loco „ solvit Quæstori Regio acceptâ quittanciâ, non est, ut apud alterum „ Quæstorem, ad quem fortè venit, „ solvat. Deinde constituit præfatum „ Nicolaum talem Quæstorem in „ Gmünd, in Zwetlensi Monasterio, & „ in Alentsteig, atque ibidem circumquaque modo & conditione præfatis. „ Datum in campis annô Domini 1487. „ feriâ sextâ ante Joannis Baptistæ. „

[2.] Videntur autem apud Regem conquesti fuisse Austriaci super tot censibus solvendis, & super importunitatibus Capitaneorum ejus, qui præter onera alia gravia quotidiana, quibus colonos suos aggravant, etiam census multos & varios minis & vinculis sat superbè extorquent, sive Regem sive alium sequantur. Rex autem in subjectos clemens per supradictum suum diploma querelis Austriacorum ad votum respondit.

Porro Matthias bellis continuis modò cum Bohemis & Moravis, modò cum Austriacis, modò cum Turcis gestis, ærarium suum exhausit, unde per Austriam census tum veteres restituit, cùm novos superaddidit, quibus fiscum suum Regium redintegraret. Quapropter ubique per Austriam censores & quæstores suos constituit, sicut suprà scripseram, in provincia supra Mainhardi montem Nicolaum Spanobsky quæstorem suum creavit, ad S. Hip-

 polyti

polyti fanum autem Joannem Newhauser promovit; „ cui diploma suum dirigit, quo ille censor super vina & talentum quadragesimum ibidem eligitur & confirmatur, sicut cum provincialibus Austriæ in comitiis habitis Rex se convenisse testatur: limitatur autem collecta censuum præfatorum tractu Crembsensi & Stainensi & Wachovia; item quidquid supra Tulnenses campos & Trasmam amnem incolitur, hoc omne Rex illius officio subjicit. Datum Viennæ feriâ 3. post S. Ægidium, nimirum 4. Septembris, annô Domini 1487. annô verò regni sui Ungarici trigesimô primô & Bohemici vigesimô. „ [3.]

Scripsi suprà Fridericum Cæsarem Norimbergæ conventum Principum celebrâsse, ubi contra Matthiam in auxilium impetravit Saxoniæ Ducem Albertum, qui cum exercitu Austriam ingressus Crembsii substitit, ea enim civitas ex aliis ferè omnibus sola Cæsari fidem constanter præstitit. Hic Princeps quendam Virum Illustrem Gozzonem de Wulferstorf Auratum Equitem tractui cis-Danubiano & Crembsensi Capitaneum suum præfecit, qui in hanc sententiam Wolfgango Abbati in Zwetl scribit: „ quatenus Abbas ex mandato Principis Domini sui Alberti Ducis Saxoniæ, Cæsareæ Majestatis & Imperii Generalis, omnibus homagiis, pacis conditionibus, salvis conductibus & exactionibus adversariorum renuntiet, eadem sibi utì Cæsareano præstet, atque Crembsium ad se proximâ sextâ feriâ ipsum Principis sui mandatum visurus descendat. Datum Crembs, annô Domini 1487. feriâ 3. post Nativitatem B. Mariæ, nimirum 11. Septembris. „ [4.]

Interea bello Austriaci tædiô affecti, cùm etiam Matthias ipse à pace non alienus videretur, pacem omnes inter Cæsarem & Ungarum desiderabant: de qua jam rumor spargebatur. „ Unde talia nova Wilhelmus Missingdorfius de Dobra Alberto Rohrio scribit, quòd pacem Cæsar & Rex inierint, jámque literis confirmata sit. Quapropter Fridericus ad festum Sanctorum Omnium Melici, Matthias in Sancto Yppolito, ubi de pace constante & integra Regni Ungariæ & Ducatûs Austriæ acturi dicuntur, exspectantur. Datum Viennæ annô Domini 1487. feriâ 4. ante Simonis & Judæ, nimirum 24. Octobris. „ [5.] De pace hac sciendum, eandem nomine Cæsaris fuisse factam à Duce Saxoniæ ad tempus tantùm, qui Matthiam tam invictum militem in Imperium irritare noluit, sciens bellum facilè excitari, sed difficulter sopiri rursùm, præsertim cùm honori potiùs quàm utilitati tunc ex necessitate serviendum erat. Licèt Fridericus ex cognomine Pacificus pacem bello semper præferret, atque etiam jam in comitiis Norimbergensibus eandem per universum Imperium proclamari fecerat, ad exemplum Pontificis Romani, qui idem per Italiam præstitit, atque exulem diu pacem tandem revocavit, tunc tamen in Matthiam hostem suum acerbum durior erat ad integram pacem conficiendam. Matthias verò pecuniâ contentus Austriam reddere, & in suam Ungariam redire non videbatur multùm reluctari, nam & Maximilianum Regem Romanorum verum Austriæ hæredem (sive timebat, sive diligebat eum) ab hæreditate sua excludere nolebat, modò conditiones non sibi incommodas acceptare vellet. Verùm mors intervenit, & quæstionem omnem de pace sepelivit post biennium, cùm Matthias Viennæ moreretur.

Pacem autem hujus anni temporaneam scribit Nicolaus Spanobsky Regius in Gmünd Capitaneus Wolfgango Abbati in Zwetl: „ quòd nimirum Regis sui voluntas sit, ut in pace hac temporanea homagia, servitutes, auctiones, telonia ab utraque parte sicut anteà serventur, arma tantùm „ offen-

„ offendendi gratiâ suspendantur. Deinde renuntiat, cùm Præfectus in Alentsteig non sui juris sit, consilium dat, ut ipsum apud Tettauerum deferat, qui justitiam administrabit. Datum Gmündt annô Domini 1487. in festo Martini. „ [6.]

Quamdiu verò pax hæc temporanea duratura sit, patebit ex literis sequentibus, ubi Zwetlensis civitas pacem illam (*potiùs armistitium nominandum*) Monasterio etiam nuntiat: „ Notificat autem Wolfgango Abbati & Illustri Domino Bohuslao de Swanberg Ungarico Capitaneo in Zwetlensi Monasterio Judex & Senatus Zwetlensis pacem temporaneam, quam se ita accepisse refert: Scripsit civitati in Zwetl D. Ditricus Harras Eques Mareschallus Crembsiô, quòd mediante nobili Viro Domino de Weytenmiill pax sit conclusa inter Cæsaream Majestatem & Ducem Saxoniæ ùt Cancellarium ex una, & Regem Ungariæ ex altera parte; quæ pax incipit feriâ 6. post Martini, & durat usque ad feriam secundam post Catharinæ, qua die utraque pars Cæsar & Rex conventum habituri sunt, & tractaturi ea, quæ pacis sunt, unde pax ab ea die continuabitur, quàm diu simul manebunt, & post ipsorum abinvicem discessum adhuc quatuordecim dies duratura est: quam mandat quoque nuntiari sinè mora Waidhovensibus, D. Chunrado Zirckendorfer, & Weitracensibus. Datæ à Mareschallo sunt litteræ Crembsii feriâ 5. post Martini, nimirum 15. Novembris, annô Domini 1487. [7.] Judicis autem de Zwetl Datum in civitate Zwetlensi annô præfatô, Dominicâ ante Elisabeth 18. Novembris. „

Ceterùm sanguisuga colonorum Monasterii Homagiator seu Exactor Ungaricus in Schönberg non cessavit B. Mariæ in Zwetl mancipia vexare, unde Wolfgango Abbati scribens, ex mandato ac voluntate Regis sui mandat: „ ut de universis villis suis Abbas ad se mittat centum laboratores seu operarios securibus instructos, & commeatu octiduano provisos, deinde viginti currus. Datum Schöenberg annô Domini 1487. feriâ 3. post Floriani, nimirum 8. Maji. „ [8.]

Cùm autem subditi viderent, se duros labores suos importunis militibus obtrudere debere, nullúmque à Dominis suis præsidium expectare posse, ipsi sese armis suis accinxerunt, atque etiam milites hinc inde tutò vagantes ac palantes ex improvisò invaserunt, & nonnulla ipsis rapuerunt, talionem ipsis oportunè referentes, verùm ùt agreste hominum genus rustici sunt, gloriantes in taberna vinaria incautè in rebus pessimis, sese militibus in prædones suos intentis prodiderunt, atque reos repertos apud Abbatem Dominum suum accusârunt minis adjunctis, nî ipse prædones illos suos ad restitutionem cogeret, ignominiam sibi ab eis illatam non tantùm non velle vi delere, sed quoque plus damni inferre, quàm spolia illa valerent, non parvo cum Monasterii detrimento. „ His Abbas perculsus, licèt reorum & facti notitiam non haberet, scripsit tamen Judici Officiali suo in Glognitz de quodam furto, seu potiùs rapina, quam quidam de villa sui officii fecisse arguebatur, nam militibus duobus arma, togas, & indusia rapuisse ferebatur, eáque apud tabernarium ibidem vendidisse proclamabatur. Quare jubet, ut inquirat, in reos & in rapinam, quos deprehensos examinet, & reis repertis injungat restitutionem ablatorum, ne propter unum omnes pereant, aut à minaci ac furioso milite innocentes cum nocentibus omnibus suis spolientur. Datum in Monasterio Zwetl annô Domini 1487. feriâ 2. ante Corporis Christi, mense Junio. „ [9.]

Accusatus quoque fuerat famulus qui-

quidam Strunonis de furto facto in villa Hörmanns subdito cuidam ibidem Monasterii Zwetlensis, & hoc sub induciarum tempore, unde tales redditæ sunt literæ: „ Fridericus Framitz Capitane- „ us de Schwarzenawe respondet Bo- „ huslao de Swanberg Capitaneo Mo- „ nasterii Zwetlensis, quòd acceperit „ ipsius literas super furto unius capræ „ & vaccæ facto in villa Hörmans sub- „ dito uni Zwetlensi nomine Jagen- „ tewsl per famulum Domini sui Jo- „ annem Fidler, qui omnino factum „ negat, mendaciúmque in authorem „ colonum retorquet, neque curat ad „ Regem appellari, se tunc non ùt „ reum, sed ùt accusatorem pariturum, „ & Abbatem eò redacturum, ut ob „ injuriam illatam Domino suo satis- „ facere teneatur. Datum in Schwar- „ zenawe, annô Domini 1487. Domi- „ nicâ post Bartholomæi, nimirum 26. „ Augusti. „ [10.] Ex his literis colligitur, & Strunonem partes Regis, non Cæsaris secutum fuisse, siquidem Capitaneum Ungaricum in castrum suum admiserit, & ipse Viennæ quoque Matthiæ Regi inserviêrit, ejúsque aulam frequentârit.

Non satis malorum erat, quòd externi Monasterium vexârint, sed Fundatores quoque ipsi, qui eo & nomine & sanguine se jactabant, idem in colonis ejusdem persequi tentârunt, unde à Balthasaro de Chünring in Seveld ad Wolfgangum Abbatem literæ reperiuntur, quibus nuntiat: „ se colonis Monasterii „ in villis Haslach, Weickerstorf, & „ Ternberg utì eorum Advocatus cen- „ sum imposuisse, quem illi porrigere „ denegantes, gravamina insuper sua „ hac de re apud Abbatem deponere „ ausi sint. Declarat igitur erga Mona- „ sterium animum suum Chünringius, „ quòd paratus sit jure cum Monasterio „ contendere, & coram Rege aut Ma- „ reschalco Austriæ suam in dictos co- „ lonos jurisdictionem demonstrare, li- „ cèt non existimet eò rem deductum „ iri. Datum Seveld annô Domini „ 1487. feriâ 3. ante Michaëlis, nimi- „ rum 27. Septembris. „ [11.] Ex his literis colligitur Chünringium istum Regis Ungariæ partes etiam secutum fuisse, cùm ad eum appellare & coram illo jus suum prosequi minetur. Scribit autem Wolfgango Abbati suo etiam ea super re F. Martinus forsan tunc Magister vini, seu decimarum vini & juris montani in Haslach & Weickerstorf collector: „quòd nimirum præfatus Chün- „ ringius nuper proximâ Dominicâ ela- „ psâ (23. *Septembris*) Reinerum, ali- „ ósque suos famulos in Weickerstorf „ direxerit, subditísque Monasterii nun- „ tiari mandârit, quatenus censum sibi „ solverent, nî facerent, se ipsos variis „ modis perditurum esse, à quo diffi- „ culter dilationis terminus usque ad „ feriam quintam proximam obtineri „ potuit, quare subditis subvenire ma- „ turandum censet. Datum annô Do- „ mini 1487. Dominicâ Hieronymi, id „ est, 30. Septembris. „ [12.]

Præterea cùm colligendi, domúmque comportandi vini tempus esset, Abbas apud præsidia tam Cæsareana quàm Ungarica pro tuto itinere laborabat: „ Unde quoque à Gozzone de „ Wulferstorf, Equite, Summo cis-Da- „ nubianæ hujus plagæ atque Cremb- „ sii Capitaneo salvum conductum im- „ petravit ex Weinzierl deducendi do- „ lia, vina, currus, equos in Lewbs, „ & ex eodem oppido in Monasterium „ suum: & hoc quatuor hebdomada- „ rum spatiô, obtestando omnes illos, „ qui partes Cæsaris seu Ducis Saxo- „ niæ Generalis illius sequuntur, aut „ sibi addicti sunt, ut securos ubique „ pertransire permittant Zwetlensis „ Monasterii vina, currus, equos, ho- „ mines: in quem conductum consensit „ Dominus ejus Illustris Dux Saxoniæ. „ Datum in Crembs annô Domini 1487. „ feriâ tertiâ ante Francisci, nimi- „ rum 2. Octobris. „ Unde itinera diligenter tam à Cæsareanis quàm Ungaris obser-

observabantur, ita ut qui salvum conductum ab una parte tantùm obtinuerit, & non ab alia, illi necesse erat incidere in scyllam, qui se putavit vitâsse charybdim. „ Quare Monasterium à „ Regiis sibi quoque prævidit, & à Jo„ anne Zepusiense, Wolfgango Wel„ sensi (*dicti Quæstores Loienses*) salvum „ conductum impetravit, qui de Regio „ mandato super ternarios vini sex mi„ nùs dimidiô domum deducendos „ litteras suas concesserunt. Actum „ Loyss annô Domini 1487. feriâ 3. „ ante Colomanni, nimirum 9. Octo„ bris. „ [13.]

Dum autem induciæ inter Ungaros & Cæsareanos durarent, Waidhofense præsidium quoque inclusum erat; „ un„ de Vitus Duerst Capitaneus ibidem „ Cæsareus unam curiam in Gotscha„ ligs sitam in remedium animæ suæ pro „ perpetua missa feriâ 2. celebranda Mo„ nasterio nostro fundavit. Datum „ annô Domini 1487. Sabathô ante fe„ stum Jacobi, nimirum 21. Julii. „ [14.]

„ Varia rursus domum nuntiat F. „ Colomannus, quòd nimirum à Beth„ lemo tandem impetraverit licentiam „ vindemiandi vineam in Lewbs Stock„ haimer dictam, cujus literas Regias „ se F. Petro misisse ait, ut colligat „ uvas. Scribit porro Müchnizenses „ Waidhofensium & Zwetlensium cur„ rus spoliâsse contra homagii & pacis „ conditiones. Timet etiam ipse vina „ doliis & viæ committere, licèt salvum „ conductum habeat, maximè verò se „ angustiari ait itineris difficultate, quo„ niã ipsa vina ab hostibus in silva Spiess „ diu noctúque in insidiis collocatis ex„ spectantur. Demum ait Chünringium „ adhuc à colonis censum repetere, se „ verò ipsis prohibuisse quicquam dare. „ Datum in curia Rasing, annô Domini „ 1487. in pro-festo Michaëlis, 28. Se„ ptembris. „ [15.] Ex his literis docemur summum Regis Ungariæ Capitaneum sedisse Rhetii, cujus potestas in minores suos Capitaneos derivabatur usque ad Crembsium, Loium enim & Rechbergum præsidium Ungaricum susceperant; sicut per Norticam silvam Nicolaus Spanobsky nomine Regis sui in Gmündt residens longè latéque regnabat. Præterea jam ab eo tempore silva non procul à Rasing sita nomen hodiernum tenet dicta Spiess, quasi hasta, nam habet tales arborum acies in acumen porrectas, ut longè latéque conspiciantur repræsentantes hastarum cuspides versùs orientem præsertim, quæ silva prædonibus & latronibus sicut hodie, ita etiam eo tempore commodum præbuit receptaculum, in qua multi & fortunas & vitam amiserunt, sicut hodie nonnullæ cruces & lapides pro memoria erecti testantur.

„ Demum ut hunc annum conclu„ dam, Paulus Ornswald forsan apud „ S. Yppolitum Decanus aut Procura„ tor Capituli rogat Wolfgangum Ab„ batem pro pecunia parata sibi trans„ mitti quinque cados olei. Pacem „ etiam nunciat duraturam usque ad „ diem S. Urbani, nimirum, usque ad „ 25. Maji, & abhinc usque ad diem „ Ægidii pacis actio celebrabitur. Da„ tum in S. Yppolito annô Domini „ 1487. in festo S. Thomæ Apostoli 21. „ Decembris. „ [16.] Pacem hanc intelligit, quam Rex cum Saxone inivit anno sequenti, sicut suprà pluribus retuli.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó, lib. 10. ubi addit: „ Multæ quoque de pace in Imperio „ firmanda, omnibúsque controversiis amicè „ componendis consultationes sunt habitæ. „ Et quamvis adnitente maximè Friderico, „ pacem servari debere, omnes decernerent, „ nihil tamen ad rei summam transigi potuit, „ quin malè sarta inter inimicos gratia ite„ rum dissolveretur. Soli ex omnibus Suevi „ fœdus inter sese inière, cui Principes non„ nulli, & vicinæ civitates subscripsêre, ídque „ per multos annos in hodiernum diem usque „ tenuit,

„ tenuit, mutuis auxiliis & consiliis adeò firmum, utì & suis præsidio & exteris terrori „ esset. „

Nauclerus ubi suprà ad præcedent. ann. sub n. 1. relatus ad hunc annum subjungens: „ Id, quod nemo servavit. „ scilicet quod conclusum erat, præter solos Suevos, ùt patet ex verbis dictô locô ab illo allatis.

Spondanus ad hunc ann. n. 1. „ Fridericus Imperator conventum magnum habuit „ Nurembergæ &c. - - - quod tamen nemo „ servavit. Ita Nauclerus. Mox subdens, „ Innocentium Papam Clero per Germaniam „ imposuisse decimam: sed Clerum intercessisse, & ad eundem ipsum Pontificem meliùs „ informandum provocâsse; atque Imperatorem sese interponentem impetrâsse, ut ab „ exactione supersederetur. „

Item ad ann. præcedent. n. 2. „ Habet „ verò insuper Nauclerus, eodem conventu „ Francofordiensi mense Martio Imperatorem, assistente Maximiliano Rege, & Principibus atque communitatibus Imperii consentientibus, legem tulisse de pace servanda „ per integrum decennium totô Imperiô, ita „ ut nemo alterum in persona aut bonis offenderet; & qui legis prævaricatores quocunque modo, & cujuscunque conditionis „ essent, proscriberentur, facta quibuscunque „ facultate eos ut pacis violatores impunè „ offendendi. Fuisséque hanc pacem à multis receptam, ab aliis verò neglectam: à „ Suevis autem inita inter se societate ita firmatam, ut formidabiles facti sint vicinis „ suis, ac plures civitates Imperii, potentissimíque Principes iis jungi quæsiērint: unde „ Suevicum Fœdus nomen accepit, in Historiis Germanorum & Helvetiorum non „ incognitum. Quod annô millesimô quadringentesimô octogesimô octavô cœptum „ plerique volunt; impositúmque ei præterea „ nomen Clypei Georgianæ Societatis, „ eò quòd omnes, qui eâ comprehendebantur, gestare deberent clypeum S. Georgii. „

[2.] Ex diplomate Regio in Autographo.

[3.] Ex literarum monumentis.
[4.] Ex Autographo ipsius.
[5.] Ex literarum monumentis.
[6.] Ex Autographo ipsius.
[7.] Ex Autographo ipsorum.
[8.] Ex Autographo ipsius.
[9.] E literarum monumentis.
[10. 11. 12.] Ex Autographis ipsorum.
[13.] E literarum monumentis.
[14. & 15.] Ex Autographis ipsorum.
[16.] E literarum monumentis.

An. Christi MCCCCLXXXVIII. Monasterii CCCL.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius VIII.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Fridericus II.	Wolfgangus I.

MAximilianus Rex & Archi-Dux pridie Calendas Februarias Brugas se contulit, ubi seditiosorum tumultu exorto, quem verbis & præsentiâ suâ ipse sopire frustrà tentavit, capitur, & in ædibus vulgò Craneburgum vocatis, utì in libera custodia, custoditur. Interea familiares ejus quoque captivi in carcerem, cui lapis nomen est, rapiuntur, quorum nomina ita Gerardus enumerat: Vitus Wolckenstainus, Martinus & Wolfgangus Polhaimii, & Mangonalius Aulæ-Præfectus. Item Cancellarius Burgundiæ, Abbas S. Bertini & Philippus Loëtus suis hospitiis extracti. Adolphum Nassovium, Joannem Teschitzium Stabuli-Præfectum, & Melchiorem Masmunsterum quoque postulârant, sed hi commodùm aberant. Hanc filii calamitatem pater percipiens, factis cum Matthia induciis, ipse cum totius Imperii viribus (*Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano I. triginta duo millia militum eum adduxisse affirmat*) Belgium involat. Nec minùs interea Innocentius Pontifex feriatur missis in Flandriam literis & nuntiis, Brugensibus eorúmque sociis, sacris omnibus interdicturum sese minatur, nisi Romanorum Regem libertati restituant. Verùm Maximilianus omnibus angustiis circumdatus, non tantùm pacem cum hostibus suis inire laboravit, sed quoque Regiæ virtutis memor, parcere subjectis

jectis & debellare superbos, postea adhuc pro inimicis suis apud Patrem intercessit, ut ipsis eandem placaret. Quamvis in pacem Fridericus durior esset, quoniam nontantùm filii, sed etiam suam, atque adeo totius Imperii authoritatem contemptam esse diceret, postea tamen filio bellum Flandricum reliquit, negotiis Imperii revocatus. Reversus autem Cæsar in Germaniam, Norimbergæ Ordinum conventum egit, ubi graviter de Matthia Rege conquestus copias auxiliares impetrat, cum quibus postea in Austriam missus est Albertus Saxoniæ Princeps. * [1.] Hæc Gerardus de Saxonis in Austriam ingressu sentit, nimirum illum primò post Cæsaris è Belgio in Germaniam reditum missum fuisse contra Matthiam, quod anno priori à me allatæ nonnullorum literæ omnino negant, Ducem Saxoniæ Crembsi commorantem passim nominantes, eúmque Cæsareum Generalem contra Matthiam missum appellantes. Unde quoque anno priori induciæ cum Matthia Rege cœptæ, primùm hoc anno conclusæ fuerunt. De quibus porro sic Gerardus loquitur: „ Inter hæc „ Albertus Saxo cum auxiliis in Au„ striam missus, quòd Matthiæ vires „ illic firmiores esse cerneret, nec Ger„ maniam bello implicare vellet, post „ velitationes aliquot pacem tolerabili „ aliqua conditione facere studuit, & „ colloquiô mense Decembri (*anno* „ *nimirum priori*) institutô inducias ad „ octo menses pepigit, & relictâ Austriâ „ in Belgium ad Maximilianum Regem „ descendit. „ [2.] Hucusque Gerardus citatus: unde Maximilianus Austriæ statum intellexit, qui annis sequentibus eam recuperaturus intravit. Ad quam ego quoque redeo.

„ Stahrenbergensium familia tunc „ castrum Rapottenstain non procul à „ Zwetla situm possidebat, cujus Do„ minus Ludovicus Stahrenbergius, qui „ partes Cæsaris sequebatur, Wolfgan„ go Abbati scribit, utì Monasterii ad „ S. Bernardum Monialium ordinario „ visitatori, quatenus cujusdam coloni „ sui substantiam à præfati Monasterii „ Abbatissa confiscatam sibi restituat, „ ne ipse ad alia minùs utrique tam „ Zwetlæ quàm S. Bernardi Monaste„ rio proficua descendere cogatur. „ Datum Rapottenstain annô Domini „ 1488. feriâ 5. post Erhardi, nimirum „ 9. Januarii. „ [3.]

„ Conqueritur item Abbati in Zwetl „ Philippus Altenburgensis Cellerarius, „ quatenus Monasterii sui coloni in „ Mayrhoven à Capitanei Zwetlensis „ gravamine seu molesta servitute libe„ rentur, qui ad comportandum ipsi „ fœnum onerantur, minísque cogun„ tur. Datum in Altenburg annô Do„ mini 1488. in festo Epiphaniæ Do„ mini. „ [4.]

Abbati suo F. Colomannus porro nova nuntiat sequentia: „ Quòd nimi„ rum post Stronsdorf septingenti mi„ lites convenerint, plurésque ibi ex„ pectentur, quare monet vina ex Has„ lach quamprimum deportari, ne in„ disciplinato militi cedant in rapinam. „ Præterea significat Matthiam Regem „ ad Rhetium iter adornare, quare in „ Pulka ab incolis centum avenæ mo„ dii petuntur Rhetium afferri, & vi„ varium ibidem piscatur, jejunium „ enim Quadragesimale tunc celebra„ batur. Nuntiat etiam Abbatissam in „ S. Bernardo per Joannem Varadien„ sem Episcopum à Rege impetrâsse „ diploma & mandatum, quo à Castel„ lano Cornutensi advocatia super di„ ctum Monialium Cœnobium tollitur, „ & Capitaneo Egenburgensi traditur: „ & hæc omnes, se excepto, latere, „ qui se diploma legisse fatetur. Datum „ ad S. Bernardum annô Domini 1488. „ feriâ 6. in die S. Benedicti, nimirum „ 21. Martii. „ [5.]

„ Iverunt porro missi Viennam F. „ Thomas Cellerarius, & F. Coloman„ nus Magister curiæ in Rafing, qui „ ibidem convenisse etiam se scribunt

„ Capitaneum Spanobsky, quem in „ causa contra Præfectum de Alentsteig „ promptum invenerunt, sicut hoc di- „ plomata ipsius nomine Regis data „ demonstrant. Nuntiant deinde no- „ va, de partis utriusque in Stira con- „ ventu nihil commodi aut consolatio- „ nis sperandum esse, quia Rex illuc „ tantùm misit Cancellarium suum, „ aliis Proceribus, qui mittendi erant, „ retentis: & pax decima post Ægidii „ die exspiratura dicitur. Fuerunt „ quoque apud Regem Viennæ Turca- „ rum Legati, quibuscum ipse trienna- „ lem pacem conclusisse à Spanobsky „ affirmatur. Hic præterea narravit in „ singulis Austriæ provinciæ partibus „ fore Capitaneum, penes quem re- „ rum summa futura sit, ipse verò Spa- „ nobsky se brevì domum venturum „ sperat. Porro significant apud Re- „ gem Ducis Georgii Legatos esse, sicut „ etiam Helvetiorum. De Belgio au- „ tem fama Viennam pervenit, Regem „ Gallorum Gandavensibus succurrisse, „ & sicut Spanobsky refert, Cæsarem „ unà cum filio Rege Romanorum ibi- „ dem obsedisse. Regem item Unga- „ riæ petere à Statibus Austriæ Supe- „ rioris, quatenus sibi Oberhaimerum „ vivum cum satellitibus & bonis „ omnibus ejusdem quamprimum de- „ dant, ex eo, quòd Helveticorum „ Legatos ad se descendentes literis & „ mandatis spoliare ausi fuerint: pro „ damno verò & injuriis legatis & suæ „ Majestati illatis ducenta florenorum „ millia sibi porrigi postulat. Demum „ causam afferunt, cur Rex Legatos in „ Stiram deputatos non miserit, quia „ Episcopus Strigoniensis illorum præ- „ cipuus venire illuc ad conventum re- „ cusavit. Actum Viennæ annô Do- „ mini 1488. Dominicâ ante Ægydii, „ nimirum 31. Augusti. „ [6.] Huc- usque præfatorum literæ. De pace hic sciendum, à Duce Saxoniæ in Flandriam abeunte, non pacem, sed inducias tantùm factas fuisse, & has quidem certo tempore duraturas: donec Stiræ in Superiori Austria tam Cæsarei quàm Regii Legati convenirent in pacem universalem conspiraturi, qui conventus à præfatis ex absentia Strigoniensis Episcopi, qui omnem pacis potestatem à Cæsare accepisse mox dicetur, inanis evanuisse dicitur: unde induciæ quoque post Ægidii diem exspirabunt. De hujus quoque spe pacis Struno literas refert datas Aschparn feriâ 3. post Floriani annô Domini 1488. [7.] Porro fit mentio pecuniariæ mulctæ Austriæ Superioris provinciæ à Rege Matthia impositæ, quòd nimirum Helvetiorum Legatos per eam transeuntes pacificè incolæ spoliare ausi fuerint: unde provinciales censum non tantùm ad mulctam hanc persolvendam, sed quoque ad alia provinciæ necessitates sublevandas incolis imposuêre, quem etiam citatus Struno enumerat. [8.] Causa porro legationis Helveticæ, sicut etiam Ducis Georgii non exprimitur: conjecturam tamen habeo, Georgium hunc Ducem Bavariæ fuisse, qui contra intrusum à Friderico Imperatore Georgium Hæslerum Cardinalem in Episcopatum Pataviensem, armis Cancellarium suum in Episcopum quoque electum potenter defendit Pataviæ, utì Hundius id refert. [9.] Intercessisse autem præfatus Dux Georgius pro Friderico II. è Comitibus Oëttingensibus electo Pataviensi apud Regem Ungariæ per hanc legationem videtur, ut nimirum castra, oppida, & civitates in Austria sitas & à Rege occupatas ipsi utì Episcopo restitueret, qui hoc in bello partes Imperatoris secutus fuit, licèt ipse domi quieverit. Revertor ad Monasterium nostrum.

„ Nicolaus Zwittar Regius in „ Gmünd Burggravius mittit Wolf- „ gango Abbati in Zwetl unum ad be- „ nedicendum antipendium pro Sacel- „ lo ibidem comparatum. Datum in „ Gmünd annô Domini 1488. feriâ 2. „ post S. Thomæ Apostoli festum, ni- „ mirum 22. Decembris. „ Ex his literis

literis colligitur Nicolaum Spanobsky Viennâ non rediisse domum in prædictum castrum, sed aliò à Rege ablegatum fuisse, cùm hic, qui antea Gratzense in Bohemia castrum nomine Regis sui tenebat, Nicolaus Zwyttar Burggravium se ipse in Gmündt Regium nominet. [10.]

Demum cùm Academia Viennensis Matthiam in Austria tota rerum potiri videret, neque eandem ad Habspurgicos redituram crederet, cùm bellô Flandricô tenerentur, pro majori securitate privilegia sua abs Rege Matthia sibi confirmari petiît sub M. Hieronymo Hollnbrunner Rectore pro tempore & Canonico Viennensi. [11.] Ita Ederus quondam Rector ejusdem Academiæ.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó, lib. 10. Bzovius ad hunc ann. n. 1. Spondanus hìc n. 1. Et præter alios, Pontus Heuterus enucleatè in Maximiliano & Philippo lib. 3. cap. 3. ad hunc annum, ex quo placuit sequentia delibare. „ Brugenses - - - - concitantibus Gandensibus „ in carcerem conjiciunt Willervalli Dominum, nobilem Burgundum, Dudzellium, „ Cancellarium Carondeletum, Joannem Lanoium, D. Bertini Abbatem. Tunc comitati Gandensium Legatis Romanorum Regem adeunt, dictos Nobiles in carcerem se conjecisse affirmantes, quò faciliùs pax, „ Nobilibus exosa, iniretur: deinde ut pravos injustósque gubernatores, prædatores, „ ac extortores punirent, offerentes Regi quatuor millia librarum Flandricarum, quibus domesticis Nobilibus satisfaciat; aliáque quatuor millia, quæ corporis sui custodibus numeret. Actis Rex gratiis pecuniam non petit: eodémque die in ejus cubiculum irruunt, aliquótque nebulones, „ capiúntque Martinum Pollainium, majorem „ Pollainium, Philippum Nassavium, Wolquestainium, Mingovallium, Lalanum, Philippum Wettæum, Reinerum Meinium, „ Gaueræ Præfectum, ac aliquot alios: qui à „ Rege discessuri, in genua ac pedes ejus procumbunt, rogántque in bonam partem accipere dignetur quam hactenus ei præstitissent operam; constituisse se ad mortem usque eodem animô perseverare, obsecrantes sui memoriam animo deponere nollet. Respondet, se memorem officiorum ac beneficiorum ab iis acceptorum in perpetuum fore, alia ratione quàm Brugenses faciant, „ pro quibus, inquit, non minùs quàm pro me, filióque meo, contra Francorum Tyrannidem vitam non semel periculo exposuistis, fortunas exhausistis, ingenii vires „ continuis laboribus obruistis. Post hæc ad carcerem ducuntur, mansitque tantùm cum „ Rege Sorræ Comes, cum alio Germano „ Comite, - - - - - - - -

Cap. 4. „ Verentes (*Brugenses*) ne Rex „ aliqua ratione aut arte è domo Craneburgica elaberetur, ei in ædes Philippi Clivii „ migrandum nuntiant. Respondet, se Craneburgicâ non discessurum, nisi succolantes „ inde se deportâssent. Non rectè eos facere, quòd, nullo personæ suæ respectu „ habito, non aliter secum agerent, quàm „ cum minimo comitatûs sui famulo. Meminissent missa in Germaniam honorifica legatione se invitatum, rogatúmque ab Ordinibus Belgarum iniquissimo durissimóque „ tempore fuisse, nuptias cum Maria Burgunda, Flandriæ Comite, maturaret, séque „ in maxima Belgicæ Provinciæ perturbatione, relicto Cæsare patre, paternáque ditione, omnibus propinquis ac amicis, ad „ ignotam pervenisse regionem, duxisse Comitem eorum in uxorem, suscepisse liberos, „ decimúmque jam agi annum, quòd cum „ maxima cura, diligentia, ac labore Belgas „ rexerit ac defenderit, restiterítque potentissimo Europæ Regi, Belgarum libertati, „ quanquam aliud simulet, semper insidianti. „ Proinde meminissent, se Cæsaris Friderici „ unicum esse filium Romanorum Regem, è „ nobilissima, potentissimáque Germanorum „ familia ortum, quem pro personæ suæ conditione alia ratione tractare debuissent, & „ adhuc deberent. Scire se mortalem esse, „ constitutum in eorum potestate, non justô „ bellô devictum captum, sed qui ad eos ùt „ amicos, ac fideles subditos, sinè justo præsidio, quæ in rem eorum essent futura, cum „ ipsis tractaturus, sponte bonóque animô „ venisset; quem si nunc vellent occidere, „ possent: quod si fecissent, non omnes Austriacos secum occubituros, nec Brugenses „ planè tum compotes voti futuros, multò „ minùs si se Gandensibus aut Francorum „ Regi captivum tradidissent, in id enim „ omnes ingenii nervos hos tendere, ac hunc „ procurare tumultum, scire se certò. Proinde finem hujus tumultûs rectè ac prudenter ut secum perpenderent, seriò se admonere,

„ nere, ac uti patrem consulere. Moverat „ his verbis, Imperatoriæ Regiæque Majestatis auctoritate animíque præsentiâ prolatis, omnes qui ad eum aliò deducendum „ advenerant, víxque lacrymas continentes, „ eo deserto, ad forum revertuntur. Abituri „ Gandenses, decem à Brugensibus petunt „ captivos. Consentiunt ea conditione, datis literis sigillô urbis Gandensis corroboratis promitterent, se eos Brugas (Deo „ vitam relinquente) vivos restituturos, „ cùm repetiissent. Erant autem hi, Cancellarius Carondeletus, Joannes Lanoius, „ Abbas D. Bertini, uterque Pollainius, Mingovallius, Nassavius, Willeruallius, Wolquestainius, Wettæus, Mainæus. Hi tribus impositi plaustris, additóque militari „ præsidio, Gandavum pervehuntur. Quo „ animo fuerint, facilè ex eo lector conjecturam facere potest, perpendens Imbercurtium ac Hugonetum, tam recenti adhuc „ memoria, Gandavi in dicta causa occisos. „ Omnibus remotis famulis, t'Gravensteini in „ arctam concluduntur custodiam &c. - - - „ Cap. 8. Pridie festi Paschatis Brugenses, „ relictô forô, quod per sex septimanas continuas insederant, domos suas quisque repetunt, magna ad hanc rem observata solemnitate. Fuerant enim in foro cum armis circiter septemdecim virorum millia. „ Paulò pôst literæ à Summo Pontifice Innocentio Octavo ad Brugenses scriptæ adferuntur, quibus magnâ constitutâ pœnâ jubebantur Romanorum Regem dimittere. „ Ejusdem etiam literæ ad Ordines Hannoniæ veniunt, quibus bellum Flandris facere jubebantur, si post suam monitionem Romanorum Regem non liberâssent. „ Cap. 9. Interea Gandavum pervenerat „ pars major Legatorum Ordinum Belgarum, „ Agitur de liberatione Romanorum Regis „ acerrimè, quæ tandem, post aliquot dierum ingentes disceptationes, his est obtenta conditionibus: Philippus Clivius, „ Comes Hannonius, ac Wolquestaini Dominus obsides Romanorum Regis nomine, „ donec conditionibus satisfecerit, Brugis ac „ Gandavi manento, nominéque Clivii pater „ ejus Adolfus interea Sluzam ejúsque arces „ gubernato. Exteros milites omnes intra „ tertium liberationis suæ diem Rex è Flandria, ac post septimum è Belgio, sine maleficio dimittito. Rex Philippum Clivium „ cæterósque obsides à dicto sibi Sacramento „ liberato, potestatem eis faciens militandi „ cum Flandris contra se, si hanc pacem violârit, permittens, ut Clivius ceteríque obsides Flandris in hanc rem Sacramentum „ dicant, ac tabulas propria manu signatas „ donent. Pacem Romanorum Rex Ordinum omnium auxiliô, si fieri possit, cum „ Franco facito. Flandri ac Romanorum Rex „ militem omnem dimittunto, Regísque pro „ seditionis compensandis damnis incommodísque ternis vicibus quinquaginta millia „ aureorum liliorum persolvunto, tabulásque „ ea de re consignatas Romanorum Regi tradunto. Rex proprio ære redimi curato „ Gruthuzæ Dominum, Consulem Brugensem, ac alios, qui ejus libertatem procurantes capti fuêre. His multæ aliæ nugæ „ additæ fuêre: quibus propria manu Romanorum Rex subsignatis, in libertatem postridie Idus Maji restituitur, quarto ferè à „ captivitate mense, advenientíque publicæ „ supplicationi comitem se jungit; subsequentémque aspiciens populum, hilari vultu manum levans, alta inquit, subridens, voce: „ jam tandem pacem habemus. „

[2.] Gerardus ubi suprà.

[3.4.] Ex Autographo ipsorum.

[5.] E literarum monumentis.

[6.] Ex Autographis ipsorum.

[7.&8.] Struno in [Annal. Super. Austriæ. „ Annô 1488. beschiecht ein Fridens Tractation mit Ungarn, davon schreibt „ Herr Hanns von Wilferstorff Ritter, Frauen „ Ameley Herrn Hannsen von Franckenstein „ Wittib: Ich laß euch wissen, daß der Bischoff von Gran und des Königs von Ungarn Rath auf den nächsten Auffarts-Tag „ bey Steuer zusammen kommen sollen, und „ zwischen des Röm. Kayser und des Königs „ Taidungen thun werden, auf etlich Jahr „ ein fridtlich Anstandt, oder ein gantzen „ Friden zu machen. Dan der von Gran hat „ völligen Gewalt von Röm. Kayser &c. „ Geben Asparn Erchtag nach Floriani. „ Ex litteris penes me.

„ Item beschiecht ein Bewilligung von „ Hauß 1. Gulden und drein-halb der Tonau „ 3. ß. und wird verrait zu Lintz in den „ Pfingst-Feyrtägen annô 1489. als von Virtl „ zwischen der Traun und Enns 2761. Pf. 5. ß. „ 20. dn. Von Virtl am Hausruckh 2791. „ Pf. 2. dn. Von den Virtl in Mühlandt „ (*Mühl Virtl*) 1414. Pf. 6. ß. 17. dn. Das „ Virtl im Machland 1775. Pf. 79. dn. Von „ den Urbers Leithen (*oder Holden*) 699. „ Pf. 50. dn. Von absezen der Priester „ allein von Ministern Pfahrherrn zu Wels „ 178. Pf. 5. ß. 13. dn. Summa 9608. Pf. 2. ß. „ 16. dn. „ Ex lib. Herrn Achaz Hohenfelder.

[9.]

[9.] Hundius in Metropoli sua sub Udalrico III. & Friderico II. Episcop. Pataviens.

[10.] Ex Autographo ipsius.

[11.] Ex Catalogo Rectorum Viennensium hoc anno.

Ann. Christi MCCCCLXXXIX. Monasterii CCCLI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius VIII.	Fridericus IV.	Idem Fridericus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Fridericus II.	Wolfgangus I.

„ Circa hoc tempus Sigismundus „ Tyrolensium Princeps, quòd le- „ gitimam prolem haberet nullam, Ma- „ ximilianum patruelis filium adoptio- „ nis jure hæredem omnium suarum „ ditionum instituit.

„ Eisdem diebus tentata etiam pax „ est inter Fridericum Imperatorem & „ Matthiam, ad quem Viennæ graviter „ ægrotantem Legati à Friderico & „ Maximiliano, qui Lincii erant, missi „ sunt, cum quibus ad eos venit Joan- „ nes Varadiensis Præsul, utì pacem „ conficeret. Imperator Austriam sibi „ absque ulla sumptuum restitutione „ reddi volebat. Matthias septuaginta „ aureûm nummûm millia sibi exsolvi „ postulabat. Maximilianus improba „ Regis postulatione & paterna tena- „ citate juxtà offensus, mediocritatem „ inter duo extrema amplectendam sua- „ debat. Hunc Matthias aut ex animo „ diligebat, aut suis de causis id facere „ videri volebat, quadringentas enim „ vini urnas cum totidem bubus, & „ duodena aureorum millia donô ei „ misisse dicebatur, quam ob causam „ Bonfinius patri suspectum & collo- „ quiô prohibitum fuisse filium prodi- „ dit. Et sic frustrà tunc de pace actum „ fuit. Cùm verò Rex æger secundo „ flumine Budam descendisset, mittitur „ eò cum septem collegis Otto Bava- „ riæ Princeps splendida legatione. Hi „ magnificè excepti & multis muneri- „ bus culti, nihil de pace transigere „ potuerunt. Interim Maximilianus „ ulteriùs paulò in Austriam descen- „ dens crebros de Matthiæ valetudine „ nuntios quotidie accipiens animos „ quorundam provincialium sibi con- „ ciliare studebat. Jámque in omnium „ ore erat ex Astrologorum divinatione „ Matthiam eo anno moriturum. Tan- „ dem missis ultrò citróque Legatis „ pax Budæ proclamatur, & ad Idus „ Septembris dies dicitur, ad quem „ diem Imperator & Rex præsentes eam „ ratam haberent. Sed ingravescente „ indies morbo conventus ille semper „ in sequentem mensem prolatatur. „ * [1.] Hæc Gerardus, quæ multam lucem afferent sequentibus, quæ ex vetustate Monasterii eruuntur.

„ Nicolaus Spanobsky Regis Unga- „ riæ in Gmündt Capitaneus Wolf- „ gango Abbati scribit, se percepisse co- „ lonum unum Monasterii nomine Rai- „ del de Ruedmans unà cum compli- „ cibus suis equos duos cuidam de in- „ feriori Eberharts rapuisse, quem pe- „ tit eò compelli, ut quamprimum ra- „ ptos equos restituat. Si autem Ab- „ bas recusârit hoc, minatur Mona- „ sterii colonis quoque vincula & car- „ ceres aliásque molestias, donec satis- „ factum sibi putet. Datum Gmündt „ annô Domini 1489. feriâ 6. post Cir- „ cumcisionem Domini 2. Januarii. „ [2.] Hæ literæ docent, Nicolaum hunc primarium jam castri Gmündensis Capitaneum Regium fuisse, ceteros autem ejusdem tantùm vasallos, quorum anno superiore mentionem hinc inde ex eorum literis feci. „ Ex his unus Nico- „ laus Zwittar ab Abbate in Zwetl pe- „ tit currus ad avenam ex Strallbach „ in Gmündt afferendam. Datum

„ Gmündt annô Domini 1489. feriâ 3. „ ante Antonii 13. Januarii. „ [3.]

„ Descenderat interea Wolfgangus „ Abbas Viennam valetudinis suæ cu- „ randæ gratiâ, cui Conventus Zwet- „ lensis ita scribit, se à Michaële Sla- „ gero de Waidhofen atque à pistore „ de Windigsteig percepisse Plebanum „ ibidem Joannem diem suum obiisse; „ successorem in dicta Parochia tum „ civis Waidhofensis, cùm Parochiani „ rogant sibi nominari Slageri filium, „ unde responsum postulant. Deinde „ affirmant se ad relicta ipsius consi- „ gnanda & conservanda F. Petrum „ constituisse, qui interea simul ibidem „ omnia Plebani officia exhibet & ad- „ ministrat. Actum in Monasterio „ Zwetl annô Domini 1489. feriâ 3. „ post Invocavit, nimirum, 17. Fe- „ bruarii. „ [4.]

„ Conqueritur porro Erasmus Gärt- „ ner Cæsareus Capitaneus in Tiernstain „ Wolfgango Abbati in Zwetl propter „ quosdam in Langenslag Abbatissæ „ Tiernstainensis colonos ibidem à „ Monasterii Zwetlensis Capitaneo „ molestiis, variis servitutis oneribus, „ atque homagiis vexatos, quos tamen „ Regi Ungariæ homagii nomine cen- „ sum porrexisse affirmat. Capita- „ neum igitur Zwetlensem eò deduci „ rogat, ut à vexatione præfatorum „ colonorum abstineat, ne ad Regem „ ipsius ille appellare cogatur, & in- „ terea vice versa Monasterio Zwet- „ lensi damna inferre compellatur. „ Datum in Tiernstain annô Domini „ 1489. feriâ 3. ante Philippi & Jacobi. [5.]

Inter cetera Monasterii Zwetlensis monumenta extat diploma sequentis tenoris: „ Maximilianus D. G. Roma- „ norum Rex semper Augustus, Archi- „ Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Bra- „ bantiæ & Geldriæ, Comes Flandriæ „ & Tirolis, &c. Datum Oeniponti „ annô Domini 1489. 5. Maji, regni „ verò sui annô quartô. „ [6.] Ex quo docemur Maximilianum jam Tirolim à Sigismundo patruele suo accepisse, cùm exinde se jam scripserit, qui etiam eidem ex parte sua Austriam cessit atque ceteras hæreditarias ditiones.

Venerat jam in Austriam Superiorem Fridericus cum Maximiliano filio pacem cum Matthia tentaturus, quorum Rex adventum percipiens, bellum præ foribus esse reputans, cùm ipse infirmaretur, alium sui loco belli ducem constituit Comitem Stephanum, uti nudo nomine indigitatur, de quo ita Wolfgango Abbati in Zwetl Nicolaus in Bethlem Regius in Retz Capitaneus scribit; „ quòd à Rege suo „ in mandatis acceperit, ut omnibus & „ singulis in ea parte Austriæ, quæ su- „ pra Mainhardi montem limitatur, „ provincialibus ejus nomine mandaret, „ quatenus in armis parati inveniantur, „ quandocunque in campum à Comite „ Stephano Regis Ungariæ & Bohe- „ miæ, nec non Ducis Austriæ &c. Su- „ premo Capitaneo evocabuntur, ut „ sese in auxilium Regis præsentent. „ Deinde nuntiat nulli ampliùs præ- „ standum esse homagium, nec etiam „ hostibus, nisi priùs ipsi notificetur. „ Demum omnes prædatores & viarum „ insessores atque sine officio vagabun- „ dos, capiendos & in vincula conji- „ ciendos pronuntiat. Datæ in Retz „ annô Domini 1489. feriâ 6. ante Pen- „ tecosten 15. Maji. „ [7.] Hæc mandata ideo Rex Austriacis offerri jusserat, tum ut eorum in se animos discere posset, cùm si Cæsar contra se irrumperet, si non omnes, saltem nonnullos, quos sibi fideliores jam aliquoties probârat, ipsi cum suo exercitu opponere valeret. Sublatis autem per has literas omnibus homagiis, etiam Cæsareanis præstitis, sublati quoque fuerunt salvi conductus, atque ita itinera ubique ab hostibus obsessa incolas ubique domi continebant, nisi manifestis periculis se suáque objicere vellent.

Erant rursum lites Abbati cum Miss-

„ singdorfio de Dobra, ad quas dirimendas partes suas interponebant „ Albertus de Rohr & Paulus Stadolegk, qui Abbati nuntiant, quatenus „ responsum ejus super lite exorta significari Wilhelmo de Missingdorf curârint, qui contentus quidem est, sed „ ultrà coram D. Christophoro de „ Liechtenstain Austriæ Mareschalco „ causam suam decidi petit, & hoc ut „ fiat ante comitia provincialia proximè ventura postulat vel feriâ 3. vel „ 4. unde sibi quid Abbati videatur, „ rescribi petunt. Datum Ottenstain „ annô Domini 1489. feriâ 2. post Margarethæ, nimirum 13. Julii. „ [8.]

Porro coloni Monasterii in Wurmprant & Behaimbstorf circa hoc tempus à Weitracensi præsidio homagiis vexati fuerant: „ unde Alexandro „ Schiffer Præfecto Weitracensi Abbas „ conquestus est, cur ipse ausus sit etiam „ contra Cæsareum diploma eam ob „ causam Monasterio Zwetlensi traditum, subditos suos vexare, castrum „ enim Weitra sicut etiam civitas subjecta Cæsareum tenebat præsidium: „ verùm Præfectus dicti castri negat ea, „ quæ ipsi objiciuntur. Datum in „ Weitra annô Domini 1489. feriâ 2. „ in festo Laurentii. „ [9.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 10. Histor. Austr.

Piespordius in Sigismundo I. „ Sigismundus I. Austriacus Sueviæ & Tyrolensium „ Princeps, Marchio Burgoviæ, Landgravius „ Alsatiæ, Hohenbergensis, Veldkirchensis, „ Hegoviensis, Lauffenbergensis, Ferettæ, „ Sundgoviæ, & Brisgoviæ Comes, &c. - - - „ Successorem & hæredem in omnibus prædictis Principatibus instituit Maximilianum „ Primum. „

Hundius in Metropoli sua sub Episcopis Brixinensibus in Episcopo 68. Georgio sub hoc anno.

Bzovius Tom. 18. ad hunc annum n. 7. „ Convenit tandem inter dissentientes. Dúmque festa Sanctissimæ Eucharistiæ celebrarentur, in longissima sacræ pompæ transvectione, Budæ, cùm Matthias Rex ex alto „ spectaculo præsideret, in frequentissima „ concione pax inter Fridericum Imperatorem, Maximilianum Romanorum Regem, „ & Matthiam publico edicto promulgata fuit: „ Concordiæ verò præsentiâ partium confirmandæ, Comitium ad Idus Septembris indictum, ubi Imperator & Reges pactis conditionibus satisfacerent, & de reliquis transigerent. Increbrescente Matthiæ morbo, „ res in alterum mensem prorogata. Inde „ postea Novembre & Decembre nihil actum, „ illo tertiana febri laborante. Inter alia quæ „ Angelus Hortanus Antistes Nuntius Apostolicus apud Regem Matthiam egit, fuit liberatio Petri Archi-Episcopi Colociensis, „ quem Matthias ob libertatem consiliorum „ jam ab aliquot annis in custodia habuerat. „ *Bonfin. dec. 4. lib. 8.*

N. 8. „ Impulit Matthiam ad hanc pacem „ sanciendam, præter Pontificis anthoritatem, „ metus à Polonis & Bohemis. Wladislaus „ Bohemiæ Rex, & privata & communi injuria movebatur ad bellum illi inferendum. „ Multa de Wladislao is partim bello, partim „ iniquo fœdere quæsiêrat: pluráque in dies „ appetebat, Ducésque Silesios, Joannem Zeganensem, & Henricum Munsterbergensem, „ durissimis pactis ad dedendas sibi munitiones, Zeganum, Sprotaviam, Cozuchoviam, „ Suebodinum, Grunbergam, Polcoviciam, „ Vartambergam, & Franchesteinum adegerat: Joannem Ducem Glogoviensem Ducatu „ exuerat, & expulerat; quin & Bohemiæ „ quoque imminere videbatur, & in Wladislai caput Bohemos quosdam Sicarios „ comparâsse dicebatur. Ergo ad eas injurias propulsandas, bellum Matthiæ inferre „ statuerat; maximè quando etiam Friderico „ Imperatori, velut cliens Imperii deesse rectè „ non potuerit. Sed omnia domi, forísque „ suspecta habens, & in paupere regno tamen, alieno quoque nomine valde obæratus, cùm se Matthiæ viribus imparem esse, „ & Fridericum non modò nihil opis afferre „ sibi posse, verùm etiam ope sua indigere „ cerneret, cum Casimiro patre Rege Poloniæ, societatem armorum junxit. Casimirus ne quid interea à Bajasete pateretur, „ cum barbaro fœdus icit, hac lege, ne quid „ alter, alterius ditioni incommodaret. Unde Matthias omnium non ignarus, cùm non „ tantùm vires conjunctas Bohemorum & „ Polonorum metueret, verùm etiam Bajasetem suspectum haberet; ne se bellis cum tot „ Regibus implicato aliquid contra Ungariam

 „ moli-

„ moliretur, ad pacem inclinavit. Cromerus „ lib. 29. rerum Polonicarum. „
[2. & 3.] E literarum monumentis.
[4.] Ex Autographis ipsorum.
[5.] E literarum monumentis.
[6.] E diplomate Regio Maximiliani.
[7.] Ex Autographo ipsorum.
[8. & 9.] E literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXC. Monasterii CCCLII.

Pont. Rom. Innocentius VIII. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Maximilianus I.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Colomannus.

„ MAtthiæ Ungariæ Regi conjecto„res Novembrem aut Decem„brem fatalem prædixerunt, quibus „ jam exactis spe plenus, & ex tertiana „ febre paululum, uti videbatur, re„creatus, Viennam rediit, ubi apople„xiâ correptus amisso loquendi usu in„ter maximos cruciatus & rugitus leo„nis more editos animam Deo reddi„dit, Nonis Aprilis, anni nonagesimi „ super mille quadringentos. „ * [1.] Hæc Gerardus de Matthiæ bellicissimi Regis obitu. Post cujus mortem regni Ungarici competitores numerat Fridericum Cæsarem, & Maximilianum ejus filium, Joannem item Corvinum Matthiæ naturalem filium, Vladislaum Bohemiæ Regem, & fratrem ejus Albertum Poloniæ Principem. Ex his tamen vicit fortuna Vladislai, quem in regni & thalami consortem maximè juvabat relicta Matthiæ Beatrix Arragonia, fœmina latini eloquii non ignara, & linguâ potens. „ Interea Austriaci „ (*Gerardi sunt verba*) Ungariam do„mesticis turbis laborare videntes, ad „ Fridericum ejúsque filium legitimos „ suos Dominos respiciebant. Igitur „ Viennenses advenientem cum equi„tibus Maximilianum undecimô Ca„lendas Septembris gratulabundi ac„cipiunt, ad Divi Stephani deducunt, „ libertatis hymnum decantant. Postri„die arx oppugnari cœpta, ubi Maxi„milianus inter primos rem strenuè „ gerens, pectus vulneratur. Ungari „ verò deditione facta discedunt mitiùs „ opinione habiti. Eodem modo & „ Neapolim civitatem, & Pontes ad „ Leytham recepit, ac paulò pòst Clau„strum Neoburgum armis in potesta„tem redegit. „ [2.] Hucusque Gerardus, qui deinde bellum Ungaricum latiùs describit, cujus causa fuerat, quia Maximilianus à regno sibi ex pactis conventis debito cedere omnino nolebat, unde conscripto exercitu Sempronium, Sabariam, ac tandem Albam-Regalem capit & munit præsidiô, Budam quoque regni Metropolim cœpisset, nisi militum seditio suorum ipsum impedivisset. Rediens igitur in Austriam Maximilianus, ex primis turbarum authoribus aliquot suspendi, partim Viennam adductos gladiô percuti jubet. Hamburgi arx per eosdem dies in potestatem quoque venit, jámque Austria penè omnis ad obsequium redierat, neque enim Vladislaus, quæ extra regni limites à Matthia capta erant, defendere curabat, domi suarum rerum satagens; & Ungarorum præsidia passim dilabebantur.

„ Porro Fridericus II. Pataviensis „ electus, dum apud Imperatorem pro „ Regalium collatione & investitura „ nimis laborat, in oppido Lintzensi „ præter omnium spem profluviô ven„tris fatis concessit initiô Quadragesi„mæ. Sepultô Patavii Fridericô, Ca„nonici festinabant ad alterius Episco„pi electionem, igitur unanimi omni„um consensu in ipsa Quadragesima „ 11. nimirum Martii hoc anno ex De„cano Episcopus designatur Christo„phorus cognomentô Schachnerus ex

„ nobili

„ nobili apud Bavaros familia exortus. „ Electus Episcopus confirmationem „ ab Innocentio VIII. Pontif. Max. Romam profectus absque difficultate „ obtinuit. „ [3.]

„ Redierat jam fanior Matthias ex „ Ungaria Viennam, apud quem tunc „ morabatur Nicolaus de Bethlem Regius in Retz Capitaneus, qui Wolfgango Abbati scribit, quòd à Rege „ suo in mandatis habeat, ut censum „ dictum Aufschlag juxta Zwetlam colligat, viásque una securas reddat, ne „ bona Regis sui fiscalia subtrahantur „ aut rapiantur. Quapropter missurus suum famulum petit, quatenus „ illum suscipiat; quod ipsi coram Rege suo fore commodo promittit: si „ verò aliter egerit, timendum plurimis incommodis inde emanaturis. „ Datum Viennæ annô Domini 1490. „ feriâ quartâ post Antonii, nimirum „ 20 Januarii. „ [4.] Conjecturam aliquam mihi pariunt hæ litteræ, præsidium Ungaricum jam è Monasterio discessisse aut revocatum esse. Conjecturam meam confirmat Wolfgangus Abbas, qui ait Ungaros cum ducentis viris ad annos pené tres Monasterium tenuisse. [5.] Si igitur Annô Domini MCCCCLXXXVI. feriâ tertiâ post Martini in campis ante Egenburgam dato Regio diplomate Spanobsky cum milite Monasterium Zwetlense violenter occupavit, utique jam Annô MCCCCLXXXIX. circa Martini tres anni integri effluxerunt, atque Monasterium Ungari reliquerunt. Quare etiam Bethlemus præfatus petit in Monasterium famulum suum suscipi: quod minimè scriberet, si Ungarorum præsidium adhuc Monasterium tenuisset.

Vix abierant Ungari, & agricolæ artem à Mercuriano milite rapiendi quoque didicerant; „ unde Wolfgango „ Abbati conquestus Joannes de Malickenn Novæ-Domûs Burggravius, „ subditis suis duobus de Schomars in „ suburbiis Zwetlensibus Reydelium & „ Zimmereccerum de Ruedmars noctu „ è diversorio furatos esse duos equos, „ quos sibi restitui postulat. Ex Nova-„ Domo annô Domini 1490. feriâ quintâ post Conversionem S. Pauli, nimirum 28. Januarii. „ [6.]

„ Erat tunc temporis Plebanus in „ Edelbach Georgius Klinger, hic unà „ cum Laurentio Plebano in Buech lites habuerat cum Joanne Träthändl „ Plebano in Windigsteig, erant hi „ Presbyteri Sæculares ab Abbate ad „ Monasterii nostri Parochias in Edlbach & Windigsteig promoti, unde „ à Wolfgango Gabler Decano & Plebano in Gmündt ad suam citantur „ præsentiam, responsuri querelis Joannis prædicti. Datum Gmündt „ annô 1490. „ [7.] Docemur ex his literis Decanatum de Zwetlensi Parochia translatum fuisse in Gmündt. Nam Andreas Künigstainer, qui prioribus annis se Plebanum & Decanum in Zwetl scripserat, modò Præpositturæ titulô ornatus non ampliùs se nominat Decanum, sed tantùm Præpositum, cujus hoc anno 25. Januarii mentio habetur in literis suis in causa hæredum Buechekker de Moydrants datis. Hic autem Annô MCCCCLXXXIII. 19. Novembris se Plebanum in Zwetl & Decanum scribit, inde Annô MCCCCLXXXVII. 9. Octobris, Præpositum jam se & Decanum simul vocat: hoc tandem anno solùm Præpositum sese nuncupat, qui à Friderico Imperatore Præpositi titulum, Parochiâ in Præposituram mutatâ, recepit. Litteræ Fundationis hujus Præpositturæ cum titulo: Ad Sanctum Salvatorem Claræ-Vallis, à Friderico Imperatore datæ sunt in Nürnberg añô 1487. in die S. Luciæ; ubi Præpositus, Decanus, & duodecim Canonici specialibus privilegiis muniti constituuntur.

Porro Wolfgangus Abbas in Zwetl variis bellis, molestiis, curis, & laboribus fatigatus, insuper ætate confectus, morbis affligi cœpit, unde à Conventu

suo rogatus sese Medicis ad corporis valetudinem conservandam traderet, ipse Viennam eum in finem descendit. Ubi cùm lecto decumberet, memor suorum domi relictorum Venerabilis Senex ad Priorem suum Wolfgangum Oërtl admonitionem vitæ suæ finis præsagam ipse perscripsit, cujus hæc sunt verba: „ Dilecte Prior, ex quo nos gravi detinemur infirmitate, & cuncta in „ Dei voluntate sunt posita, & ignoramus, quidquid sua omnipotentia nobiscum disposuerit, ut autem satisfiat „ institutionibus antiquorum Patrum, „ & ne salubritas animarum negligatur, damus & concedimus vobis auctoritatem super omnes Fratres in „ Monasterio existentes, eos ad confessionem generalem recipiendos, & „ sitis circumspectus, ne aggravetis „ conscientiam vestram, & habeatis „ vobis Conventum recommissum, scienter confidimus, quia quicquid in „ ovibus delinquitur, hoc de manu „ Pastoris requiritur. Datum Viennæ „ annô Domini 1490. feriâ secundâ post „ Oculi, nimirum 8. Martii. „ [8.] Hæ ipsius litteræ nos docent, quàm fervens Ordinis Sacri zelator & amator Abbas Wolfgangus fuerit, qui etiam inter tumultus bellicos, inter milites Ungaros disciplinam regularem non omiserit promovendam, insuper infirmitate gravi detentus cogitavit de animarum salute Fratrum suorum. Capitula autem Patrum nostrorum generalia sanxerunt, ut quilibet Fratrum circa festa Paschalia generalem seu potiùs annualem Abbati suo confessionem faceret, vel ei, cui authoritatem suam Abbas cessisset. Unde quoque infirmitate impeditus eam potestatem Wolfgango Priori suo commisit.

Dum hæc circa Monasterium geruntur, obiît interea Episcopus Pataviensis, sicut suprà retuli, atque alius in ejus locum mox subrogatus fuit, atque etiam Andreas Künigstainer Præpositus Zwetlensis Præposituræ cessisse videtur; nam alius quidam eandem occupavit, atque eodem titulo usus fuit. „ Hanc ob rem „ Michaël Lochmayr Canonicus & „ Magister Fabricæ Ecclesiæ Pataviensis scribit Magistro Wolfgango „ Gabler Decretorum Baccalaureo, Decano & Plebano in Gmündt, quatenus collectam in Austria ad Fabricam „ secundùm mandatum apud se signatum detineat, & propter turbationem jurisdictionis officialis in Austria „ in Vienna, ipsi prædicto Magistro „ Wolfgango committit Officialatûs „ munus interea obire, donec Reverendissimus electus ab Urbe, quò ob „ confirmationem suam profectus est, „ redierit, & aliter disposuerit. In „ majoribus verò causis ipsi intimat „ recursum habere ad Capitulum Pataviense. Deinde jubet, si Sacerdotes „ Swerzeri, qui se gerebat Zwetlæ „ Præpositum, citati comparere noluerint, citari eos faciat ad Capitulum. „ Swerzerus enim solus à jurisdictione „ Officialis in Austria exemptus esse reperitur. Ait porro ipsum Swerzerum cedere debere Præposituræ titulo, & deinceps se non scribere „ Præpositum, sed tantùm Plebanum „ in Zwetl, sicuti articuli concordiæ „ sonant, quorum copiam dicit se mittere ipsi velle, quamprimum ex Lintz „ Joannes Prenner Canonicus domum „ redierit. Datum Pataviæ annô Domini 1490. in Cæna Domini 1. Aprilis. „ [9.] Ex hac literarum copia duo occurrunt notanda; inprimis quòd referatur propter turbationem jurisdictionis Officialis Viennæ Pataviensis, resignare se Officialatum in Inferiori Austria Pataviensem, sciendum, hoc tempore Viennæ Episcopatum tenuisse Urbanum Agriensem Episcopum Matthiæ Regis Ungariæ Quæstorem, quô, dum Rex præfatus urbem cœpisset, defunctô, administratorem se gessit Episcopatûs ejusdem Matthias quidam Episcopus Seccoviensis, sed ex catalogo Episcoporum expungitur, [10.] quia neque

neque præsentatus, neque confirmatus fuit, huic anno præsente Episcopus IV. successit Joannes Vesprinienfis, qui relictô Vladislaô partes Maximiliani spe sibi facta de Viennensi Episcopatu, ùt Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 10. loquitur, secutus est. Sub his Episcopis Viennensibus jurisdictio Pataviensis Episcopi in urbe oppugnabatur ex occasione, qùia Patavii quoque diversorum Episcoporum electio dissona, & cum Matthia Ungaro discrepans audiebatur, unde Officialis Viennæ Pataviensis à suis auxiliô destitutus mirum in modum ab adversa parte vexabatur, ut inde cedere coactus fuerit, commendato interea Officialatûs munere Decano Gmündensi, ne in tota Austria potestas Officialis extingueretur. Noviter enim electus Pataviensis Christophorus Schachnerus Romæ apud Papam confirmationem suam sollicitabat, utì suprà memoravi. Alterum notandum est, & quidem nonnullam secum fert difficultatem, cur Swerzerus se Præpositum in Zwetl nominet, vivô adhuc Andreâ Künigstainer primô Præpositô ibidem, sicut infrà ejus mentio sæpiùs occurret: insuper cur Swerzerus, quatenus Plebanus in Zwetl à jurisdictione Officialis eximatur, nisi forsan Dominum non patiebatur Officialem, quia Dominum habebat Præpositum suum. Verùm cùm Præpositi titulô usus sit, à quo abstinere jubetur, apparet eum cum Andrea Künigstainer legitimo Præposito habuisse discordias, unde quoque ab Officiali Pataviensi Sacerdotes Swerzeri seu socii divinorum ad Decanum vel ad Capitulum Pataviense citari mandantur, utique Præpositi sui querelis responsuri. Tempus autem referet tum turbationem jurisdictionis Officialis, cùm Swerzeri discordias.

Nicolaus Spanobsky adhuc in Gmündt Capitaneum Regium agebat. „ Hic Ungarum quendam sibi addictum, „ sed idiomate Ungarico ignarum, Ma„ gistrum manipularem cum milite ad „ S. Yppolitum se mittere scribit, cui „ in villis Monasterii binis vicibus per„ noctandum esse ait, si vult Abbas tutus „ esse in colonis suis, quamvis anteà „ illos non lædendos eidem inhibuerit, „ duos tamen de Monasterio viros „ cum ipso mittere jubet, qui colonos „ Monasterii ipsi significent. Datum „ Gmündt annô Domini 1490. Domi„ nicâ post Philippi & Jacobi, nimi„ rum 2. Maji. „ [11.]

Matthia Rege Nonis Aprilis defuncto, Fridericus Cæsar & Maximilianus Romanorum Rex ad recuperandam Austriam animum adjecerant, unde Proceres Austriæ perculsi, præsertim qui partes Matthiæ fovissent, pedetentim gratiam Cæsaris & Romanorum Regis requirebant. Sic quoque Abbas Wolfgangus (quia Ungaros hactenus in Monasterio sustinere cogebatur, ut suprà dixi) Lincium F. Thomam Magistrum vinorum dirigi mandârat, ut si de Monasterio Zwetlensi Rex Romanorum quæstionem moveret, cujus partis esset, quémque Dominum agnosceret aut agnovisset, esset qui responderet de præsenti & præterito.

„ Porro Stephanus Rettenberger „ Commissarius Jubilæi subscripti rogat „ & petit mutuam sibi dari ab Abbate „ vestem pro instanti inthronizatione „ Ecclesiæ B. Mariæ V. in oppido Zwetl, „ sicut est pluviale, ad cujus inthroni„ zationem (*potiùs dedicationem*) Inno„ centius Papa VIII. Indulgentias ple„ narias seu Jubilæum concessisse scri„ bit. Datum in oppido Zwetl annô „ Domini 1490. penultimâ Maji. „ [12.] Apparet ex his, anteà Parochialem Ecclesiam in monte stetisse, ubi modò Præpositus sedem habet, nam ante unum sæculum ferme eadem Parochia à Bonifacio Papa IX. Monasterio Zwetlensi unà cum Parochiis Cistersdorf, Sweickers, & Windigsteig incorporatur, cujus hæc sunt verba: „ Ac Pa„ rochiam, *inquit Papa*, S. Joannis „ Evangelistæ dictam in monte Zwetla

„ ad collationem Episcopi Pataviensis „ pro tempore existentis pertinentem; tandem circa hoc tempus Ecclesiam B. Mariæ, quæ hodie Parochialem jurisdictionem habet, ædificatam fuisse, atque pro ejus dedicatione ab Innocentio Papa VIII. Indulgentias plenarias per modum Jubilæi accepisse.

Præterea Joannes Træthan quondam in Windigsteig Plebanus cùm adhuc in vivis esset, & jam Parochia Stephano Aspenhawser collata fuisset, atque ex infirmitate eam sponte resignâsset, in extremis cum morte diu colluctatus, legavit dictæ suæ quondam Parochiæ in animæ suæ remedium vineam unam Rhetii in Gallingperg sitam, & pratum in Windigsteig im Reutt dictam. Datum annô Domini 1490. in festo SS. Trinitatis, 30. Maji. [13.]

„ Scribit porro Abbati in Zwetl „ Stephani Aspenhawser Sacellanus & „ Monasterii Vicarius Parochiæ in Windigsteig, quòd cum D. Mattschacher „ ratione tumultûs rusticorum ejus locutus sit, quem iratum sibi respondisse ait, si ipsos præsentes haberet, „ velle ipsos se ante oculos ejus neci „ dare. Demum invitat Cellerarium „ & F. Thomam Hawnoldt atque alios „ Fratres, quos mittere placet, ad solennitatem B. Virginis ad Nives proximè à se celebrandam cum viginti „ quatuor Sacerdotibus in Capella B. „ Virginis in Rasing solenni ritu ob honorem Monasterii majorem. Ex Windigsteig annô Domini 1490. feriâ tertiâ in festo S. Petri ad Vincula, nimirum 1. Augusti. „ [14.] Citatum suprà D. Mattschacher credo ego tunc possessorem fuisse castelli in Mewres, cujus subditi in Windigsteig tumultuabant. Causa tumultûs latet. Præterea constat jam ab hoc tempore Sacellum B. V. Mariæ in Rasing cultu & devotione frequentari cœptum esse, præsertim à vicinis, unde etiam à Waidhofensibus civibus tam peregrinatio frequens, quàm congregatio Deiparæ dolorosæ culta fuit.

Interea Fridericus & Maximilianus à morte Matthiæ conscripto milite Austriam recuperare studebant, quod quidam Austriæ Proceres videntes & periculum sibi imminere attendentes, iram Principum se humiliando per alios lenire tentabant. „ Quare Sigismundus Hager Capitaneus Cæsareus & Regius „ in Crembs scribit de Nobilibus Viris ac „ Dominis Alberto de Rohr & Wilhelmo de Missingdorf, se nuper apud „ illos fuisse causâ quorundam articulorum Cæsari ab eis offerendorum, „ quos ita enumerat: Primus, ut Cæsar ipsos in gratiam suam recipiat, „ & parcat, quia Regis Ungariæ partes „ secuti fuissent, eúmque adjuvissent: „ Secundus, ut Cæsar literas renuntiatorias pacis reddat & ipsis restituat: „ Tertius, ut Cæsar in collatis feodis „ nihil immutet, nec quicquam circa „ illa renovet: Quartus, ut privilegia „ & nomen familiæ ipsis integra relinquat: Quintus, quòd rogent submissô animô diploma gratiæ Cæsareum, ùt vulgò vocant, sibi conferri, „ atque demum se offerunt Majestati „ Cæsareæ totos fideles & ad omnia „ paratos Ministeriales seu provinciales. Hos omnes articulos præfatus „ Capitaneus Crembsensis se Cæsari „ obtulisse nuntiat, quibus contentus „ Cæsar remisit eis culpam & pœnam „ omnem, & promisit gratiæ suæ diploma, si contrà ipsi fidelitatis literas „ sibi contraderent: vel si ipsi diploma „ præfatum non petentes Cæsari fidem „ darent & haberent, ipse quoque illis „ suam vellet servare fidem. Quam „ ultimam resolutionem sibi quoque „ placere ait Capitaneus, hoc insuper „ consilium esse D. Wolfgangi de Meylerstorf, cujus in aliis consiliô usus „ est. Promisit insuper Majestas sua „ Cæsarea ipsos in suam suscipere & „ defendere, in eum finem jam D. „ Debusch atque aliis suis Capitaneis „ Cæsarem dedisse in mandatis, ut præfatos Dominos Rohrium & Missingdor-

„ dorsium necessitate compellente circa pauperes suos subditos ab omni homagio aut vexatione liberos conservarent. Idem ut renuntient ceteris vicinis suis Dominis eósque ad Cæsaris gratiam pelliciant, Capitaneus Crembsensis petit, atque demum quid profecerint sibi rescribi hortatur. Datum Crembsii annô Domini 1490. feriâ 6. post festum Assumptionis, nimirum 20. Augusti. „ [15.] Hi duo Domini graviter Cæsarem offenderant, missis ad eum tabulis publicis pacem eidem renuntiârunt, atque bellum ipsi ejúsque fidelibus indixerunt, unde eas tabulas sibi reddi postulant.

Porro F. Colomannus Magister curiæ in Rasing & Confessor Monialium ad S. Bernardum bonum œconomum sese exhibebat, scribens Venerabili Abbati suo Wolfgango ultimò de re sua domestica, vino & frumento, nihil tunc somnians de obitu pii Patris aut electione sua. „ Datum in curia Rasing, annô Domini 1490. in die Ægidii, 1. Septembris. „ [16.]

Wolfgangus interea Abbas Viennæ morabatur causâ malæ valetudinis, qui dum nimiùm viribus suis crederet, atque nondum integræ sanitati redditus, negotium Monasterii aliquod apud Maximilianum procuraturus, qui ante paucos dies Viennam urbem deditione, & arcem vi ceperat, exiîsset, atque deinde domum reversus in gradibus testudinis curiæ Zwetlensis consistens & vires amisit & spiritum emisit pius & Venerabilis Pater. Cujus obitûs diem & annum omnes attingunt præter unicum recentiorem auctorem, qui uno die ab aliis discedit. Sic autem ad Martyrologium illius annua fit commemoratio: „ Tertiô Idus Octobris obiît D. Wolfgangus quondam Abbas Zwetlensis annô Domini 1490. Wiennæ nostra in curia. „ Ita quoque refert Mortilogium Zwetlense commune. Ejus gesta, ætatem, & obitûs annum nemo meliùs & clariùs perscripsit quàm ejusdem Prior F. Wolfgangus Öertl, qui Abbatum Zwetlensium Catalogum usque ad sua tempora perduxit, scribit verò de Wolfgango I. sequentia: „ Wolfgangus Joachim 31.mus Iste abbatizavit 18. annos, omni tempore suæ Abbatiæ habuit lites nunc à Bohemis, nunc ab Ungaris, qui tenuerunt Monasterium cum ducentis viris penè ad tres annos. Quapropter Zwetlenses nos maximè molestârunt, comburentes pistrinum, & horreum cum omnibus frumentis, ablatis omnibus ovibus. Iste construxit murum apud Cœmiterium pro defensione: infulam majorem fieri fecit: duas stubas magnas videlicet in Conventu & stubam hospitum construxit: sub quo nos Ordinem intravimus, qui & in Priorem nos instituit. Defunctus tandem Viennæ, in testudine (heu!) prævocatus circa annum Domini 1490. fuit homo quasi octuaginta sex annorum, optimè rexit, bonus domesticus fuit, longo tempore Cellerarius extitit. „ Hucusque de Wolfgango I. Wolfgangus II. Abbas in suo Catalogo. De Bohemorum in Austriam excursione quasi quotidiana ejúsque devastatione abundè sub Wolfgangi I. Abbatis regimine scriptum est, sic quoque de Ungarorum bello.

De sepultura verò illius non constat, utrum Viennæ conditus ubi decessit; an in Monasterium deductus fuerit sepeliendus. Tertiô igitur Idus Octobris defuncto pio Patre, atque ejus exequiis peractis, Conventus ritè ad novi Abbatis electionem convenit, atque votis datis unanimiter Colomannum Magistrum curiæ in Rasing & in S. Bernardo Confessorem in Abbatem Zwetlensem elegit. De cujus electione & successione omnes catalogi conveniunt præter chronosticorum Authorem, qui neque annum, neque successionem tenet confuso ordine & tempore, quem etiam hoc loco respuo. Recentior Au-

thor sic de eo scribit: „ Colomannus „ (*anno sub isto*) electus 10. Novembris. De quo etiam Wolfgangus Abbas: „ Colomannus 32.dus Annô Domini „ 1490. electus, quinque annis abbati- „ zavit, Confessor Monialium in Mo- „ nasterio S. Bernardi, & Rector curiæ „ in Rasing fuit. Alius quidam anno- tavit de eo taliter: „ Annô Domini „ 1490. in profesto S. Martini (*nimirum* „ *10. Novembris*) Confessor Coloman- „ nus electus est in Abbatem. „

Excepit autem ipsum in primo sta- tim limine suæ Abbatiæ gravis hostium exactio, à qua tamen se expedivit, non tantùm autem hostibus, sed quoque Cæsari & Romanorum Regi censum per- solvere cogebatur.

Porro Abbas apud Imperatorem in supplici suo libello sic conquestus esse reperitur: „ Item ab hostibus de Egen- „ burga, Horn, aliísque municipiis, „ quæ adhuc ab iis tenentur, cædibus, „ spoliis, & incendiis coacti sumus jam „ à festo Michaëlis binas exactiones gra- „ ves, seu homagia dura, insuper de „ vino censum, & censum alium dictum „ Aufschlag / atque talentum quadra- „ gesimum, ipsis tantùm hostibus por- „ rigere. [17.] Unde Joannes Kam- „ roski Regis Ungariæ & Bohemiæ „ Censor in Egenburg fatetur se cum „ Abbate in Zwetl convenisse de qua- „ dragesimo talento & homagio. Da- „ tum Egenburgæ annô Domini 1490. „ feriâ 4. ante Elisabeth, nimirum 17. „ Novembris. „ [18.] Hic à Mona- sterio homagii censum recepit feriâ ter- tiâ post Luciæ, nimirum 14. Decembris, ùt chyrographô suô fatetur. Ita quo- que Cornutenses Ungari Abbatem ve- xârunt, quod inde patet; „ nam Jo- „ annes Wigstensky & Bernardus Ta- „ binger Regis Ungariæ & Bohemiæ in „ Horn Castellani dederunt securitatis „ literas, seu salvum conductum Abbati „ pro aliquot centum curribus in Horn „ mittendis. Datæ ibidem annô Do- „ mini 1490. feriâ quartâ ante Catha- „ rinæ, nimirum 24. Novembris. „ [19.]

„ Demum F. Thomas Cellerarius „ scribit Viennâ Colomanno Abbati „ suo, quòd Crembsii apud Fuchsin „ vina Monasterii deposuerit unà cum „ pecunia sigillô suô signata, quam sibi „ colonos de Offarn dedisse ait, nimi- „ rum 22. tal. den. testem oculatum „ horum adducit Cellerarium Campi- „ liliorum. Deinde certiorem eum „ facit de censu dicto Aufschlag. Item „ de conductis vinitoribus in Lews & „ Crembs. Item Viennæ ait se ratio- „ nes iniisse vinearum cultarum cum „ Sigismundo Gürtner. De novis „ nuntiat eidem, quòd Alba-Regalis „ sit à Maximiliano expugnata, & tria „ millia ascendant seu pergant adversùs „ Budam, & dicitur Romanorum Rex „ morari ante Budam veterem, ubi ejus „ ingressus expectatur, &c. Datum „ Viennæ annô Domini 1490. in Vigi- „ lia S. Andreæ Apostoli. „ [20.] Quoad nova, recurrendum est ad ini- tium hujus anni, de quibus Lectorem cupidum Gerardus instruit pleniùs: ad hujus tamen relationem F. Thomæ Cu- spinianus magìs accedere videtur quàm Gerardus; sic enim loquitur de Maxi- miliano: „ Et si peditum pertinacia, „ qui ulteriùs progredi recusabant di- „ tati prædâ, quam in Alba-Regali ce- „ perant, non obstitisset, captâ Budâ „ regni Metropoli, violenter regnum „ occupâsset. Judex enim Budensis „ cum nonnullis civibus jam urbis cla- „ ves obviam progressus afferebat, „ quod ejus ex ore ipse audivi. Sed „ cùm fata obstarent, reversus in Au- „ striam Maximilianus &c. „ [21.] Atque hæc Cuspinianus.

ADDI-

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 10.

Cuspinianus in Cæsaribus sub Maximiliano I.

Catalogus Rectorum Viennensium Ederi hoc anno.

Bzovius ad hunc annum n. 4. „ Viennæ „ (*Matthias*) in celebri festivitate Palmarum, „ in theatro temporario, quod in areis sub- „ dialibus pridie erexerat, ornaveràtque, an- „ te aram pretiosissimo instructam apparatu, „ cum Legato Apostolico, omnibus Orato- „ ribus, & cunctis Procerum Ordinibus, sex „ circiter horis, donec Palmarum festa ex „ more agerentur, interfuerat; ac inde in Pa- „ latium revertens, tres adhuc horas pran- „ dere distulerat, Reginam expectans, sacro „ die urbana templa lustrantem. Indè debili- „ tatô stomachô languorem incurrit; excan- „ descens paulò pòst in famulum, à mensa „ jejunus surrexit; vertigine capitis, & con- „ fusione oculorum, deinde apoplexiâ cor- „ reptus, ex qua die Martis proximo, Nonis „ Aprilis annô ætatis 47. extinctus est. - - - - - „ Quidam Moravi Proceres, nuncio mortis „ tardiùs credidêre; quoniam memoriâ tene- „ bant, aliquoties famam mortis ejus antea „ sparsam fuisse, ac semper illum magnô ali- „ cujus malô resurrexisse. Postquam certò „ apparuit sepultum, unus è Proceribus illis: „ à centum, inquit, annis, malus thesaurus „ meliùs tempestiviùsque in terram conditus „ non est: malè enim ille fuerat mulctatus à „ Matthia. „

Spondanus ad hunc ann. n. 4. „ Quod „ autem belli Turcici, de quo nuper diceba- „ mus, consilia maximè disturbavit, obitus „ fuit Matthiæ Regis Hungariæ; non solùm „ quòd ei gerendo nemo illo aptior videri „ poterat, verùm etiam, quòd post ejus obi- „ tum nonnulli potentes Principes regnum „ Hungariæ jure suo quique ad se trahentes, „ vires Germaniæ ac vicinorum regnorum „ distraxerunt. Mortuus autem est Viennæ „ in Austria ex apoplexia, qua repentè cor- „ reptus Dominicâ Palmarum, quæ incidit in „ quartam diem Aprilis, die Martis subse- „ quenti animam efflavit. Inter moriendum „ pilula nucis instar è stomacho repentè sub- „ orta, & inter agendam animam sensim ad „ os subiens, cùm ad epiglottim pervenisset, „ ille continuò expiravit. Inter alia mortis „ ejus portenta, leones qui Budæ detine- „ bantur, omnes eodem die quo Rex interiêre. „ Itémque nulli eo tempore corvi, qui Cor- „ vinæ domûs insignia referebant, Budæ in- „ specti sunt: contrà Albæ, ubi Regum mo- „ numenta erant, tanta corvorum inter se „ crocitantium multitudo spectata, ut omnes „ Regis mortem facilè ariolarentur. Delatus „ igitur Albam-Regiam ad conditoria Regum, „ magnificam nactus est sepulturam: quam „ Bonfinius, unà cum obitu describens, simul „ in ejus laudes, dotésque animi & corporis „ stylum copiosè effudit. - - - - De Mat- „ thiæ obitu ait (*Joannes Linturius*) eum in „ extremis mugitum, ùt bovem emisisse. Mor- „ tuus est autem annô suæ ætatis quadrage- „ simô nonô, regni trigesimô secundô, mense „ tertio. „

Joannes Sambucus in Appendice ad Indicem 36. Epitomes Rerum Hungaric. Ranzani. „ Annô 89. supra CCCC. omnes cùm domi „ exortos motus amanter composuisset, (*Mat- „ thias*) ac totius corporis lassitudine & po- „ dagrâ nimis affligeretur: Viennam se de- „ portari jussit. Ubi sequenti anno, ruinis „ passim quibusdam restitutis, misso etiam „ paulò antè in Silesiam contra quendam se- „ ditiosum exercitu, ex apoplexia moritur. „ Sunt qui mortis causam fuisse Beatricem, „ satis deformem velint. Quòd hæc cùm „ negligi se videret, atque in Italos quiddam „ cum Frederico parari animadverteret: à qui- „ busdam Italiæ Principibus corruptam, siti- „ enti ex adverso nuntio Matthiæ, ficus to- „ stas, & eas venenô imbutas, ante frigidæ „ potum, nimis blandè exhibuisse devoran- „ das. Quibus ille comestis, quasi dolum „ sentiens, Germanos & Ungaros exhortari, „ atque orare non destiterit, suum filium ad „ regnum ut evocarent: *periculosum aliunde „ accitorum esse imperium*: deinde Beatricem „ cum sua dote & muneribus expedirent: po- „ stremò turmas illas suas nigras, quæ non „ tumultuariô præliô, sed statariô vincere „ consuessent, ne negligerent, quod nisì fa- „ cerent, eversionem regni, utì accidit, sub- „ secuturam. Hæc ùt aliquoties repetiverit, „ octavo à veneno exhibito die, hoc est 4. „ Aprilis, illum ad regionem Sanctorum com- „ migrâsse. Alii etiam veru per nates dor- „ mienti immisso, necatum à quibusdam suis „ ajunt, quod affirmare non ausim. Cadaver „ ejus Albam-Regiam deductum, ínque Re- „ gum conditorio magnificè depositum est. „ Hic fuit decursus imperii, & feliciffimè sive „ domi, sive militiæ gestorum Matthiæ, per „ Annos XXXVII. „

Spondanus ubi suprà n. 5. „ Sed de sce- „ lere Beatricis quàm longissimè ab eo sunt, „ quæ de ejus in Matthiam exhibitis in mo- „ ribundum officiis idem Bonfinius narrat.

 „ Nisi

„ Nisì hæ fuerint artes muliebres, fingere sci„ entissimæ. Et quod Sambucus addit, fuisse, „ qui assererent Matthiæ veru per nates dor„ mienti immisso necatum à quibusdam suis „ esse; id quidem omnino falsum esse non „ dubitamus. Laudandum verò maximè, „ quod Bonfinius ait fuisse ei præter armorum „ studium, etiam litteras in commendatione, „ ac viros in quibuslibet scientiis qualibét„ que arte præstantes undique disquisîsse, „ magnísque sumptibus conduxisse; denique „ Bibliothecam in arce Budensi construxisse, „ mira utriusque linguæ fecunditate, cultú„ que librorum luxuriosissimo completam; „ multásque linguas calluisse, adeo ut præter „ Turcicum & Græcum omnium Europæ glos„ sematum cognitionem habuerit. „

[2.] Gerardus ubi suprà.

Catalogus Rectorum citatô locô. „ Hoc „ anno D. Maximilianus Rex Romanorum re„ cuperavit Viennam, Neapolim, & totam „ ferè Austriam occupatam à Matthia Rege „ Hungariæ patre Friderico III. adhuc vi„ vente. „

Cuspinianus ubi suprà. „ Habuit tum „ Maximilianus Rex Comitia Principum Im„ perii Norinbergæ, cùm mors Matthiæ Regis „ Hungariæ nunciaretur, qui Viennæ annô „ Christi 1490. in vigilia Cœnæ Domini mor„ tuus est, cùm jam Austriam annis penè „ sexdecim occupâsset, libentérque cum Rege „ Maximiliano, si pater admisisset, ante mor„ tem suam convenisset. Coactis igitur co„ piis descendit in Austriam, dehinc in Hun„ gariam: expugnatáque Alba-Regali urbe in„ signi, in qua Reges Hungariæ coronari con„ sueverunt, Hungaros eò penè redegit, ut „ eum Regem Hungariæ agnoscerent. Et si „ peditum pertinacia, qui ulteriùs progredi „ recusabant, ditati prædâ quam in Alba„ Regali ceperant, non obstitisset, captâ Budâ „ regni Metropoli, violenter regnum occu„ pâsset. Judex enim Budensis cum non„ nullis civibus jam urbis claves, obviam pro„ gressus, afferebat, quod ejus ex ore ipse „ audivi. Sed cùm fata obstarent, reversus „ in Austriam Maximilianus, cùm Hungari „ ductu Beatricis Reginæ, viduæ Matthiæ „ Regis, in Vladislaum consentirent, quem „ illa optabat maritum, annô Christi mille„ simô quadringentesimô nonagesimô primô, „ in Posonia facta est compositio & tractatus „ unionis, quòd si Vladislaus nullam ex lum„ bis suis masculam prolem produceret, ut „ ad hoc regnum Hungariæ solus Maximilia„ nus, aut ejus hæredes rectâ lineâ descen„ dentes, liberè sine omni impedimento tran„ sirent. Interea titulô uteretur, quemad„ modum Tractatus Posoniensis longè laté„ que in se continet. „

[3.] Hundius in Metropoli sua sub Friderico Pataviensi.

[4.] Ex Autographo ipsius.

[5.] Wolfgangus Abbas in sua Abbatum serie sub Wolfgango.

[6. & 7.] Ex literarum monumentis.

[8.] Ex Autographo ipsius.

[9.] Ex literarum monumentis.

[10.] Catalogus Rectorum Viennensium Georgii Ederi An. 1483. „ Episcopus Vien„ nensis Urbanus Episcopus Agriensis, Mat„ thiæ Regis Hungariæ Quæstor.

„ Quô defunctô Matthias quidam Episco„ pus Secoviensis administratorem se hujus „ Ecclesiæ appellari voluit: sed cùm neque „ præsentatus fuerit, neque confirmatus, in„ ter Episcopos Viennenses non numeratur. „

[11.] Ex literarum monumentis.

[12.] Ex literarum monumentis.

[13.] Ex copia ipsius.

[14. 15. 16.] Ex Autographis ipsorum.

[17.] E literarum monumentis.

[18.] Ex Autographo ipsius.

[19.] E literarum monumentis.

[20.] Ex Autographo ipsius.

[21.] Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano I.

Annus Christi MCCCCXCI. Monasterii CCCLIII.

Pont. Rom. Innocentius VIII. *Imp. Rom.* Fridericus IV. *Archi-Dux Austriæ* Maximilianus I.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Colomannus.

„ MAximilianus cupidus Ungariæ „ occupandæ cùm apud patrem „ nihil impetraret, cui satis esse vide„ batur Austriam recepisse, reliquos „ Germaniæ Principes de auxiliis ad „ continuandum in Ungaria bellum sol„ licitabat. Verùm nihil impetrare po„ tuit: quare in pacem cum Vladislao „ Rege

„ Rege Ungariæ deſcendere cogebatur,
„ quæ poſt longam diſceptationem in
„ hunc modum facta eſt: utì pacta con-
„ venta, quo tempore corona redime-
„ batur, inita reſtaurentur. Vladislao
„ ſine prole moriente regnum ad Au-
„ ſtriacos devolvatur. Maximiliano
„ in belli expenſas centies mille num-
„ mûm numerentur. Regis titulus utri-
„ que relinquatur; ſummi honores,
„ utì ſunt duûm-viratus, palatinatus,
„ & cetera ejusmodi munia ex utrius-
„ que conſenſu tribuantur. Uterque
„ eosdem ſocios amicósque, eosdem
„ inimicos atque hoſtes habeat. Jure
„ ſocietatis uterque alterum juvet. Ger-
„ manus ac Ungarus eodem loco ha-
„ beantur. Nemini ex his fraudi ſit,
„ ad Maximilianum defeciſſe. Cum
„ his pacis articulis legati malè ferme
„ domi à populo, ſervitutem hanc eſſe
„ iniquiſſimam clamante, excepti fuêre.
* [1.] Hæc omnia ex Gerardo deſumpta ſunt. Reſumo geſta Monaſterii.

„ Scribit F. Joannes dictus Reytter
„ pro tunc Vicarius in Ciſtersdorff D.
„ Colomanno Abbati ſuo rogans ac
„ conſulens, ut vina præteriti anni inibi
„ relinquantur, donec ſalvus conductus
„ jam ſemel in Egenburg à Supremo
„ Capitaneo Hawbitzio impetratus,
„ verùm in Ciſterſtorff revocatus, de-
„ nuo obtineatur. Datum Viennæ
„ annô Domini 1491. Dominicâ Septua-
„ geſimæ, nimirum 23. Januarii. „
[2.] Vocatur his in literis Hawbitzius Summus Regis Bohemiæ in Egenburga Capitaneus, ſciendum enim nonnulla præſidia Ungarorum mortuô Matthiâ, quædam loca, caſtra, civitates, municipia, præſertim tam naturâ quàm arte munita, ſervâſſe & tenuiſſe adhuc per Auſtriam nomine Vladislai Bohemiæ Regis, qui jam Rex Ungariæ coronatus fuerat, quem Capitanei Ungari bellum cum Cæſare & Rege Romanorum proſecuturum credebant. Verùm ipſe in Ungaria recuperanda occupatus non tantùm non promovit in Auſtria regnum ſuum, ſed etiam poſtea facta cum Maximiliano pace Viennam unà cum integra provincia reſtituit; unde præſidia Ungarica paulatim dilabi cogebantur municipiis relictis.

Prodit præterea Antiquitas ea, quæ anno priori de homagiis in Egenburg faciendis retuli, moleſtias nimirum, quibus Colomannus Abbas in initio ſui regiminis exagitabatur. Erat autem homagium non leve tribulationis genus Egenburgenſi Capitaneo Hawbitzio pendendum, cujus Index ita incipit:
„ Annô 1491. Notanda homagii com-
„ putatio in Egenburgam feriâ quintâ
„ ante Agnetis, nimirum 20. Januarii. „
[3.] Omiſi verò rerum in eo Indice conſcriptarum ſeriem pertexere, quia illius homagii aliàs non infrequens mentio occurret.

Interea Abbatem in Zwetl apud Cæſarem detulerat Matthæus de Spawr hæreditarius Tirolis Pincerna & Camerarius, cui Fridericus Tulnenſes in Auſtria campos ob pecuniam in belli Ungarici ſumptus mutuò acceptam oppignoraverat, ex eo quòd ipſum Advocatum colonorum Monaſterii & judicii provincialis in campis dictis poſſeſſorem agnoſcere nollet, atque etiam colonis in Oſſarn, qui ad Monaſterium noſtrum ſpectant, quicquam ipſi Matthæo utì Advocato porrigere, & cenſum dare prohibuerit. Fridericus igitur diplomate ſuo Colomanno in Zwetl Abbati mandat, quatenus dicto Matthæo Camerario ſuo ad redimendam advocatiam & provinciale judicium in agro Tulnenſi ſita florenos centum Ungaricos numeret: quod ſi facere neglexerit, coloni Monaſterii in dicto agro habitantes à præfato Matthæo ſine ſuo impedimento in vincula conjicientur. Datum Lincii annô Domini 1491. feriâ quartâ Cinerum, nimirum 9. Februarii, annô verò Imperii ſui quinquageſimô nonô. [4.]

Porro homagio gravi ſeu potiùs iniquiſſima pecuniarum emunctione anno iſto Monaſterium ab Ungaris vexatum

 fuit,

fuit, qui cum præsidio adhuc tenebant Egenburgam, de qua ita in Indice suo Colomannus Abbas: „ Homagii computatio ad Egenburgam à feria quinta „ ante Matthiæ (*nimirum 17. Februarii*) „ anni 1491. usque ad Pancratii vel „ Ascensionis Domini. (*videlicet 12. Maji.*) Item 165. talenta. Unum vas „ Malvasir. (*est vinum Fori-Julianum*) „ Centum libras olei. Quinque libras „ piperis. Duo volumina lini optimi. „ Scribæ 6. talenta. Pellem martis. Et „ paulò pòst: Homagium ad Egenburgam à die Pancratii vel ab Ascensione „ Domini usque ad feriam quintam „ post festum Stephani inventi. (*nimirum 4. Augusti.*) Annô 1491. summa „ pecuniæ sine æstimatione clenodiorum est 184. talenta, cum medio talento. Item duo volumina lini optimi. Item quinque libræ piperis. Item „ decem octalia butyri. „ [5.] Hucusque Index, qui ea confirmat, quæ anno priori de gravi regiminis initio quoad Colomanni Abbatiam retuli.

Reperi quoque inter alia Ruperti Aichpeck in Zwetlensi oppido cooperatoris Parochi literas, quas F. Wolfgango Priori Zwetlensi misit; „ invitans ipsum unà cum duobus aut pluribus Sacerdotibus de Conventu ad „ tricesimum D. Adamo persolvendum, „ diem nominans feriam tertiam post „ Judica, nimirum 15. Martii. Ex „ Zwetl oppido annô Domini 1491. „ feriâ quintâ ante Judica, nimirum „ 10. Martii. „ [6.] Hæc ideo retuli, quia plures tunc in Zwetlensi Parochia Sacerdotes alebantur, qui divina ibidem officia fundata persolvebant, unde quoque Capitulum constituebant, cujus suo tempore mentio non omittetur.

Mentio item fit Dorotheæ Abbatissæ ad S. Bernardum, quæ adhuc memor præcepti Wolfgangi I. Abbatis in Zwetl Ordinarii Visitatoris sui, ne quid absque illius consilio aut consensu faceret: „ scribit Colomanno Abbati, suo quondam Confessario, & jam Visitatori, „ & nuntians quædam, petit consilium, quid agere, quid omittere debeat; significat autem se fuisse in „ Egenburg apud Homagiatorem & „ Juniorem Steger ibidem ratione cujusdam deprædationis suis factæ. Qui „ ipsi consilio fuerunt, utì Regi Bohemiæ scriberet, se quoque literas suas „ addituros. Datum in S. Bernardo „ annô Domini 1491. feriâ tertiâ post „ Trinitatem, nimirum 24. Maji. „ [7.]

A morte Matthiæ Regis Fridericus & Maximilianus defectionem Procerum Austriæ diligenter inquisiverunt & examinaverunt, illorum præsertim, qui gratiam Principum præfatorum, legitimorum nimirum Dominorum suorum quærere neglexerunt; sperabant enim nonnulli fore, ut Vladislaus Rex Bohemiæ & Ungariæ jam à Maximiliano bellô provocatus & irritatus, non tantùm Ungariam integram sibi recuperaret, sed quoque Austriam ex parte occupatam, totam suis regnis adjicere laboraret, atque ita ipsis quoque auxilio futurus esset. Spes ista tamen illos fefellit, cùm Vladislaus cum Maximiliano pacem iniêrit, sicut in frontispicio hujus anni illius memini, atque etiam totam eidem Principi Austriam cesserit, imò quoque Ungariam, si absque mascula prole decederet. Rex igitur Romanorum ad Austriacos quosdam puniendos adjiciens animum, Joannem & Wilhelmum Puechaimios Architriclinos Austriæ hæreditarios de fide mutata examinare cœpit, quorum hic in Gmünd castrum suum cum civitate, alter Teyiam oppidum Ungaris tradiderant, præsidiúmque ipsorum susceperant, necdum sese apud Cæsarem aut filium ejus Regem insinuârunt. Re itaque Joannis Puechaimii examinata, Colomannus Abbas in Zwetl rogatus instrumentum Vidimus, ùt vocant, tale confecit: „ Dominus Joannes de Puechaym hæreditarius Austriæ Architriclinus fatetur, quòd Nobilis Vir Balthasar „ Sum-

„ Summer de Pirchach Capitaneus „ suus fuerit in Ecclesia & oppido dicto „ Teyia, quod oppidum de jussu & „ voluntate sua propter Cæsareanorum „ insolentias ille tradidit Capitaneis „ Regis Ungariæ & Bohemiæ Matthiæ „ custodiendum & præsidiô suô defen- „ dendum &c. Data est à Puechaymio „ litera in Haidenreichstain feriâ quar- „ tâ post Lætare. Vidimus verò datum „ est in Claustro Zwetl annô Domini „ 1491. Dominicâ ante Ulrici, nimi- „ rum 3. Julii. „ [8.] Quid verò Puechaimius à Rege Romanorum obtinuerit, an in gratiam receptus fuerit, nondum reperi.

Eligitur etiam arbiter inter partes Colomannus Abbas, ita enim ipsi D. Gabriel de Neudegg scribit; „ quòd „ nimirum lites habeat cum Cadawero „ in Sicharts propter decimam unam, „ neque adhuc cum ipso convenire „ potuerit. Rogat itaque Colomannum „ Abbatem eam sibi gratiam præstare, „ si placeret, quatenus unà cum adver- „ sario suo in Monasterio Zwetl coram „ eo tanquam arbitro inter illos & Ju- „ dice agere valeat, atque pacem inire „ possint. Petit responsum. Datum „ Liechtenawe annô Domini 1491. Do- „ minicâ in die S. Alexii 17. Julii. „ [9.] Unde colligitur Neudeccios regulos non tantùm Ottenstainam castrum, sed quoque aliud vel emptionis vel matrimonii jure acquisitum castrum Liechtenawe seu Claram-Augeam dictum incoluisse, de quorum familia Monialis quædam in S. Bernardo nostri Ordinis Elisabetha nomine facta est.

Ex Proceribus illis, qui nondum Friderico aut Maximiliano sese tradiderant, erat quoque Georgius Eitzingerus de Schrätental, qui adhuc illos, qui Cæsaris partes sequebantur, impugnabat, præsertim tamen Religiosos vexabat, qui apud Cæsarem de eo conquesti tale diploma impetrârunt: „ Fridericum Imperatorem nimirum per- „ cepisse, quatenus Georgius de Ei- „ tzing variis homagiis & exactionibus „ gravet Abbates Zwetlensem & Alten- „ burgensem, nec non Abbatissam de „ S. Bernardo, & Barbaram Hawserin, „ aliósque Nobiles, quod sibi maximè „ displicere fatetur, præsertim cùm an- „ teà multas ab hoste exactiones per- „ tulerint. Quapropter ei mandat, ut „ captivos & ablata reddat, perdita re- „ cuperet, amicum se illis exhibeat, „ pacémque cum iisdem stabilem ineat. „ Sin fecerit, minatur se illud filio suo „ Romanorum Regi indicare debere, „ quocum pressos à potestate Eitzin- „ geri eripere velit. Datum Lintzii, „ annô Domini 1491. feriâ quintâ ante „ Magdalenæ, nimirum 21. Julii. „ [10.] Præfata Barbara Hawserin in Bojorum regno cujusdam reguli de familia Hawserorum relicta, arcem quandam incolebat, cujus subditos præfatus Eitzingerus vinculis, igne, homagiis quoque vexaverat. Erat autem de eadem Hawserorum familia quidam Austriæ regulus Leopoldus Hawser dictus, qui castrum Greitzenstain possidebat, hujus D. Barbaræ affinis, cujus hoc anno Calendis ipsis Januariis mentio habetur. Inter ceteros tamen magìs vexârat imbellem Abbatissam præfatam, quæ ab Imperatore contra eundem Eitzingerum diploma singulare obtinuit, in quo refertur; „ quòd ipse Cœno- „ bii Monialium ad S. Bernardum sub- „ ditos in Waizendorf ratione juris „ Advocatiæ, nomine fratris ejus in „ Kayia nova vectigalia, census, labo- „ res portare coëgerit, quos ab hosti- „ bus seu prædonibus incendiô con- „ sumptas casas suas reædificare impe- „ dit. Quapropter Fridericus Cæsar „ ipsi quoque mandat, ut ab ejusce- „ modi molestiis & vexationibus præ- „ dictæ Abbatissæ cesset, aliàs se Mo- „ nasterii illius fore defensorem: invi- „ tat verò ipsum ad diem, qua utraque „ pars conveniat, & res componatur, „ si non amicè, saltem secundùm viam „ juris sententia expectetur. Datum

Hhh h „ in

„ in Lintz feriâ sextâ in S. Mariæ Mag-
„ dalenæ festo. „ [11.]

Continuatur grave ad Egenburgam solvendum Ungaris vectigal seu homagium, cujus in Indice quodam talis mentio habetur: „ Homagium ad E-
„ genburgam à feria quinta post S. Ste-
„ phani Inventionem (*nimirum à quarta*
„ *Augusti*) usque ad feriam quintam
„ ante Simonis & Judæ (*nimirum usque*
„ *ad* 27. *Octobris*) Annô 1491. In pe-
„ cunia summa est 188½. talentorum.
„ Cetera sunt, duo volumina lini opti-
„ mi. Quinque libræ piperis. Quar-
„ tale unum butyri liquati. Quinque
„ modii farinæ. Quinque modii ave-
„ næ. Item ex decimis duo modii fari-
„ næ & totidem avenæ. Hæc ex Mo-
„ nasterio, alia sunt ex pagis illuc con-
„ tribuenda. „ [12.] Hucusque Colomanni Index.

„ Majoris securitatis gratiâ Wilhel-
„ mus Missingdorfius Austriæ Ministe-
„ rialis in Monasterium Zwetlense vina
„ sua servanda deduxerat, unde scri-
„ bens Colomanno Abbati, quatenus
„ eadem D. Stahrenbergium de Rap-
„ pottenstain gustare sinat, si fortè pa-
„ lato ejus saperent, atque emeret.
„ Datum Dobra annô Domini mille-
„ simô quadringentesimô nonagesimô
„ primô feriâ secundâ ante festum S.
„ Francisci, nimirum 3. Octobris. „
[13.] Erat hic Missingdorfius quondam Monasterio infensissimus hostis, verùm reconciliatus, eidem inter vicinos amicus non postremus effectus est.

„ Qui petiit etiam fieri certior à
„ Colomanno Abbate de vini censu,
„ quatenus nimirum sibi mitteret non
„ tantùm in scripto censum vini, sed
„ etiam censum de quadragesimo ta-
„ lento in comitiis à Cæsare nuper ha-
„ bitis statutum, & in articulum reda-
„ ctum. Datum in Dobrâ annô Domini
„ 1491. Sabbatô post Francisci, nimi-
„ rum 8. Octobris. „ [14.]

„ Monasterii quondam Zwetlensis
„ adversarius Georgius Eitzingerus jam
„ cum Colomanno gratiam iniisse com-
„ peritur, donat eum ipsum salvo con-
„ ductu ad omnia sua ad victum spectan-
„ tia, sive in vino, sive in frumento
„ domum comportanda. Datum in
„ Schrättenthal annô Domini 1491.
„ feriâ secundâ ante Colomanni, 10.
„ Octobris. „ [15.]

Annotatur rursum gravis exactio Egenburgensis taliter: „ Homagium
„ ad Egenburgam à feria quinta ante
„ Symonis & Judæ (*nimirum* 27. *Octo-*
„ *bris*) usque ad feriam quintam ante
„ Agnetis (*nimirum* 19 *Januarii*) Annô
„ Domini 1492. Homagii census est,
„ 190. tal. Magistro Censuum, seu Cen-
„ sori 19. tal. additis 11. tal. scribæ,
„ pro singulis schedis singulos 24. den.
„ facit 10. tal. duas libras croci, duas
„ libras cinnamomi, duas libras cario-
„ philorum, duas libras cinciberis,
„ quatuor volumina lini optimi, unum
„ modium siliginis, unum modium
„ avenæ, centum libras olei ex papa-
„ vere confecti, decem octalia butyri
„ elixati; item quadringentas trutas seu
„ ferretes, aut pro eis tinam halecum.
„ Item de quadragesimo talento ad
„ Egenburgam 120. tal. sinè expensa-
„ rum & laborum computatione. Sum-
„ ma Sumarum: 400. tal. „ [16.] Huc usque Index, quod homagium hoc tantùm anno Egenburgensibus helluonibus factum, si omnibus computatis numerabitur, non parva inde summa resultabit, unde non immeritò gravem hanc exactionem vocavi, sicut etiam de eadem apud Cæsarem Fridericum Abbas quondam conquestus est.

„ Nuntiat præterea domum Abbati
„ suo F. Thomas Hawnolt tunc in
„ Crembs vindemiator: Cistersdorfium
„ captum esse, omnésque in arce inter-
„ fectos usque ad Capitaneos. Item
„ famam esse narrat, quòd Schönber-
„ gam seu Bellum-Montem castrum,
„ & Egenburgam civitatem Cæsareani
„ obsidere cogitent, ideóque aulicos
„ om-

„ omnes Crembsiô in festo Symonis & „ Judæ summo mane ad conscribendum militem & exercitum contrahendum exivisse. Hæc se ab Abbate „ de Monte-Pomerio habere significat. „ Datum in Krembs annô Domini „ 1491. in festo Symonis & Judæ. „

[17.] Exinde colligitur, municipia Ungarica & præsidia per Austriam constituta fuisse manipulatim expulsa.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 10.

Cuspinianus ad ann. præcedentem sub n. 2. relatus.

Bzovius ad hunc ann. n. 1. „ Pontifex „ Innocentius de pace inter Wladislaum „ Regem Ungariæ, & alios Reges competitores sollicitus, Legatos in Germaniam ad „ Fridericum Imperatorem & ad Maximilianum Romanorum Regem, nec non ad Cazimirum Poloniæ, Joannem Albertum, à „ quibusdam Ungaris electum, & ad Wladislaum, quem diximus, Cardinales Raymundum & Reginum destinaverat. His interpellantibus, ac interventu Procerum ex Austria, Ungaria, Polonia & Bohemia, ad lites dirimendas evocatorum. Maximilianus, ne ambitionis ac avaritiæ argueretur, „ pacem cum Wladislao fecit &c. „

Nauclerus Generat. 50. „ Annô Salutis „ 1491. Rex Maximilianus conventum Nationis Norimbergam indixit, per quæ tempora Illustrissimam Ducissam Britonum, per „ Legatos sufficientibus mandatis suffultos „ uxorem duxit, quod Carolus Rex Franciæ „ molestissimè tulit. Ideóque infestis signis „ Ducatum Britonum aggressus, in potestatem „ suam redegit, móxque Illustrissimam Virginem Margaritam Serenissimi Maximiliani „ Regis filiam, quam diu anteà vivente adhuc patre Ludovico Rege, ùt suprà dictum „ est, desponsaverat, repudians, præfatam „ Ducissam Britonum Serenissimo Maximiliano solenniter desponsatam rapuit, uxorem „ duxit, carnali copula subsecuta, nulla vel „ honestatis, vel juris ratione habita, ùt vulgò „ dicitur. Veruntamen Franci nihil in his „ perperam affirmant actum. Nam, ùt ajunt, „ Domina Margarita annum nondum agens „ quartum, ad Carolum tunc Delphinum Viennensem sperati ad pacem matrimonii gratiâ deducta est, quod quidem pactum de „ nuptiis Rex Romanorum semper improbaverit, tum quòd à Flamingis, se inconsulto „ & reclamante, conflatæ conjuratæque essent, tum quòd major æquo dos designata „ fuisset. Accessit his odium implacabile Regis Romanorum in Carolum. Unde non „ mirandum, si ipsa, his cognitis, nondum „ adulta, remissa est, cùm impuberis ante pubertatem inanis sit assensus: & dum pubescunt, licitum est illis sponsalium pœnitere, „ ùt indicant Canones sacri. Quin certior „ factus Carolus, nullo conjugali fœdere cuiquam mortalium virginem obnoxiam teneri, sed omnia per simulationem acta cum „ Rege Romanorum, ne scilicet gens Britanniæ Franco Regi se dederet, quod ex eo „ constare volunt: nam etsi procuratores à „ Rege Romanorum quatuor essent missi, „ nulli illorum tamen erat in solidum conjugii gerendi decreta facultas, prout de jure fieri debebat. Et si legitimo aliquo procuratore matrimonium gestum fuisset, illud „ nihilominus pro non ratihabitione confirmari lex statuit, cùm quæ instituta in eo „ negotio, omissa inveniuntur. Unde cùm „ spes alia pacis nulla compendiosior occurreret, quàm virginem à Franco Rege duci „ uxorem, duxit: quibus quidem nuptiis „ religiosè celebratis, accidit ut Britonum „ omnium assensione pax facta sit. „

Pontus Heuterus in Maximiliano ac Philippo lib. 4. cap. 4. „ Initiô Januarii anni „ 1492. Romanorum Rex, & Anna Britonum „ Dux, filia natu major Francisci postremi „ Britonum Ducis, qui sinè liberis masculis „ obiît, de ineundo matrimonio invicem dant „ fidem, mittítque Romanorum Rex ad Britones Aurantii Principem, ac Pollainium „ Germanum, cum duobus peditum Germanorum millibus, qui Duci Annæ præsidio „ essent, decubuítque Aurantius cum ea nomine Romanorum Regis armatus, ùt est „ Principum mos. Erat tum temporis Dux „ Anna in civitate Renesio, alam centum nobilium Britonum equitum secum habens, „ ac mille ducentos Anglos pedites, resistens „ Carolo Francorum Regi, qui Anglorum „ cum Britonibus societatem suspectam habens, bellum Duci Annæ intulerat, atque „ universum ferè Ducatum occupaverat. Læta „ igitur adventu Aurantii, Pollainii, ac peditum Germanorum acriùs resistebat, majores „ à sponso expectans copias. At Rex Carolus, easdem appetens nuptias, copias quoque suas augebat, summa ope annitens, „ Ducem Annam cum urbe Renesio, antequam „ justas Romanorum Rex copias submittere „ posset, sui juris facere. - - - - - - - - - - „ Carolus Francorum Rex, occupato Britonum

„ num Ducatu, Renesium, in quo Dux Anna „ erat, longa obsidione vexatum, in potestatem redigit, Romanorum Regis militibus „ trium mensium stipendio ad deditionem „ coëmptis, urbémque ei cum Duce Anna „ tradentibus: quam post paucos dies in uxorem ducit, remissâ Romanorum Regi filiâ „ Margaritâ intactâ, uxoréque legitima ei vi „ erepta. Legati Romanorum Regis, qui „ hactenus cum Duce Anna fuerant, Mechliniam ad Archi-Ducem Philippum reversi, „ omnem actæ rei historiam exponunt; paulóque pòst dicti Regis Caroli Legati eodem „ appellunt, repeniúntque cum Archi-Duce „ Saxonem, Legatos Regis Angliæ, ac Belgarum Proceres, de pace cum Gandensibus stabilienda in vanum laborantes. Dato „ Regiis Legatis ad Archi-Ducem accessu, „ dicebant, Cæsarem Fridericum ac Romanorum Regem sæpissimè per litteras non „ solùm Regi Carolo, sed disertis etiam verbis apud omnes ferè Germaniæ Principes, „ non semel esse conquestos, contra suam „ voluntatem Margaritam Austriacam, Ordinum aliquot Belgarum violentiâ, Regi Carolo in uxorem fuisse traditam: quæ indignitas cùm Francorum Regi nulla ratione „ esset ferenda, quæsivisse ac reperîsse eum „ aliam, remissurúmque Margaritam intactam, „ ac utì decuit, educatam. Petunt insuper „ conditiones pacis Anni 1482. propter matrimonii dissolutionem renoventur, tum ut „ Romanorum Rex, ac Archi-Dux Philippus, „ fœderi Hispanico ac Anglico renuntient. „ Ad hæc Burgundiæ Cancellarius Carondeletus ita respondit: Francórum Regem nec „ suo, nec Romanorum Regis, nec Archi-Ducis Philippi, nec sponsæ suæ Margaritæ „ Austriacæ honori satisfecisse, nec consu- „ luisse, memorésque Austriacos loco ac tempore injuriarum fore. Quod ad pacem attinet anni 1482. eorum esse eam servare inviolatam, qui primi ejus leges concepissent, „ subsignâssent, atque appensis sigillis roborâssent. Id autem fecisse Francorum Regem, ejúsque Proceres. Opus quoque „ esse, Rex ad eam rem conficiendam digniores mittat Legatos. Quod ad fœderum „ renuntiationem attinet, non esse Francorum Regis ea in re præscribere Romanorum Regi, nec ejus filio, leges. Contentus „ sit Regni Francici limitibus, nisi eos prætergressus non pauca Francorum millia (utì „ non semel contigit) alienis in finibus summum diem claudere, extrema cum ignominia ac dedecore, malit. Austriacos enim „ Principes neque Angliæ neque Hispaniæ „ Regi, neque ulli unquam Principi aut civitati, cui se conjungere visum fuerit, Francorum causâ amicitiam nec fœdus renuntiaturos: Francorum autem amicitiam tanti, „ quanti inimicitiam, ac è contrà facere. „ Spondanus hìc n. 2.

[2.] Ex Autographo ipsius.
[3.] E literarum monumentis.
[4.] E diplomate Cæsaris.
[5.] Ex Indice Colomanni Abbatis PMS.
[6.] E literarum monumentis.

[7. & 8.] Ex Autographo ipsorum.
[9.] E literarum monumentis.
[10. & 11.] E diplomate Cæsaris.
[12.] Ex Indice Colomanni Abbatis PMS.

[13. & 14.] Ex Autographo ipsorum.
[15.] E literarum monumentis.
[16.] Ex Indice Colomanni Abbatis.
[17.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MCCCCXCII. Monasterii CCCLIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Alexander VI.	Fridericus IV.	Maximilianus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Christophorus.	Colomannus.

„ Occubuit lethali morbo Innocentius Papa VIII. Romæ in Vaticano octavô Calendas Augusti, corpus ejus æreô monumentô in Basilica „ S. Petri sepultum est. Pòst Cardinales viginti octo 3. Idus Augusti elegerunt in Romanum Pontificem Valentinum (*Rodericum Lenzolium vocatum*) Hispanum, Episcopum Cardinalem Portuensem & S. Rufinæ, „ Collegii Decanum, & S. R. E. Vice-Cancellarium, qui Alexander VI. „ appellatus 7. Calendas Septembris „ solenni pompa coronatus fuit. „

[1.] Hunc ita prædixit Pontificem B. Malachias Hibernas: Bos Albanus in

in portu. Nam Alexander hic erat Episcopus Cardinalis Albanus & Portuensis, in cujus insigniis bos conspicitur.

„ In Austria hoc anno milites aliquot ex eorum numero, qui sub Matthia assiduis bellis assueti pacem ac otium ferre non poterant, in Moraviæ finibus munimenta quædam excitaverant, unde vicinum agrum rapinis & incendiis divexabant. Eos Fridericus obsideri jubet, qui dejectis latibulis fugâ evasêre ab Austriacis Proceribus, alii alio loco aut cæsi aut capti: omnes mala morte periêre. Viennenses trecentos ex illis suspendêre. Eitzingerus, quos nactus est, in fornaces, quibus calx decoquitur, conjici jussit. Ita tunc Austria omnis ab ea hominum sentina repurgata est. „ [2.] Hæc Gerardus. Horum latronum dux erat Hawbitzius quidam Ungarus, qui Monasterium etiam Zwetlense gravi odio & exactione persecutus est, qui satellites suos tum Egenburgæ, cùm Rhetii, atque in Horn ab obitu Matthiæ retinuit, Capitaneis Ungaricis ceteris domum redeuntibus. Unde toti provinciæ tam supra quàm infra Mainhardi montem multa incommoda intulit, usque dum ab Imperatore Georgius Eitzingerus jussus fuit bello prædones dictos persequi, qui Schrättentalii in medio illorum constitutus multa quoque damna ab ipsis priùs acceperat.

Viguerat non tantùm in Monasterio Zwetlensi sub Wolfgango Abbate regularis disciplina, sed quoque sub Colomanno ejus successore, ita, ut ex diversis Ordinis nostri Monasteriis apud nos Abbates pro Religiosis suis gratiam hospitandi petiêrint, ût ex Autographis eorum constat.

Mentio rursus habetur Neomagensis seu Domini de Spawr, qui per Tulnenses campos judicium provinciale à Cæsare acceperat; hic autem Abbates tam Zwetlensem quàm Altenburgensem ob quosdam in dictis campis eorum colonos vexârat: unde tam Colomannus in Zwetl, quàm Paulus Altenburgi Abbates Friderico Imperatori supplices fuêre, quatenus ipsos ab impetitione absolveret. [3.] Qui alterum ab eo mandatum obtinuerunt, quo huic D. Matthæo de Spawr, Pincernæ Tirolis, sibi à consiliis & camera, præcipit, ut Abbates de Zwetl & Altenburg ratione advocatiæ judicisque juxta Tulnam ampliùs impetere desinat, vel si noluerit, ipsis pecuniam jam datam restituat, & aliud non faciat. „ Datum in Lintz annô Domini 1492. feriâ quintâ ante Pentecosten, 31. Maji. „ [4]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Innocentio VIII. & Alexandro VI.

[2.] Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 10.

Nauclerus Generatione 50. „ Per hæc tempora restabant adhuc reliquiæ exercitûs Matthiæ Regis Hungariæ, quam nigram legionem vocabant, qui tædiô longæ pacis, quam Maximilianus Hungaris procuravit, affecti, partito agmine, in diversas utriusque Pannoniæ partes eruperant, duo millia ad confinia Moraviæ & Austriæ infesta acie consederant, fortalitiô, quod ipsi gentiliter Tabernam vocant, sese munientes, ex quo excursionibus suis omnia loca cædibus & latrociniis turbabant. Qui tandem Friderici Cæsaris jussu obsidione cincti sunt. Expugnatô fortalitiô, multis ex his cæsis, aliis captis, qui septingenti supererant, hi oppidis & Baronibus, quorum fines invaserant, traditi sunt, ut digna illis supplicia irrogarent. Itaque trecentos ferme Viennenses laqueô necârunt, ceteros Eicingerus vir clarus sustulit, partim excoriatos, partim ad rogum assatos, partim furnis immissos, vitâ illis ademptâ. „

[3.] E literarum monumentis.

[4.] E mandato Cæsareo.

Annus Christi MCCCCXCIII. Monasterii CCCLV.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Colomannus.

„ FRidericus Imperator pace jam in „ Austria ac reliqua Germania par„ta gravi morbo laborare cœpit Lin„cii, quem nimio melonum esu auctum „ esse nonnulli meminêre. Alterum „ illi crus sphacelô affectum per eos„dem dies ex Medicorum consilio re„sectum erat. Id cùm inspexisset, „ quæsivisse ferunt, quid inter Cæsa„rem & quemvis rusticum interesset? „ mox verò subjecisse, rusticum sanum „ ægroto Cæsare longè esse feliciorem. „ Non multò pôst rebus ex ultima vo„luntate constitutis, obiît decimô „ tertiô Calendas Septembres, annô „ ætatis octavô & septuagesimô, post „ susceptam Imperii curam tertiô & „ quinquagesimô, quo Cæsarum nemo „ post Augustum diutiùs imperavit. „ * [1.] Hæc de obitu ipsius Gerardus, qui ab aliis tam in morte, quàm in sepultura discrepat dicens: „ Corpus „ ejus Neapolim delatum, apud uxo„rem conditum esse. „ Quod falsum esse Cuspinianus tunc scribens affirmat sequentibus: „ Exenteratum, *ait*, „ corpus (*nam intestina in Lincio sepe„liuntur, quod etiam Struno refert*) „ maximâ pompâ Viennam per Danu„bium delatum, tota urbe obviam ef„fusa honestissimè exceptum, in ædem „ D. Stephani defertur, ac in crypta „ Principum reservatur, donec sepul„chrum, quod viginti annis, cùm vi„veret, ab ipso inchoatum erat, per„ficeretur. „ Et post sepulchri descriptionem sic prosequitur Cuspinianus historiam: „ Maximilianus verò Cæ„sar pientissimus filius imperfectum „ hoc opus à patre summâ curâ annis „ penè duobus de triginta elaborare & „ perfici curavit, erogatis plus quadra„ginta millibus aureis nummis. Licèt „ Fridericus priusquam moreretur, su„premam sepulchri tecturam in vita sua „ perfecisset. „ [2.] Hucusque Cuspinianus.

Porro Theodoricus Rhenanus Clericus Argentinensis Diœcesis ad petitionem Colomanni Abbatis in Zwetl literas Georgii Pataviensis Episcopi „ sub „ dato in Anaso annô Domini 1408. „ 12. Octobris in instrumentum publi„cum ex integro inserit, quibus fun„dationem Capellæ S. Wolfgangi in „ Pfaffenslag à Schaleris factam con„firmat, ac tanquam filiam matri, Ec„clesiæ Parochiali in Pulchra Augea, „ vulgo Schöenaw subjicit. Actum in „ oppido Zwetl in domo Monasterii „ nostri annô Domini 1493. 3. Janua„rii, annô verò Pontificatûs Alexan„dri Papæ VI. primô. „ [3.] Præfatam Parochiam unà cum filiali sacello suo Monasterium nostrum titulô fundationis acquisivit.

Conventum Crembsii & Viennæ Cæsar Provincialibus Austriæ indixerat ob conscribendos milites, quantùm ex sequentibus colligere possum; „ circa „ quem Laurentius Abbas S. Lambertii in „ Altenburg Colomannum Abbatem „ in Zwetl rogat sibi significare diem, „ utrum ad illum, qui ad feriam quar„tam post Pascha constitutus est, sit „ iturus &c. Datum in Altenburg an„nô Domini 1493. in die Cœnæ, ni„mirum 4. Aprilis. „ [4.] Credo autem Colomannum descendisse ad indictum conventum; „ nam Christo„phorus de Liechtenstain in Nicla„spurg Mareschalcus Austriæ fatetur „ apochâ suâ se recepisse ab Abbate in „ Zwetl triginta duo talenta denario„rum

„ rum pro ſtipendio ſedecim militum „ peditum. Datum Crembs annô Do- „ mini 1493. feriâ ſextâ ante Tiburtii, „ 12. Aprilis. „ [5.] Mandatum autem convocationis à Cæſare Friderico „ Datum eſt in Lintz annô Domini „ 1493. feriâ quartâ in die Gregorii. „ [6.] Ex præcedentibus & ſequentibus adhuc literis manifeſtatur hoc, de quo loquuntur, bellum, quod in annum nonageſimum ſecundum hujus Sæculi à Gerardo rejicitur, ſicut eundem ibi citavi, nam quidam ſub Matthia Ungarorum Rege Auſtriæ hoſte bellô aſſiduô aſſueti, munimenta quædam in Moraviæ & Bohemiæ finibus occupaverant, è quibus vicinum agrum infeſtabant, in quos Fridericus Imperator tot querelis excitatus, bellum decrevit, unde Proceribus illud gerendum commiſit, ad quod Prælatorum ſtatus milites æquè mittere tenebatur, utì ſuprà retuli. Inter cetera verò munimenta prædones præfati occupârant quoque Teyia oppidum à fluvio, quo alluitur, ità nominatum, & muniêrunt, in quo obſeſſi ab Auſtriacis aliquandiu ſeſe defenderunt, ex quorum caſtris Colomanno Abbati in Zwetl quidam ex ſuis militibus dictus Stephanus Rechwein ſcribit ſequentia: „ Nos hodie feriâ tertiâ „ ſummo mane exivimus & Teyiam „ gyravimus, & quamprimum majori- „ bus baliſtis fulminare incepimus, qua „ oppugnatione totum diem uſque ad „ quartam horam combuſſimus, qua „ inſultum in vallum fecimus, & adju- „ toriô Altiſſimi ac Virginis Glorioſæ „ Mariæ idem eodem inſultu & incen- „ dio expugnavimus, omnéſque præter „ interfectos telis cepimus, ſed pluri- „ ma pars eorum nocte præcedenti ma- „ nus noſtras per fugam evaſit, ante- „ quam obſidionem fecimus. Hæc „ raptim ex campo ante Teyia, dicit „ craſtinâ ſe conferre debere ad Pey- „ garten obſidendum. Annô Domini „ 1493. feriâ tertiâ ante Pancratii, ni- „ mirum 7. Maji. „ [7.] Non tantùm autem in Teyia, ſed quoque in Peygarten munimenta ſua habuêre, ſiquidem etiam Monaſterium Altenburgenſe incommoda ab aliis ejuſdem farinæ prædonibus illata nonnulla ſuſtinuit; de quo ſcripſit Colomanno Abbati in Zwetl Laurentius Abbas S. Lamberti Altenburgenſis. „ Datum Alten- „ burgi annô Domini 1493. 3. Idus „ Maji. „ [8.] Præcipui prædonum erant Hawbitzius, ex annis ſuperioribus notus, nec non Matſchacherus & Waczlaus Bohemus citatis in literis nominati. Interea Imperator Lincii ex hac vita migrârat: ex cujus obitu prædones animoſiores facti, plura indies tentabant, unde nihilominus Auſtriaci in armis perſtabant, bellum majori apparatu promoventes. Maximilianus autem occupabatur funere patris & exequiis, cùm interea Turcæ per Croatiam in Carniolam, Carinthiam, & Stiriam irrumpere audirentur. De his ſcripſit Colomannus Abbas F. Georgio Cellerario domum, nam ad conventum Procerum Viennam deſcenderat, ubi adhuc morabatur: „ Maximus timor „ omne territorium invadit Turcorum „ occaſione, qui ad duas potiſſimùm „ aut tres diætas, ſi voluerint, in fini- „ bus Stiriæ eſſe poſſent. Deus hoc „ avertat. Ex Vienna annô Domini „ 1493. Sabbatô ante Octavam Nati- „ vitatis B. Mariæ, nimirum 7. Septem- „ bris. „ [9.] De adventu verò Regis Romanorum Maximiliani Viennam, ſciendum eſt, ipſum funus patris Imperatoris Danubiô ſecundô deportâſſe, de cujus per Mellicium tranſitu, ſicut etiam de curruum equorúmve conductione Prior Mellicenſis à Colomanno Abbate Zwetlenſe rogatus ſic ſcribit: „ Occa- „ ſione, *inquit*, curruum Veſtra Pater- „ nitas informari cupit, dudum requi- „ ſiti fuimus ex mandato Regis, qui, ùt „ novi ex ore D. Abbatis, numerum „ curruum Rex ipſe impoſuit, ſed non „ cum tali gravamine, quo nos oppri- „ munt Nobiles, mitiùs egit D. Rex

 „ quàm

„ quàm isti agunt. Mandatum Regis „ est, nec aliud scribere P. V. possum, „ quàm negotium in se est. Dominus „ Abbas cum Rege in nave descendit, „ feria sexta sequenti cùm intrâsset „ Wiennam, omnes currus rapuit & „ abduxit, & nostros, quos pro vinis „ adducendis conduxeramus, & quod „ graviùs est, coactus fuit emere cur- „ rus in instanti & mittere, nec fuit „ mora, cùm coloni nostri dispositi „ erant ad exercitum &c. Ex Mellicio „ annô Domini 1493 feriâ quintâ ante „ festum Simonis & Judæ, nimirum „ 24. Octobris. „ [10.] Conductio ista curruum ad bellum Turcicum fiebat, qui Stiriam, Ciliæ Comitatum & Carinthiam invaserant, quorum tyrannidem Lector benevolus pleniùs videre poterit apud Megizerum. [11.] Atque hæc de bello contra prædones Austriæ gesto sufficiant: revertor ad alia anni hujus acta.

„ Petrus de Seranis Rector Paro- „ chialis Ecclesiæ de Segna-villa Baje- „ ctensis Diœcesis in utroque Jure Bac- „ calaureus, Aulæ Sacri Palatii Late- „ ranensis Comes Palatinus, Alexandri „ Papæ VI. familiaris, ac subsidii unius „ integræ decimæ, super fructibus re- „ ditibus & proventibus omnium & sin- „ gulorum Monasteriorum ac aliorum „ beneficiorum Ordini Cisterciensi „ dudum per Innocentium PP. VIII. „ impositæ, collector chyrographô suô „ fatetur se à Colomanno Abbate in „ Zwetl quinquaginta florenos Rhe- „ nenses recepisse. Datum in ipso Mo- „ nasterio Zwetl annô Domini 1493. „ 15. Julii. „ [12.] Causam hujus subsidii nullam aliam reperio, quàm exhaustum Ecclesiæ ærarium, quod bellum Gallicum exhausit. Ubi autem suprà fit mentio subsidii unius integræ decimæ, quam Innocentium VIII prædecessorem Alexandri VI. Ordini Cisterciensi imposuisse dudum refert: scien- dum, Innocentium præfatum pace per Italiam constituta, bellum decrevisse in Turcas Christiani nominis hostes, eósque tripartito exercitu petere, nimirum ab Imperatoribus Friderico & Maximiliano uno, altero ab Ungariæ Rege, tertio in mari classe suis auspiciis conducta, associatô sibi unô trium Regum, Galliæ, Castellæ, vel Angliæ, cum parte Collegii Cardinalium. [13.] Habebat autem Pontifex sub honesta custodia Romæ in Vaticano Gemem seu Zizimum nonum Bajazetis tunc Imperatoris Turcarum fratrem, qui contra dictum Bajazetem pro imperio infeliciter pugnans ad Christianos confugit, auxilium contra fratrem implorans. Quo ductore Pontifex usus fuisset, si non invida mors Innocentium cum summo totius Reipublicæ Christianæ luctu surripuisset. Unde quoque illa expeditio cum Papa exspiravit. Intentus autem Pontifex in id bellum, de omnibus & singulis Ordinis Cisterciensis Monasteriis eorúmque beneficiis integræ unius decimæ pretium sibi porrigi mandavit.

Tandem Colomannus Abbas cùm Viennæ existeret, ac Maximilianus Romanorum Rex in cryptam Austriæ Principum apud D. Stephanum patrem suum Fridericum sepelisset, memor adhuc litium sui prædecessoris Wolfgangi I. cum vicinis habitarum, nè Monasterii libertates & privilegia forti ariete impugnarentur, nulla habita Cæsaris confirmatione, Maximilianum supplex adiît, atque ab eo privilegiorum Monasterii confirmationem protinus impetravit, cujus initium tale est: „ Maxi- „ milianus D. G. Romanorum Rex sem- „ per Augustus, Ungariæ, Dalmatiæ, „ Croatiæ &c. Rex, Archi-Dux Au- „ striæ, Dux Burgundiæ, &c. Datum „ Viennæ annô Domini 1493. feriâ ter- „ tiâ post festum Conceptionis B. Ma- „ riæ, 10. Decembris. „ [14.]

ADDI-

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 10.

Megizerus in Annalib. Carinthiæ lib. 11. cap. 1.

Pontus Heuterus in Maximiliano ac Philippo lib. 5. cap. 2. „ Decimô tertiô Cal. „ Septembris moritur Lintzii Austriæ oppido „ Cæsar Fridericus Tertius, Regis Maximi- „ liani pater, Archi-Ducis Philippi avus, cùm „ vixisset annos septuaginta septem, menses „ undecim, dies tres. Regnavit ac impera- „ vit annos quinquaginta tres, menses qua- „ tuor, dies quatuor. „

Nauclerus Generat. 50. „ Annus 1493. „ insignior factus est ex morte Divi Friderici „ Tertii Imperatoris Roman., quo nullus à „ Cæsare Augusto Octaviano, Romani Impe- „ rii sceptra diutiùs tenuit. Nam 53. annis, „ mensibus quinque imperavit Ernesti Du- „ cis Austriæ filius, mox ut discretionis an- „ nos attigit, tutelámque exivit, ut locum „ videret, in quo nostra redemptio celebrata „ est, adhuc adolescens mare transivit, sacra „ visens loca, ubi natus Salvator, passus, cru- „ cifixus & sepultus, felicémque reditum cum „ gloria habuit. Fuit Princeps Catholicus „ & pius. Qui Alberto Rege Romanorum „ defuncto annô Salutis nostræ 1440. com- „ muni voto Cæsar electus est, coronámque „ regni Germanici apud civitatem Aquensem „ summo honore suscepit. Fuerunt in eo, „ teste Ænea Sylvio, multa laude digna, ani- „ mus sedatus & tranquillus, ingenium per- „ spicax, memoria tenacior, religionis zelus, „ ingens cupiditas pacis & ocii, singularem „ virtutem in quovis homine diligebat, di- „ gnámque præmiô ducebat. Ædificavit „ splendidè, hortos tamen & gemmas plus „ æquô admirabatur, & in rebus gerendis „ tardior ac remissior visus est. Tenacem „ plerique accusaverunt, & ad rem nimis in- „ tentum: ceterùm nec sua profudit, nec alie- „ na diripiebat, verbis factísque temperans „ habitus. Hic neutralitatem Ecclesiæ Ro- „ manæ nocentissimam, ex natione Germa- „ nica sustulit, & obedientiam magno labore „ & sumptu Eugenio & Nicolao restituit. De- „ inde Leonoram filiam Regis Lusitaniæ vir- „ ginem illustrissimam uxorem duxit, ex qua „ primùm filium Christophorum dictum su- „ scepit, quem tamen immatura mors abstu- „ lit. post quem Maximilianum hodie Roma- „ norum Imperatorem cum filia Margarita, „ uxore Ducis Alberti de Bavaria generavit. „ Hunc Maximilianum adultum factum, an- „ nô Salutis 1486. consortem regni fecit, ut „ quod ipse præ ætate adimplere non posset, „ per filium Regem perfici posset. Qua fue- „ rit mansuetudine, fide, constantia, & quas „ in Imperio passus sit adversitates, in supe- „ rioribus annotavi. Circa cultum corporis „ & victum nec parcus, nec sumptuosus fuit, „ vini verò parcissimus, quo extra cænam ra- „ rissimè est usus, in cæna verò levissimum „ bibit, & id aquâ perdomitum. Leonoræ „ Augustæ, refert Æneas Sylvius, quæ pater- „ na in domo nunquam vinum gustâsset, sua- „ debant medici, in Germania regione frigi- „ da, si mater fieri vellet, vinum biberet: „ quod cùm accepisset Fridericus: Abi, in- „ quit, Ænea, atque Imperatrici dicito, ste- „ rilem me conjugem, quàm vinosam malle: „ proinde, me si amat, vinum oderit. Ad „ hæc Leonora libenter paruit. Idem refert „ Fridericum nunquam jurâsse, nisi cùm in „ civitate Aquensi apud Belgas, & cùm Ro- „ mæ coronatus esset, ídque juramentum con- „ stantissimè tenuit. Cùm enim jurejurando „ promisisset, quæ bona possideret, ab Impe- „ rio se nullatenus alienaturum, & modò „ hoc, modò illud ex eo peteretur, maluit „ avarus negando, quàm concedendo perju- „ rus videri: eámque ob causam, petenti Bor- „ sio Marchioni Estensi Ducatum Mutinæ & „ Rhegii, tamdiu restitit, donec intellexit „ eum Ducatum, qui sub annuo tributo con- „ cederetur, lucri magìs quàm alienationis „ speciem habere, præsertim cùm Mutina & „ & Rhegium in sua potestate non essent. „ Fridericus hic interrogatus aliquando, quid „ homini optimum contingere posset: respon- „ disse fertur, bonus in hac vita exitus. Quod „ sibi contigisse piè credendum. Ipse enim „ in senectute bona venerabiliter susceptis „ Sacramentis Dominicis, annô Salutis no- „ stræ 1493. in vigilia Nativitatis Gloriosæ „ Virginis Mariæ in oppido suo Lyncea quàm „ devotissimè migrâsse dicitur de seculo, cor- „ pus verò ejus inde delatum, & in civitate „ sua Viennensi sepultum est. „

[2.] Cuspinianus in Cæsaribus sub Friderico IV.

Annales Austriæ Superior. Strunonis de Schwarzenawe hoc anno.

Pontus Heuterus ubi suprà ita prosequitur: „ Sepultus est Viennæ in Templo Divi Ste- „ phani perfecto à Romanorum Rege Maxi- „ miliano insigni Mausoleo, quod pater Fri- „ dericus ante annos viginti inchoârat. Est „ autem illud è puro lapide alabastrite vario, „ candidóque artificiosissimè sculptum, in „ quo præter alia hoc legitur Epitaphium:

„ *Fredericus Tertius, Rom. Imperator semper Augustus, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, ac Portûs Naonis, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferrettæ, ac Limburgi, Marchio Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ,*

[3. & 4.] Ex literarum monumentis.
[5.] Ex Apocha ipsius.
[6.] E mandato Cæsaris.
[7. 8. 9. 10] Ex Autographo ipsorum.
[11.] Megizerus in Annalib. Carinth. lib. 10. cap 34.

Gerardus de Roó ubi suprà sub n. 1. relatus, in fine. „ Paucis diebus pôst (*sepultô Fridericô*) Turcæ ad novem millia per Croatiam in Carinthiæ & Carniolæ fines irruêre, adducti (uti ferebatur) à Bernardino Frangepano Venetorum Legato, quo illos ab obsidione breviæ civitatis averteret. Igitur ad Juliam usque & Petoviam populabundi, ingentémque hominum pecudúmque ac aliarum rerum prædam secum abigentes, obvios habuêre Hungaros & Croatios, cum quibus commissâ pugnâ superiores, quinque millia occidêre. Maximilianus verò contracto quindecim millium exercitu, mira quadam celeritate victores assecutus multis in fuga occisis, prædam omnem recepit, & provinciarum limites ab hostium metu liberavit. „

Lazius in Genealog. Austriaca lib. 2. „ Quintum (*bellum Maximilianus*) absens per suos in Carniola & Wyndorum Marcha adversùs Thurcas administravit; qui facta incursione annô 1493. miserè Carniolam, Ciliensem ditionem, Carinthiam ac Styriam depopulati fuerant: quo bello Georgii ab Herberstein virtus enituit. „

Nauclerus ubi suprà sub n. 1. ita prosequitur: „ Eodem anno mense Octobri Turcorum multa millia descendentes in Croatiam, non parvam stragem hominum fecerunt, decem millibus hominum ferè partim cæsis, partim abactis, ferro quoque & igne cuncta vastantes, magnam prædam abstulerunt. Cladem hanc Croatiis evenisse ajunt, quòd temerè prælium ineuntes, auxiliares copias Germanorum præstolari neglexerant. Erat enim tum in Austria Maximilianus Rex, qui mox quindecim millia equitum & peditum contrahens, dum insequi parat, Turci fugam maturantes, se ad propria receperunt. „

Spondanus ad hunc annum n. 7.

[12.] Ex Apocha ipsius.
[13.] Ciaconius in Innocentio VIII.
[14.] E diplomate Cæsaris.

Annus Christi MCCCCXCIV. Monasterii CCCLVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ.*
Alexander VI.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Christophorus.	Colomannus.

„ REversus anno adhuc priori Viennam Maximilianus, Legatos in Ungariam ad Vladislaum misit, cum quibus ab eo advenêre Agriensis Præsul & Nicolaus Bamfii. Hi Imperatoris Friderici exequiis interfuêre, quæ per eos dies magnifico apparatu celebratæ sunt. Quid inter ipsos actum sit, vulgo non innotuit. Pax ac fœdus denuo instauratum putabatur, cujus summa erat, utì Maximilianus Vladislao, quòd cognatus esset, regnum permitteret, retento successionis jure, si absque prole mascula decedere ipsum contingeret. „ * [1.] Hæc Gerardus. Hundius tamen has exequias in annum priorem rejecisse videtur, si non de exequiis Lincii, sed Viennæ celebratis loquitur, dum ait: „ Fridericum V. ex Comitibus de Schawmberg Archi-Episcopum Salisburgensem ipsis interfuisse, eundémque tunc Viennæ regalia sua ab Imperatore accepisse, ac demum hoc anno 4. Octobris obiisse. „ [2.] Credo tamen magìs Cuspiniano ea ætate viventi & præsenti; „ qui annô 1494. septimâ Decembris, inquit, in D. Stephani Templo Maximilianum Cæsarem justa persolvisse patri, corpus in cryptam Austriæ Principum interea condendo, donec sepulchrum novum perficeretur, cujus deinde translatio cor-

„ poris

„ poris facta est annô Domini 1513. „ Calendis Novembris „ [3.] Cuspiniano præfato funebrem orationem faciente. Idem enumerat Principes, qui ejusdem primis exequiis Viennæ interfuêre: „ Oratores inprimis Summi Pontificis Alexandri VI. Regis „ Franciæ, Cardinalis Rothomagensis, „ Dux Auraniæ, Edvardus Rex Angliæ „ junior, Regis Ungariæ Oratores Thomas Jauriensis tum Episcopus, regni „ Cancellarius, pòst Cardinalis, aliíque Proceres; Albertus Saxoniæ, & „ Albertus Bavarorum Duces, omniúmque penè totius Imperii Principum Oratores. „ Atque hæc de exequiis Imperatoris. [4.]

Antequam autem funebria celebrâsset Maximilianus, ad secundas nuptias animum adjecit, quas hoc anno Oeniponti apud Sigismundum patruum cum Blanca Maria de Sfortiarum ac Vice-Comitum familia oriunda, filia Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolanensium habuit postridie Idus Martias. [5.]

„ Porro Colomañus Abbas in Zwetl „ accusat apud Regimen in absentia Regis Viennæ constitutum, cujus Præses „ Casparus Roggendorfius, Georgium „ Puechaimium de Raaps, eò quòd „ miserè quinque Monasterii sui colonos tractaverat, eos utì reos mortis „ ad latrones in carceres & turres conjiciendo, se quoque Abbate ipsorum „ Domino non requisito, minatur ipsis „ infra dierum decem spatium sententiam ea in causa ultimam se laturum. „ Datum in Monasterio Zwetl annô „ Domini 1494. feriâ tertiâ post Jacobi, nimirum 29. Julii. „ [6.] Ad hunc supplicem libellum Abbas vel ab ipso Maximiliano, qui in Austriam fortè jam redierat, vel à Regimine Viennæ relicto nomine Cæsaris, mandatum obtinuit contra præfatum Puechaimium, quo viso ipse jubetur protinus captos sine omni pensione libertati restituere, séque Viennæ ad Regimen feriâ quartâ ante festum Bartholomæi præsentare, cum Abbate in causa dicta acturus secundùm viam juris vel per se vel per procuratorem suum. „ Datum annô „ Domini 1494. in Inventione S. Stephani, nimirum 3. Augusti, annô „ autem regnorum suorum, Romani „ nonô, & Ungarici quintô. Incipit autem mandatum taliter: „ Nos Maximilianus D. G. Romanorum Rex „ semper Augustus, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, „ Geldriæ, Comes Flandriæ, Tyrolis „ &c. „ [7.]

„ Obierat jam 11. Septembris Plebanus in Schoënaw, sæcularis Presbyter, quod Wolfgangus Prior Colomanno Abbati Viennæ tunc existenti per literas nuntiat. Datum „ in Monasterio Zwetl annô Domini „ 1494. feriâ sextâ ante Exaltationem „ S. Crucis, 12. Septembris. „ [8.]

„ Reconciliavit Nicolaus Yponensis Episcopus, D. Christophori Pataviensis Præsulis Suffraganeus Ecclesiam cum cœmiterio S. Laurentii in „ Windigsteig Parochialem. Datum „ ibidem annô Domini 1494. 25. Novembris. „ [9.] Item prænominatus idem Suffraganeus corpus Ecclesiæ B. Virginis Mariæ in Rafing cum duobus Altaribus (quorum primum in dextro latere in honorem SS. Wolfgangi & Floriani, Sebastiani & Christophori, secundum autem à sinistro in honorem S. Leopoldi & Omnium Sanctorum sita sunt) de novo consecravit, & Chorum ejusdem cum suo Altari reconciliavit. „ Datum ibidem annô Domini 1494. „ feriâ sextâ 28. Novembris. „ [10.] Ex his reconciliationibus colligere est Ecclesiam tam Parochialem in Windigsteig quàm filialem ejus in Rafing à prædonibus Austriam invadentibus prophanatam fuisse: insuper Sacellum Rafingense tunc fuisse dilatatum adjecto ab occidente corpore, quo populus frequentior capi posset in Ecclesia, atque ita Chorum ejusdem Sacelli antiquitate

præstare reliquo corpore. Non tantùm autem præfatus Pataviensis Suffraganeus prædictas Ecclesias consecravit & reconciliavit; „ sed etiam denuo „ Capellam S. Nicolai in Monasterio „ Zwetlensi sitam in honorem Sanctorum, qui à sæculis retroactis ibi coli „ consueverunt, benedixit, & sequenti „ die Sacellum S. Pauli Apostoli in „ Dürrenhove in honorem S. Apostoli „ modò dicti, Wernhardi Abbatis & „ Leopoldi Marchionis Austriæ solenni „ dedicatione sanctificavit. Datum annô „ Domini 1494. 6. Decembris. „ [11.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 11. in initio Histor. Austriac.

[2.] Hundius in Metropoli Salisb. sub Archi-Episcop. in Friderico V.

[3.] Cuspinianus in Cæsarib. sub Friderico III.

[4.] Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano.

[5.] Gerardus de Roó Histor. Austriac. lib. 11.

Cuspinianus in Cæsarib. ubi suprà.

Piespordius sub Maximiliano I.

P. Heuterus in Maximiliano ac Philippo sub hoc anno l. 5. c. 2. „ Cæsar in Austriam reversus, „ exercitum dimittit, paulóque pòst Oenioponte in uxorem ducit Blancam Mariam, filiam „ Galeacii Mariæ Sfortiæ, Ducis Mediolanensis, sororem Joannis Galeacii, qui à patruo „ Ludovico Sfortia imperio Mediolanensi „ fuit exutus, ac tandem venenô sublatus. „ Mirabantur complures Cæsarem Maximilianum ad tam impares descendisse nuptias: sed „ rerum ignari, non considerabant Cæsarem „ ob prodigam liberalitatem continuáque bella semper pecuniæ indigum, cum ea in dotem, ac pro diplomate, quo Ludovicus „ Sfortia, sponsæ patruus, Dux Mediolanensis renunciabatur, accipere quadringenta „ millia aureorum Ducatorum; pro mundo „ ejus muliebri ducenta millia, aliáque centum millia, quibus sponsæ nuptias cognati „ ejus ac affines honorare dicebantur. Sed „ biennium † integrum Blanca Maria non „ supervixit. Inter venandum enim (ùt Maria Burgunda, prior Cæsaris uxor) equô delapsa, pauló pòst è casu, cum fœtu, quem „ uterô gerebat, nullis relictis liberis absente „ Cæsare periit; qui ex eo tempore à nuptiis „ abstinens viduus obiit. „

† Discordat cum Heutero cit. Cuspinianus reticens genus mortis ita habens: „ Tertiam duxit (*Maximilianus*) uxorem, Mariam „ Blancam Galeacii Ducis Mediolanensis filiam, cum qua annis sedecim tranquillissimè „ vixit, sed sinè sobole, in Stams Monasterio „ sepulta. „

Item Gerardus de Roó locô cit. sub anno 1511. „ Pridie Calendas Januarii, dum Maximilianus Friburgi agit, ejus uxor Blanca „ Maria diem obiit, nulla relicta prole. „

Piespordius. „ Blanca Maria. - - ducta à „ Cæsare Maximiliano Oeniponte annô 1494. „ - - - Annô 1502. inter venandum, ùt Maria Burgunda prima Maximiliani uxor, equô „ lapsa pauló pòst è casu unà cum fœtu, quem „ uterô gestabat, nullis relictis liberis obiit. „

Octavius de Strada secutus & exscripsit allatum Cuspinianum.

[6.] E literarum monumentis.

[7.] E mandato Cæsaris.

[8.] Ex Autographo ipsius.

[9. 10. 11.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MCCCCXCV. Monasterii CCCLVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Alexander VI.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Christophorus.	Wolfgangus II.

WOrmatiæ celebri Vangionum urbe Maximilianus conventum Principum celebravit, ubi de inhibenda Bajazetis Turcarum Tyranni violentia, ne is in penitiora Germaniæ loca penetraret, déque Caroli Regis Galliæ conatibus, quibus obviam eundum esset, dein de concordia domi stabilienda, & pecunia, belli nervo, publicè colligenda, actum fuit. Itaque de pace per Imperium servanda statutum est, & tributum perexiguum in singula capita impe-

imperatum, quod proximo quinquennio exigeretur. * [1.] Maximilianus autem exercitum congregans opus habebat pecuniâ, neque tributum ante quinquennium expectabat, mutuam illam à subditis suis accepit, ex promisso tributo restituendam. Unde Cæsar etiam Abbati in Zwetl scribit, & petit sibi ad res magnas peragendas dari mutuas centum denariorum libras valde necessarias, quas vult Regimini suo Viennæ consistenti tradi, ex censu Statuum Imperii sibi promisso solvendas. „ Da-
„ tum Wormatiæ annô Domini 1495.
„ feriâ secundâ post Palmas, nimirum
„ 13. Aprilis, annô regnorum suorum
„ Romani decimô & Ungarici sextô. „
[2.] Gerardus ait rem tandem ob variantes Principum sententias effectu caruisse. Non tantùm autem à Prælatis Austriæ pecuniam petiit Maximilianus, sed etiam à ceteris Statibus Sæcularium milites postulavit; monet autem tantùm Nobiles Austriæ, quatenus ad secundas suas literas parati sint procedere in campum armati quocunque ab ipso evocati. „ Datum Wormatiæ annô
„ Domini 1495. feriâ secundâ post Pal-
„ mas, [3.] regnorum suorum utì
„ suprà. „ Cum Pontifice enim, Hispano, Venetis, ac Mediolanensi contra Gallum Cæsar fœdus inierat, ut Carolum ex Italia, qui Neapolitanum mira celeritate regnum Arragoniis abstulerat, expelleret: [4.] inde ut nobilitatem Austriacam secum in bellum educeret tanquam Archi-Dux, ipsos præ ceteris elegit. Sciebat enim nonnullos jam militiæ assuetos esse, domíque pacis impatientes fore, præsertim cùm sub tyrocinio Matthiæ Ungariæ Regis quondam militârint: qui tam Friderico Imperatori, quàm Turcarum tyranno multa intulit incommoda.

Erat his temporibus utilis & laudabilis consuetudo, ut Monasteria sese invicem in confraternitatem susciperent, cujus erant certi dati & accepti pietatis & charitatis pleni articuli, ut nimirum talium Monasteriorum membra se invicem occasione data ex pietate, humanitate omni foverent, & unum alteri in necessitate succurrerent, deinde ex charitate defunctos fratres Missis & precibus juvarent, ubi illis aliquorum obitus significaretur. Unde quoque Zwetlense Monasterium confraternitatem contraxerat cum Monasteriis Neoburgensi Canonicorum Regularium D. Augustini, cum ejusdem Instituti ad S. Hippolytum, & in Bohemia cum Wittingauensi; præterea cum Altenburgensi & Mellicensi Ordinis S. Benedicti, item cum Crembsensi Ordinis S. Dominici, atque etiam cum Ranensi Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, & aliis. [5.] Hæc autem consuetudo promanavit à majoribus eorum, qui nonnullos tam Religiosos quàm Sæculares solebant participes facere bonorum operum & meritorum suorum, atque ita in confraternitatem suscipere. Ubi deinde bona opera atque simul merita decrescerent, communicationem illam omittentes, confraternitates iniêrunt certis sub articulis, quibus & vivis & defunctis integra Monasteria prodesse possent.

„ Tandem egregius œconomus
„ Colomannus Abbas viam etiam uni-
„ versæ carnis ingressus est, sicut hoc
„ F. Wolfgangus Prior, Georgius Cel-
„ lerarius, alíique Conventûs Seniores
„ cuidam comprofesso suo scribunt,
„ ubi ajunt Abbatem suum in professo
„ S. Lucæ Evangelistæ circa horam
„ duodecimam, nimirum 17. Octobris
„ hujus anni obiisse. „ [6.] Conveniunt etiam in anno ceteri Abbatum catalogi, è quibus Chronosticorum authorem referre placet, cujus de obitu Colomanni Abbatis tales Versus repeniuntur:

„ Hic quoque sceptra capit, Colomannus, vivit is, at non
„ Ceu reliqui, longo tempore, Cœnobio.
„ Præfuit ille piè completo tempore vitæ

„ CVrsVs, MoX tVnVs ConCaVa saXa LoCant.

Quo ille morbo ex hac vita sublatus fuit, scribit successor ejusdem Wolfgangus Abbas, ubi ait: „ Tandem ex „ hychtericia vitâ functus est, annô „ Domini 1495. „ Hychtericia, aliàs Aurigo & Arquatus dicitur, seu Icteritia, quæ è facie maximè innotescere solet cotonei colorem referente. [7.] Commendat verò ipsum, quòd Ecclesiam consummârit in latere occidentali magnis sumptibus; octo fenestras Templi perfecerit, villam Zwetlern à Monasterio per vim alienatam pro septingentis & quinquaginta libris denariorum emerit à Joanne Puechaimio; novam in Conventu Abbatiam ædificârit &c. Ex his diligentia illius nonnihil elucet, qua in Monasterii commodum omnia tentavit, ut Ecclesiam vel perficeret cœptam, vel produceret usque ad finem, nam ab occidente nondum murô conclusa fuerat, sed tantùm asseribus tecta, ne pervia tempestatibus & cœli injuriis esset.

Inveni autem de electione alterius Abbatis sequentia: „ Annô 1495. in „ die Theodori Martyris, nimirum 9. „ Novembris factus est Abbas F. Wolf„ gangus Oërtl pro tunc Prior. „ [8.] Quæ eadem ille ipse, quo nemo meliùs & certiùs scribere potuit, ita confirmat: „ Wolfgangus 33.tius Abbas cognomen„ tô Oërtl electus anno Domini 1495. „ iste fuit Prior, &c. „ [9.] Idem quoque alibi diem electionis suæ etiam enarrat: „ Incipit Registrum Compu„ tationum Domini Wolfgangi Abba„ tis Monasterii in Zwetl de perceptis „ & distributis dicti Monasterii annô „ Domini 1495. 9. die mensis Novem„ bris ex Priore Abbas effectus &c. „ De electione illius in anno ceteri omnes catalogi conveniunt, è quibus unius Versum Authoris placet his Annalibus inserere de Wolfgango isto loquentis:

„ eXCeLLens MoX eCCe eXstat WoLfgangVs, honesta
„ Cujus fama viget non moritura Viri.

Vix Wolfgangus in Abbatem electus fuerat, Prælatorum Status Austriæ, „ nimirum Wolfgangus Mellicensis, „ Matthias Göttwicensis Abbates; „ Gregorius in Tiernstain Præpositus; „ F. Andreas Gemicensis (*de Gaming* „ *aliàs*) & F. Benedictus Axpachensis, „ Priores; per litteras Zwetlensem cer„ tiorem faciunt, se in Mellicio conven„ tum habuisse, licèt plures Prælati in„ vitati fuerint, nusquam tamen ullum „ alium apparuisse. Nuntiant autem „ rediisse à Regia Majestate, quem mi„ serant Dominum Hainricum Struno„ nem, non utì sperabant bonum secum „ responsum afferentem. Diem ita„ que alterum, proximam Dominicam „ post Conceptionis Mariæ, nimirum „ 13. Decembris Crembsii Prælatis com„ parendum indixerunt, ad quem con„ ventum Wolfgangum quoque vo„ cant. Datum in Monasterio Melli„ censi annô Domini 1495. feriâ quin„ tâ ante Barbaræ festum 3. Decem„ bris. „ [10.] Quid autem ab Imperatore petiêrit hic Status, nondum compertum habeo: existimo supplicem fuisse ob pecuniarum exhibitionem, sicut suprà retuli, ubi quoque Colomanno Abbati diploma missum erat, quo centum talenta sibi mutua porrigi Cæsar postulavit, ita quoque aliis Monasteriis per Austriam missa fuisse.

ADDITIONES.

[*] [1.] Gerardus de Roó lib. 11.

Nauclerus Generatione 50. „ Annô Sa„ lutis 1495. mense Martio, Maximilianus Ro„ manorum Rex conventum Germaniæ in „ urbe Vormatia celebravit, in quo (ùt fama „ est) de duobus deliberandum fuit, quem„ admodum Turcis occurrendum esset, qui „ indies magìs ac magis Christianorum ter„ ras opprimebant. Deinde, quod Rex Fran„ ciæ Carolus immensis copiis Italiæ incum„ bebat, aliqua Imperii, nonnulla Ecclesiæ „ Romanæ bona occupans, urbémque Romam „ ingres-

„ ingressus, nonnulla indigna à Romano Pontifice extorserat, Apuliámque ferè totam „ expugnaverat. Propter quæ Rex Romanorum tanquam Advocatus Ecclesiæ, ut illius „ & Imperii jura tueretur, crebrò vocatus est. „ Sed interim dilata res est, Principibus ad „ intestina incommoda spectantibus. Nè tamen nihil ageretur, de tribus tandem deliberatum est: de judicio Cameræ, ubi unicuique justitia redderetur, forma & modus „ dictus. Placuit & Sapientibus ad hoc, ut „ vel contra Turcum, vel contra Regem Franciæ justus mitteretur exercitus, duo fore „ necessaria, pax in Imperio, & commeatus „ tantis copiis dignus. Quo enim modo foris bellum feliciter geri potuisset, si domi „ lites fuissent? sed & sinè impensis frustra „ belligeratur. Si enim alimenta vel stipendia desunt militi, obsequium negabitur & „ fides. Fuit igitur provisa inprimis pax, & „ principali statuto mandata: tributum per „ capita impositum perexiguum, duntaxat in „ quinquennium. Sed quia non placuit „ omnibus, nihil ad effectum est deductum, „ fortè ut adimpleatur tritum quod dicitur: „ Sicut Germani virtutibus meruerunt imperium, ita ignaviâ & vitiis amittere possunt. „ Tum insimulatus est Rex, quòd nihil cum „ consilio agat Principum. - - - - - - - Venit „ ad conventum Vormatiensem vocatus celebri fama Eberardus Comes illustris & excelsus „ Wirtembergæ & Montispeligardi, Senior „ dictus, magnâ Nobilium comitatûs catervâ, „ quem Serenissimus ac Invictissimus Rex Romanorum Maximilianus venerabiliter suscepit, ejus consiliô nonnihil usus. Cognitáque hominis probitate & animi celsitudine, & quòd Majores sui plerosque Principes potentiâ multis temporibus antecelluissent, ipsum motu proprio & solenni „ pompa, 21. die mensis Julii ad hoc indicta, „ ex Comite Ducem creavit, titulóque Ducali auctis armis in Wirtemberg & Teck „ propria manu insignivit, adhibitis debitis „ solennitatibus & consuetis, præsentibus „ totius Conventûs Principibus habituatis, „ nec non Regum, Ducum, aliorúmque Principum plurimorum, communitatum quoque Oratoribus, concionem mirificè decorantibus & prospera precantibus. „

Spondanus hic n. 22. „ Hoc anno in „ comitiis Imperii Wormatiæ à Maximiliano „ Cæsare habitis, supremum Cameræ Imperialis Judicium institutum est, ex consilio „ Bertholdi Archi-Episcopi Moguntini, Viri „ sapientissimi. Qui cum diu Imperatoris „ aulam secutus Archi-Cancellarii per seipsum „ partes obiisset; vidissétque, maxima cum „ populorum molestia causas ad Imperatoris, „ qui modò hic, modò illic, & interdum „ quidem longissimè erat, aulam referri: pro „ insigni sapientia sua perspexit, próque præstante sua eloquentia omnibus persuasit, ut „ firmum fixúmque litibus disceptandis prætorium, in quo prudentes juréque consulti „ sederent complures viri, statueretur. Quod „ primùm ibidem Wormatiæ stetit; ac „ post aliquos annos Ratisponam, demúmque Spiram translatum est, ubi hactenus „ consîdet. Cui præest Princeps aliquis, seu „ Comes, seu Baro: Judices partim ab Imperatore, partim ab Electoribus, atque à Circulis Imperii præscriptô numerô nominantur. „

[2. & 3.] Ex diplomate Cæsaris.

[4.] Gerardus ubi suprà.

P. Heuterus ubi suprà ann. præcedenti relatus cap. 4. „ Annô 1495. postridie Nonas „ Aprilis Cæsar in Germaniam reversus cum „ Summo Pontifice Alexandro Sexto, & Ferdinando, ac Elizabetha Hispaniarum Regibus, ac cum Venetis contra Carolum „ Octavum Francorum Regem ab expeditione „ Neapolitana redeuntem fœdus in speciem „ facit. Aliis enim impliciti negotiis nec „ Cæsar nec Hispanus quicquam fœderi contulit. „

Spondanus ubi suprà n. 6.

[5.] Ex Autographo ipsorum.

[6.] Ex literarum monumentis.

[7.] Abbas Wolfgangus II. in sua Abbatum serie sub Colomanno.

[8.] Ex quodam MS. Breviario & Missali conjunctis Annotatio.

[9.] Wolfgangus Abbas ubi suprà.

[10.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MCCCCXCVI. Monasterii CCCLVIII.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

SIgismundus Archi-Dux Friderici Senioris Austriaci filius Oeniponti in palatio suo diem obiit pridie Nonas Martii. Interanea illic in Divi Jacobi æde, corpus in Monasterio Stirpinensi vulgò Stamps vocato apud Majores conditum. Princeps fuit prudens, liberalis, ac subditorum amans, ad quietem & pacem quàm ad bellum proclivior. Hæredem reliquit Maximilianum Cæsarem patruelis filium. * [1.] Qui rebus in Tirolensi regione constitutis cum parte copiarum in Italiam profectus est, atque bellum Florentinis, qui Gallum fovebant, cum aliis Italiæ regulis intulit. [2.]

„ Interea dum quidam Romæ ex „ Fratribus Zwetlensibus esset, impe„ travit à Cardinalibus aliquot pro S. „ Maria nova in Rasings indulgentias. „ Datum literarum est Romæ annô Do„ mini 1496. 25. Martii. „ [3.] S. Maria nova in Rasings tunc ideo vocabatur, quia in hoc Seculo constructa fuerat, ac Sacellum dilatatum adjecto corpore, cùm antea ejus latitudo & longitudo tantùm Altaris hodie Summi Chorum contineret, utì suprà Annô MCCCCXCIV. memini.

„ Porro Marcus Præpositus, & Jo„ annes Decanus in Wittingaw Pra„ gensis Diœcesis Ordin. S. Augustini „ Canonicorum Regularium cùm au„ dirent novum in Zwetl Abbatem esse „ electum, ipsum Wolfgangum antea „ sibi notum unà cum Michaële Priore „ ac toto Conventu in suam Confrater„ nitatem susceperunt. Datum in Wit„ tingaw annô Domini 1496. sextô Ca„ lendas Aprilis. „ [4.] De laudabili hac consuetudine anno præcedenti scripsi.

Visitavit Monasterium Zwetlense Jacobus Morimundensis Abbas, unus è quatuor primis Monasteriis, nam in Ordine nostro consuetudo est, ut quilibet Abbas è quatuor primis possit suæ lineæ Monasteria per orbem dispersa visitare obtentâ à Generali Capitulo licentiâ, tunc enim agit quasi subdelegatum à Cisterciensi. Ita quoque cùm Monasterium nostrum, atque adeo totius Austriæ ejusdem Ordinis Cœnobia de linea sint Morimundi, Abbas ejusdem Monasterii Austriam intravit, illiúsque Monasteria visitando percurrit. „ Coad„ jutorem autem habuit Abbatem Mon„ tis-Pomerii, qui in charta suæ visita„ tionis Monasterium Zwetlense maxi„ mopere commendat. Data est annô „ Domini 1496. 19. Maji. „ [5.]

Maximilianus Imperator anno præcedente ex Decreto Principum Wormatiæ in conventu facto pecuniam in suis hæreditariis provinciis colligere mandavit, ut vires contra Turcam Germaniæ atque adeo toti Reipubl. Christianæ imminentem congregaret, sicut etiam ceteri Principes in suis idem præstitêre. „ Mandat ergo Prælatis, Parochis, Ple„ banis, Vicarïisque eorum, quatenus „ in singulis suis Ecclesiis, ubi Cathedræ „ & ad populum sermones habentur, è „ suggestibus hoc mandatum Regium „ promulgent, ut omnes & singuli post „ tres Dominicas accepto hoc diplo„ mate in usum & commodum Reipu„ blicæ Christianæ solvant de quingen„ tis florenis medium, & de mille in„ tegrum florenum, qui verò infra, quar„ tam partem ejusdem, qui supra quin„ gentos, census etiam augeatur: item „ admoneant fideles, ut huic censui „ de bona voluntate & pietate sua in „ hono-

„ honorem & augmentum Christianitatis aliquid superaddant. Datum „ Inspruckh annô Domini 1496. 1. Augusti. „ [6.] Hæc tamen pecunia contra Turcam petita an data, aut in usum belli præfati adhibita fuerit, Gerardus anno priori citatus declarat.

„ Wolfgangus Abbas memor humanæ conditionis & confraternitatis „ quondam inter vicina Monasteria tam „ Austriæ quàm Bohemiæ initæ, literas „ piis Confratrum precibus animas defunctorum commendantes, vulgariùs Rotulam vocant, ad diversos mi„ sit, in quibus denominat diem annô „ suppressô de hac vita emigrantium, „ nimirum Colomannus quondam Abbas 15. Kal. Novembris. F. Georgius „ Cellerarius 5. Idus Februarii. F. Wenceslaus Senior 3. Nonas Februarii. „ F. Martinus Rector curiæ in Rafing „ 4. Nonas Januarii. F. Joannes Reytter Plebanus in Cisterstorf 3. Kal. Septembris Presbyteri & Monachi in „ Zwetl professi. Datum in Monasterio Zwetlensi annô Domini 1496. „ 2. Augusti. „ [7.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 11. Piespordius sub Sigismundo I. Austriaco.

[2.] Item de Roó cit. locô. Pontus Heuterus lib. 5. cap. 5. „ Erat „ hoc tempore Cæsar in Ditione Mediolanensi, sociorum cogens exercitum. Evocârant eum in Italiam Ludovicus Sfortia, „ Veneti, ac Papa Alexander Sextus, ut Carolo Francorum Regi, auxilio Florentinorum in Italia bellum renovanti, obviam iret. „ Sfortia cum uxore insigníque comitatu Burmium usque ad Abduæ fontes, in extrema „ Italiæ ora situm, Cæsari, qui ad Malzium „ pagum pervenerat, in occursum proficiscitur; corámque cum eo transigens, ingenti „ numerata pecuniæ summa, Mediolanum rediit. Nactus erat Cæsar apud Italos, ob „ res fortiter ac feliciter in Austria contra „ Hungaros, ac apud Belgas contra Francos, „ gestas, ingentem bellicæ virtutis opinionem, ejúsque ductu facilè Francos se Italiâ „ depulsuros, eorúmque fautores in ordinem „ redacturos, ac ex utriusque ruina limites „ se suos amplificaturos confidebant. Cæsar „ hac apud Italos innixus fama, ingentia ab „ iis munera, veteráque Imperatoribus à civitatibus conferri solita expectabat tributa, „ aureámque à Romano Pontifice sperabat „ Imperii coronam. Sfortiæ pecuniâ militem in Germaniæ ac Italiæ finibus conscribi „ jusserat; præcedénsque cum peditum legione una, quingentísque lancеariis equitibus, per Rheticas Alpes, Lariúmque lacum in Italiam descendit. Præstò ei statim adfuêre, ùt dixi, Ludovicus Sfortia, „ ac Bernardinus Carvaial, Papæ Alexandri „ Legatus; déque belli ratione differentes, „ numeratâ Cæsari pecuniâ, Florentinos aggredi statuunt. Cæsar septingentos sociorum equites copiis suis jungens, Genuam „ contendit; magnificéque ab Adurniis exceptus, circa Nonas Octobris Pisas proficiscitur, summóque cum gaudio, tormentorúmque reboatu, ad Nedichori ædes perducitur, ubi confractis per cives Regis Caroli „ liliatis insigniis, ac in amnem Arnum præcipitatis, Aquilam Romanam ejus loco „ substituunt. Oppugnabantur enim hoc „ tempore, auxilio Francorum, Pisani à Florentinis, ab omni antiquitate libertati eorum invidentibus. Defendebantur verò à „ Summo Pontifice, Venetis ac Sfortia, qui „ Cæsarem in fœdus ac ad ferendum auxilium „ pertraxerant. Conveniunt omnium confœderatorum legationes, inter quos erat „ Philibertus Sabaudiæ Dux, ducentos adducens lancearios equites, ac clientale Cæsari Sacramentum de Sabaudia dicens: Decernunt Liburnum Florentinorum portum „ terra maríque oppugnandum, ne ejus opportunitate ad invadendam Italiam Francorum classis uteretur. Cæsar oppidi situ terra maríque perlustrato, copias terrestres adducit: Veneta classis mari premebat. Florentini justum Liburni habebant præsidium, „ cui nec commeatus nec tormenta deerant. „ Præerat eorum nomine Bettinus Ricasolis, „ qui mox adjutus Normannica nave, quæ „ secundô ventô, contemptis Venetis, in „ Portum se intulerat, ac octingentos Vascones, cum multo commeatu exposuerat, insigniter se defendebat, tantò feliciùs, quòd „ Veneti & Sfortiani malis artibus oppidum „ oppugnarent, diffidentes de Liburni possessione, quæ nondum erat in potestate. „ Sed cùm media hieme oppidum obsidentes, „ sæva tempestas aliquot Venetorum triremes „ perfregisset, ceterásque in altum ejecisset, „ mili-

„ milites terrâ Liburnum prementes, eadem
„ coacti tempestate, è castris magno numero
„ Pisas perfugêre. Quare Cæsar soluta ob-
„ sidione, reductísque copiis, Ticinum ad
„ Sfortiam, indéque per Larium lacum in
„ Germaniam est reversus.. „

[3.] E literarum monumentis.
[4.] Ex Autographo ipsorum.
[5.] E Charta Visitationis.
[6.] Ex Autographo diplomatis Cæsarei.
[7.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MCCCCXCVII. Monasterii CCCLIX.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

„ HOc anno Maximilianus Cæsar
„ paternas ditiones inprimis eas,
„ quæ ex Sigismundi hæreditate ad re-
„ liquas accesserant, & quasi avulsa
„ priùs membra ad corpus redierant,
„ perlustrans; cùm ad lacum Acroni-
„ um venisset, colloquiô cum Helvetiis
„ Lindaviæ institutô, id agebat, utì, pa-
„ ce jam per omnem Germaniam con-
„ ciliata, ipsi quoque Suevorum vici-
„ næ gentis fœderi subscriberent, eam
„ conjunctionem paci & concordiæ pu-
„ blicæ conservandæ commodam fore.
„ Id cùm majoris esse momenti videre-
„ tur, quàm utì statim responderi posset,
„ Legati, qui populares suos ab ea so-
„ cietate abhorrere noverant, tempus
„ concedi postulant, quo ad suos de
„ his referant. Helvetii re deliberata
„ nuncios Oenipontum misêre, qui di-
„ cerent, ob fœdus domesticum, &
„ privilegia suæ genti à multis Impera-
„ toribus confirmata, integrum non
„ esse, utì Suevico fœderi accedant;
„ orare, hujus petitionis Cæsar gratiam
„ faciat aliàs ad obsequia promptos sese
„ exhibituris. „ * [1.]

Wolfgangus Abbas utebatur mira quadam in rebus agendis dexteritate & prudentia, unde in commissionibus frequenter adhibebatur; „ habuit au-
„ tem tunc collegam D. Albertum de
„ Rohr in lite exorta inter D. Sigis-
„ mundum Prüeschenckhen Liberum
„ Baronem de Stahrenberg Summum
„ Austriæ Pincernam & Stiriæ Dapife-
„ rum ex una, cui Wolfgangus scribit,
„ & inter D. Joannem de Puechaim
„ Austriæ hæreditarium Dapiferum in
„ Haidenreichstain ex altera parte,
„ propter pontem super rivum nigrum
„ vulgò Schwartzenbach à Puechaimio
„ contra morem veterum ædificatum.
„ Citatis diem ponit feriam sextam an-
„ te Invocavit in civitate Zwetl. Da-
„ tæ in Monasterio Zwetl annô Domini
„ 1497. feriâ tertiâ ante Purificationem,
„ nimirum 31. Januarii. „ [2.]

„ Frater Joannes Messingslaher Prior
„ Ordinis Prædicatorum in Crembs
„ contulit Monasterio Zwetlensi par-
„ ticipationem bonorum operum suo-
„ rum. Datum in Crembs annô Do-
„ mini 1497. 14. Junii. [3.] Ita quo-
„ que D. Wolfgangus Abbas, F. Mi-
„ chaël Prior in Zwetl fraternitatem
„ conferunt D. Wenceslao de Budweiss
„ Parocho ibidem, Canonico Pragensi
„ & Decano Bechinensi, quæ confra-
„ ternitas consistit in lectione nominum
„ Defunctorum in Capitulo, & in cæ-
„ remoniis circa taliter lectos habitis,
„ ac in celebratione Missarum. Datum
„ in Monasterio Zwetl annô Domini
„ 1497. Collata item fuit confrater-
„ nitas Wolfgango Winther Plebano
„ in Rapottenstain hoc anno, 12. No-
„ vembris. „ [4.]

ADDI-

ADDITIONES.

*[1.] Gerard. de Roó, lib. 10. ad literam.
[2.] E literarum monumentis.
[3.] Ex Autographo ipsius.
[4.] E literarum monumentis.

Annus Christi MCCCCXCVIII, Monasterii CCCLX.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Christophorus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

„ IN finem hujus anni inciderunt belli „ Helvetici (*ipsi Suevicum vocant*) „ initia & apparatus, cujus hæ potissimùm fuerunt causæ. A primo tempore, quo Maximilianus à Sigismundo adoptatus, ipso adhuc vivo, ditionum ejus imperium susceperat, sæpe ab Helvetiis confœderatis petiêrat, utì concordiam & fœdus, quod ipsis cum Sigismundo intercesserat, secum quoque confirmarent. Illi eo prætextu id quæri suspicati, utì Suevico fœderi implicarentur, respondent: Cùm Sigismundus suarum ditionum imperio sese abdicâsset, nullo fœderis jure aut religione ampliùs se teneri, neque ex re sua videri, fœdus ullum cum quoquam facere. Hoc eorum responso nova animorum exacerbatio orta, & belli quasi semina jacta esse videbantur. Jam enim à multis annis plerique Principes & Nobilitas omnis, Helvetiis infensi infestique erant, ob assertam armis libertatem: quod cùm scirent ipsi: à Suevico fœdere, in quo plurimum poterat Nobilitas, tantopere abhorrebant, atque ea de re non apud illos tantùm, sed apud Suevos etiam, cetérasque vicinas Germaniæ gentes odium incurrebant, cui obstinatô animô obviam ire, quàm libertatem amittere malebant. „ *[1.]

Visitavit hoc anno Wolfgangus Abbas in Zwetl Monasterium ad S. Bernardum Monialium Ordinis nostri prope Horn situm, & in præsentia suorum Assessorum & Conventûs dicti Monasterii ab Abbatissa rationes dati & accepti sibi præsentari curavit. Invenit autem tunc temporis ibidem personas velatas duodecim, duas Conversas, & unam Novitiam. - - - Datum & actum in prænominato Monasterio S. Bernardi, annô Domini 1498. 24. Februarii. [2.]

„ Mirum erga Ordinem nostrum zelum Wolfgangus Abbas demonstravit, unde studia sua & labores pro Ordine in Austria habitos Generali Capitulo Cistercii celebrato significari curavit, mittens eò cum contributionibus Ordinis F. Michaëlem in Zwetl Subpriorem. Dedit autem ipsi etiam inter cetera gravamina provinciæ ibi explicanda, nimirum incursiones Turcarum factas, atque etiam intestinis tumultibus agitatos esse: item defensionem privilegiorum contra quosdam Sacro Ordini nostro concessorum cœptam: curam etiam Collegii Viennensis pro studentibus nostri Ordinis, in quo, ait, & Baccalaurei & Magistri pro incremento Fratrum in laudem Dei nunc promoti sunt, sæpéque indies promoventur: labores demum & sollicitudinem non minimam ad Monasteria propria conservanda refert. De quibus singulis plurima Fratrem prædictum habere in mandatis referenda significat. Datum in Monasterio „ Zwetl añô Domini 1498. 18. Augusti. [3.] Hujus sollicitudo & cura erga Ordinem nostrum habita post annos aliquot ulteriùs patebit, ubi ab Abbate

S. Crucis Generali Cifterciensi Wolfgangus uberiùs commendatur, utì suo loco & tempore referetur.

„ Alexander Papa VI. omnes & singulas Urbis & Orbis Universi Indulgentias omnium Ordinum suspendit „ propter Jubilæum annô quingentesimô majori cum devotione celebrandum. Datum Romæ apud S. Petrum annô Domini 1498. pridie Idus Aprilis, annô verò Pontificatûs sui sextô. „ [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 11. exscriptus.
[2.] Ex Autographo ipsius.
[3. & 4.] Ex literarum monumentis.

INCIDENS.

Pontus Heuterus in Maximiliano ac Philippo lib. 5. cap. 5. „ Septimô Idus Aprilis „ annô 1498. obiît Francorum Rex Carolus „ Octavus, annos natus viginti & octo, è quibus regnavit tredecim. - - - Fessus ludô „ parvæ pilæ, in quo se cum reticulo exercuerat, in cubiculum secedit; ceterósque „ è fenestra ludentes aspiciens, subito nervorum stupore, quem Græci apoplexiam vocant, corripitur, privatúsque sensu ac motu, ingentíque casu in terram decidens „ paulò pôst exspirat. Hannetonnius scribit, „ ab astantibus Regem à casu sustentatum ac „ servatum. Quintô Cal. Junii ejus locô „ Rhemis inungitur Ludovicus Aurelianorum Dux, Rex hujus nominis Duodecimus. „ Comparat interea Cæsar justum ex Helvetiis exercitum, cum quo in Burgundiæ Ducatum, filii sui maternam hæreditatem, „ quam Franci vi occupatam tenebant, contendit. Præerat Francorum nomine Burgundis Tremulius Dux vetus, qui cùm in „ urbem Divionensem se cum copiis includere esset coactus, Cæsari sinè dubio cessisset, nisi pecuniâ corrupti Helvetii, subitò „ stipendia ac missionem petiîssent. Carolus „ quoque Egmondius à Francis concitatus, „ magnísque pollicitationibus ad suscipiendum bellum inflammatus, contemptâ Septem-Virûm Germaniæ sententiâ, quòd „ contra se fuisset, Belgis è Geldria bellum „ infert. Quare facilè Cæsar cum Rege Ludovico, id summopere expetente, inducias aliquod mensium, dimissa exercitûs „ majori parte, facit: cúmque Lovanium „ pervenisset, Joanna, filii Philippi uxor filiam parit Leonoram, matris Cæsaris Maximiliani nomen referentem. „

Annus Christi MCCCCXCIX. Monasterii CCCLXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Alexander VI.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Christophorus.	Wolfgangus II.

BEllum hoc anno Maximilianus Imperator cum Helvetiis gerere cœpit, in quo licèt multùm sanguinis effusum fuerat, præter velitationes ad prælium integrum & justum nunquam deventum fuit. * [1.] Interea Cæsar in Austria Superiore fuisse legitur; „ qui „ commissionem injungit Wolfgango „ Abbati in Zwetl, & Sigismundo „ Prüeschenckhen Baroni de Stahrenberg Summo Austriæ Pincernæ & „ StiriæDapifero, ac Ludovico de Stahrenberg sibi à consiliis, super lite exorta inter Nicolaum Spanobsky Præfectum suum in Gmünd locò uxoris „ ejusdem D. Cæciliæ ex una, & inter „ D. Magdalenam Holkoyn ex altera, „ & inter Wolfgangum Gewarlich Licentiatum Juris sibi à consiliis & Cameræ suæ Procuratorem fiscalem ex „ parte tertia: cui commissioni terminum imponi mandat infra duodecim septimanarum spatium. Datum „ annô Domini 1499. Sabbatô post Erhardi, nimirum 12. Januarii, annô „ verò regnorum Romani 13. & Ungarici 9. „ [2.] Ex his literis constat, Nicolaum Spanobsky olim Regium Capitaneum Matthiæ in silva Nortica constitutum venisse in potestatem Maximi-

ximiliani, quem Præfectum suum in Gmünd nominat, vel per deditionem spontaneam, vel belli jure: verùm probabiliùs mihi videtur, quia sese unà cum castro in Gmünd Cæsari in gratiam tradiderit, unde præfecturâ illâ donatus fuit. Deinde quoque notatur castrum istud in Gmünd cum Dominio venisse in potestatem Maximiliani, & Wilhelmum Puechaimium ob mulctam perduellionis inde cedere coactum fuisse.

„ Mandavit præterea Maximilianus „ Romanorum, Ungariæ, Dalmatiæ, „ Croatiæ Rex &c. Archi-Dux Austriæ, „ Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Geldriæ, „ &c. Comes Flandriæ, Tyrolis &c. „ omnibus Prælatis extra Austriam ha„ bitantibus atque in ea bona possiden„ tibus, ut dotem Serenissimæ filiæ suæ „ D. Margarethæ Reginæ Hispaniæ, & „ sororis suæ D. Chunegundis Ducissæ „ utriusque Bavariæ promissam ad „ 12000. florenorum persolvant. Da„ tum annô Domini 1499. feriâ sextâ „ post Assumptionem B. Mariæ, nimi„ rum 16. Augusti, annô autem regno„ rum, Romani 14. & Ungarici 10. „ [3.] Hoc mandatum Cæsareum tangit illos, qui extra provinciam domicilium habentes, in Austria bona immobilia possident, ùt sunt Archi-Episcopus Salisburgensis, Episcopi Patavienses, Frisingensis, Ratisbonensis &c. Abbates plerique Bavariæ Inferioris tam Benedictini quàm Cistercienses, aliorúmque Ordinum. Nominat autem filiam suam Margaretham Reginam Hispaniæ, de qua sic scribit Piespordius Belga, „ Desponsa, *inquit*, annô 1485. Carolo „ Delphino Franciæ Ludovici XI. filio „ Annô 1493. patri remittitur. Annô „ 1497. mense Aprili Burgis Joanni „ Ferdinandi Catholici filio nupta, illô „ eodem anno defunctô, vidua in Bel„ gium remittitur, & Philiberto Sabau„ diæ Duci annô 1502. conjugatur &c. „ [4.] Chunegundis verò filia Frede„ rici IV. Imperatoris, & soror Maxi„ miliani habebat maritum Albertum „ IV. Sapientem dictum utriusque Ba„ variæ Ducem, quæ tum à pietate, „ tum à virtutibus omnibus commen„ datur, post mariti obitum in Mona„ sterio Ridlerorum Monachii terti„ am S. Francisci regulam professa est, „ & annô 1520. defuncta. „ [5.] Atque ita diploma suprà allatum patet.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó ubi ad annum præcedentem. „ Sub finem Februarii à Le„ gatis Philippi Palatini, Basiliensis, Argen„ toratensis, & aliarum civitatum tentata pax, „ obstinatis utrinque animis, convenire non „ potuit. Ludovicus verò Gallorum Rex, ad „ primum hujus belli nuncium, missis ad Hel„ vetiorum pagos Legatis, pacem iis ac fœ„ dus amicitiámque obtulit. Sperabat enim „ hac occasione, implicito iis bellis Cæsare, „ Mediolani imperium, cui jam dudum in„ hiabat, faciliùs occupari posse. Neque „ Helvetii, hoc rerum statu, tanti Regis con„ junctionem sibi negligendam putabant. Fit „ igitur fœdus ad annos decem, frustra id „ suis artibus impedire satagente Mediolanen„ sium Duce.

„ Interim Maximilianus, bellô Geldricô „ tum occupatus, acceptis de Helvetiorum „ rebus, & fœdere cum Gallis icto nunciis, „ præfecto castris Alberto Saxoniæ Duce, ma„ gnis itineribus Friburgum advolat, inde ad „ Imperii Principes missis passim nunciis, ac „ literis, auxilia convocat. In Walgovia „ (quæ olim Drusiana est dicta) quindecim „ pugnatorum millia, ex Tirolensi agro evo„ cata, collocat. Hi, ad sextum Calendas „ Aprilis Rhenum trajecti, pagos aliquot agri „ Sangallensis exurunt, Helvetios suis auxi„ lio missos, Werdembergam vicinum oppi„ dum se recipere compellunt. Inter hæc „ qui Constantiæ erant, cùm hostem ad se„ ptem millia haud procul abesse audivissent, „ sub Wolfgango Fürstenbergico Comite „ egressi, non expectantibus eorum adven„ tum Helvetiis, pagos quosdam in hostili „ solo diripiunt & incendunt. Prædâ onu„ stos, & negligenter absque ordine domum „ redeuntes, adortus hostis, nonnullos cæ„ dit, & aquis mergit, reliqui Constantiam „ fugâ evasêre. Ita variante Martis alea, uno „ eodémque die, utrique & victi & victores „ fuêre.

„ fuêre. - - - - Itaque Cæſar ad medium Julium „ Conſtantiâ egreditur; ſequentibus eum „ longo ordine, omnibus Civitatum Imperia- „ lium & Confœderatorum copiis. Cúmque „ rectà in hoſtium exercitum ducere ſtatuiſ- „ ſet, qui, tormentis ante aciem in æditiori „ colle diſpoſitis, in procinctu ſtabant, Prin- „ cipes quidam illum adeunt, prælium depre- „ cantur, magnas inter Imperiales animorum „ diſſenſiones, varia eſſe conſilia; verendum, „ nè in tam variis hominum voluntatibus, „ confuſione orta, res in diſcrimen adduca- „ tur. Cæſar prudenter hæc ab iis conſide- „ rata, & diem jam propè vergentem videns, „ diſploſis tormentis in civitatem rediit. Per „ eoſdem dies Ludovicus Mediolanenſium „ Princeps, utì pacem faceret, Galeacium „ Vice-Comitem propinquum ſuum, cum „ mandatis in Sueviam legaverat. Gallorum „ etiam Rex, quamvis Helvetiis auxilia & „ mitteret & polliceretur, nè tamen bellum „ inter ipſos quàm pacem malle videretur, „ ſuum & ipſe Legatum miſit, Caſtellæ præ- „ ſulem. Factis igitur decem dierum indu- „ ciis, utrorúmque Legati Tigurum conve- „ nêre. - - - - - Ita finem habuit bellum „ Helveticum, quo, etſi nunquam ad ſummæ „ rei dimicationem ventum, multi tamen ab „ utraque parte mortales periêre, quorum „ numerum quidam ad viginti millia prodi- „ dêre. Acer erat Maximilianus, & belli „ ſciens, magnáque Suevorum & Imperialium „ auxilia habebat, ſed quorum viribus Hel- „ vetii quaſi pro communi omnium una qua- „ dam civitate, & ex unis mœnibus depu- „ gnantes reſiſtebant, neque inferiores ſeſe „ declarabant, donec utrique bello defati- „ gati, pacem æquis conditionibus lubentes „ accepêre. „

Lazius in Genealogia Auſtriaca lib. 2. ſub bello octavo à Maximiliano Imperatore geſto.

Nauclerus Generation. 50. „ Annô Sa- „ lutis 1499. circa finem Februarii in Superiori „ Alemannia haud longè à fontibus Rheni „ fluminis, inter Domum Auſtriæ, & Helve- „ tios, aliàs Confœderatos ſeu Suitenſes, exor- „ ta eſt grandis turbatio, quæ paulatim deſcen- „ dens per lineam Rheni quaquaverſum uſque „ ad Baſileam, bellum ſuſcitavit atrociſſimum. „ In eo námque bello etſi nunquam totis co- „ piis bellatum ſit, cæſa tamen diverſis in lo- „ cis & pugnis referunt viginti millia pugna- „ torum, quale non memoratur, niſi fallor, „ à centum annis & citrà, in omnibus bellis „ illarum partium fuiſſe viſum vel auditum. „

Pontus Heuterus lib. 5. cap. 9. „ Hoc „ bellum ſecretis artibus, magno aſtu, Lu- „ dovicus Francorum Rex procurabat, nè „ ſibi in Italia bellum gerenti, Cæſar aut „ Helvetii (ùt aliquando fecerant) negotium „ faceſſerent. „

[2. & 3.] Ex diplomate Cæſareo.

[4.] Pieſpordius in Habsburgico Au- ſtriacorum ſtemmate ſub Margaretha IV. Au- ſtriaca.

Gerardus de Roó lib. 11. ſub anno 1497.

[5.] Chriſtophorus Gewoldus in Ge- nealogia Bavariæ Principum.

Pieſpordius in Chunigunde prima Au- ſtriaca.

Annus Chriſti MD. Monaſterii CCCLXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Alexander VI.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Wigileus.	Wolfgangus II.

AUſpicor hoc Sæculum ab anno Ju- bilæi magni, quem Alexander Papa VI. ſolenniter celebravit populis ex toto orbe Romam ad limina Apoſto- lorum confluentibus, & veniam pecca- torum admiſſorum petentibus. * [1.]

Interea vigeſimo quinto die Februa- rii, qui D. Matthiæ Apoſtolo conſecra- tus eſt, natus fuit Philippo Belgarum Principi filius Gandavi in Flandria, cui Caroli nomen ab avo parentis mater- no, pòſt ad Imperii faſtigium evecto, Quinti cognomen datum, íſque mul- tis per Europam provinciis ſumma cum laude præfuit. Hunc è ſacro rege- nerationis fonte ſuſtulêre Carolus Cro- yus, Princeps Bergenſis, & Margarethæ duæ, Anglica Edvardi Regis ſoror, & Auſtriaca Cæſaris Maximiliani filia. [2.]

Porro Chriſtophorus Pataviensis Epiſcopus, qui annis decem præfuerat, tactus apoplexiâ rebus humanis exem- ptus eſt tertiô Nonarum Januarii, annô ſeſqui milleſimô in ipſo Jubilæo. [3.]

Quo

Quo sepulto Wigileus de nobili apud Bavaros Froscheliorum familia prognatus, decimô nonô Calendas Februarii hoc anno è summo Templi Decano Pataviensis Antistes unanimi totius Cleri suffragio electus & pronuntiatus, statímque Romam profectus ab Alexandro VI. Pontifice in Jubilæo confirmatus est, cum hac insuper prærogativa, ut quicunque mortales primo ejus Sacro interessent verè pœnitentes, scirent sese plenariam omnium criminum indulgentiam ac remissionem consecuturos. [4.]

„ Vocatur per mandatum Cæsareum „ Wolfgangus Abbas Viennam, ubi „ comitia seu conventus Procerum Au- „ striæ suo nomine per Legatos suos ce- „ lebrabitur, ibíque unà cum ceteris „ concludat, quæ pro Reipubl. com- „ modo fore noscentur. Datum annô „ Domini 1500. feriâ quintâ post Mat- „ thiæ Apostoli, nimirum 26. Februa- „ rii. „ [5.]

„ Resignavit tandem Stephanus „ Aschpenhawser Rector Parochialis „ Ecclesiæ S. Laurentii in Windigsteig „ Ecclesiam hanc in manus Abbatis „ Zwetlensis, eidémque pro illa con- „ ferenda commendavit Wolfgangum „ Winther Presbyterum Pataviensis „ Diœcesis. Instrumentum desuper „ factum est à Notario Publico Joanne „ Snebolf de Zwetl Clerico Patav. Diœ- „ ces. Acta fuerunt hæc in oppido Zwetl „ in Stuba domûs Viti pistoris annô Do- „ mini 1500. 27. Martii, annô Alexan- „ dri PP. VI. septimô, præsentibus Pe- „ tro Lacher Capellano Capellæ S. Viti „ in Rosenaw, Martino Kriechpaum „ cive Pataviense, Casparo pellifice, „ Vito pistore civibus in Zwetl testi- „ bus. [6.] Eodem die & anno & „ sub iisdem testibus & in eodem loco „ alterum factum fuit instrumentum „ per eundem Notarium, quo Wolf- „ gangus Abbas in Zwetl ad supplica- „ tionem Wolfgangi Winther prædicti „ inclinatus, concessit ei Parochiam „ in Windigsteig possidendam, condi- „ tionibus de annua pensione & aliis „ oneribus portandis exaratis. „ [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Nauclerus Generatione 51.
Ciaconius in Alexandro Papa VI.
Spondanus ad hunc annum n. 1. „ Annô „ Christi 1500. Indictione tertia, cùm ad Ju- „ bilæum Natali præcedenti apertum ingens „ undique Romam concurreret peregrinorum „ multitudo; multíque essent qui propter di- „ versas emergentes necessitates numerum „ quindecim dierum indulgentiæ in visita- „ tione Ecclesiarum consequendæ præfinitum „ complere non possent; esséntque pariter „ ex Romanis & aliis in urbe commoranti- „ bus, qui triginta dies eis præscriptos, ob „ infirmam valetudinem aut alia impedimenta „ impendere non valerent: concessit Alexan- „ der Pontifex pœnitentiariis, ut ejusmodi „ hominibus numerum dierum, peregrinis ad „ quinque, ceteris ad septem, impositâ elee- „ mosynâ, minuere possent: aliásque insuper „ gratias & facultates impartitus est: atque in „ fine Jubilæum ibidem Romæ prorogavit us- „ que ad Epiphaniam anni proximi: ac per „ universam Italiam concessit ab eo tempore „ usque ad Pentecosten ejusdem anni proxi- „ mi; cujus commissarios fecit Fratres Ordi- „ nis Minorum de Observantia: ùt sunt de „ his singulis ejus constitutiones diversis hu- „ jus anni diebus promulgatæ: nec non de de- „ cima omnium redituum, in auxilium Vene- „ torum contra Turcos, Clero Romano, adeó- „ que ipsis Cardinalibus, ceterísque Prælatis „ indicta; & subsidiis in eandem expeditio- „ nem Judæis imperatis. Denique ad aliena „ regna & provincias quaquaversum Nuncios „ misit, qui indulgentiam anni sancti publi- „ carent, eámque iis impartirentur, quibus „ per bella, per itinera, per inimicitias diffi- „ cile esset Romam petere; eáque occasione „ & Principes ad pacem hortarentur, & sub- „ sidia pecuniarum adversùs Turcos compa- „ rarent: ùt de Anglia Polydorus, de Hunga- „ ria & Polonia Cromerus, de Germania Tri- „ themius, de Gallia Continuator Monstre- „ leti, de aliis alii testantur. „

[2.] Gerardus de Roó lib. 11.
Piespordius in Genealogia Habsburgico-Austriaca sub Carolo.

Laurentius Surius in Commentario, sub hoc anno. „ Observatum est etiam à non- „ nullis, quòd ab Augusto Cæsare (qui fuit „ Chri-

„ Christi temporibus, quibus lux Christianæ „ fidei sedentibus in regione umbræ mortis „ illata est) totidem ferè fluxêre anni ad Carolum Magnum primum Germanorum Imperatorem (qui fuit longè potentissimus, „ & præter alios etiam Saxones multis bellis „ annis triginta ægrè tandem domitos coëgit „ recipere fidem Christi) quot ab ipso Carolo „ Magno usque ad hunc Carolum V. qui fidem „ Christi in amplissimas ab ipso reperti & occupati novi orbis provincias, piorum hominum operâ mirabiliter invexit, ac propagavit. - - - - - - - Multa quoque hac „ die (*qua sacro fonte abluebatur*) ipsi eidem infanti præclarissima tum à sponsoribus, tum „ ab aliis quibusdam sunt dona oblata: & „ ea quidem ejusmodi erant, ut haud obscurè „ magnifica & rara quædam de illo infante „ portendere viderentur. Porro verò si ad „ genus ejus respicias, fuit illud perquàm vetustum, illustre, & nobile: quippe ex Archi-Ducibus Austriæ primò, deinde ex Comitibus Habsburgensibus, denique ex antiquissimis Francorum Regibus (fuerunt autem, nè quem id lateat, Franci origine Germani, non Galli, iique Galliam occupârunt, unde hodiéque à Francis Germanis, „ Franciæ regnum nomen habet) è quibus primus Pharamundus longè potentissimus Romanos Galliâ expulit, Clodius Rex Duringos „ compulit vectigal pendere, Meroveus Rex „ Saracenos ab Aurelia profligavit, Clodoveus primus Christianam est religionem „ complexus. Et Pharamundus quidem Rex „ Legem Salicam tulit, qua cautum est, nè „ fæminæ sint regni hæredes. „

Pontus Heuterus in Maximiliano ac Philippo lib. 5. cap. 9. „ Sextô Calend. Martii, qui „ D. Matthiæ Apostolo tum erat sacer, quòd „ annus esset bissextilis, alioqui quintô Cal. „ fuisset, natus est Gandavi Archi-Duci Philippo filius natu maximus Carolus, postea „ Cæsar nominis Quintus. • Nonis Martii „ sacro fonti præsentatur, Margarita Eboracensi infantem ulnis gestante, cui dextrum „ latus claudebat Margarita Austriaca Hispaniarum Principis vidua, quæ non ita dudum ex Hispaniis cum Joanna puerpera redierat; sinistrum latus claudebat Carolus „ Croviacus, Chimai Princeps, qui infantem „ è sacro fonte suscepêre, accedente quarto „ Joanne Bergarum ad Scaldim Domino, patre Antonii primi Marchionis. Antistes „ Tornacensis infantem lavit, nomen Caroli „ indidit Chimaus, in memoriam proavi Caroli Pugnacis. Rectores urbis Gandensis „ infanti obtulêre navem argenteam, quinquaginta pondo, omen futurarum opum, „ quas ei successoribúsque naves, incognitis „ insulis ac terris repertis, essent advecturæ. „ Ter post hæc in populum aurea argenteáque spargitur moneta; primùm ab Archi-Duce, infantis patre; deinde à Senatu Gandensi; tertiò à Mercatore panni serici, „ urbis Gandensis cive, qui ante ædes suas, „ qua infanti iter erat, scenam erexerat, in „ qua quinquaginta stabant viri, singuli singulis manibus ardentes tedas tenentes. In „ medio conspiciebatur filius ejus, ac filia „ unica, quæ prætereunti infanti vas aureum „ magni ponderis donô dabat. „

[3. & 4.] W. Hundius in Metropoli sua sub Episc. Patav. Christophoro & Wigileo. „ Præfuit annis 10. charus Clero & populo „ suo omni. - - - Sepelitur cum omnium subditorum planctu & lacrymis honestâ pompâ funebri, in gloriosæ Virginis Matris Sacello à se constructo: in quo suam antea „ genitricem quoque honestè humari jusserat, lapis ipsius Christophori Episcopi talem habet inscriptionem: Annô 1500. Reverendus in Christo Pater & Dominus, D. „ Christophorus Schachnerus, Episcopus Pataviensis, instaurator hujus Capellæ obiit.

„ Wigileus - - - Erat is magnis negotiis præclarè exercitatus, ac maximæ experientiæ, qui antea etiam in bello Hæsleriano legatus aliquoties fuerat, coëgit Synodum in Pataviensi civitate, & in oppido „ suo Austriaco Mauttern, sub Commageno, „ in quibus & Ecclesiasticam libertatem ab „ Austriæ quibusdam Regulis penè oppressam asseruit, & Cleri reformationem incepit quidem, sed non perfecit, tantæ rerum „ moli impar; Maximiliano Cæsari inprimis „ charus erat; cujus nomine aliquamdiu Ratisbonæ tribunal Imperiale Judex Cæsareus „ administravit magna cum laude, aluit amplam ex viris nobilibus familiam, bonus „ alioqui & probus Pater, qui nulla unquam „ suos subditos aut cives exactione gravare voluit: universis itaque & singulis mirè charus. „

[5.] E diplomate Cæsaris.

[6. & 7.] Ex instrumento publico.

Annus Christi MDI. Monasterii CCCLXIII.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

ALexander Papa Indulgentias Jubilæi, quas Romæ in die Epiphaniæ clausit, ad ceteras quoque provincias disseminavit, missis jam anno præcedenti quaquaversum Cardinalibus & Prælatis, qui eas promulgarent, & Principes ac populos ad concordiam inter se, & ad bellum Turcicum, cui ipsemet præstò esse vellet, atque ad subsidia pecuniarum præstanda, cohortarentur. Inter quos egregia est frequénsque apud Krantzium & Trithemium mentio Raimundi tituli S. Mariæ-Novæ Presbyteri Cardinalis in Germaniam, Daniam, Sueciam & Prussiam Legati: qui præclarè munere per aliquot annos fungens, Ecclesias visitavit, Clerum ad pristinam disciplinam revocans, pacem inter Principes & Civitates dissentientes concilians. *[1.]

„ Hoc anno sinè hærede obiît Leo-
„ nardus Goritiæ Comes; cujus ditio-
„ nes Austriacæ domui cessêre, cui jam
„ antea ex majori parte oppignoratæ
„ fuêre. „ Per eosdem dies Ludovicus Rex, nè secundo rerum successui mora à Germanis objiceretur, veritus, Maximiliani Cæsaris amicitiam omnibus modis ambiebat, à quo si diploma de Mediolanensi Principatu impetrâsset, loca quædam ad ejus jurisdictionem pertinentia à Venetis adimere in animo habebat. Ea in re postquam Cardinalis Rotomagensis fidelem diu operam navâsset, spe tandem aliqua à Maximiliano facta, Tridentum ad eum profectus est. Ibi inter ipsos de Caroli cum Claudia matrimonio, déque Mediolani Ducatûs possessione illis confirmanda facilè convenit; quòd ea res longa esse videbatur, & si quid intervenisset, non magno negotio irrita reddi posset. Hinc de bello Venetis inferendo agi cœptum, qui multa Imperii Austriæque Principum, nonnulla quoque Mediolanensis ditionis loca tenebant; & Ludovici successibus invidentes, pacem inter ipsum & Cæsarem nolle videbantur. [2.]

Hoc quoque anno mense Novembri Philippus Archi-Dux Austriæ, Maximiliani Cæsaris filius cum Joanna conjuge sua Ferdinandi Regis Hispaniarum filia, amicitiâ cum Gallis conciliatâ per Franciam in Hispaniam proficiscitur, & ubique præsertim Parisiis honorificentissimè excipitur. [3.]

Iverat anno priori Romam peregrinationis causâ ad consequendum Jubilæum Ecclesiæ collegiatæ in Zwetl Præpositus (*ità se scribit*) „ Andreas Kü-
„ nigstainer, qui miserum Italiæ statum
„ Abbati Zwetlensi per litteras signifi-
„ cat, de qua domum jam se rediîsse,
„ itinere satis periculoso peracto, sal-
„ vus & incolumis sibi gratulatur. Ex
„ Zwetl annô Domini 1501. pridie Ca-
„ lendas Februarii. „ [4.] Unde constat Andream istum jam ad triginta penè annos Præposituræ Zwetlensi præfuisse, qui à quodam Swerzero aliquando mirum exagitatus fuerat, ita ut Præposituræ titulô Swerzerus uteretur, & Andreas per aliquot tempus à Præpositura illius improbitate arceretur.

Interea Wolfgangus Abbas non tantùm zelatorem Ordinis, sed etiam œconomum diligentem agebat, primùm quærens regnum Dei in animarum salutem, deinde in temporalibus, quæ ipsi per Dei benedictionem abundè adjiciebantur, & augendis & conservandis fidelem se exhibens dispensatorem. Patet autem utrúmque ex Indice ejus MPS. in quo proditur ipsum Cisterciuum ad Generale Capitulum profectum fuisse, ibidémque

que molestias, quas Ordo per Austriam à quibusdam Adversariis passus fuerit, explicâsse, remediúmque contra ulteriora imminentia pericula quæsivisse. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Spondanus hîc n. 1.
[2.] Gerardus de Roó lib. 11.
[3.] Surius in Commentario brevi rerum in orbe gestarum sub hoc anno.

Gerardus ubi suprà. „ Philippus Archi-„ Dux Austriæ, uti Hispaniæ populos præ-„ sens sibi conciliaret, cum Joanna uxore iter „ ingressus, sub finem Novembris Parisios ve-„ nit: ubi à mercatorum Præfecto (quæ per-„ ampla est in ea urbe dignitas) reliquísque „ Ordinibus, summo cum honore publicæque „ lætitiæ significatione exceptus est, prætentis, quâ ingrediebatur, aulæis, & variis „ pro more gentis exhibitis spectaculis. Ali-„ quot dies ibi commoratus: prætorium Re-„ gale (*Parlamentum vocant*) ingreditur, & „ agendis causis præsidens, Principem sese ex „ Galliæ Paribus (*quos dicunt*) unum, uti „ Burgundiæ Flandriæque Dominum osten-„ dit. Parisiis profectus, Plessium venit, & „ à Rege ipso ac Regina obviis in arcem de-„ ductus multa cum eo colloquia habuit. - - - „ Archi-Dux de pacis negotio apud Socerum „ Hispaniarum Regem promovendo, omnia „ benignè pollicitus, iter suum prosequitur.„

Pontus Heuterus lib. 6. cap. 3. „ Ber-„ gis Hannoniæ (*Maximilianus cum comi-„ tatu suo*) tendunt Valencenas, inde &c. „ - - - Parisios, Aureliam, postremò Blosium, „ ubi Rex ac Regina eos expectabant. Pro-„ cedunt eis obviam ad aliquot milliaria Pro-„ ceres Regii sanguinis; cum quibus ex equo „ Archi-Dux descendens, Palatium intrat. „ Viso Rege, caput nudat, corpus inclinat; „ paululúmque retrocedens, reverténsque, ùt „ tum moris erat, iterum se inclinat. Tertiò „ idem parante, Rex ablatô capitis tegumentô „ non fert, sed obviam veniens, Archi-Du-„ cem arctè amplectitur, ac per duas ferè ho-„ ras soli deambulant. Lætabantur Prin-„ cipum congressu plerique, dolebant non-„ nulli, quisque pro ingenii ac judicii capa-„ citate præsagiens. Deinde Archi-Dux à „ Comitis Neversii, Valentinosii, ac Candalæ „ uxoribus ad Reginam deducitur; exhibitó-„ que ei ter decentissimè summo honore, „ cum osculo suscipitur: eadémque ratione „ Rex Archi-Ducem Joannam honorat. De-„ inde invisunt Claudiam Francicam, despon-„ satam Carolo Austriaco, Archi-Ducum filio, „ cui adamantem auro inclusum, æstimatum „ mille quingentis aureis liliis, Archi-Dux „ Joanna dat dono. Post decem festos Blosii „ exactos dies, Ambosiam Archi-Duces, co-„ mitante hucusque Rege, proficiscuntur: „ hinc in Turones, Pictavos, Congacos, ac „ Vascones &c. „

[4.] Ex Autographo ipsius.
[5.] Ex Indice ipsius.

INCIDENS.

Nauclerus Generatione 51. „ Annô Sa-„ lutis nostræ 1501. miranda sanè, horrenda „ & inaudita ostendit Deus hominibus. Si-„ quidem ùt scribit Regi Romanorum Maxi-„ miliano Leodiensis Episcopus, à festis Pa-„ schalibus singulis diebus in uno vel alio loco „ diœcesis Leodiensis, apparuit publicè & „ inopinatè aliquando in Ecclesiis, aliquando „ in plateis, aliquando in domibus, & in ipsis „ etiam cubiculis signum Dominicæ crucis „ perfectum, & fuit frequenter nigrum aut ru-„ bicundum, ita etiam, ut in aliquibus putare-„ tur esse verus sanguis cum medulla & sanie „ effusus: & fuerunt plerumque cruces simpli-„ ces, aliquando tamen duplices, in forma „ signi sepulchri Dominici. Apparent autem, „ inquit, ùt plurimùm super capita mulierum, „ & maximè puellarum, in earum peplis su-„ premo vertice. Et refert idem, se desuper „ inquisitionem solertem fecisse, ità quòd nec „ dolus nec fraus intervenire potuerit &c. „

Bzovius ad finem hujus anni. „ Scripsit „ de his crucibus, & mirandis tractatum lu-„ culentum Matthæus Herbenus, Presbyter „ Ecclesiæ S. Servatii in oppido memorato, „ homo fide & eruditione venerandus, Tri-„ themii Abbatis in litteris Græcis quondam „ auditor. Addit idem Trithemius, quòd „ & anno superiore & præsenti, prædictæ „ cruces apparuerint in lineis vestimentis ho-„ minum, in camisiis, in mensalibus, & lintea-„ minibus, non solùm in his quæ habentur in „ usu, sed etiam in illis, quæ in cistis inclusa, „ nullum aëris influxum habere videbantur. „ In corporalibus quoque, & pallis Altarium „ & albis similiter, multoties apparuerunt. „ In Sobernheim, & Meysenheim primò visæ „ sunt, cum maximo vulgi timore & horrore, „ tam subitò, quòd aliquando, dum Salve „ cantaretur in Ecclesia, XXX. homines cru-„ ces habuisse, quas priùs non habuerant, „ inventi fuerint. Posthæc apparuerunt in „ Creutzenach, & villis circumjacentibus, „ deinde in Bingen, & in Moguntia, & con-„ sequenter in multis Alemanniæ locis. Erant „ autem cruces parvulæ, varii ac confusi co-„ loris,

„ loris, ac si pannus aliqua pinguedine mixti „ coloris esset intinctus, nec poterant qua- „ libet lotione deleri, sed post diem nonum „ aut decimum per se deficientes evanuerunt. „ Has cruces magna pestilentia hominum in „ multis locis post biennium secuta est. „

Annus Christi MDII. Monasterii CCCLXIV.

Pont. Rom. Alexander VI. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

„ DEcimô Calend. Junii hoc anno „ Rex & Regina in generali Or- „ dinum Hispaniæ Castellâ dependen- „ tium consessu declarant Archi-Du- „ cem Philippum, ejus uxorem Joan- „ nam, communésque liberos veros „ legitimósque Castellæ, eóque spectan- „ tium Hispaniæ regnorum, hæredes, „ statímque eis Principum Hispaniæ ti- „ tulum tribuunt. Tum Nobiles utri- „ usque Ordinis, Urbium, Ordinúm- „ que Legati, solemni eis ritu Sacra- „ mentum dicunt. „ * [1.]

Vendidit Monasterio Zwetlensi Petrus molitor, tunc temporis molendini ad Campium juxta Rapottenstain siti possessor, molendinum novum; „ de „ quo fatetur se à Wolfgango Abbate „ 34. tal. den. recepisse. Signata est de- „ super litera sigillis Viti Pistoris Sena- „ toris in Zwetl & Wolfgangi Ambstet- „ ter Notarii dictæ civitatis. Datum „ in civitate annô Domini 1502. fe- „ riâ quartâ post Pentecosten, nimi- „ rum 18. Maji. „ [2.]

Pontifici Romano Alexandro VI. unica cura fuit, ut inter Principes Christianos pacem componeret, & arma omnium in Turcas converteret, [3.] quare in eum finem Gallum, cum Italiæ nonnullis Regulis ut pacem iniret, persuasit, licèt ipsi Regi non esset cordi in Turcam, sed in Campaniam Neapolitanúmque regnum arma sua universa convertere. Persuasit etiam Imperatori Maximiliano, ut in bellum Turcicum consentiret, quare pecuniam ex subditis suis provinciis colligi mandavit, inde Wolfgangus Abbas in Zwetl commemoratur contra Turcas numerâsse nomine subditorum 360. tal. den. in manus Jacobi Præpositi Claustro-Neoburgensis. Non tantùm autem subditi contribuere tenebantur, sed etiam Ecclesiasticus Status, qui dare in universum debebat 6425. tal. den. Datum ibidem annô Domini 1502. feriâ quintâ post Petri & Pauli Apostolorum, nimirum 30. Junii. [4.]

Possidebat hoc tempore castrum & dominium Lantstain in finibus Bohemiæ & Austriæ situm familia Baronum de Kreyg, quæ simul etiam Vistritz dominium non procul à Nova-Domo distans incolebat; „ unde Conradus Baro de „ Kreyg Dominus in Vistritz & Lant- „ stain Wolfgango Abbati in Zwetl „ misit duos calices consecrandos, & „ duas casulas benedicendas. Datum „ Vistritz annô Domini 1502. 12. Se- „ ptembris. „ [5.] Horum castrorum & dominiorum possessores olim, Regibus Bohemiæ in Austriam hostiliter excurrentibus, Monasterio bona multa præstitêre; dum & Reges suis consiliis à Monasterii deprædatione, & milites à rapinis & cædibus colonorum, & incendiis casarum mandatis Regiis averterunt, nihil quidem fundantes, sed fundata bona sarta tecta conservantes.

„ Præterea Wigileus Pataviensis Epi- „ scopus de plebis confluentis ad Virgi- „ nem Rafingensem devotione certior „ factus confirmat omnes Indulgen- „ tias à Cardinalibus datas eidem Ec- „ clesiæ. Deinde suas ipse addit In- „ dulgentias illis, qui in tribus sextis „ feriis immediatè sequentibus festum

Ooo o 2 „ Paschæ,

„ Paschæ; itém in tribus Dominicis „ immediatè sequentibus festum S. „ Dionysii, item in decantatione Salve „ Regina per circulum anni Sabbatinis „ diebus in dicta Ecclesia filiali solita, „ eandem visitaverint, aut ad ipsius re- „ parationem & conservationem Divi- „ ni cultûs vel ornamentorum augmen- „ tationem manus porrexerint adjutri- „ ces. Demum etiam concedit, ut „ provisores Ecclesiæ prædictæ peregri- „ nis adventantibus, quò domi suæ „ profectionis in laudem gloriosissimæ „ Virginis Mariæ majori gaudio & de- „ votione recreentur, signa plumbea „ pro more exhibere & tradere possint, „ harum testimonio litterarum. Datum „ Viennæ annô Domini 1502. 1. De- „ cembris. „ [6.] Sciendum dictam Rasingensem Ecclesiam tantùm tribus Dominicis post Nonum Octobrem à peregrinis frequentari olim solitum fuisse, Waidhofensis autem civitas utì propior ex situ loci, ita devotior ceteris quartam Dominicam adjecit, nimirum illam, quæ ante festum Dionysii & post Michaëlis festum proxima illucescebat: unde hodie quatuor his Dominicis tantus concursus populorum est, ut vix Templum alioquin spatiosum illum capere possit.

Ex Indice D. Abbatis Wolfgangi habetur eum ad diætam Novæ-Civitatis illuc cum aliis Proceribus Austriæ profectum fuisse ad Imperatorem, ubi contra Turcas pecunia colligenda decreta fuit, quam etiam protinus Abbas Præposito Claustro-Neoburgensi numeravit.

ADDITIONES.

*[1.] P. Heuterus lib. 6. cap. 3.

[2.] Ex Apocha ipsius.

[3.] Ciaconius in Alexandro Papa VI. „ Singulos Reges hortatus est, ut pacem colerent domi; de bello autem nullo omnino cogitarent, nisi in ferocissimam Turcarum gentem Christianis exuviis superbam. „

[4.] E literarum monumentis.

[5. & 6.] Ex Autographo ipsorum.

INCIDENS.

Surius in Commentario. „ Hoc anno „ sævissima pestis omnem Germaniam longè „ latéque populata est. Multorum opinione „ ii tum extincti sunt, quorum vestibus suprà „ diximus cruces sanguineas incidisse: & quod „ dictu mirum est, etiam illis in vestibus li- „ neis cruces inventæ sunt, quæ cistis inclusæ „ tenebantur, atque etiam in ipsis hominum „ corporibus. Isthuc verò in tertium usque „ duravit annum.

„ Hoc anno in diœcesi Spirensi à duobus „ rusticis primùm orta est conspiratio & re- „ bellio adversùs Episcopum & Canonicos, „ contra jusjurandum & fidem illis datam, „ tanquam Dominis suis. Crevit paulatim „ seditiosorum hominum numerus, quos ii „ rustici callidis persuasionibus in suas partes „ pertraxerant: & nisi Numinis providentiâ „ id malum brevì detectum fuisset, illa homi- „ num fæx postea præ multitudine opprimi „ vix potuisset. Submittebantur clam ex his „ fœderatis homines versuti in pagos & op- „ pida, qui quoscunque possent, in Clerum, „ in Principes & omnem Magistratum conci- „ tarent, ipsorúmque factioni adjungerent. „ Jam duos sibi duces delegerant, penes quos „ rerum esset summa potestas, quibúsque uni- „ versi sinè ulla contradictione parerent.

„ Cùm diem certam designâssent, ad quam „ in locum unum omnes convenirent, ecce „ capti sunt duo hujus perfidiæ authores, qui „ quæstionibus & tormentis subjecti, omnia „ sua nefanda consilia enunciârunt, quæ eò „ ferè spectabant, ut omni jugo excusso, per- „ niciosa gauderent libertate, licerétque cui- „ que suo vivere arbitratu: Magistratum om- „ nem & Principatum profligarent, & si qui „ ipsorum conatus retardare, aut ipsis obsistere „ instituissent, eos immaniter trucidarent, „ tanquam justitiæ divinæ hostes & adversa- „ rios. Inprimis quidem statuerant invadere „ Marchionem Badensem, inde Spirensem „ Episcopum, postea Monachos & Clericos „ &c. denique in omnimodam se vendi- „ care libertatem. Qui conatus tametsi erant „ seditiosi, impii, & omni supplicio digni, „ tamen videbantur sibi homines deploratæ „ cæcitatis & stultitiæ æquam & bonam fovere „ causam: atque ut res tam nefaria prosperos „ haberet successus, certas eo nomine preces „ quotidie à singulis dici volebant, scilicet „ ut Deus tantæ nequitiæ se patronum & fau- „ torem præberet. Preces erant quinque „ orationes Dominicæ, & totidem Angelicæ „ Salutationes, flexis genibus dicendæ. Nec „ hôc contenti, etiam Symbolum sibi statuêre

„ Virgi-

„ Virginem Matrem & Joannem Evangeli-
„ stam, quasi Sancti hominum sceleribus
„ faveant. Verùm Maximiliano Cæsare
„ graviter in eos animadvertente, publicè suæ
„ temeritatis justas dedêre pœnas, plurimis
„ eorum captis, & ultimò supplicio affectis. „
Spondanus hic. n. 3. qui ait, hanc conspirationem vulgò dictam Ligam Rusticorum, germanicè Bundschuch.
Item Gerardus de Roó lib. 11.

Annus Christi MDIII. Monasterii CCCLXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius III.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Wolfgangus II.

SUstulit hic annus Alexandrum Papam VI. è vivis, qui seniô gravis Romæ in Vaticano ad 15. Calendas Septembris extinctus est, quem Gerardus de Roó haustô venenô, quod aliis paratum erat interiisse ait. *[1.] Post aliqualem ✝ tumultum à Cæsare Borgia Papæ mortui filio Romæ excitatum, cùm urbe ille exiisset, Cardinales protinus triginta & septem Conclave Vaticanum ingressi sunt, suffragiis concordibus 10. Calendas Octobris annô 1503. Franciscus Piccolomineus, Cardinalis Senensis tit. S. Eustachii, Diaconorum primus totius Ecclesiæ Pontifex electus Apostolicam Sedem conscendit, qui Pius III. in avunculi Pii II. memoriam appellari voluit. [2.] Hunc B. Malachias Hiberniæ Primas ita prævidit indigitando: De parvo homine. Quia nimirum erat de familia Piccolominea oriundus. Vix autem conscenderat summum Ecclesiæ apicem, & ecce in crure ex sævo ulcere jam diu afflictatus vigesima sexta die Pontificatûs sui, & 15. Calendas Novembris per mortem rursum deponitur, & sedem successori reliquit vacuam. [3.] Quo sepulto & Novendialibus celebratis, Julianus de Ruvere aliàs de Robore Savonensis, Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veletrensis, major Pœnitentiarius à totidem, quibus Pius, Cardinalibus eligitur mira celeritate, atque Julius II. vocatur. De illo sic B. Malachias Hibernas vaticinatus est: Fructus Jovis juvabit. Nam Julius Ligur erat, ejus insignia quercus, quæ arbor Jovi sacra est.

„ Porro ut ad Austriam redeam, „ Wigileus Pataviensis Episcopus invitat Clerum suæ Diœcesis, etiam Prælatos cujuscunque statûs ad provincialem Synodum in Mauttern oppidulo suo Dominicâ *Misericordia Domini* proximè venturâ pro corrigendo vitiis dedito Clero celebrandam. „ Datum Pataviæ sub nostro majori decreto annô Domini 1503. 1. Februarii. „ [4.] Verùm tunc impeditus ab hoc magno opere & labore, diem indictam & locum mutavit; „ Synodum pro reformatione Cleri de Mauttarn in Pataviam transfert eo fine, ut omnes tam supra quàm infra Anasum constituti illuc confluant ad Visitationem B. Mariæ, ibi in solitæ suæ residentiæ Curia compareant. Impedimentum autem diei priori indictæ attulit, quia in obsequio Domini sui Regis Romanorum Archi-Ducis Austriæ, Ratisbonæ Judicio Cameræ-Regalis præesse cogebatur, aliísque rationabilibus intervenientibus causis impediebatur. Actum in civitate nostra Pataviensi annô Domini 1503. 10. Aprilis. „ [5.] Hoc idem paucis at aliis verbis Hundius in Metropoli sua sic narrat: „ Coëgit „ Synodos in Pataviensi civitate & in „ oppido suo Austriaco Mauttern sub „ Comageno; in quibus & Ecclesiasticam libertatem ab Austriæ quibus-

„ dam Regulis penè oppressam asseruit, „ & Cleri reformationem incepit qui- „ dem, sed non perfecit, tantæ rerum „ moli impar. Maximiliano Cæsari „ inprimis charus erat, cujus nomine „ aliquamdiu Ratisbonæ tribunal Im- „ periale Judex Cæsareus administravit „ magna cum laude. „ [6.] Hæc de eo Hundius, verùm facilè deceptus putavit duas ab illo celebratas Synodos, cùm unam tantùm Pataviæ celebrârit, quam priùs in Mautterensi oppido indixerat, ac deinde impedimento allato transtulit in Sedis suæ Metropolim.

Paulò pòst Wigileus Episcopus ab Abbate in Zwetl rogatus confirmavit libertatem salium nostrorum deducendorum per suam Diœcesin sinè telonio quocunque. Datæ Pataviæ annô Domini 1503. 16. Julii. [7.]

ADDITIONES.

* [1.2.3.] Gerardus de Roó lib. 11. sub hoc anno.

Ciacon. in Alexandro VI. Pio III. Julio II. PP.

Surius in Commentario sub hoc anno. „ Mense Augusto obiit Alexander ejus nominis VI. Romanus Pontifex, incautè à ministris illi oblatô venenô, quod in quodam convivio aliis paratum erat. Sumpserat idem venenum etiam alius quidam vir magni nominis: sed ille mulæ recens occisæ utero inclusus, aliísque pharmacis adhibitis, servatus est. Alexandro successit Pius Tertius Cardinalis Senensis, nepos Pii Secundi: sed dies tantùm sexdecim aut septendecim ea potitus dignitate, excessit è vivis, humanarum rerum vanitatem & inconstantiam suo præpropero decessu mortalibus ob oculos revocans, ut nè quis hujus mundi fluxis, incertis ac momentaneis rebus sese addicat. Eo quoque defunctô, in ejus locum suffectus est Julius Secundus, cujus Pontificatûs annô primô, Hispanis & Gallis de finium divisione in regno Neapolitano inter se contendentibus, Galli tandem regnô Neapolitanô cum multa suorum cæde depulsi sunt, Consalvo Hispano Duce fortissimo, pro Ferdinando Rege suo mirificè depugnante. „

Spondanus hoc anno n. 5. „ Hoc igitur anno Alexander Pontifex, dum totus esset in rebus filii Valentini provehendis, (utroque jam in partem Hispanam propensiore, quòd Gallicam in Italia deteriori loco esse animadverteret:) in summo majoris spei fastigio, ùt inania & fallacia sunt hominum consilia; ex improviso mortuus est decimô quintô Calendas Septembris; venenô potatus, ùt volunt, cùm in hortis Adriani Cardinalis Cornetani non longè à Vaticano cœnaturus, eò maturè adveniens unà cum filio, sitímque ex gravi æstu sublevare volens, errore pocillatoris vinum ex lagena medicata, quam Valentinus eidem ipsi Adriano Cardinali, aliísque opulentioribus de medio tollendis, præmiserat, hauriens, venenum ebibit, ipséque item Valentinus; Deo scelerum vindice, quam paraverat fraudem in ejus caput & exitium convertente. Rem enim ita gestam esse, plerique Itali, ipsíque Hispani scribunt, ut ceteras nationes taceam; cùm sint nihilominus, qui ùt falsam narrationem, quoad præparatum venenum eludant. Quos omnes habes in unum collectos apud Bzovium diligentiâ nonnullius ex ea familia. Venenô tamen potatum Alexandrum, constans plerorúmque omnium opinio fuit; quod ei à pincerna pecuniâ corrupto propinatum, quidam voluêre. &c. „

† Collector Conciliorum Tom. 34. editione Parisiana in vita Pii Papæ III. fol. 65. „ Pius III. antea Franciscus Piccolomineus appellatus, Pii II. ex sorore nepos, factus est Pontifex X. Kalendas Octobris, annô Christi Redemptoris 1503. tempore Maximiliani Imperatoris. Cæsar Dux Valentinus à morbo illo, quem ex sumptione veneni contraxerat, liberatus, coactô duodecim millium armatorum agmine, conclave quo Patres ad futuri Pontificis comitia habenda congregati erant, obsederat: verùm populi seditione, & Gallorum atque Hispanorum intercessione, urbe excessit. Cúmque paulò pòst ad deosculandos novi Pontificis pedes rediisset, Ursini illum armis adorti sunt, póstque magnam cædem utrimque commissam, Valentinus jussu Pontificis vivus in arcem Æliam perducitur. Ex sævissimo ulcere, quod non sinè suspicione superilliti veneni crus exederat, Pontifex ætatis annum agens quartum & sexagesimum interiit XV. Kalendas Novembris, & sepultus est prope avunculum in Vaticano, cùm sedisset dies tantùm viginti sex. „

[4. & 5.] E literarum monumentis.

[6.] Hundius in Metropoli sua Salisburg. sub Wigileo Episcopo Patavienfi.

[7.] Ex Autographo ipsius.

Annus

Annus Christi MDIV. Monasterii CCCLXVI.

Pont. Rom. Julius II. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

MAximilianus Cæsar hoc anno bellum Bavaricum gessit, de quo sic Cuspinianus paucis differit, Gerardus id fusiùs describit. Ita verò ille ait: „ ùt Bavaricum est, quod in favorem „ suorum nepotum ex sorore Ducum „ Bavariæ Guilielmi, Ludovici, & Ernesti contra Rupertum Palatinum „ Rheni strenuè egit. In quo sua manu Bohemos haud longè à Ratisbona „ stravit, fudítque & fugavit, Virginei „ partûs annô millesimô, quingentesimô quartô. „ *[1.] Ad hoc bellum Prælatorum per Austriam utramque Status certum pecuniarum numerum porrexit; „ unde Michaël S. Crucis „ Abbas fatetur se ad bellum Bavaricum à Wolfgango Abbate in Zwetl „ recepisse censum impositum. Datum „ Viennæ annô Domini 1504. Dominicâ Exaudi, nimirum 15. Maji. „ [2.]

Porro habita consultatione inter Abbates Cistercienses in Austria hoc anno ad Generale Capitulum Cistercium missus fuit quidam ex Ordine F. Joannes nomine, gravamina Monasteriorum Austriæ in eo depositurus; cui inter alia etiam sequentia puncta Abbas S. Crucis consignavit. *Primum.* Quo modo Monasterium Victoriense quondam insignis Abbatia ad pristinum statum iterum restitui possit. *Secundum.* De difficultate Monasterii Campililiensis orta circa jus immediationis seu dependentiæ. *Tertium.* Quomodo & ubi Monasterii Paumgartenbergensis & Hilariensis cepta dissensio componenda. *Quartum.* Querela ob quoddam petitum subsidium charitativum. *Quintum.* A Reverendissimo D. Generali sollicitandum, quatenus privilegia Papalia ab uno aut duobus Notariis subscripta & vidimata transmittat: Sunt hæc privilegia Sixti IV. super decimis, quod incipit: Dispositione divina &c. Et Innoc. VIII. quod incipit: Ad Romani Pontificis &c. Et confirmationem moderni Papæ Julii. *Sextum.* Concernit Collegium S. Nicolai Viennæ ad Ordinem nostrum spectans, quod ex toto penè desolatur, nisi per contributiones aut aliâ viâ reparetur. *Septimum.* Exoptant Patres Abbates in certis causis rehabilitandi authoritatem. *Octavum.* Abbas de Zwetl habet juvenem Professum studio aptum, ut is post adeptum Magisterii gradum, quem brevì consequetur, Juri Canonico operam dare possit, humiliter supplicat. Hæc dicto F. Joanni cum speciali instructione commissa fuerunt. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano I.

Lazius in Genealog. Austriaca Comment. lib. 2. sub bello nono Maximil.

Gerardus de Roó lib. 11. „ Obiit apud „ Germanos Georgius inferioris Bavariæ Princeps, cognomentô Dives, unicam relinquens filiam Elisabetham, quæ Ruperto Palatino, Philippi Electoris filio nupta, duos „ ei filios Philippum & Othonem pepererat. „ Huic omnia sua testamentô legaverat Georgius: sed Albertus & Wolfgangus Superioris Bavariæ Reguli, contra leges & instituta id factum esse contendebant; extare „ vetustiora diplomata, quibus caveretur, si „ quem ex Bavariæ Principibus absque hærede masculo decedere contingat, utì proximus ex laterali (quam vocant) linea agnatus, in bona ipsius & ditionem succederet. „ Hac ratione cùm nihil proficerent, totius

„ rei arbitrium ad Cæsarem detulerunt. Is, „ nè bello per Germaniam occasio inter Principes cognatos existeret, magnopere in eam „ curam incubuit, utì sublatis ex æquo & jure „ controversiis, pax & concordia servaretur. „ Sed Rupertus, vix primæ juventutis annos „ ingressus, & suopte ingenio, & aliorum „ consiliis ferocior, conditiones quantumvis „ æquas, non admissurus esse videbatur. Igitur sequentis anni initiò, res in bellum „ erupit. Cæsar verò, nihil amica tractatione obtineri posse videns, illum proscribit, „ omnémque illius ditionem cuivis diripiendam permittit: patri Electori, nè filio opem „ ferat, eadem mulcta proposita interminatur. Philippus animi dubius, dum neque „ filium deserendum, neque Cæsaris in se „ iram provocandam putat, tandem promissis (utì ferebatur) à Gallorum Rege „ auxiliis fretus, & paterni animi affectu „ victus, arma capit, filio defensorem se „ præbet. Hinc & ipse omnibus Imperii „ commodis ac beneficiis privatur. Reliquis „ item Principibus, imprimis verò Udalrico „ Wirtenbergensi & Guilielmo Hassiæ regulo „ injunctum, utì bellò illum, tamquam perduellem, adorirentur. Promptus in hanc „ expeditionem erat Udalricus, cui Alberti „ filiam Sabinam Cæsaris, qui avunculus ei „ erat, authoritate collocatam suprà retulimus. Itaque utì tam ipsi quàm socero „ operam suam commendaret, conscripto „ octingentorum equitum, & bis mille peditum exercitu, in Palatini ditionem irruens: „ Mulbrunnum Monasterium, muro, turribus „ & præsidio munitum, expugnat: Abbatem, „ qui cum Fratribus Spiram confugerat, in „ verba juratum, pristino loco restituit. Besichemum inde, Leostadium, Winsbergium, Neostadium & Meckmülam, oppida, „ cum arcibus nonnullis capit. Guilielmus „ quoque Clavam oppidum in potestatem redigit, Ingolhemum strenuè oppugnans, capere non potuit, & obsidione soluta, non „ multò pòst obiit. In Bavaria verò Rupertus, Alberto viribus impar, Bohemorum „ non parvam manum conduxit. Eos prope „ Reginoburgum excepit Maximilianus Cæsar, „ qui & ipse in armis erat, neque Boëmos in „ Germaniam adduci, ferre poterat. Aderant illi Albertus Bavarus, Fridericus Brandemburgicus, cum Casimiro & Georgio „ filiis, quorum avia erat Elisabetha Austriaca, „ Ladislai Regis soror: utrumque Cæsar militari dignitate, sub pugnæ tempus insigniêrat. Boëmis se cum suis conjunxerat Rupertus. Utrisque pugnæ cupidis, acerrimè „ pugnatum est, & Rupertus egregiè inter „ primos se gessit, nutantem aliquoties aciem „ instaurans, neque ullam de se timoris significationem præbens, quoad consistere suos „ videt. Cæsar verò suos & verbis & exemplo exhortatus, in densissimum hostium „ agmen invectus, vitæ periculum adiit, ex „ quo suorum virtute ereptus, hosti pertinaciùs resistenti, victoriam extorsit. Boëmorum multi in prælio, nonnulli in fuga cæsi, „ reliqui domum, quà venerant, per saltus „ rediêre. Rupertus ipse fugâ salutem quæsivit. Post hoc prælium, multa passim loca, ultro deditionem fecêre. Est ad Oeni „ ripam in Tirolensis agri & Bavariæ confiniis Kuffsteinium oppidum, quod arcem „ habet, ex solida rupe excisam, quæ in montis prærupta crepidine collocata, oppido „ superimminet, ex quo una tantùm semita „ adiri potest, ingenio loci & opere munitissima. (Geroltzeggum vocant) Hanc per „ id tempus cum præsidio tenebat Joannes „ Benzenauerus domi nobilis, & rei militaris „ peritia insignis, qui Palatinorum partes secutus, ac fiduciâ loci elatus, insolenter se „ gerebat. Igitur Cæsar eò profectus, arcem „ cum oppido sibi tradi postulat, vitam & veniam Præfecto ejúsque militibus promittit. „ Id cùm impetrari non posset, oppugnationem etsi difficilem, Cæsar aggressus, crebris tormentorum ictibus arcem verberari „ jussit. Ferunt Præfectum, post explosa tormenta, scopis exteriorem muri partem „ verri jussisse, cujus rei indiciò, nihil magni „ incommodi loco adferri posse demonstrabat. Non bene cessit ei superbia, & Cæsaris contemptus, qui ea re irritatus, obstinatò animò expugnationem urgere pertendit; multáque animo agitans, locum „ quendam ex adverso in monte observavit, „ qui arcis situm altitudine nonnihil excedens, „ collocandis machinis idoneus esse videbatur. In hunc igitur locum tormenta aliquot majora, magnis operibus, longóque „ circuitu, per clivosa montium juga, subvehi „ curavit, quibus non mœnia, quæ ex rupe „ excisa erant, sed milites ipsi, qui pro muris stabant, & interiora arcis domicilia petebantur, neque usquam tutus dabatur recessus. Ea res præter opinionem allata, „ contumaces Præfecti spiritus fregit, qui præsens adesse exitium videns, deditionem fecit, veniámque & admissorum gratiam, quàm „ anteà oblatam repudiaverat, serò petiit. „ Nam cum nobilibus aliquot commilitonibus capitali supplicio affectus est. Cæsar „ arcem cum oppido Tirolensium ditioni as-

„ seruit,

„ servit, partémque montis illam, ex qua „ tormenta explosa fuerant, ita destrui curavit, nè ab eo loco arci deinceps vis ulla „ adferri posset. Tormenta verò grandiora „ illa, in flumen demersa esse, sunt qui asserant. Rupertus non multò pòst ex animi „ ægritudine, (quidam venenô sublatum volunt) Landishuti diem obiit, quem secuta „ est uxor. Cùm itaque Palatinorum familia, graves ex hoc bello clades accepisset, „ jámque totis viribus in Philippum iretur, „ Christophorus Badensis Marchio, & alii „ quidam pro illo intercessêre. Quorum „ precibus motus, & qua erat animi moderatione, Electoratûs dignitatem conculcari „ nolens, & ipse à bello illi faciendo destitit, „ & reliquis Principibus, idem utì facerent, „ imperavit, quoad proximis Imperii comitiis „ de tota illa controversia statueretur. „

Surius in Commentar. ad ann. 1504.

P. Heuterus in Maximil. ac Philippo lib. 6. sub hoc anno cap. 6. „ Principes qui Cæsari „ auxilia adduxerant, domum proficiscentes, „ ingentem è Palatinatu prædam præ se agebant. Robertus pauper ac exul ad patrem „ reversus, animi mœrore vitam cum morte „ commutavit, ætatis annô vigesimô tertiô. „ Post hæc Cæsar, aucto exercitu, in Bohemiam contendit. Proscriptus enim fuerat „ cum Philippo ac Roberto Rex, ob missa „ contra Cæsarem auxilia. Sed Ladislaus „ corpore animóque æger, Cæsaríque omnibus rebus impar, adventum ejus non expectandum censens, missa honorifica legatione, „ usúsque deprecatoribus aliquot Principibus, „ pacem petit, impetrátque, multatus certâ „ in militum stipendium pecuniæ summâ.

„ Hoc Cæsar defunctus bello, mox pacem sancit cum Ludovico duodecimo „ Francorum Rege, hac formula: Claudiam „ Regis filiam Carolo Austriaco desponsatam, „ ratum maneto. Rex ejúsque Proceres ei „ sanguine juncti sponsalia subsignanto. Cæsar, rescisso diplomate Sfortianis concesso, „ novum Regi, ejúsque masculis legitimis liberis; iísque deficientibus, è filiabus natu „ maximæ Carolo Austriaco nuptæ, aut ejus „ fratri, concedito: quæ nuptiæ si Francorum „ culpâ effectu caruerint, tum Carolus Austriacus ejus frater, & ex iis nati liberi, „ nepotésque, in Ducatum Mediolanensem, „ omnibus aliis aliorum actionibus ac juribus „ cessantibus, soli succedunto. Fœderi cum „ Papa Julio contra Venetos icto Cæsar accedito. Pro diplomate Ducali ditionis „ Mediolanensis Cæsari ducenta millia aureorum liliorum solvito. Palatinum contra „ Cæsarem iturum rebellantem re nec consilio juvato. Ludovicum Sfortiam carcere „ liberato. Quanquam hæ conditiones „ non diu sint servatæ, nec Sfortia carcere „ emissus, fuit tamen posthæc multò mitiùs „ habitus, facta scribendi ac legendi libera „ potestate.

„ Quintô Calendas Decembris Medinæ-Campi, quinquenniô post filii Joannis „ mortem, obiit Elizabetha Hispaniæ Regina, Ferdinandi Catholici Arragoniæ „ Regis uxor, vita ac moribus fœmina aliis „ multis præstans, quæque apud suos ingentis prudentiæ nomen obtinebat, ad quam „ spectabant Castellæ regna, Hispaniæ longè „ maxima præstantissimáque pars. Quúmque Ferdinando in Arragoniam, eâ mortuâ, jure esset migrandum, ac relinquenda „ Principi Philippo Austriaco, ejúsque uxori „ Joannæ regnorum Castellæ gubernatio; hac „ de causa se Rex Ferdinandus opposuit, quòd „ factô Elizabetha testamentô sibi Castellæ „ gubernationem ad vitam legâsset. At eam „ id juris non habuisse, Hispaniæ Proceres „ disserebant: à quibus Princeps Philippus „ concitatus, iter in Hispaniam, invitô socerô, adornabat, Castellæ hæreditatem vi „ vel amicitiâ aditurus. Sed tandem Fridericus Toletanus, Albæ Dux, Franciscus „ Puvenesius, Archi-Præsul Toletanus, Castellæ Cancellarius; Joannes Lutzenburgius, Villæ Dominus; ac Joannes Emanuel, Ærarii Præfectus, controversiam inter socerum ac generum his conditionibus „ composuêre: Princeps Philippus nil sinè soceri Ferdinandi voluntate nec consiliis in „ Hispania agito. Hispaniæ regni titulus communis esto. Regni vectigalia æqua portione dividunto, idémque de novarum Insularum in mari Indico repertarum reditibus faciunto. Donatio muniorum Divi Jacobi Calatravæ, & Alcantaræ, juris Ferdinandi manento. Alter alteri militum auxilia, „ belli tempore, recipientis sumptu submittito. „ Cæsar his conditionibus comprehenditor. „

[2.] Ex Apocha ipsius.
[3.] Ex literarum monumentis.

Annus Christi MDV. Monasterii CCCLXVII.

Pont. Rom. Julius II. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

CÆsar Maximilianus bellis occupatus à provinciæ Austriacæ Proceribus postulat, ut quilibet à centum libris pecuniæ equum, & unum peditem armatum in bellum comparet & dirigat, ipse autem Cæsar de Imperiali suo fisco promittit duplicare numerum. Datum Grebing annô Domini 1505. 25. Januarii. *[1.]

„ Vixit è Fundatorum Monasterii „ nostri familia Illustris Dominus Joan- „ nes Chünringius de Seveld, qui scri- „ bens Wolfgango Abbati in Zwetl, „ ab eo sibi exhiberi rogavit equum co- „ loris punicei, qualem eum habere se „ audivisse asserit. Datum Seveld an- „ nô Domini 1505. feriâ quartâ ante „ Pentecosten, nimirum 7. Maji. „ [2.] Fuit hic Joannes Chünringius ejus nominis IV. filius Balthasaris & Elisabethæ Liechtenstainiæ de Muraw ex Stiria, cujus sorores erant Ehrentrudis Arbergica, & Anna innupta obiens: quatuor ex Anna de Zelcking in Weinberg conjuge sua tulit filios Marquardũ, Florianum, Christophorum, Balthasarem II. Ex quibus Marquardus familiam conservavit, generans ex uxore sua secunda Catharina de Polhaym in Leibnitz Joannem Ladislaum ultimum hujus præclarissimæ familiæ marem, tulit quidem etiam Alberonem ejus nominis VII. ex prima uxore Elisabetha de Stahrenberg, sed ipse quoque liberis in pueritia ipsorum per mortem destitutus fuit. Erat igitur hic Joannes VII. avus ultimi, qui cœpit Monasterium nostrum ratione villarum Haslach, Weickerstorf, & Terenberg inquietum reddere, ut jam suprà retuli.

„ Nuntiat porro domum F. Joan- „ nes Bursarius Viennâ varia, inter ce- „ tera Wolfgango Abbati scribit, mili- „ tes Viennâ contra Danubium ascen- „ dere omnes, præter quadraginta, qui „ Stockerawe præsidii locô sunt positi. „ Datum Viennæ annô Domini 1505. „ die S. Colomanni, nimirum 13. Octo- „ bris. „ [3.]

„ Interea in Schweickers Parochia „ residebat Monasterii Vicarius, sæcu- „ laris quidam Sacerdos dictus Wolf- „ gangus Scherntätzel, qui ex eo, „ quòd parentes sui in Monasterio „ Zwetlensi conditi jaceant, vineam „ unam in Lewbs sitam & Stainhauß „ dictam fundavit Monasterio post obi- „ tum suum fruendam. Datum annô „ Domini 1505. in die S. Elisabethæ. „ [4.]

Ex cujusdam Magistri Viennensis literis colligo, Fratres Juniores Religiosos Zwetlensis Monasterii domi instrui solitos esse, nam Collegium S. Nicolai Viennæ studiorum gratiâ à Religiosis Ordinis nostri incoli & frequentari solitum abisse quasi in desertum discordiâ paucorum, timendúmque, nè penitus ab Ordine abalienetur. Datum Egenburgæ annô Domini 1505. 7. Decembris.

ADDITIONES.

*[1.] E literarum monumentis.
[2. & 3.] Ex Autographo ipsius.
[4.] E literarum monumentis.

INCIDENS.

P. Heuterus anno præcedente sub n. 1. relatus c. 6. „ Postridie Idus Januarii annô 1505. „ celebrat Princeps Philippus Bruxellæ Brabantiæ, in Templo Divæ Gudilæ, exequias Elizabethæ Reginæ Hispaniæ; cujus cæremoniæ „ in longum tempus extractæ, quum tandem „ essent finitæ, Principis Philippi Legatus Ca- „ strensis alta voce in Templo proclamat:

„ *Obiit*

„ *Obiit pia memoria Illustrissima, Excellentissima, Potentissima, Catholica Elizabeth Regina Castellæ, Legionis, Toleti, Granadæ &c.* Quibus verbis ter repetitis, scipionem, quem manu tenebat, in terram conjicit; accedénsque ad Principem Philippum, ter flexis genibus honorem ei ac reverentiam exhibet, umbellámque, sub qua sedebat, auferens, in summo deponit Altari, deinde iterum alta voce proclamat: *Vivat Dominus Philippus, ac Domina Joanna, Rex ac Regina Castellæ, Legionis, Toleti, Granadæ &c.* Quo etiam ter facto, ad Principem redit, aítque: *Illustrissime Domine, more Imperatoribus ac Regibus consueto, juberis Ducale capitis tegumentum deponere. Non enim te, qui Rex es, id posthac gerere decet.* Accedénsque eodem momento summus Archi-Ducis Consiliarius, cum dicto Castrensi Legato, ei, quem posthac Castellæ Regem nominabo, Ducale capitis tegumentum auferunt; rediénsque Legatus ad Altare, nudum gladium acie arreptum, ostensô capulô, in altum effert, ac inquit: *Domine, hic gladius tibi est datus, ut justitiæ sis patronus, ac Regna, Ditiones, subditósque tuos defendas, non ut opprimas.* Tum Rex Castellæ, ad summum Altare facie versa, in genua procumbit, factáque prece surgit, ac gladium capulô arreptum, sublata acie, aliquamdiu ostentat. Interea omnes Legati Castrenses, quíque eorum more vestiri sunt soliti, exutis togis, quæ Archi-Ducis referebant insignia, quibus eo tempore erant induti, ac capitis iisdem tegumentis, novis, Regiísque vestiuntur, quemadmodum & quatuordecim Regii tubicines. Finitis cæremoniis, Castellæ Rex posthac in Tabulis & Diplomatibus titulum mutavit, hoc modo scribens: *Philippus Dei Gratiâ Rex Castellæ, Legionis, &c. Princeps Arragoniæ, Siciliæ, &c. Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ &c.* - - - - -

Cap. 7. „ Sub idem tempus Rex Castellæ (*Philippus Archi-Dux Austriæ*) ad patrem Cæsarem in Germaniam proficiscitur. Hagenoæ propinquus, Fürstenbergii Comitem cum multa nobilitate ac ducentis equitibus à patre obviam missum excipit. Tandem ipse Cæsar cum Germaniæ Principibus adveniens, filiúmque Regem amplexus, in civitatem deducit, ubi sæpiùs habito consilio, tandem pacem cum Francorum Rege à filio factam approbat, in eam præsente Ambosio Cardinale jurans. Tum patri clientale dicit Sacramentum de Geldria, Zutfania, ac pro filio Carolo de Lutzenburgo. „

Surius in Commentar. „ Eodem annô sub mensis Julii initium Maximilianus Cæsar Comitia habuit Coloniæ Agrippinæ, multis eò Principibus, Comitibus, ac Nobilibus confluentibus. Ibi pax conciliata est inter Albertum Bavarum & Philippum Palatinum Principes. Conditiones pacis in medium propositas, Cæsar sub gravissima læsæ Majestatis pœna servari jussit. Interim verò dum conventus hic Coloniæ agitur, Maximilianus de Geldrensium rebellione fit certior. Itaque convocatis Principibus, Comitibus & Nobilibus omnibus, qui tum Coloniæ aderant, navigio in Geldriam proficiscitur, opem laturus Brabantis, qui Arnhemium Geldriæ oppidum obsidebant. Dux ubi sensit non contemnendas Cæsaris vires, saniori usus consilio, sub certis conditionibus urbem dedidit, quam illæsis civibus Cæsar accepit, & Ducem quoque quibusdam interpositis pactis in gratiam recepit. Inde Coloniam multâ Principum ac Nobilium frequentiâ stipatus rediit, magna ejus amplissimæ urbis civium gratulatione exceptus, cunctis tota urbe campanis alacriter concrepantibus. „

Item Gerardus de Roó lib. 11. sub hoc anno. „ Maximilianus peractô cum Rotomagensi (*Cardinale à Ludovico Rege Galliæ ad Cæsarem misso*) colloquiô, Hagenoâ discedens, Coloniam Agrippinam, secundô Rhenô descendit, ubi indicta erant comitia, sub Julii mensis initium, quibus inter alia de bello Venetis inferendo, & itinere Romam versùs instituendo actum. Ibi Philippus Palatinus, à Friderico Saxoniæ Electore ad Cæsarem introductus, veniam supplex, & pacem orans, in gratiam ab illo receptus est, ipsúmque inter & Albertum ac Wolfgangum fratres Bavariæ regulos, pacis & concordiæ leges dictæ, & sub gravissima læsæ Majestatis pœna observari jussæ. Ruperti quoque puerorum rationem Cæsar habere voluit, quibus eam controversæ regionis partem attribuit, quæ inter Danubium & Nabum amnes, ad veteres Palatinæ ditionis limites, adjacet. Omnem quoque controversiam, quæ inter Palatinos & Wirtembergicos multis annis agitata proximô bellô invaluerat, æquis conditionibus sustulit. „

Annus Christi MDVI. Monasterii CCCLXVIII.

Pont. Rom. Julius II. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Wolfgangus II.

MEmorabilis hic annus est, & Austriæ gloriosus, quia familia ejusdem regnorum plurimorum accessione aucta fuit & augustior reddita, & hoc per connubia, cùm alii armis tantùm non occupare potuerint, licèt tentârint: Germania, per quam Maximilianus imperitabat, virtuti Austriacæ angusta erat, accessit Belgium cum Flandria & Burgundia, florentissimis provinciis, sed neque hæ Heroas Austriæ capere poterant; tandem Hispaniarum regna ditissima & celeberrima Austriacum sanguinem vocavêre, sibíque regnare voluêre. Unde hoc anno Philippus Maximiliani filius, Belgarum Princeps prudentissimus unà cum conjuge Joanna hærede regnorum Hispaniæ nonnullorum, & secundo filio Ferdinando, per Angliæ & Britanniæ citerioris oras, in quas per tempestatem navis prætoria fuerat delata, inde salutato Rege Heinrico VII. felicibus votis & serenô cœlô in Hispaniam adnavigavit, ubi magnâ omnium Ordinum lætitiâ & effusæ multitudinis plausu exceptus fuit. In Philippum ætate florentem, commodis moribus, eruditione, bonísque artibus & facundiâ præditum Hispani Principes & reliqua Nobilitas quodam studio accensi ferebantur, quare ipsum unà cum Joanna conjuge in oppido Pincia, quod Valledolid vocant, in Castellano regno, solenni ritu, dictô Sacramentô, Reges creant, majórque illorum filius Carolus, Castellæ Princeps dictus. * [1.]

Interea dum hæc in Hispaniis geruntur, Maximilianus crebris ex Pannonia nuntiis de novo Ungarorum tumultu certior factus, intermisso itinere Italico, quod parabatur, in Austriam ex Tiroli descendit. Deinde Posonium cum exercitu profectus magnum Ungaris à bello imparatis, inprimis Regi pacis quàm belli artibus magìs idoneo, terrorem fecit. Erat autem de successione regni causa belli; clamabant enim Ungari, nullum se ex Germanis Regem accepturos, unde Stephano Transilvaniæ regulo magnâ potentiâ multísque clientelis subnixo Annam Vladislai Regis filiam infantem despondere, Regem propè coëgerunt. Ad Calendas autem Julias Regina puerum enixa, cui Ludovici nomen datum est. Post natum puerum Maximilianus pacem cum Ungaris fecit, pactis de successione denuo confirmatis. [2.]

Funesti porro nuntii ex Hispania adferuntur de Philippi Regis morte, qui Burgis Castellæ urbe ardenti febre ad septimum diem Calendis Octobris sublatus, non minorem suis omnibus luctum reliquit, quàm spem de se excitaverat, cùm viginti octo vitæ annos explevisset. [3.] Filios reliquit Carolum & Ferdinandum, Romanorum postea Cæsares, Leonoram Manuelis Lusitani priùs, inde Francisci Galli, Catharinam Joannis item Lusitani, Isabellam Christierni Dani, & Mariam Ludovici Pannonici Regum uxores. Atque hæc de Austriæ Domo Serenissima.

Scripsi suprà Maximilianum in Ungariam cum exercitu profectum esse ad Ungarorum motus compescendos, unde dum Posonii moratur, Austriacis milites mittere imperavit. [4.] „ Quare „ Wolfgangus Abbas in Zwetl scribit „ Joanni Weidacher Allodiorum Ma- „ gistro in castris Regiis moranti, ut „ agat Monasterii nomine apud Regem „ Romanorum, quatenus acceptis qua- „ tuor equis in curru ad arma parato

„ con-

„ contentus esse velit. Datum Viennæ annô Domini 1506. feriâ tertiâ ante Corporis Christi, nimirum 9. Junii. „ [5.]

Missus erat demum in Germaniam F. Joannes de Zuffenhusen Professus Monasterii Cistercii à Reverendissimo Domino Jacobo Ordinis Generali deputatus specialiter Nuntius & Receptor tam contributionum, quàm subsidii charitativi; „ qui fatetur se à Wolfgango Abbate in Zwetl recepisse de hoc anno ratione charitativi subsidii 20. florenos, item ratione contributionum de annis 1505. & 1506. florenos decem. Actum in Zwetl annô Domini 1506. tertiô Novembris. „ [6.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó lib. 12. Histor. Austriacæ.

P. Heuterus lib. 6. cap. 8. „ Narravimus sub finem anni 1504. Regem Castellæ cum socero Ferdinando de gubernatione Hispaniæ convenisse, quibus conditionibus quamvis eum Rex Ferdinandus vix staturum credebat, naves tamen multas, quibus cum uxore in Hispaniam veheretur, mittit. Jungit Belgicas Castellæ Rex quinquaginta, ac cum universa familia, Regináque Joanna, maximam ornatissimámque Middelburgi, (ubi paulò antè in Abbatia Equitum Aurei Velleris numerum suppleverat) in Zelandia conscendens, quartô Idus Januarii annô 1506. sublatis velis in altum contendit. Dederat illi Cæsar comitem ac Achatem individuum Wolfgangum Comitem Fürstembergii, virum multis animi corporísque dotibus insignitum. Cúmque Angliam in conspectu haberent, navis Regia fortuitò corripitur igne, tanta omnium consternatione, ut extremam adesse horam vererentur. Sed sociorum navalium diligentiâ ignis restinguitur. Exinde tempestas adeo horribilis ac sæva eos excipit, ut haud procul naufragio abessent, ægréque in Portum oppidi Hamptonnæ (quod est in Anglia) navis Regia paucis comitata appellit, tribus cum omnibus rebus ac hominibus fluctibus absorptis, ceteris per varios Britonum Anglorúmque Portus variâ fortunâ, magno cum incommodo, disjectis. Excepti sunt à Rege Heinrico Septimo summa cum benevolentia ac humanitate, maris tranquillitatem ac ventum secundum expectantes. Rogatus Castellæ Rex invisit Angliæ Regem in arce Windesora, haud procul Londino sita, ac post aliquot dierum festivitatem renovant pacis conditiones ante multos annos inter Hispaniæ Angliæque Reges conceptas. Cúmque earum Tabulas Angliæ Cancellarius attulisset, Castellæque Rex perlegi jussisset, statim propria manu subsignat; neque ulla in re sese difficilem præbuit, quàm in traditione Suffolciæ Ducis, quem bello Geldrico Hattemi captum, in arce Namurcensi honestâ custodiâ detinebat. Eum enim Rex Henricus summopere expetebat, quòd in Regnum Angliæ, è contraria factione natus, jus prætenderet, pollicitus sese eum non interfecturum; quod, dum vixit, servavit: sed filius Henricus octavus, crudelis tyrannus, infelicem senem mox post patris mortem securi percussit. Deinde Rex Angliæ, in perpetuæ amicitiæ testimonium, Castellæ Regem in Ordinem Equitum qui Periscelidis gestatione gaudent, adsciscit. Rex Castellæ eodem momento in Aurei Velleris Equitum numerum legit Arthum, Regis Henrici filium natu maximum. Posteaquam Rex Castellæ ferè per tres menses apud Angliæ Regem summo cum honore ac lætitia exceptus fuisset, secretóque de nuptiis Caroli Austriaci ac Margaritæ filiæ dicti Regis Henrici natu maximæ tractâssent, vento ex oriente flante, naves instrui jubet. Certiores enim jam facti erant, Francorum Regem Ludovicum filiam Claudiam secretò despondisse Francisco Engulemæ Comiti. Nonô Calendas Maji conscensis navibus in Hispaniam dant vela; adeóque felici utuntur navigatione, ut quintô Calendas Maji Coronnam (*vel Corunna*) in Gallicia appellerent, ubi cum summa lætitia ab omni hominum sexu ac genere sunt excepti. Accurrêre ex universa ferè Hispania Proceres; quíque dudum Regi Ferdinando non admodum æqui fuerant, Regi Philippo, novas socero conditiones extorqueat, suadent, fore asseverantes, ut nil neget: quod astutus senex apertè perspiceret, Procerum populíque majorem partem animis ad generum defecisse. Paret horum consilio Castellæ Rex, novas socero adferens difficultates, cui id minùs durum fuit, quòd jam tale quid eventurum animô præviderat, certóque futurum statuerat. Nè igitur invitus cogeretur, oblatas conditiones, paucis mutatis, subsignat, ac in hanc formulam, genero

„ consentiente acceptantéque, mutat: Rex „ Ferdinandus Castellæ regnorum administratione, omníque jure quod in iis habere „ potest, cedito, è Castella migrato, nec se „ ampliùs regnandi causâ reversurum promittito. Regnum Neapolitanum cum Sicilia „ Rex Ferdinandus habeto. Indiæ occidentalis vectigalia Regi Ferdinando cedunto. „ Donatio dignitatis Equitum Ordinis D. Jacobi Alcantaræ, ac Calatravæ, juris Ferdinandi maneto. Quotannis è regno Castellæ viginti-quinque millia aureorum ducatorum recipito. Reliqua sub finem anni „ 1504. Lector reperies. Post hæc statim Rex „ Ferdinandus in Arragoniam, indéque paulò pòst Neapolim est profectus, constitutísque ejus regni negotiis permansit, donec, „ mortuo Rege Philippo, ad Castellæ gubernationem revocaretur, abducto in Hispaniam Magno Consalvo, quòd eum ad regnum aspirare Neapolitanum suspicaretur. „ Piespordius sub Philippo I. Austriaco.

[2.] Gerardus ubi suprà.

[3.] Idem Gerardus addens: „ Ex ultima ejus (*Philippi*) voluntate (ùt quidam „ asserunt) intestina illic ubi obièrat, corpus „ Granatæ Beticæ, cor Bruxellis conditum „ cum tali Epitaphio:

„ Urbes & populos, diversáque regna tenebam,
„ Spes dabat Imperium, spes dabat orbis opes.
„ Si spes in quenquam fuerat mihi gloria prima,
„ Heu, heu! quanta fuit spes mea, tanta tacet.

Cuspinianus in Maximiliano I.

Heuterus ubi suprà cap. 10. „ Fine mensis „ Augusti Rex Castellæ, cum uxore Joanna, „ urbem Burgos intrat, statímque loca pia Miraflora ac Carthusianos invisit. Post dies „ aliquot ad ludum parvæ pilæ cum reticulo „ se exercitaturus contendit: cúmque pomeridiano tempore, summis cœli caloribus, „ nimiô exercitiô sanguis æstuaret, ac stomacho, humorem petenti, frigidam avidiùs „ infudisset, statim malè habere cœpit. Invalescente morbo, decumbere cogitur; animúmque extemplò ad Deum convertens, „ testamentum condit ac consignat, Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ se munit: tantáque fuit interea continuò, sinè ulla intermissione, sævientis validissimi morbi vis, ut „ paucis diebus virum robustissimum, in ipso „ ætatis flore constitutum, corporis temperatissima compagine, ac elementorum admirabili proportione dissoluta, summo „ omnium cum dolore septimô Calendas „ Octobris è vivis violenter raperet, annô „ ætatis vigesimô octavô, relicta uxore Joanna gravida, quæ posthumam paulò pòst „ peperit Catharinam: intellectáque Regis „ mariti morte, adeo intemperanter doluit, „ ut ex eo tempore nunquam ampliùs mente „ satis valuerit, cùm tamen septuagesimum „ prætergressa sit ætatis annum. Scio esse „ qui aliam vitiati in Regina cerebri causam „ adferant, à Rege marito profectam, quòd „ zelotypiæ vitiô laborans, eum importuno „ tempore ac loco ad iram provocâsset. Sed „ quoniam mihi de hujus rei veritate parùm „ constet, malim ab alio quàm à me asseverari „ ac narrari. Conditum est Regis corpus „ apud Carthusianos, juxta urbem Burgensem. Cor Brugas Flandriæ, in Templo D. „ Virginis Mariæ, matris ejus sepulchro est „ illatum. Mortem ejus Cometes magnus „ in Occidentem per aliquot dies flammescens præcessit, ac prædicere est visus. Diversæ de ejus morte hominum fuère opiniones, variæque ejus causæ in vulgus sparsæ, de quibus cùm nihil certi affirmate possim, subticendas duximus, ne imprudenter „ temerarias opiniones efferendo, hominibus „ credulis, ac ad finistras interpretationes „ admittendum pronis, causam alicujus famæ „ lædendæ præberemus. Sunt enim qui datum ei venenum à non parvi nominis hominibus eo tempore fuisse, dicere ausi fuerint. „

Spondanus hìc n. 2. „ Philippô, in flore „ ætatis, nempe annô vigesimô octavô, & „ prosperrimæ fortunæ Burgis in Hispania „ mortuô septimô Calendas Octobris, & ùt „ multi crediderunt, ex veneno; ùt medici „ asseruerunt, ex intemperantia; idem Ferdinandus à suis amicis atque fautoribus ad „ Castellæ administrationem revocatus, anno sequenti rediit: Joannâ Philippi relictâ, „ nec volente, nec præ mentis infirmitate valente animum ad res gerendas applicare. „ De qua Anglerius post biennium scribens „ ad Joannem Ruffum Legatum Apostolicum „ in Hispania, ubi ipse quoque Anglerius erat „ in obsequio Regio, ait eam viri sui corpus „ è capsa extractum secum continuò habuisse, „ & ad illud officium velut recèns mortuum „ fieri jussisse: cùm quidam Carthusianus Cœnobii Miraflores, ut Reginæ gratiam aucuparetur, ei persuasisset se legisse, post decimum quartum ab interitu annum Regem „ quemdam à tumulo surrexisse, sperâsséque „ propterea Reginam rediturum ad suos vi-

„ rum.

„ rum. Summi hoc indicium amoris in virum „ fuit; ex cujus etiam zelotypia, eam in „ amentiam incidisse vidimus. „

[4.] E literarum monumentis.
[5.] Ex Autographo ipsius.
[6.] Ex Apocha ipsius.

Annus Christi MDVII. Monasterii CCCLXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius II.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Wolfgangus II.

GEnuâ in obsequium Ludovici Regis Galliæ redactâ Julius Papa magno in metu versabatur; nè ille ulteriùs progressus, de suo imperio aliquid decerperet, Cæsari ipsi, tum in Belgio rem nepotis sui Caroli gerenti, ínque Conventu Lovanii indicto Margaritam filiam suam illis gubernatricem danti, ceterísque Imperii Principibus significat, Gallum & Pontificiæ ditionis invadendæ & Imperatoriæ Majestatis sibi vindicandæ gratiâ cum exercitu adesse. Constitutis Belgii rebus Cæsar in Germaniam reversus, Constantiam ad comitia illic indicta se contulit. Aderant Septemviri Electores omnes personaliter, ceteríque Ecclesiastici & Sæculares Principes plerique, & ex liberis Germaniæ civitatibus honorificentissimus quisque, solito frequentiores, in quorum concilio Cæsar Pontificis, Venetorum, ac aliorum aliquot literas variis ex locis scriptas legi jussit: ex quarum nonnullis intelligere erat, Ludovicum Gallorum Regem hoc agere, utì Cardinalis Rothomagensis, Juliô dejectô, in Sedem Apostolicam collocatus, Imperii coronam ipsi imponat. Commotos ea re cunctos Cæsar gravissima oratione compellavit. Sunt qui, Cæsarem hoc in conventu dixisse & productis rationibus demonstrâsse, prodidêre, centies centena aureûm nummûm millia ex suis opibus Reipubl. impensa fuisse hactenus, quo tempore ab Imperii Ordinibus vix quadringenta millia accepisset. *[1.]

Obiît hoc anno in Monte-Pomerio Abbas Joannes 15. Calendas Januarii, nimirum 27. Decembris Mellicii sub Medicorum manibus; unde F. Wilhelmus Prior totúsque Conventus ibidem Wolfgangum Abbatem in Zwetl invitant ad ejus exequias, & rogant insuper ipsum, ut novæ alterius Abbatis electioni interesse velit, præsertim cùm eum Abbas S. Crucis quoque adesse peroptet. Datum ex Monte-Pomerio annô Domini 1507. in festo S. Joannis Evangelistæ, nimirum 27. Decembris. [2.]

Fit præterea mentio hoc anno Monasterii Monialium S. Mariæ Magdalenæ, in quo quædam Monialis Anna Hawgin de Lewbs peste obiît, sicut hoc litteræ declarant datæ ad patruelem suum Loisensem dictum Wilibaldum Hawg (qui in Monasterio Zwetl victu Conventûs vivebat, ob quem ille vineam suam in Lewbs, 4. quartalia, an dem Haslach sitam Monasterio nostro fundavit) à Magdalena tunc matre illarum Monialium. [3.] Situm autem fuit hoc Cœnobium in suburbiis ante Scotorum portam, quod Turcæ in obsidione Viennensi, vel potiùs nostri ob mœnium vicinitatem destruxêre.

Demum Wolfgangus Abbas ob dexteritatem suam plurimùm commendatus ubique innotescit, unde ipsi D. Abbas Cisterciensis Generalis humanissimè scribit, & mittit ipsi duos Fratres ex Cistercio cum commissione in causa quadam Ordinis nostri, committítque illi vices suas taliter: „ Desideramus in- „ super vos fidelem diligentiam adhi- „ bituros in executione aliarum com- „ missionum nostrarum tam ad visitan- „ dum, quàm ad contributiones colli- „ gen-

„ gendum & similiter subsidium &c. „ Datum Cistercii annô Domini 1507. „ 1. Decembris. „ [4.] Atque ita Wolfgangus Abbas bonus Oeconomus, egregius Zelator Ordinis, Commissarius per Austriam utramque in causis Ordinis Generalis ubique adhibebatur.

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus lib. 12.

P. Heuterus in vita Maximiliani lib.7. cap.1. sub hoc anno. „ Cæsar - - - acceptis à Pontifice Julio ac Venetis litteris admonebatur, „ dignitati Imperióque consuleret. Ludovicum enim Francorum Regem cum ingenti exercitu in Italiam descendisse, Insubriam Imperio suo adjecisse, Genuam rebellantem domuisse, Cardinalem Rothomagensem astu vel armis Papam facere constituisse, ut acceptâ ab eo Imperii coronâ, à Germanis ad Francos dignitatem transferret. Commotus litteris Cæsar Imperii Germanici comitia Constantiæ indicit, mensêque Junio Principibus dictas literas recitari jubet. Ardentissimis Principum sententiis summáque animorum consensione ad defendendam Imperii Germanici dignitatem Cæsari ingentia promittuntur auxilia, quæ non solùm pellendis Italiâ Francis, recipiendáque aureâ Romæ coronâ, sed ad recuperandam per universam Europam veteris Imperii Majestatem amplitudinémque videbantur suffectura. Rex Ludovicus, his rebus intellectis: cùm nulla ratione bellum cum Germanis cuperet, dimisso post receptam Genuam exercitu in Franciam revertitur, extincto, sopitóque apud Germanos & Italos rumore, quem Pontifex ac Veneti de se sparserant. „

Gerardus ubi suprà. „ Ad famam de Regis (*Ludovici*) discessu ex Italia, fervor ille „ apud nonnullos in comitio (*Constantiensi*) deferbuit, & erant, qui, Cæsaris potentiæ & Austriacæ Familiæ incremento non satis æqui, parcendum esse impensis contenderent, non enim tam magno exercitu jam opus esse. Pontifex quoque varia cum animo suo consilia agitans, quòd veterum cum Cæsaribus controversiarum causas nondum esse sublatas sciret, non minùs suis rebus à Cæsare, cujus apparatus fama in immensum auxerat, quàm antè à Rege timere cœperat. Itaque misso ad illum S. Crucis Cardinale, utì pacato itinere veniat, hortatur, nullum se honorem, in augurandis Imperatoribus adhiberi solitum, esse omissurum. Ludovicus quoque Gallorum Rex per idoneos interpretes, sese apud Principes quosdam purgat, ídque eò faciliùs, quòd ad invadenda Pontificis & Imperii jura nihil palàm attentare videbatur. Tandem in comitiis decreta Cæsari fuêre octo equitum, viginti duo peditum millia, qui cum semestri stipendio in Italiam euntem comitarentur, in tormenta verò & reliquos belli sumptus, centum viginti aureûm Rhenensium millia, ad medium Octobrem præsentanda. Hæc illi suis auspiciis rem gerenti, sufficere visa, quibus ex suis ditionibus, quas vellet, copias adjungeret. „

[2.] Ex Autographo ipsius.
[3.] E literarum monumentis.
[4.] Ex Autographis ipsius.

Annus Christi MDVIII. Monasterii CCCLXX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius II.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Michaël III.

HActenus se Maximilianus Regem Romanorum & scribere & vocari passus est, hoc autem anno Tridentum profectus ad tertium Nonas Februarias publicis supplicationibus peractis, iter in Italiam edicit, & per Matthæum Langium epistolarum Magistrum è suggestu non jam Regem, sed Romanorum Imperatorem deinceps appellandum, promulgari jubet. * [1.] Ego quidem hactenus ipsum modò Imperatorem, modò Regem appellavi, non tamen credo Lectorem benevolum me hoc titulo usum ignorantiæ damnaturum, cùm ipso diu antè dignissimus esset. Iter autem in Italiam ad coronam Imperialem susci-

suscipiendam per Venetos ipsi interclusum fuit. Bolzani deinde litteras à Pontifice accipit, quibus ille Imperatoris titulum Tridenti assumptum abs se confirmari significabat. [2.]

Infirmatur Wolfgangus Abbas in Zwetl, & Viennam, ad curandum se, descendit, ubi etiam ex hac vita discessit. Ejus quotannis in Capitulo talis commemoratio habetur: „ Decimô Kalendas Martii obiît Dominus Wolfgangus quondam Abbas Zwetlensis annô Domini 1508. Viennæ obiît nostra in curia, duodecim circiter annos rexit pius Pater &c. cujus anima faxit Deus cœlicolarum choris annumeretur, qui multa bona fecit huic Monasterio cognomentô dictus Oërtl. „ [3.] Omissis aliis, villas duas Metzlesschlag & Limpfings à Dominis Strewn per multos labores in jure habitos ab eorum Dominio, sub quo quasi ad 80. annos tenebantur, liberavit, Monasterióque nostro reddidit. [4.] Zelatorem Ordinis mirum Abbatem Deus benedixit in multis filiis, quos in disciplina regulari & literarum studiis optimè institui & instrui curavit. Cùm autem Viennæ obiêrit, creditur quoque ibi sepultus fuisse, nihil enim certi constat. Quo defuncto & sepulto Fratres ad præsentiam Ordinarii Visitatoris Michaëlis Abbatis S. Crucis eligunt in Abbatem F. Michaëlem quondam Suppriorem missum Cistercium, ex Rectore curiæ in Rasing, virum alioquin industrium & magnæ expectationis, si vivere diutiùs ipsi datum desuper fuisset. Ex litteris quibusdam, quarum Datum Ratisbonæ annô Domini 1508. Dominicâ Trinitatis, nimirum 18. Junii, [5.] constat Michaëlem ejus nominis III. in Zwetl Abbatem legitimè electum & ritè consecratum fuisse, qui ex eo, quòd paulò pòst obiêrit, in catalogo Abbatum vix invenitur.

Fuit hic Michaël dictus III. cùm jam duo ejusdem nominis in dignitate Abbatiali eum præcesserint. „ Defuncto autem Michaële III. F. Thomas Prior, F. Vitus Subprior, F. Gregorius Cellerarius, totúsque in Zwetl Conventus jam altera hoc anno vice vocant Dominum Michaëlem S. Crucis Abbatem unà cum D. Wilhelmo Montis Pomerii Abbate, qui cognoscentes obitum Michaëlis in Zwetl Abbatis inopinatum, protinus venerunt, atque peracta Canonica novi Abbatis electione, è scrutinio singulorum Fratrum, quod coram præfatis Abbatibus celebratum fuit, deprehenderunt electum P. Ægidium in Zisterstorf pro tunc Vicarium unanimi consensu in Abbatem. Actum & datum in Monasterio Zwetl annô Domini 1508. 11. Augusti. „ [6.]

„ Nova etiam nuntiat Abbati in Zwetl Leopoldus Neudeccius de Rämia, quòd Rex jam altera vice provinciales ad arma convocaverit, deinde se offert ipsi paratum. Datum Gars annô Domini 1508. feriâ sextâ. „ [7.] Hæ litteræ conjecturam mihi pariunt, provinciales Austriæ non æquô animô tulisse horum armorum petitionem seu evocationem ad arma contra Imperii hostes extra Austriam ferenda, cùm non tantùm Princeps, sed quoque Optimates Austriæ privilegiis gaudeant, ut arma extra provinciam ferre, aut in bellum Imperio obnoxios esse, non teneantur aut cogi debeant, nisi contra Turcas in Ungaria duodecim milites ad mensis unius spatium alere obligentur, imò Imperium ad Austriam defendendam ex privilegiis tenetur, non autem econtrà. Unde quoque postea in Conventu Principum Augustæ querelas super hoc suas Imperatori Maximiliano deposuêre, qui inspectis privilegiis ipsis chyrographo suo testatus est, pecuniariam opem atque etiam armorum hanc evocationem in nullum ipsis Austriæ regulis apud posteros præjudicium cedere, aut pro servitute accipienda esse, sed quòd utrumque ipsi pro bono Reipubl. Christianæ spontè & liberè sibi præstiterint

terint tantis privilegiis gaudentes. [8.] Plura de libertatibus Austriæ videre poterit Benevolus Lector apud Richardum Streinium in Apologia sua super Julii & Neronis Romanorum Cæsarum privilegiis Austriæ quondam concessis. [9.]

„ Reperiuntur quædam litteræ ad „ Michaëlem Abbatem in Zwetl datæ „ à Domino Wilhelmo de Neydeckh, „ quibus rogat sibi pro pecunia tegulas „ vendi. Datum Rastenberg annô Do- „ mini 1508. feriâ sextâ post Viti, ni- „ mirum 16. Junii. „ [10.] Hæ litteræ confirmant, Michaëlem ejus nominis III. Abbatem in Zwetl hoc anno vixisse, & ratione temporis inter Wolfgangum & Ægidium, prædecessorem & successorem, Abbatem aliquando fuisse.

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Gerardus de Roó lib. 12.

P. Heuterus lib. 7. in Maximil. I. Cæsare cap. 2. sub hoc anno. „ Cæsari bellum cum „ Venetis oritur, varium, grave ac diutur- „ num. Causa fuit arrogantia Germanorum, „ ac ambitio Venetorum, ortúmque est apud „ Austriacos Carnias Alpes vicinásque di- „ tiones incolentes. Paulò antè recusârant „ Veneti transitum Cæsari Romam cum exer- „ citu, ut aureâ à Summo Pontifice redime- „ retur coronâ, tendenti. Cæsar armis viam „ facturus, mense Februario cum mediocribus „ copiis Tridentô profectus, per montes Vi- „ centiam contendit; ac Roveretô per Mar- „ chionem Brandeburgi frustrà tentatô, ca- „ ptísque septem Communitatum aliquot op- „ pidis (*Ditionis Venetæ nomen est*) quarto die, „ ex quo Tridentô excesserat, in Germaniam „ magna omnium admiratione per Bolgianum „ est reversus. Miserat illi Pontifex Triden- „ tum usque Diploma aureis exaratum litte- „ ris, quibus eum Cæsaris titulô ornabat, non „ aliter quàm si auream ejus capiti imposuis- „ set coronam. &c. „

Lazius in Genealogia Austriæ lib. 2. prope finem. „ Duodecimum (*bellum Maximiliani*) „ Venetum memoratur, eorum, quæ antea „ gessit, omnium maximum, longissimúmque, „ quippe quadrienniô variâ fortunâ ab in- „ clyto Heroë id gestum fuit. Annô primùm „ omnium millesimô quingentesimô octavô, „ non sinè maxima Austriæ clade, ac totius „ penè Foro-Juliensis Goricensisque ditionis „ amissione. Quam jacturam tamen splendi- „ dissima victoria, annis posterioribus, mil- „ lesimô, quingentesimô decimô, & millesi- „ mô, quingentesimô undecimô, commuta- „ vit: non solùm receptis quæ amissa fuerant, „ verùm adjectis quoque Austriacæ ditioni „ amplissimis Venetæ Reipubl. urbibus, Ve- „ rona, Patavio, Vincentia, Cennadio, Fel- „ tri, atque aliis quàm plurimis. Huic bello „ causam præbuerat fœdus, quod cum Julio „ Romano Pontifice, & Carolo Galliæ Rege „ Cæsar inierat: fidem pro heris suis facienti- „ bus, Bernhardino Cardinali Sanctæ Crucis, „ & Trivultio. Antequam verò ad bellum se „ accingerent, qui fœdere juncti fuerant, Ve- „ neti scriptis decem millibus peditum, & „ duobus equitum, ducibus Nicolao Ursino, „ Bartholomæo Liviano, Georgio Emo, Vi- „ tellio Tiphernate, Jacobo Siccio, Lucio, „ Malacio & Coraciolo, priores in fines Cæ- „ saris, qui sunt ad Athesim flumen, atque „ Carnos, non denuntiatô priùs bellô, impe- „ tum fecerunt. Itaque eodem propè tem- „ pore, quo rem in Histris ac Foro-Julio, „ Carnísque hi, quos memoravimus, duces „ agebant, Andreas Grittus eductis quinque „ millibus peditum, ac equitibus levis arma- „ turæ Epiroticis, quos Palæologus & Busi- „ chius ducebant, alpes Athesinas ex impro- „ viso invasit: ad quem reprimendum, subitò „ Sixtus Trautson, tredecim signis tumultua- „ riè ex provincialibus passim excitis, mense „ Februario per nive obsitos scopulos eluctа- „ tus, ut fines defenderet, in valle Codora- „ vana in hostes incidit: consertáque manu, „ antequam locis angustis ac difficilibus ordi- „ nes instruere posset, funditur, omnibus pe- „ nè cum ipso duce occisis, pauci adeo in „ captivitatem cessêre: quorum insigniores „ referuntur, Dominus à Turre, & Melchior „ à Masmunster Alsata. Quâ victoriâ elati „ reliqui de quibus dictum est Venetorum „ duces, antequam Cæsariani, qui omnia „ amica à Republica illa expectaverant, ex „ Carnis Foro-Julianis auxilia ferre possent, „ Clusium Cadoram ad Planum amnem situm, „ Gradiscam, Cormanam, Goritiam, & Vi- „ pachum, quàm maximo potuêre tumultu, „ eodémque tempore simul loca tum aperta, „ nullóque præsidiô firmata adgressi, in de- „ ditionem compulêre. Nec cessatum interea „ ab illis in mari fuit, eadémque celeritate „ atque fortuna Antonius Contarenus, qui „ classi

„ classi præerat, Duynum, Tergestum, flumen „ Pisinum & Bistoynam in Istria, ex mari par- „ tim expugnavit, partim ad deditionem coë- „ git. Et nisi intercedente Paulo Lyechten- „ staynio Tridentino Præsule, induciæ in ipso „ tempore fuissent constitutæ, arma in impa- „ ratos Carnos, & nihil hostile timentes tran- „ stulissent. Sic utrinque ab armis discessum „ est: & loca quæ tum ditionis Austriacæ per „ insidias occupaverant Veneti, cum validis „ præsidiis firmârunt, designato cuique eo „ præfecto, cujus virtute ad fidem Reipublicæ „ pervenisset: Tergesto, Francisco Capello: „ Duyno, Nicolao Bardo: Goritiæ, Dominico „ Gritto; Gradiscæ, Dominico Mauroceno: „ Cormoni, Trojano Bono: & Portui Nao- „ nis, ipso Liviano Imperatore, cui postea „ municipium illud etiam præmium laboris, „ ob bene navatam operam, Respublica do- „ navit. Et nè intercipere mox Cæsariani „ possent, Hieronymus Saornianus & Guydus „ Vaynus, cum parte exercitûs, ad limites „ relicti sunt. „

Heuterus nuper relatus. „ Cæsar - - eo „ tempore imparatus Coloniæ Agrippinæ res „ privatas ac Imperii tractabat. Quas ob „ causas facilè Paulus Lichtensteinius, Præ- „ sul Tridentinus, inducias inter Cæsarem & „ Venetos in triennium pangit, ea lege, quæ „ quisque tenebat, interea temporis posside- „ ret, ac pro arbitrio muniret: quibus indu- „ ciis Cæsariani nulla ratione induci potuêre, „ ut Geldriæ Dux comprehenderetur. Quære- „ bat interea Cæsar rationem, quâ acceptum „ à Venetis detrimentum ac dedecus sarciret. „ Irritârant enim hoc bello Veneti, nimia „ dominandi detecta libidine, non solùm „ Cæsarem, qui eos prior non læserat, sed „ etiam Papam Julium, & hactenus socium „ Ludovicum Francorum Regem, maximè „ ob arrogantes induciarum conditiones, quas „ se inconsultô neglectóque Geldrô præscri- „ pserant. Retundendam igitur superbæ ur- „ bis ambitionem Pontifex Julius, Cæsar, Fran- „ cus, ac Hispanus judicantes, contra Vene- „ tos conjurant, ac Cameraci apud Belgas „ locum mittendorum Legatorum, sanciendí- „ que fœderis, tantô silentiô constituunt, ut, „ cùm fama tale quid agi spargeret, Veneti „ non crederent. Venit Cameracum pro „ Cæsare filia ejus Margarita, Belgarum Gu- „ bernatrix, Matthæus Langius, Cæsari ab „ Epistolis, ac Nicolaus Frisius; pro Rege „ Ludovico Georgius Ambosius, Cardina- „ lis Rothomagensis, tandémque & Ferdinan- „ di Hispaniæ Regis Legatus; sparserántque „ famam se coiisse, ut pacem inter Castellæ „ Principem Carolum Austriacum ac Geldriæ „ Ducem facerent, factis inter eos hac de „ causa quadraginta dierum induciis; tra- „ ctántque multa variáque de rebus Geldri- „ cis ac Navarræis, sed adeo frigidè multis „ verbis chartas implentes, ut facilè appareret, „ non hisce de rebus eos convenisse. „

Spondanus ad hunc annum n. 1. & 2.

[3.] Chronicon MS. hoc anno & die.

[4.] Wolfgangus Abbas in suo Indice MS.

[5. & 6.] E literarum monumentis.

[7.] Ex Autographo ipsius.

[8.] Struno in Annalib. Austriæ Superior. annô 1509. & 1510.

[9.] In libro qui Landhandvest vulgò vocatur.

[10.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDIX. Monasterii CCCLXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ.*
Julius II.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Ægidius.

INitiô hujus anni Gallorum Rex cum Lotharingiæ Duce, & potiori totius regni nobilitate in Italiam venit, missóque ad Venetos feciali Mongiojo, bellum illis indicit: secutáque est nobilis ad Giaradaddam pugna pridie Idus Majas cum magno rerum Venetarum detrimento. Rex eo loco Sacellum S. Mariæ Victoriæ nomine dedicavit. Mox victoriâ multo suorum sanguine partâ utendum ratus, Caravagium primùm ducens, dedentibus sese incolis, deinde Bergomum quoque, & Brixiam capit. Cremona item & Crema civitates per Legatos in potestatem redactæ, Piscaria, aliquandiu resistere ausa, vi expugnatur præfectis unà cum militibus ad unum cæsi. Interim Maximiliani auspiciis

Christophorus Frangipanius Pisinium, Duiniúmque in Istria arces, Ericus Brunsuicensis Feltrium ad Bellunium capit. Inde ad famam de Maximiliani cum Germanis adventu, Goritia, Tergeste, & alia non pauca ejus tractûs loca in ejus fidem redeunt. *[1.]

Suscepit hoc anno in Magistrum Allodiorum Ægidius Abbas in Zwetl Philippum Gabler vel fratrem vel patruum aut patruelem F. Heinrici Gabler Monasterii Zwetlensis Professi; „ qui si „ infra quindecim annorum spatium „ sinè hærede moreretur, omnium re- „ rum mobilium aut immobilium sua- „ rum substantiam Monasterio legavit; „ si verò hæredem haberet, singulis an- „ nis Monasterio post obitum suum de „ substantia sua decem denariorum li- „ bræ solverentur, tot nimirum annis, „ quot ipse in prædicto suo officio Mo- „ nasterio serviîsset. Addidit porro „ centum libras alias denariorum sol- „ vendas. Receptus autem fuit in fra- „ ternitatem & participationem omni- „ um bonorum operum. Item se in- „ scribi in librum mortuorum petiît, „ atque pro se post concionem rogari. „ Acta sunt hæc & data in Monasterio „ Zwetl annô Domini 1509. feriâ sextâ „ ante Dominicam Lætare, nimirum „ 16. Martii. „ [2.] Reperi in Mortilogio de eodem sequentia: „ Quar- „ tô Nonas Aprilis obiît Philippus Gab- „ ler quondam Magister prædiorum. „ [3.] Fuit hæc familia alioquin frequens, & forsan ob beneficia in Religiosos collata multiplicata, & admodum Nobilis, nam Paulus Wasserbergerus Dominus in Grüenbach Philippum præfatum suum vocat affinem in litteris 29. Novembris hoc anno ad eum datis. Fit etiam in Mortilogio præfato alterius Gableri mentio talis: „ Unde- „ cimô Kalendas Aprilis obiît Hainrich „ Gabler, Anna uxor ejus de New- „ burga Claustrali: Wolfgangus Sney- „ der, Kunigund uxor ejus de Grynn- „ czing; & omnium consanguineorum „ eorundem, qui quatuor vineas de- „ derunt Monasterio, annô 1498. „ [4.] Hic Heinricus & Anna parentes videntur fuisse præfati F. Heinrici Professi Zwetlensis.

„ Fit etiam mentio Fraternitatis „ B. Mariæ in Rasing, quam audita il- „ lius devotione Provincialis Carmeli- „ tarum in fraternitatem omniúmque „ bonorum operum participationem „ suscepit, sub dato literarum suarum „ annô Domini 1509. 18. Octobris. „ [5.]

Castrum porro Weitracense atque adeo territorium ejus universum pertinebat ad Imperatorem; „ cujus se „ Purggrafium nomine Cæsaris esse D. „ Ladislaus de Prag Baro in Winthag, „ hæreditarius in Carinthia Mareschal- „ lus fatetur, scribens ad Ægidium Ab- „ batem in Zwetl ratione subditorum „ Monasterii in Manshalm. Datum „ Weitra annô Domini 1509. feriâ „ sextâ post Leopoldi, nimirum 16. „ Novembris. „ [6.] Hoc castrum cum territorio suo olim spectaverat ad Chünringios Fundatores nostros, de quorum progenie erat Joannes Chünringius ejus nominis IV. cujus hoc anno in festo Assumptionis mentio habetur, fortè in Monasterio tunc Deiparam Assumptam devotione colebat. [7.] Erat autem hic Joannes filius Balthasaris Chünringii de Seveld ex Elisabetha Stiriaca de Liechtenstain, qui uxorem habuit Annam de Zelcking in Weinberg, hæc obiîsse reperitur tali die & anno: „ Decimô tertiô Calendas Apri- „ lis obiît Generosa Domina Anna uxor „ D. Joannis de Khünnring 1533. „ [8.] Hæc Mortilogium.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 10. Lazius ubi suprà ad priorem annum sub n. 1. relatus, sed discordans in anno; asserit enim hæc anno sequenti gesta esse.

P. Heu-

P. Heuterus in Maximil. I. l. 7. c. 2. „ Annô
„ 1509. decimô quartô Maji ad Geradadam
„ inter Francos & Venetos, collatis signis,
„ concurritur. Superantur ingenti peditum
„ cum jactura Veneti, egregiè aperto in cam-
„ po vincentibus Francis. Capitur Bartho-
„ lomæus Livianus, amisso altero oculo, ac
„ cum eo non pauci primæ nobilitatis ordi-
„ num ductores, ductíque in Franciam libe-
„ rantur, cùm, rupto Cameracensi fœdere,
„ novum Franci cum Venetis iniissent. Post
„ hanc victoriam Rex Ludovicus spatiô quin-
„ decim dierum oppida quæ repetebat omnia
„ in fidem accepit; insupérque Pontifici ac
„ Cæsari occasionem dedit, nullo negotio
„ sua recipiendi, refugiente Comite Nicolao
„ Petiliano, Venetorum Imperatore, cum
„ maxima exercitûs parte, Mestrium, quod
„ est extremum Venetæ Ditionis in conti-
„ nente oppidum. Veneti, rebus afflictis
„ aliud remedium non reperientes, Pontifici
„ ac Cæsari, quæ repetebant, frustrà offerunt.
„ Tantus enim eos ex adverso prælio incessit
„ terror, ut urbem munirent, subditos nomi-
„ na dare cogerent, & ad conciliandam be-
„ nevolentiam portoria remitterent, leges
„ frumentarias tollerent, ad Germaniæ Se-
„ ptem-Viros, liberásque civitates, Legatos
„ mitterent, ut apud Cæsarem pro pace in-
„ terpellarent; missô eadem de causa ad ipsum
„ Cæsarem Antoniô Justinianô, qui oratio-
„ ne ad provocandam commiserationem exi-
„ miè composita, promissísque Cæsari singu-
„ lis annis aureorum nummûm quinquaginta
„ millibus (authore Francisco Guicciardino
„ Historiæ librô octavô) frustrà, ùt infrà nar-
„ rabimus, laboravit. Cæsar enim supra mo-
„ dum contra Venetos exacerbatus, cum Lu-
„ dovico Francorum Rege in exitium Rei-
„ publicæ conjuràrat. Una in re laudata
„ semper exislet Venetorum eo tempore pru-
„ dentia, ac animi magnitudo, quòd oblata
„ à Turcarum Rege, in tanta rerum acerbi-
„ tate, parata auxilia repudiàrint, non pau-
„ cis tamen nec parvi nominis senatoribus ac-
„ cipere suadentibus. Exinde Veneti Lega-
„ tum in Apuliam misêre, Regi Ferdinando
„ ejus ditionis oppida, quæ præsidiis obtine-
„ nebant, liberaliter restituentes; paulóque
„ pôst aliquot civium operâ, ductu verò An-
„ dreæ Gritti, Patavium recuperant. Apertâ
„ enim portâ, ut plaustra aliquot frumentô
„ fœnóque onusta intromitterentur, Grittus,
„ cum pedite equitéque succedens, eam oc-
„ cupat, paulóque pôst arcem expugnat, Leo-
„ nardô Trissinô cum quatuor aliis, qui ur-
„ bem Cæsari tradiderant, Venetô in foro
„ strangulatô. Exinde oppugnat Ligniacum,
„ Patavio propinquum. Cæsar suorum ne-
„ gligentiâ amissum recuperaturus Patavium,
„ justo cum exercitu, sociorum auxiliis, ma-
„ gnóque tormentorum apparatu obsidet,
„ frustráque oppugnat. Erat enim in urbe
„ Comes Petilianus cum firma electáque pe-
„ ditum equitúmque manu. Quare de ex-
„ pugnatione diffidens, pecuniæque inopiâ
„ pressus, dimisso exercitu in Germaniam re-
„ greditur, Marchione Brandeburgio cum
„ præsidio Veronæ relicto. - - - - - -
„ Sub hujus anni finem, Cæsar ac Rex Fer-
„ dinandus inter se ob Castellæ gubernatio-
„ nem diffidentes, conciliantur, ea lege, Rex
„ Ferdinandus Castellam regeret, donec com-
„ munis nepos Princeps Carolus annum æta-
„ tis vigesimum quintum attigisset; abstine-
„ rétque Carolus Regiô in Hispania titulô,
„ quamdiu mater ejus Joanna viveret. Rex
„ Ferdinandus Cæsari quinquaginta millia
„ ducatorum numeraret, eúmque, donec sua
„ à Venetis recuperâsset, Hispanicis copiis
„ juvaret. Principi Carolo singulis annis du-
„ centa millia ducatorum penderet. Facilè
„ utroque Principe in hoc fœdus consenti-
„ ente, quòd communis nepotis Caroli amor
„ in utriusque animo vigeret, quem potiùs
„ aliquando in Italia, quàm Francos, rerum
„ potiri malebant. „

Spondanus ad hunc ann. n. 1. 3. & n. 4. sub quo ita: „ Scribit etiam Mariana ex pu-
„ blica fama, illos (*Venetos post tantam ab*
„ *hostibus illatam sibi cladem*) eidem Maximi-
„ liano misisse chartam candidam, præter sub-
„ scriptiones Senatûs nullis impressam notis,
„ cui ipse, quascunque vellet conditiones ap-
„ poneret: Postremò tantam eorum extitisse
„ consternationem, ut de ipsa Venetiarum ci-
„ vitate Ladislao Regi Hungariæ dedenda co-
„ gitaverint, ejus viribus sperantes desperatis
„ rebus levamen: Cogitâsse námque Maximi-
„ lianum minimè quiescere, nisi urbe ipsa au-
„ xiliô classium Gallicæ & Hispanicæ expu-
„ gnata; eámque quadrifariàm partiri, toti-
„ dem impositis arcibus inter socios dividen-
„ dis: adeo fuit fecundo somniis ingenio. „

[2.] Ex Autographo ipsius.

[3. & 4.] Mortilogium commune Zwetlense.

[5. 6. 7.] Ex Autographis ipsorum.

[8.] Mortilogium suprà cit. 13. Calend. Aprilis.

Annus Christi MDX. Monasterii CCCLXXII.

Pont. Rom. Julius II. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Ægidius.

INeunte hoc anno in Conventu Principum & Ordinum Imperii Augustæ Vindelicorum ab Imperatore instituto de continuando in Venetos bello præcipuè agebatur. Et quamquam Imperator à Julio Papa & Electoribus, aliísque Principibus assiduè interpellaretur, nullam tamen pacis mentionem, nisi relictâ sibi Veronâ, admittere volebat. Veneti verò oblata ingenti pecunia urbem eam sibi reddi postulabant. Suspectus non sinè causa & Cæsari & Ludovico Regi erat Julii tantus rei Venetæ sublevandæ ardor; itaque inter ipsorum Legatos convenit, uti primo vere Ciamontius (Regis Ludovici Legatus) Germanis illis, qui in Veronensi agro erant, secum assumptis, ab ea parte: & Cæsar cum iis copiis, quas ab Imperio datum iri sperabat, quásque ex suis provinciis conscriberet, in Foro-Julii, & vicinis locis bellô Venetos adorirentur.

Finitur interim Conventus Augustanus; unde Maximilianus postquam Oenipontum venisset, per celeres nuncios à Ciamontio petiît, nè cum suis, quod in mandatis habere dicebatur, Mediolanum priùs abiret, quàm ipse eò venisset. Interim Pontifex communicatô cum Venetis consiliô, utì uno & eodem tempore & Genuensibus & Ferrariæ Principi arma inferrentur, effecerat. Rex Galliæ bellum ubi minimè putaverat, à Pontifice excitatum indignè ferens amicitiam & fœdus cum Imperatore instaurare summa ope nitebatur, & auxilia ei non tantùm ad ea recuperanda, quæ Veneti tenebant, sed ad Romam ipsam, & alia loca Imperio avulsa occupanda pollicebatur. * [1.]

Michaël Abbas S. Crucis à Reverendissimo Domino Jacobo Abbate Cistercii & Ordinis Generali Receptor contributionum constitutus fatetur se ab Ægidio Abbate in Zwetl recepisse de annis MDVII. MDVIII. & MDIX. florenos Rhenenses quindecim. Actum annô Domini 1510. 10. Aprilis. [2.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 12.

Surius in Commentario. „ Annô 1510. „ Comitia habita sunt Augustæ frequentissimo „ Principum conventu: quò multi etiam exterorum Regum Legati advolârunt. Decreta „ est ibi belli continuatio in Venetos, quorum „ tum quædam funestæ machinationes feruntur in lucem perductæ, quæ belli proferendi causa non minima fuêre. Proditum „ enim est, submissos fuisse à Venetis non „ minùs 50. nefarios homines, qui urbes & „ pagos Cæsareanæ ditionis inflammarent. „ Porro Veneti cùm se potentissimis hostibus „ impares cernerent, Julium Pontificem suppliciter veniâ petitâ sibi conciliandum statuunt, missâque legatione magnanimum „ Pontificem, qui afflictis Italiæ rebus non „ mediocriter doleret, facilè placârunt: sed „ ea pax nova bella peperit „

Lazius in Geneal. Austriaca l. 2. „ Quoniam nondum saturatô animô is (*Maximilianus*) erat, memor superiorum annorum injuriæ sibi factæ, cùm non denunciatô bellô, „ Foro-Julium, ac comitatum Goricensem, „ Karstiúmque per insidias intercepissent, insistens victoriæ, bellum non solùm in annum „ sequentem, qui fuit à nato Servatore millesimus, quingentesimus, undecimus, protraxit: „ sed novis comparatis insuper ex Germania „ viribus, ac acceptis undique à Principibus „ Germaniæ Italiæque auxiliis, ad postremum „ exercitum armavit triginta octo millium peditum, & viginti equitum: è quibus provinciæ Austriacæ novem millia peditum, Hispaniæ Galliæque Reges novem millia equitum „ solvebant, reliquis omnibus stipendium de „ suo numerabat. Occasio verò atque causa „ auctarum virium fuerat, Patavium proditione

„ recu-

„ recuperatum : & in captivitatem abducti
„ Bartholomæus Firmianus Cæsaris inibi Præfectus, Brunorius de la Scala, Leonhardus
„ Triffinus, & Manfredus Ficinus. His igitur tantis copiis, vindicaturus in hostes,
„ Jacobum à Landauu, Dominum à Schellenberg, Ritschanum & Zucharum quendam
„ ad Athesim fluvium præmisit, junctis Hispanicis auxiliis, quæ Ferdinandus Catholicus in usum belli accommodaverat, quæ
„ Pischarius ac Gorzia ductabant &c. „

P.Heuterus l.7.c.3. „ Annô 1510. Cæsar
„ Augustæ Windelicorum Imperii comitia
„ celebrat, Pontificisque Julii Legatum Pisaurensem Præsulem, discedere jusserat, quòd
„ ejus operâ Septem-Viri priùs de pace cum
„ Venetis ineunda, quàm de ferendo auxilio,
„ agendum censuissent. Mense Februario
„ Pontifex Julius, rupto Cameracensi fœdere,
„ novum cum Venetis pangit, eòsque jam antea diris devotos, sacris restitutis, quibus
„ voluit conditionibus in gratiam recipit. Ne
„ verò Cæsarem hac re offenderet, stipulatur,
„ certo Veneti tempore Cæsari Tervisium,
„ Tergestum, ac omnia quæ in Foro-Julii,
„ Carnis, ac Histris occupârant, redderent.
„ Tabulas, quibus se in posterum ab alienis
„ temperaturos promittebant, darent. Extorsêre hanc Julio Veneti pacem magna
„ cum difficultate. Omnibus enim artibus,
„ nè concederetur, Cæsaris ac Regis Ludovici Oratores erant conati. Impetravêre
„ eam Dominicus Trivisanus, Leonardus
„ Mocœnicus, Paulus Pisanus, Hieronymus
„ Donatus, (qui apud Pontificem Venetorum nomine Legatus mansit) Paulus Capella, ac Ludovicus Mariprœtus, provectæ
„ ætatis Venetorum Patricii. Pontifex, horum authoritate motus, non solùm Venetis
„ pacem dedit, sed eorum etiam partes fovendas juvandásque (ùt bello Ferrariensi
„ apparuit) suscepit. Exinde Cæsaris Legati
„ Vicentiam armis captam militi concedunt
„ diripiendam, ægrè vitâ civibus concessâ: insignia enim sæpiùs odii testimonia in Cæsarianos demonstrârant. Interea in Foro-Julii maximè calamitosum gerebatur bellum: nunc Germani, nunc Veneti erant
„ superiores: aliquando à propria nobilitate
„ indignis tractabantur modis : ubique clades, mœror, luctus, cædes, direptiones,
„ incendia, vis, ac injuria conspiciebatur.
„ Pontifex, occasionem secessionis à Franco
„ quærens, clam palámque bellum Ferrariensibus ac Genuensibus, Francorum clientibus, inferri curat, sperans ea ratione facilè
„ Cæsarem à Francica amicitia divelli, ac sibi
„ Venetísque conjungi posse. Sed ii, novo
„ inter se fœdere sancito, separari nondum
„ poterant. Interea Francorum Rex Pontifici in sequentem annum clàm bellum parat, universámque Italiam Cæsari, ùt simulabat, (excepta Mediolanensi, Genuensi,
„ Florentina, ac Ferrariensi Ditione) occupandam præbere. „

[2.] Ex Apocha ipsius.

Annus Christi MDXI. Monasterii CCCLXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius II.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Ægidius.

VIgebat bellum Ferrariense, & Pontifex ipse, novi anni initiô, in castra profectus, quæ ad Mirandulam tunc erant, non priùs destitit quàm ea civitas caperetur. Nullis enim suorum consiliis, nulla & itineris & temporis difficultate, quò minùs id bellum præsens ipse, & periculis sese offerens urgeret, deterreri potuit, exemplô admodum rarô, mirantibus plerisque illo ipso tempore, quo Gallorum Rex quietus, ipse per Legatos rem administrabat, Pontificem in castris versari. * [1.]

Cæsar persuasus à Rege Arragoniæ Ferdinando, pacem fermè cum Venetis fecerat, mittens ad Pontificem, ac Francorum Regem Legatos, qui testarentur, se nil, quàm ut pax & quies Christiano orbi daretur, dudum cupiisse, adnixurúmque omnibus animi corporísque viribus, eò aliquando ùt perveniatur. Nullus non, præter Francorum Regem, hæc lætô audiebat animô. Malebat enim Cæsarem secum in fœdere contra Venetos icto permanere, non dubiam ex pace contra se tempestatem

Pontificis operâ emersuram conspiciens. Variis igitur artibus pacis mentione obliterata, Cæsaréque in fœdere confirmato, per Trivultium Pontifici bellum infert, ac mense Majo illi Bononiam, multáque alia loca eripit. Interea consueto more, ac pecuniæ extorquendæ causâ, Foro-Julienses, Histri, Tergestini, ac Flumienses omni bellica calamitate pervastabantur, diripientibus eodem tempore Cæsarianis Utinam, Foro-Julii caput, Venetis timore fugientibus, ac paulò pòst universum Foro-Julium Cæsari relinquentibus; exceptâ Gradiscâ, cui Ludovicus Mocœnicus cum justo præsidio ac tormentorum apparatu præerat. Sed cùm muri insigniter verberati ingentem fecissent ruinam, præsidiarii timore correpti, traditô Cæsarianis Mocœnicô, deditionem fecére. Sed hæc omnia paulò pòst, exceptâ Gradiscâ, Veneti recuperârunt. [2.]

Item hoc anno Maximilianus Cæsar comitia indixit apud Augustam, ubi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atque incredibilis ingluviei, ita ut integrum vitulum crudum, vel ovem incoctam una vice devoraret, & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, ubi ob locorum frigora solent esse homines edaciores; quanquam hujus edacitas propemodum incredibilis videri possit.

Eo ipso anno Senatus Constantiensis, adjunctis sibi aliquot popularibus, cum Helvetiis sese conjungere & fœdus inire, urbémque illis dedere volebat. Sed eorum conatibus obviam itum est ab illis, quibus turpe videbatur ab Imperio desciscere. In iis facilè primas sibi vendicavit piscatorum societas. Itaque litteris ad Cæsarem Maximilianum datis, eum de Senatûs machinationibus certiorem reddiderunt, nec ille sibi & Imperio defuit, sed properè eò advolans, piscatorum studio & viribus urbem ingressus, quos comprehendere potuit è conspirationis ejus authoribus, capite damnavit: nam plerique fugâ dilapsi erant.

Item hoc anno Bernardinus Hispanus, Cardinalis S. Crucis, Sedis Apostolicæ in Germaniam Legatus, cum aliquot paucis in suam sententiam pertractis Cardinalibus, mirabili audacia Concilium Generale apud Pisas indixit, eóque ipsum, præter alios, Julium Pontificem Maximum citare non dubitavit. Convenerunt aliquot Episcopi ex Galliis & Insubribus: Primò Pisis, ubi cùm parùm tuti sibi viderentur, inde abiêre Mediolanum: verùm nec ibi satìs suis rebus fidentes, Lugdunum sese transtulerunt, ubi etiam aliquot sessiones habitæ sunt, Rege Gallorum haud obscurè illis favente, quippe qui in Pontificem alienô esset animô. Porro cùm ea temeritas ad horrendum schisma spectare videretur, Julius Pontifex datis ad eos literis, monuit perbenignè, ut ad pacem & unitatem Ecclesiæ se reciperent: alioqui fore, ut vel invitus in ipsos animadverteret. Ea admonitio tres Cardinales permovit, ut cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberaliter & clementer accepit: in alios, cùm nollent ad sanitatem redire, gravem sanè tulit sententiam, qua illorum audacia nonnihil contusa est. Sed tamen cùm Regis Gallorum fruerentur patrociniô, in sententia permanserunt. Monitus Gallus à Pontifice, utì nè eos foveret diutiùs, non magnopere curavit. Itaque à Pontifice excommunicatus est. Non longè aberat ab hac factione Maximilianus Cæsar, graviter commotus in Pontificem, quòd non bona fide à se recessisset, & cum Venetis fœdus percussisset. Sed vir gravis & prudens, admonitus à bonis viris, sese collegit, & celeriter ab hac temeritate discessit. Non erat quidem Pontifex ab omni culpa alienus, sed tamen minimè decebat Cardinales paucos talem excitare turbam, & Ecclesiæ pacem cum maximo omnium scandalo perturbare. Et tamen non desunt fortassis,

tassis, apud quos etiam hoc conciliabulum habeat non vulgarem authoritatem, maximè quòd ad Pontificis contumeliam pertineat, qua plerique admodum delectantur, perinde ùt Cham olim nuditate Noë patris sui. Sed qualiscunque demum sit Pontifex, modò nè sit hæreticus, propter eum, cujus gerit vices, reverenter inprimis ac multo in honore habendus est. Atqui verò Julius Pontifex, ùt Pisanum conciliabulum destrueret, Romæ Concilium indixit generale, quod sub Leone X. demum absolutum est. [3.]

„ Vixit adhuc anno isto Michaël „ Abbas S. Crucis per Austriam &c. „ contributionum & subsidiorum Ordinis Receptor à Reverendissimo D. „ Jacobo Abbate Cistercii constitutus, „ fatetur se à Coabbate suo Ægidio in „ Zwetl 20. florenos Rhen. de annis „ 1505. 1506. 1510. & 1511. recepisse. „ Datum in Monasterio Zwetl annô „ Domini 1511. 12. Aprilis. „ [4.] Unde colligitur hic Ordinarius Visitator hìc in Monasterio Visitationis gratiâ fuisse. Inde descendit Ægidio Abbate ipsum comitante ad Cœnobium Monialium S. Bernardi filiam Monasterii nostri unigenitam, quam etiam visitavit, sicut hoc demonstrat Index Abbatissæ Barbaræ Rudolfshoverin, quæ bonam Matrem-familias egit, & indefessè œconomiæ insudavit. [5.]

ADDITIONES.

[1.] Gerardus de Roó lib. 12.

[2.] P. Heuterus in Maximiliano I. Cæsare lib. 7. sub hoc anno.

[3.] Surius in Commentario ad hunc ann.

Gerardus ubi suprà.

Spondanus ad hunc ann. n. 25. „ Quod „ verò magis Cardinales turbabat (ùt idem „ Guicciardinus ait) erat quòd Maximilianus „ procrastinando nec Antistites nec procuratores mitteret. Qui quidem, tanquam „ ex ipsius dignitate non esset propriorum regnorum Antistites mittere, nisi totius quoque Germanicæ gentis nomine idem fieret, „ Germaniæ Antistites Augustæ Vindelicorum, ut ea de re cum ipsis tractaret, convocaverat. - - - - De re autem conciliari „ in Conventu Augustano ab Antistitibus decretum fuisse Guicciardinus ait; Pisanum „ Concilium seditiosum ac detestandum esse: „ hoc tamen addito moderamine, si pro eo „ validiora adducerentur argumenta, sententiam mutare se paratos esse. Coccinius „ verò ait, Maximilianum statuisse Episcopum „ Brixiensem ad Concilium Pisanum mittere: „ sed eum certis ex causis quas proposuit „ ejusmodi onere sublevatum esse: Maximilianum verò destinâsse cum pleno mandato, „ Felicem Comitem de Werdenberg, Hieronymum Comitem de Tirol Veronensem, „ & Doctorem Faëllam Vicentinum, qui Tridenti subsistentes, nondum, quando Coccinius ea scribebat, pervenerant Mediolanum, „ quò jam Conciliares Pisani accesserant. „

[4.] Ex Apocha ipsius.

[5.] Ex Indice Abbatissæ.

Annus Christi MDXII. Monasterii CCCLXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius II.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Erasmus.

Annum istum memorabilem fecit Viennensis Archi-Gymnasii bellum, ùt vocant, latinum, quod biennio duravit, hoc autem anno inchoatum fuit, de quo sic legitur: „ Magister „ Sebastianus Tenckh ex Fronleyten „ Sententiarius Rector Archi-Gymnasii „ hujus 271. Sub hoc Rectore ex levissima duorum studiosorum cum vinearum cultoribus contentione in festo „ Corporis Christi in suburbiis civitatis „ Viennensis, ingens fit ab utraque parte „ concursus & gravissimus exoritur tumultus. Studiosi ex domo quadam

„ ad horas tres ſeſe contra maximam „ ruſticorum copiam fortiſſimè defendunt. Quo cùm Judex hujus civitatis unà cum Academiæ Legatis ad „ componendas ſeditiones interveniſſet, Vir eruditiſſimus M. Quirinus „ Teininger à Judicis lictore quodam „ & cuſtode captivorum innocentiſſimè trucidatus fuit. Joannes Eckher „ Inclytæ Facultatis Artium Pedellus „ circiter 25. vulneribus acceptis Medicorum induſtriâ reſtituitur. Ab „ utraque parte atrociter congreſſum „ fuit, ruſtici tandem ſibi fugâ conſulere coguntur. Quæ clades cùm in „ urbe innotuiſſet, ſtudioſi undique „ confluunt, ac ter in Collegium Archi-Ducale irruunt, quorum dolorem & „ indignationem niſi D. Rector ſingulari prudentia & humanitate mitigâſſet, ad publicum deventum fuiſſet „ tumultum. Ex hac turba ſtudioſi occaſionem ſumebant, ut peterent publicè legi privilegia & ſtatuta Univerſitatis. Quod cùm Rector aliquoties „ recusâſſet, nec ſtudioſi ab hac ſententia revocari poſſent, tandem lecta „ ſunt privilegia in arce Imperatoria „ præſente Regimine & tota Academia „ in die Divorum Petri & Pauli in maxima totius Aulæ frequentia. „ *[1.] Hucuſque citatus Catalogus.

Redeo ad Monaſterium noſtrum, in quo Ægidius Abbas ex hac vita migravit ipſis Calendis Februarii, nimirum in Vigilia Purificationis, in cujus obitu plerique conveniunt. Mortilogium commune ita ſcribit: „ Kalendis Februarii Dominus Ægidius quondam „ Abbas Zwetlenſis obiît annô 1512. „ De quo etiam ſic Chronoſticorum Author canit: [2.]

„ At nunc defuncti poſt funera membra quieſcunt

„ noſtro hIC In ſaCro ContVMVLata LoCo. [3.]

Sepulto mox Ægidio quondam Abbate, Fratres vocârunt Ordinarium ſuum Abbatem S. Crucis Michaëlem, qui unà cum Joanne de Valle-Dei Abbate huc advolans, conſtituit electum F. Eraſmum Leiſſer in Abbatem Zwetlenſem, cujus electio die nona Februarii canonicè facta à Capitulo Generali Ciſtercienſi dein approbata fuit. [4.]

Eraſmus igitur Abbas creatus mox ad ſolvenda Monaſterii debita monebatur: „ unde cùm Michaël Eytzingerus aliquam pecuniæ ſummam à „ Monaſterio expeteret, Eraſmus eidem ratione debitorum Monaſterii „ ſcribit, ut vel differret ſolvendi tempus, vel ab eo terminum certum impetraret. Datum in Clauſtro Zwetl „ annô Domini 1512. Sabbatô Valentini, nimirum 14. Februarii. „ [5.]

Porro Axſtain contra Danubium ſupra Tiernſtain arx in rupe ſita adhuc integra manſit, atque ad Cæſarem ſeu Auſtriæ Principem ſpectabat, quam olim Hadmarus Chünringius Fundator noſter Secundus ædificaverat, filii autem ipſius aliquamdiu perdiderant, redditum tamen ipſis eſt caſtrum, ſed à nepotibus eorum penitùs alienatum; nam Dux Auſtriæ Albertus Rudolphi I. Habsburgici filius legitur Chünringios aliquot arcibus mulctâſſe ex eo, quòd contra ſe inſurrexerant, è quarum numero & Axſtain fuit. Quòd autem hæc arx ad Cæſarem immediatè ſpectârit hoc tempore, declarant literæ illius caſtri Præfecti ad Eraſmum Abbatem Zwetlenſem datæ, cujus ſenſus talis eſt: „ Wilhelmus Ynnprucker Cæſareus in Axſtain Præfectus Abbati in Zwetl &c. „ - - - - Datum Axſtain in arce, annô Domini 1512. feriâ ſextâ poſt Matthiæ, nimirum 27. Februarii. „ [6.]

Porro hoc anno Philippus Gabler Allodiorum noſtrorum Magiſter ſuam oſtendit devotionem & pietatem, qui Monaſterio noſtro legavit ducenta talenta denariorum, & tres vineas ſitas in Ciſterſtorf. Datum annô Domini 1512. in feſto SS. Trinitatis, nimirum 6. Junii. [7.]

Pragæ etiam conflata fuit campana major

major Monasterii nostri, sed post aliquot annos primùm ab Erasmo Abbate comparata: est autem in honorem Beatæ Virginis Mariæ consecrata, cujus refert imaginem. Fusa sunt in sertis suis verba sequentia: „ *En ego campana* „ *nunquam denuntio vana, ignem vel festum, bellum aut funus honestum. Qui* „ *me fecit Magister Bartholomæus nomen* „ *habebat in Nova-Civitate Pragensi. Sit* „ *laus DEO Patri Omnipotenti &c. Annô Domini 1511.* „ [8.]

Demum hoc tempore primus Abbatum Zwetlensium hic usus fuit insignibus gentilitiis cum Monasterii clypeo conjunctis; „ de quibus F. Wolfgangus „ Rector curiæ in Cambarn Viennæ „ seu Nusdorfii existens Erasmo Abbati „ suo scribit, quòd majus Abbatiale „ sigillum aurifabro ad sculpendum jam „ dederit, simúlque Abbatem S. Crucis „ tunc Generalem Ordinis per Austriam „ &c. Visitatorem consuluerit, an nimirum insignia proprii stemmatis in „ sigillum Abbatiale sculpi curare auderet ac liceret, quod in gratiam Abbatis Erasmi Visitator specialiter concessit, cùm alioquin in usu nondum „ esset, unde præfatus F. Wolfgangus „ sigillum unà cum insignibus Abbatis „ gentilitiis ita fieri curavit. Datum „ in Nusdorf annô Domini 1512. feriâ „ quintâ post Michaëlis, nimirum 30. „ Septembris. „ [9.]

ADDITIONES.

*[1.] Ex Catalogo Rectorum Viennens. Georgii Ederi quondam ibidem Rectoris hoc anno.

[2.] Recentior Abbatum Zwetlensium Catalogus.

Morulogium commune eod. die.

[3.] Chronosticorum Author.

[4.] E literarum monumentis.

[5. & 6.] Ex Autographis ipsorum.

[7.] E literarum monumentis.

[8.] In ipsa campana.

[9.] Ex Autographo ipsius.

INCIDENS.

Gerardus de Roó lib. 12. „ Pridie Ca„ lendas Januarii, dum Maximilianus Friburgi „ agit, ejus uxor Blanca Maria diem obiit, „ nulla relicta prole. Julius interim, utì con„ tra Gallum vires suas firmaret, Pisanúmque „ conciliabulum impediret, sub anni finem, „ fœdus cum Aragonio ac Venetis, de mutua „ sociorum defensione, percussit, in quo Cæ„ sari & Anglorum Regi relictus est locus. „ Crucejus verò, (*Bernardinus S. Crucis Cardi*„ *nalis Hispanus*) & qui cum eo Pisis erant, „ Cæsarem, utì suum quoque procuratorem „ eò mittat, orant. Et Ludovicus, Andream „ Burgium Cremonensem, Bruneccam ad „ ipsum mittit, qui idem peteret, ac offen„ sum ipsi amplis promissis reconciliaret. Is „ ad Regem reversus, post multas de ipso que„ relas, Cæsarem postulâsse refert, utì Rex, „ filiolam natu minorem, cum dotali Burgun„ dia, Carolo nepoti desponderet, puellam „ statim traderet, Bononienses, Ferrarienses, „ & Concilii Pisani res, ipsius arbitratui per„ mitteret, exercitum Romam versùs ire nè „ juberet, neque enim permissurum, utì Re„ gis potentia per Italiam extendatur. Rex „ alienatum abs se Maximiliani animum vi„ dens, utì cum hoste, antequam ille apertè „ cum eo se conjungat, debellaret, aut operæ „ precium aliquod insigne faceret, Gastoni „ Foisseio, qui Brixiam per eos dies ceperat, „ utì hostem aggrederetur, scripsit. Foisseius „ Ravennâ nequicquam tentatâ, ad Pontifi„ cis exercitum advenientem conversus, me„ morabili prælio victoriam adeptus, ab Hi„ spanis, quibus, abire volentibus, fugam „ permittere noluit, occisus est. Cecidêre „ utrinque fortissimi quique ad decem millia, „ quorum trientem ex Gallis, reliquos ex „ Italis & Hispanis fuisse memorant. Victo„ ria penes Gallos stetit luctuosa, propter „ Ducis & Nobilium quorundam cædem, læ„ tior futura si ille fugienti hosti, nè despe„ ratio in fortitudinem vertatur, vel argen„ teum pontem esse substernendum meminis„ set. Incidit hoc prælium in solemnem Do„ minicæ Resurrectionis diem, qui eo anno „ Aprilis erat undecimus. Ravenna victori„ bus se dedidit, à quibus direpta est. Post „ hanc Gallorum victoriam Julius, etsi de „ pace cogitabat, (à qua neque Rex abhor„ rere videbatur) ab Aragonio tamen & An„ glo confirmatus, & Helvetiis, magnô in „ Regem odiô, auxilia promittentibus, pro„ sequi bellum statuit. Eodem verò tempore „ Maximilianus Imperator Coloniæ & Tre„ virorum Augustæ conventus habuit, quibus „ de tollendo schismate actum. In Blasphe-

 „ mos

„ mos quoque graves pœnæ constitutæ, & „ edictum ea de re singulis feriatis diebus pro „ concione proclamari jussum. Actum item „ de ebrietate & ei vitio deditis, Principum „ familiâ pellendis, invenio. Propositâ item „ læsæ Majestatis pœnâ, omnibus Imperii subditis prohibitum, nè Gallô militarent. Quod „ cùm Emicho Comes Liningensis fecisset, „ proscriptus est, & jussu Cæsaris aliquot ar- „ cibus, à Palatino multatus. Alii quoque „ ejus exemplum secuti, eodem loco habiti, & „ Germani, qui ad quatuor millia in Paliciæ „ castris erant, revocati, paruêre; nam Tiro- „ lenses plerique erant. „

Surius in Commentario ad hunc annum. Pontus Heuterus lib. 7. cap. 4. „ In „ Italia restituti à Confœderatis Florentiæ „ Medicei numerant Cæsari centum quin- „ quaginta millia ducatorum, coactíque ad „ deditionem Brixiani ac Lineaci Germanos „ ac Hispanos milites admisêre. Exinde Gur- „ censis Cardinalis, Cæsaris Legatus, Romam „ ad Pontificem profectus, summo cum ho- „ nore est receptus, actúmque magna animo- „ rum contentione de pace inter Cæsarem „ ac Venetos ineunda, sed frustrà. Quare „ novum Pontifex cum Cæsare facit fœdus, „ quo utriusque consensu, Maximilianus Sfor- „ tia in Ducatum Mediolanensem restituitur, „ Cæsare tamen neque diploma neque titu- „ lum ei concedente. „

Annus Christi MDXIII. Monasterii CCCLXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Leo X.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Erasmus.

HOc anno Julius Papa II. tot laboribus fatigatus, aut ùt alii volunt, dolore animi, quòd Venetos in amicitiam cum Maximiliano Cæsare reducere frustrà tentâsset, lenta tenacíque febre, fluente sensim alvo corruptus, septuagenario major 9. Cal. Martii Romæ in Vaticano decubuit, domi, bellíque clarissimus. Cujus Novendialibus obsequiis peractis, Idibus Martii Cardinales omnes Joannem Medicem Florentinum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Dominica, S. Rom. Ecclesiæ Archi-Diaconum, Pontificem salutârunt, qui Leo ejus nominis X. appellari voluit. * [1.] De hoc ita B. Malachias Hibernus vaticinatus est: De Craticula Politiana. Leo enim X. filius Laurentii Medicei & Scholaris Angeli Politiani fuit.

Refero bellum latinum anno priori exortum, quod Studiosi Viennenses cum mechanicis ibidem gesserunt, de quo sic scribitur: „ Motu superiori etiam „ artificum & cerdonum turba in studiosam juventutem concitata varios „ excitavit tumultus, ob quam causam „ Studiosis armorum usus publicô decretô interdicitur. Quo factô indocta multitudo Philosophiæ candidatis cingulis indutis illudere incipiebat. Quod cùm Studiosi ferre non „ possent, cingulorum depositionem „ violentiùs etiam quàm conveniret, „ petunt. Authores hujus turbæ in „ Vigilia D. Laurentii, nè graviorem „ excitarent seditionem, ab urbe discedere jubentur. Eo audito communis fit confœderatio, ac eodem die „ octingenti Studiosi erectô vexillô egrediuntur urbem Welsam usque ad D. „ Maximilianum Cæsarem Augustissimum, à quo hanc scholam unicè diligi sciebant, profecturi. Quò cùm „ perventum, atque D. Cæsari Academicæ huic militiæ obviam exeunti, „ per Melchiorem Seuter ejus exercitûs „ Oratorem, qui postea Illustrissimi „ Principis Electoris Friderici Palatini „ factus est Cancellarius, desiderium „ exulantis Scholæ fuisset explicatum: „ ibi tum pius Cæsar cum juventutis „ simplicitate, tum bonarum literarum „ amore permotus, milites hos scholasticos honestissimô viaticô donatos

„ post

„ post clementissimam consolationem „ remisit, atque hanc causam totam „ Illustrissimo Principi & D. Domino „ Ernesto Marchioni Badensi Majestatis suæ vices hìc in Austria gerenti „ commisit. Redeunt Studiosi huc „ Viennam in Vigilia Nativitatis Mariæ, „ atque non cingulorum tantùm impetrant liberationem, sed de novo leguntur & confirmantur huic Gymnasio antiqua sua privilegia. Ubi „ etiam publicè admonitus fuit Magistratus Civilis, nè Academiæ privilegia in minimo offendant. Atque „ sic omnis controversia feliciter fuerat „ composita. „ [2.] Hucusque ille. Conjicio ex istis sub hoc bello latino conflictum quoque contigisse illum, in quo tantum sanguinis humani effusum fuit, ut inde in urbe Viennensi quædam platea nomen traxerit dicta propterea platea sanguinis, (*vulgò vocatur* Blutgässl) quia in ea Studiosi & Mechanici ita concurrerant, ut rivus sanguinis inde effluere videretur. Ac propterea etiam Studiosis armorum usus penitùs interdictus erat, & ut tamen à reliqua plebe discernerentur, cingulis honoris gratiâ uti jussi sunt, quos vulgus ipsis in probrum convertit.

Obiît hoc anno Illustris Dominus Joannes ejus nominis IV. Chünringius de Seveld Balthasaris I. ex Liechtensteinia Stira filius, tertiô Calendas Maji, sepultus in Templo Monasterii nostri ad Sacellum S. Michaëlis sub lapide rubro marmoreo literis & insignibus ejus sculpto, desuper autem in columna suspensus est clypeus, in quo talis scriptura reperitur: „ Joannes de Chünring „ Dominus in Seveld obiît feriâ sextâ „ post diem S. Marci, cujus animæ „ Deus sit propitius. 1513. „ Pluribus refertur superscriptio in lapide sepulchrali. [3.] Reliquit ex uxore sua Domina Anna Zelckingensi filios quinque, Christophorum, Florianum, Marquardum, Wilhelmum & Balthasarem II. Hujus tricesimus ab obitu dies venisset quintô Calendas Junii celebrandus, verùm Abbas Erasmus eum distulit, de cujus dilatione tales accepit litteras: „ Dominus Wilhelmus de Zelcking placere sibi scribit, quòd Abbas tricesimum Domini sui affinis de Chünring „ fel: mem: usque ad feriam secundam „ ante S. Viti, id est decimam tertiam Junii distulerit: porro ait se aliquot jam „ Dominos per literas ad eam solennitatem invitâsse, rogât etiam Abbatem vicinos quoque Dominos invitari. Datum Seveld annô Domini „ 1513. feriâ sextâ post Ascensionem, „ nimirum 6. Maji. „ [4.] His acceptis litteris Abbas quoque vicinos invitavit Dominos, quorum nomina reperi sequentia: Sabbatô post festum Corporis Christi, nimirum 28. Maji invitati fuerunt ad Tricesimum præfato Chünringio fel. record. celebrandum DD. Wilhelmus & Wolfgangus fratres de Zelcking cum aliis duobus suis fratribus, item eorundem sorores Anna relicta Joannis defuncti, & Anastasia uxor Balthasaris II. Chünringii defuncti filii: DD. Ludovicus de Stahrenberg in Rapottenstain, Georgius de Liechtenstain in Niclaspurg, Jacobus de Arnberg defuncti affinis, Rudolphus & Sebastianus de Hochenfeld in Kirchperg ad silvam, Sigismundus de Eytzing in Schrattental, Carolus de Hochenfeld, Petrus de Hofkirchen, Dominus dictus Jameresgkſi, Leopoldus & Wilhelmus de Neudegg in Rastenberg, & quidam Pincerna Sigismundus Augustanus, alíique plures. [5.] Atque hæc de obitu, sepultura & Tricesimo Chünringii hujus.

Præterea hoc anno Confraternitas Rasingensis à Diœcesano confirmata fuit, cujus confirmatio ita incipit: „ Wigileus D. G. Episcopus Pataviensis „ ad perpetuam rei memoriam. Justis petentium desideriis, per quæ „ Christi fideles ad devotionis studia „ & memoriam amarissimæ Passionis „ D. N. JESU Christi incitantur, libenter annuimus, consensum præbemus.

„ Oblatâ itaque nobis pro parte Dilectorum nobis in Christo Fratrum Fraternitatis in Rasanns (*vulgò Rasing*) in Capella B. Mariæ Virginis ibidem sub limitibus Ecclesiæ Parochialis in Windigsteig nostræ Diœcesis in honorem ac commemorationem Septem-Dolorum & Compassionis intemeratæ Virginis Mariæ, certis modis & formâ erecta, prout in literis erectionis sub sigillis Venerabilium nobis in Christo Dilectorum Joannis Graff Præpositi in Zwetl & Wolfgangi Winther præfatæ Ecclesiæ Parochialis in Windigsteig Rectoris roboratis, supplex petitio continebat &c. Datum Pataviæ die Jovis, 30. mensis Julii, annô Christi 1513. „

[6.] Atque ita Confraternitas ista laudabilis hoc anno à Diœcesano privilegiô roborata fuit.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Julio II. & Leone X. Gerardus de Roó lib. 11. & alii.

Surius in Commentario ad hunc annum. „ Successorem habuit (*Julius*) Joannem Medicem Florentinum, qui Leonis X. nomen accepit, quem Galli paulò antè captivum detinuerant, è quorum tamen manibus magno quodam casu elapsus, ad tantum honoris fastigium evasit. „

Spondanus ad hunc ann. n. 3. „ Post cujus (*Julii*) novemdialia peracta, ingressis viginti quatuor Cardinalibus Conclave; conspiratione juniorum, omissis senibus, quorum consilia ultimis temporibus juvenilia nimis experti fuerant; experturi forsan num maturiora in juvenibus reperirentur; septimo die, nempe quintô Idus Martii creatus est faustis communibúsque omnium votis Joannes Mediceus Florentinus; quem anno superiori prælio Ravennensi captum, deinde liberatum, & Florentiæ pristinæ paternæ potentiæ restitutum vidimus: ætatis tempore electionis annorum triginta septem. - - - - - Mutato de more nomine, Leo dici voluit; ejus appellationis Decimus vulgò dictus, cùm ex iis quæ alibi diximus, Nonus potiùs dicendus fuerit. Signúmque, sive symbolum sumpsit, quo Alexander VI. usus fuerat, *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Presbyter & Episcopus à Raphaële Cardinale Ostiensi consecratus, & inauguratus decimô quartô Calendas Aprilis; tertiô Idus, ipso anniversario die, quo captus fuerat prælio Ravennensi, Basilicam Lateranensem de more visitavit; tantâ pompâ, ut Romam post Barbarorum inundationem eo die magnificentiorem splendidiorémque non vidisse omnes faterentur. Quo quidem centum aureorum millia ab illo effusa fuisse dicuntur, facta etiam per vias ad populum pecuniarum largitione. Vectúsque item est eo ipso equo Thraicio, quo prælio adstiterat; quem ab hostibus pecuniâ redemptum ita adamavit, ut postea usque ad extremam senectutem summâ curâ ali voluerit. Denique eo spectaculo Alfonsus Dux Ferrariæ, qui eâdem pugnâ contra ipsum steterat, & tot vexationibus à Julio agitatus fuerat, magnâ ejus clementiâ fretus Romam appulsus, & interdicti suspensionem adeptus, Pontificium vexillum prætulit: Rhodiorum verò militum signum honoratiori loco de more, Julius Mediceus, Leonis patruelis, armatus generosô equô insidens, qui paulò pòst factus Cardinalis, fuit etiam demum Pontifex Clemens Septimus. Ex Leonis autem assumptione universa Respublica Christiana maximam percepit voluptatem, quòd tum ex patris clara virtutis memoria, tum ex ipsius liberalitatis comitatísque fama, tum etiam quia castus, atque optimis moribus præditus habebatur; tum item quòd paternô exemplô eruditorum, omniúmque Illustrium ingeniorum amans futurus sperabatur, (sicuti & fuit) illum præstantissimum Pontificem fore persuasum erat. Ejus vitam prolixè ac luculenter Jovius conscripsit: sed nos Guicciardino tutiùs in rebus publicè gestis inhæremus.

N. 4. „ Ejus Pontificatum ab ipso illius initio visus est Deus suo nutu probare, ùt Guicciardinus ait: quoniam quarto die postquam assumptus fuerat, Cardinales abdicati S. Crucis & Sanseverinus in ejus potestatem venerunt. Qui Julii morte audita, Lugdunô, unà cum Galliæ Regis Legato, mari Romam contendentes ut Pontificis creationi interessent; intellecta in portu Ligurni Leonis assumptione, ejúsque lenitate freti, nulla alia cautione quæsita, spontè Pisas sunt profecti: ibíque honorificè excepti, ac deinde Florentiam perducti, honestè ita custoditi fuerunt, ut discedendi „ facul-

„ facultatem non haberent; monente eos be-
„ nignis verbis Pontifice, ut propriæ securi-
„ tatis, & Pontificatûs tranquillitatis causâ,
„ donec quo pacto illis Romam esset veni-
„ endum decerneretur, Florentiæ moraren-
„ tur, Cardinalatûs insignibus abstinentes. „

[2.] Catalogus Rectorum Viennens. Georgii Ederi hoc anno.

[3.] Mortilogium Zwetlense commune. Genealogia Chünringiorum.

Lapis sepulchralis cum inscriptione. „ Hie
„ ligt begraben der Wollgebohrne Herr
„ Herr Hanns von Khünring, der gestorben
„ ist am Freytag vor Philippi und Jacobi, im
„ 1513. Jahr, auch vil seines Geschlechts,
„ die dann Stüffter, und Widerbringer des
„ würdigen Gottshauß seind. Dem Gott der
„ Allmächtige barmhertzig sey. „

[4.] Ex Autographo ipsius.

[5.] E literarum monumentis.

[6.] Ex Autographo ipsius.

INCIDENS.

Surius ubi suprà „ Eodem anno Vene-
„ torum exercitus à Cæsareanis adeo attritus
„ est, ut ex illo una die, quæ fuit Nonis Octo-
„ bris supra 5000. ceciderint, & in iis, quod
„ nullo antè prælio acciderat, 400. equites
„ cataphracti: tormenta currulia viginti qua-
„ tuor cum omnibus signis militaribus capta;
„ cùm tamen è victoribus pauci desiderarentur.

Item Pontus Heuterus lib. 7. cap. 6. fusè more suo.

Annus Christi MDXIV. Monasterii CCCLXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Leo X.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Erasmus.

INitio hujus anni Cæsareani ac Veneti in Foro-Julii bellum renovant. Occupârant enim non ita pridem Germani oppidum Moravum, ad Aquileenses paludes situm. Veneti id statim propter opportunitatem terrâ, maríque obsident. Opponit se cum Cæsaris copiis ejus Legatus Comes Christophorus Francapanes, cujus adventu Veneti numerô longè inferiores obsidionem solvunt, ac discedunt. Erumpunt in postremos præsidiarii Germani, instat à fronte Francapanes; vulneratur Scipio alter Venetorum Dux, ceteri fugam capiunt. Veneta triremis unà capitur cum aliquot onerariis, omnibúsque hominibus ac impedimentis, ceteræ magno cum discrimine in altum evasêre. Desiderârunt hìc Veneti mille ducentos viros, cum oppido Monsalconio. Post hæc Cæsareani universum recipiunt Foro-Julium, excepto Osopho. * [1.]

Quidam in [2.] hunc annum rejicit conventum Regum & Principum Viennæ factum, sed magìs credo Cuspiniano [3.] tunc præsenti, qui illum in diario suo ad longum descripsit, quem etiam sequitur Gerardus, atque ille hunc anno sequenti contigisse commemorat.

„ Ceterùm F. Stephanus Grüentaler
„ Professus ad S. Trinitatem in Nova-
„ Civitate Diœcesis Salisburgensis de
„ mandato Domini sui Abbatis utì
„ Commissarii Generalis, contributio-
„ num Ordinis nostri collector speciali-
„ ter deputatus fatetur se à D. Erasmo
„ Abbate in Zwetl recepisse 5. flore-
„ nos, deinde pro portitore contribu-
„ tionum ad Cistercium florenos tres.
„ Datum in Cœnobio Zwetl annô
„ Domini 1514. 30. Martii. „ [4.]

ADDITIONES.

* [1.] Pont. Heuterus lib. 7. cap. 6. sub hoc anno.

[2.] Catalogus Rectorum Viennens. Georgii Ederi hoc anno.

[3.] Cuspinianus in Diario suo & in Maximiliano Imp. Gerardus de Roó Histor. Austr. lib. 12.

[4.] Ex Apocha ipsius.

INCIDENS.

Surius in Commentario sub hoc anno,
„ Bellum ortum est in Pannonia, quòd Vla-
„ dislaus Sigismundi Poloni frater, qui Mat-

„ thiæ Corvino successerat, non eam adferret curam & diligentiam rebus gerendis, quàm oporteret. Plerique enim Proceres regni, cùm eum viderent non admodum rebus invigilantem, quòd jam esset seniô & corporis gravi pondere oppressus, regnum amplissimum prædæ habere cœperunt, & singuli suis studere commodis ac utilitatibus, premere intolerandis exactionibus subditos, atque id genus aliis studiis non bonis operam navare: unde factum est, ut regni opibus dissipatis, nervi bellorum pecuniæ Regi deficerent. Per id tempus factus est ingens concursus hominum, præsertim agrestium, propterea quòd militaturis adversùs Turcas in Illyrica Croatia à Legato Apostolico largissimæ essent condonationes oblatæ. Verùm ista hominum fæx, licèt plerique essent jussi discedere ab armis ob nimiam multitudinem, jam consilium ceperunt de excutiendo à cervicibus suis nobilium jugo. Itaque Ducem sibi constituunt Georgium Sichelum, hominem audacissimum: cujus auspiciis non paucas edunt nobilium cædes, matronis & virginibus ingenuis vim adferunt, Cinadium urbem ex cratibus materiáque constructam inflammant, concrematis omnibus ejus urbis incolis, iis demptis quos fumus vel tela consumpserunt: Episcopum urbis Georgium crudelissimè interfecerunt, & alios quosque genere & opibus clarissimos aut sacerdotiô insignes, exquisitissimis tormentis dilaniaverunt. Ita demum compulsi nobiles, sui defensionem quanta maxima possunt vi & celeritate parant, Ducéque Bornemissa, multos seditiosæ multitudinis fundunt, nec multò pòst pluribus locis pene ad internecionem eos delent. Nec tamen Georgius se deserit, sed novis auctus copiis bellum instaurat. Verùm ejus nefarii hominis hic fuit exitus, quòd paulò pòst à Joanne Vaivoda captus, cæso ferè omni ejus exercitu, nudus & catenis vinctus, in equuleo constitutus, & corona candenti ex vomere conflata, ùt Regum mos est, coronatus, multísque aliis immanissimis & horribilibus est suppliciis excruciatus, ita ut non desint, qui putent nimia & inaudita crudelitatè in eum & ejus exercitum deſævitum. Atque hoc pacto illud sævum & nefarium perditæ multitudinis bellum extinctum est, quod nisi citò repressum fuisset, extremam Hungariæ calamitatem haud dubiè allaturum videbatur. „

Spondanus hìc n. 5. ita concludit: „ Pontifex iis auditis, (*quæ perperam à Cruce-signatis perpetrabantur*) confestim belli sacri diplomate revocato, Sigismundum Regem Poloniæ Vladislai Hungari fratrem, qui tunc contra Moscovitas bellum gerebat, ut eo bello aliquô honestô modô suspenso aut dilatô, fratri suppetias iret hortatus est. Verùm haud iis expectatis Joannes Vaivoda Scepusiensis Comes, magnæ spei juvenis, cū Regiis Hungariæ & Boëmiæ copiis seditiosos aggressus, corúmq; præcipuo Duce Georgio Zechelio, sive Cæculo, aliisque captis, & horrendis suppliciis de medio sublatis, multa ceterorum cæde facta, factionem dissipavit; qua extincta fuisse dicuntur ad sexaginta hominum millia. Rem narrant illarum gentium historici. „

Fuggerus in speculo suo, lib. 6. c. 17. n. 1. & 2. rem ceteris enucleatiùs efferre videtur.

Annus Christi MDXV. Monasterii CCCLXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Leo X.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wigileus.	Erasmus.

„ MAximilianus, ut in Ungaria suam prosapiam firmaret, insignem conventum Viennæ fecit cum Regibus Ungariæ & Bohemiæ, Vladislao patre, Ludovico filio, Sigismundo fratre Poloniæ, cui est tunc reconciliatus, nam simultates priùs illi cum eo intercesserant. Incidit autem hic conventus in annum millesimum quingentesimum decimum quintum, in mensem Julii. Decimô quintô enim mensis Julii egressus Maximilianus Cæsar Viennam occurrit Regibus in Austriæ & Ungariæ confinibus campo quodam latissimo, cui patriâ linguâ Hart est nomen inditum: fraternísque sese amplexibus mutuò salutatis, non sinè ingenti triumpho reversi simul altera die Viennam, matrimonia Mariæ neptis cum Ludo-

„ Ludovico, Annæ cum altero nepote „ concluſerunt. Quàm graviter autem „ & prudenter in quadam arcis Vien„ nenſis aula Senatum Regum & Prin„ cipum, Archi-Epiſcoporum & Anti„ ſtitum convocans peroraverit (*Cæſar*) „ de ſtatu univerſi Imperii & Chriſtia„ nitatis coram iis tribus Regibus, Tho„ ma Strigonienſi, Matthæo Salisbur„ genſi, Cardinalibus; Archi-Epiſco„ pis Bremenſi Chriſtophoro, Grego„ rio Colocienſi, ac aliis Epiſcopis, La„ dislao Vacienſi Cancellario regni Un„ gariæ, Patavienſi Wigileo, Ratisbo„ nenſi Joanne Palatino, Georgio „ Quinque-Eccleſienſi, Joanne Bos„ nanienſi, Matthia Vladislavienſi, „ Stanislao Olomucenſi, Petro Primis„ lavienſi regni Poloniæ Cancellario, „ corámque Principibus Bavariæ Guil„ lelmo & Ludovico fratribus, Ulrico „ Duce Wirtembergenſi, ac innumeris „ Comitibus, Baronibus ex Imperio, „ regnis Ungariæ, Bohemiæ, & Polo„ niæ, Conſiliariíſque ejus, quos enu„ merare faſtidium generaret: quàm „ prudenter, inquam, dixerit Clemen„ tiſſimus Cæſar, quo pacto ſe purga„ verit, cur in eum uſque diem nun„ quam ei licuerit contra Turcos pro„ gredi ac cum iis manus conſerere, „ (*æmulis ſuis renitentibus*) hoc ſatis ſit „ argumenti, quòd pluribus lacrymas „ eduxerit, fletúmque moverit ſua ora„ tione. Poſtquam autem Regibus ac „ Principibus convivia inſtituit, ac lu„ dos militares exhibuit, Cæſareis mu„ neribus donatos ſecum in Novam„ Civitatem duxit, venationes cervo„ rum, hinnulorum, damarúmque ex„ hibuit, illíſque dehinc valedixit: Vla„ dislao Rege per Sempronium oppi„ dum in Ungariam cum filio redeunte, „ Sigismundo verò per Viennam in Po„ loniam. Ipſe verò Maximilianus „ Imperator conceſſit in Imperium, ac „ ſequenti anno comitia Principum Im„ perii Auguſtæ celebravit, ſummô ſtu„ diô enixus, ut in ſua vita Carolum „ nepotem conſortem Imperii faceret. *[1.] Hæc Cuſpinianus citatus: cla- riùs Reges, Archi-Epiſcopos, Princi- péſque enumerat Ederus Viennenſis Archi-Gymnaſii Rector, quos tamen ob faſtidium repetere ſuperſedeo.

„ Eraſmus Abbas Zwetlenſis ad „ menſam Conventûs perpetuam ſuſce„ pit nobilem Virum D. Chriſtopho„ rum Leyſſer patruelem ſuum, à quo „ ſe multa ab incunabulis uſque bene„ ficia accepiſſe fatetur, conſentiente „ Conventu, cui ideo literæ ſigillis Ab„ batis & Conventûs munitæ datæ fuê„ re feriâ tertiâ poſt Dominicam Oculi „ in Quadrageſima annô 1515. nimi„ rum 13. Martii. „ [2.] Fuit aliàs hæc familia in Stiria quidem nobilis, ſed tenuis, quæ poſtmodum in Auſtria radices poſuit & excrevit: dein ob fidem alienam ab avita majorum ſuorum pietate deficiens in propagatione ſua quoque deficere cepiſſe videtur.

ADDITIONES.

*[1.] Cuſpinianus in Cæſarib. ſub Maximiliano I. & in Diario ſuo ad longum.

Gerardus de Roó lib. 12. referens, & remittens cupidum Lectorem ad Cuſpinianum & Richardi Baruſini itinerarium, ita proſequitur: „ Diem proximum, quo Viennam in„ greſſi ſunt, minùs celebrem fecit pluvia, „ quæ levis primùm, deinde intenſior fuit. „ Nihil tamen honoris feſtæque lætitiæ omiſ„ ſum eſt. Aliquot inde dies colloquiis & „ conſultationibus dati. Erant Vladislao „ Regi ex Anna Gandala (illuſtris ea in Va„ ſconibus familia eſt) liberi Ludovicus & „ Anna. De his ita inter ipſos convenit, utì „ ambo Auſtriacis illigati nuptiis, perpetuæ „ pacis amicitiæque fœdus confirmarent. Sunt „ qui Vladislaum filiæ conjugium Cæſari priùs „ obtuliſſe affirmant, eúmque reſpondiſſe: „ auditum ſibi aliquando ex parente Fride„ rico; Principi ætate provecto mitiùs non „ poſſe adferri mortem, quàm ſi ei juvencula „ conjugetur. Itaque conſultiùs videri, „ utì Anna nepotum alteri collocetur. Ad „ decimum Calendas Auguſti, qui dies pu„ blicæ ſponſalium confirmationi dictus erat, „ Maximilianus utroque Rege præſente,

„ Annæ coronam auream imposuit, & florenti serto ab ea donatus est. Hinc ad „ D. Stephani itum est, ubi peractis sacris, „ verba præeunte Strigoniensi, Anna, acceptô in fidem annulô, itâ Maximiliano „ desponsa est, utì intra annum aut Carolo „ aut Ferdinando conjungeretur. Dein Ludovico Maria Cæsaris neptis, præsens ipsa „ desponsa est, lachrymas ubertim fundente „ Vladislao. His peractis, ducenti viri militari dignitate donati sunt. Inde ad epulas, ludósque equestres, & choreas discessum est. Per eosdem dies pax & fœdus „ promulgatum, ex quo maximæ provinciis „ illis & regnis commoditates redundârunt, „ imprimis verò Austriacis Principibus, ad „ Hungariæ Boëmiæque regna stratus est accessus: nam undecimô annô pôst, Ferdinandus, qui Annam duxerat, Ludovicô ad „ Mohacium oppidum à Turcis cæsô, utrumque regnum, ex fœderis & matrimonii jure, „ adeptus est. „

Pontus Heuterus lib. 7. c. 11. circa finem addit: „ Mense Julio Christiernus Secundus, „ Daniæ Rex, in uxorem ducit Elizabetham „ Austriacam, Principis Caroli alteram sororem, nuptiæque Coppenhavii (*Hafniæ*) „ magnificè celebrantur. Sed paulò pôst ob „ tyrannidem regnô pellitur. „

Piespordius in Maximiliano I. & sub stirpe Jagellonica in Vladislao II. Ludovico II. & Sigismundo I., aliíque plures.

[2.] Ex Codicillo PMS. ipsius Erasmi Abbatis.

Annus Christi MDXVI. Monasterii CCCLXXVIII.

Pont. Rom. Leo X. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Wigileus. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

HOc anno & Rex Arragoniæ Ferdinandus decimô Calendas Februarii, & Vladislaus Rex Ungariæ & Boëmiæ octavô Idus Martias diem suum obiêre. * [1.] Imperator verò Maximilianus accepta Regis Ferdinandi morte, ut studia Francisci Regis Galliarum prævertat, in Italiam ducit exercitum. [2.]

„ Anno isto contributionum Receptor à Generali Ordinis Cisterc. constituitur Joannes Abbas Runensis „ Monasterii, qui fatetur se ab Erasmo „ Abbate in Zwetl pro anno præsenti „ 5. florenos Rhen. recepisse sub dato „ S. Trinitatis in Nova-Civitate annô „ Domini 1516. 21. Januarii. „ [3.]

Videtur hoc anno rebellio rusticorum sumpsisse initium, inter quos subditi Monasterii fuerunt de Perndorf; „ de quorum fuga Erasmus Abbas apud „ D. Sebastianum de Hochenfeld in „ Kirchperg conqueritur sub dato feriâ „ quartâ ante Exaltationem S. Crucis, „ nimirum 10. Septembris annô 1516. „ [4.]

Mentio etiam habetur Christophori Leysser Magistri curiæ in Rasing, qui patruelis Erasmi Abbatis extitit, quem anno præcedenti ad mensam Conventualem susceperat, & hoc anno illi curiam in Rasing regendam commiserat, quæ antea per Conventualem Fratrem regebatur; „ hic Abbati litteras misit „ sub dato Rasing annô Domini 1516. „ in Vigilia Pentecostes, nimirum 10. „ Maji. „ [5.]

Conquestus hoc anno Abbas Erasmus apud Provinciales de nonnullis gravaminibus & violentiis suo Monasterio à diversis illatis, sicut ea dinumerat: „ nimirum 1. à Parochiis quinque Monasterio incorporatis census annuus „ postulatur. 2. à Domino Christophoro de Puechaym, qui à duobus „ subditis in Rædleins censum similiter „ extorquet. 3. Dominus Sigismundus „ Hager aliquot subditos in Alentsteig „ sub censum suum cogit. 4. Dominus „ Spauer de Hoheneck censum ordinarium de Haffnerpach rapit. 5. Vice-Dominus Viennensis domui-Hubarum subditos de Offarn cum censu „ annuo subjicit. 6. Comes Joannes „ de

„ de Hardeck colonos Monasterii in „ Weinzierl, Lanterstorf, Neudorf, „ Neustifft de censu vexat. 7. Idem „ Comes Hardeccius etiam subditos de „ Sittendorf ad grangiam in Cammern „ pertinentes stewram sibi solvere com- „ pellit. Quorum tamen omnium su- „ prà dictorum locorum census Mona- „ sterio ascriptos nihilominus solvere „ annis singulis Abbas tenetur ad do- „ mum Provincialem, unde conque- „ ritur apud D. Wolfgangum Liberum „ Baronem de Rogendorf, & Mollen- „ burg, Sac. Cæs. Majestatis Consilia- „ rium, tunc Austriæ Mareschallum, „ quem patrinum suum nominat. „ [6.]

Porro circa hoc tempus Abbas Erasmus etiam ad exornandum nostrum Templum manus adjecerat, quare à Maximiliano Imperatore supplex obtinuit, ut dimidia stewra seu annuus census medius per annum debitus ipsi dimitteretur, quod ipse sequenti apocha, quam hìc referre placet, fatetur: „ Nos „ Erasmus Abbas B. V. Mariæ Mona- „ sterii in Zwetl, ac totus Conventus „ ibidem, fatemur, cùm Sacra Cæsarea „ Majestas Clementissimus noster Do- „ minus pro subsidio & reparatione „ Templi nostri se nobis auxiliô adesse „ promiserit, & medium censum seu „ stewram, quæ annô elapsô 1512. „ nobis aliisque Provincialibus, nimi- „ rum 16000. florenorum ad numeran- „ dum imposita fuerat, dimiserit, ac „ nihil peti à nobis mandaverit: quòd „ Nobilis ac Discretus D. Laurentius „ Saurer Sac. Cæsareæ Majestatis Con- „ siliarius ac Vice-Dominus in Austria „ infra Anasum nos de anno 1512. à „ dimidio censu nimirum 138. Pf. 7. ß. „ 17. den. apud D. Ambrosium Wisent „ Prælatorum, Dominorum, Equitum „ Quæstorem ordinarium liberârit, & „ locò acceptæ pecuniæ munificenti- „ am Regiam acceptârit, apochámque „ desuper dederit. Quare prædictum „ D. Laurentium Saurer Vice-Domi- „ num hisce quittamus, & rogamus, „ quatenus ei dicta summa 138. Pf. 7. ß. „ 17. den. in rationibus suis pro expen- „ sis computetur. Harum testimoniô „ litterarum sigillô nostrô & Conven- „ tûs nostri munitarum. Actum Vien- „ næ 17. Maji annô 1516. „ [7.] Unde colligitur, quòd Erasmus Abbas Ecclesiam Monasterii picturis exornare curaverit, & sicut ab anno MDXII. inceperat, & hoc ipso anno MDXVI. summum Altare ipsum incepisse conjectura est, quod demum annô MDXXV. absolvit, sicut in Altaris ala ex cornu Epistolæ conspicitur, & tam in Altaris alis, quàm suprà in Templi fornice ipsius Erasmi Abbatis & Fundatorum nostrorum insignia sculpta & affixa id comprobant.

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó locô sæpe cit. „ Rex (*Galliarum Franciscus*) Leone (*Papa*) „ Bononiæ convento, Mediolanum reversus, „ cum Helvetiis omnem controversiam com- „ ponit. Hinc Carolô Borboniô Insubriæ re- „ bus præfectô, sub anni initium in Galliam „ reversus est. Hoc Francisci successu, Ara- „ gonius de regno Neapolitano sollicitus; „ utì alibi negotium illi facesseret, nova cum „ Cæsare & Anglorum Rege consilia captare „ cœperat, quæ expedire non potuit; nam „ in morbum, quo dudum laboraverat, rela- „ psus, diem obiit, postquam annos quadra- „ ginta duos rebus magna cum laude præ- „ fuisset. Fuit Ferdinandus optimis virtuti- „ bus, summô ingeniô, consilióque & rerum „ gerendarum quadam dexteritate insignis „ Princeps. Mauros ex Betica regione, quam, „ cum magno Christianorum probro, octin- „ gentos propè annos tenuerant, expulit. „ Navarræ & Neapolis regna, & nonnullas „ in Affrica maritimas civitates, imperio ad- „ jecit suo, & perpetua quadam felicitate, nec „ ulla, præter liberorum, & uxoris Reginæ „ obitum, calamitate interrupta usus, ad ter- „ tium & sexagesimum vitæ annum pervenit. „ Mortuus est decimô Calendas Februarii, „ in pago Madrigalegio, prope Guadalupum „ oppidum. „

Pont. Heuterus lib. 7. cap. 11. „ Annô

 „ 1516.

„ 1516. Madrigali apud Estremaduros obiit „ Ferdinandus Catholicus, Arragoniæ, Ca- „ stellæ, ac Neapolis Rex, ardenti vehemen- „ tíque febre extinctus, ætatis annô sexage- „ simô quintô. Profectus fuerat è Celtibe- „ ria in Bœticam, ad delectus habendos, ac „ classem, quæ novæ Carthagini parabatur, „ invisendam, quam Cæsari, ceterísque Italiæ „ confœderatis superiori anno erat pollicitus; „ conditô ante aliquot menses testamentô, „ in quo Principem Carolum, è filia Joanna „ nepotem natu maximum, hæredem in soli- „ dum instituebat. Sepultus est Granadæ, „ mausoleô pro se successoribúsque ad hoc „ annô 1492. ædificatô. „

Spondanus hîc n. 1. „ Ferdinandus Rex „ Hispaniæ longô morbô - - - consumptus, dum „ Hispalim peteret, in itinere vicô Madriga- „ legiô ad Castra Julia diem obiit decimô „ Calendas Februarii, annô ætatis circiter „ sexagesimô tertiô, regni Aragoniæ ab obitu „ patris trigesimô septimô, Castellani à morte „ Henrici fratris Isabellæ conjugis quadra- „ gesimô secundô cœptô: sepultúsque est Re- „ gio funere unà cum uxore Granatæ in Tem- „ plo maximo. „

Idem N. 3. „ Obiit item hoc anno, octa- „ vô Idus Martias (ùt Jodocus Decius habet) „ Wladislaus Rex Hungariæ & Boëmiæ, lenta „ febre & articulorum doloribus absumptus, „ anno ætatis altero & sexagesimo: cùm paulò „ antè literas à Leone Pontifice accepisset „ de pace vel induciis cum Turcorum Impe- „ ratore, à quo de iis sollicitabatur, non „ contrahendis, promissô suô ac ceterorum „ Principum auxiliô. „

[2.] Gerardus ubi suprà.
[3.] Ex Apocha ipsius.
[4.] Ex Codicillo PMS. Abbatis Erasmi.
[5.] Ex Autographo ipsius.
[6. & 7.] Ex Codicillo Abbatis Erasmi.

Annus Christi MDXVII. Monasterii CCCLXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Leo X.	Maximilianus I.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

MAximilianus Imperator jam à Francisco Gallorum Rege alienatus cum Anglo fœdus instauravit, cui & Pontifex, & Carolus Rex Hispaniarum subscripsêre. Id etsi ad defensionem factum esse videri volebant, Gallo tamen molestum suspectúmque erat. Sub anni finem Carolus ex Selandia solvens, secundô ventô, in Hispaniam navigavit, ubi singulari hominum gaudio exceptus, regnorum omnium imperium solemni ritu suscepit. * [1.]

Wigileus Pataviensis Episcopus hoc anno aliquamdiu valetudinarius ingravescente morbo plenus dierum obiit octavô Iduum Novembris, sepultus in Cathedrali sua Ecclesia. Post quem Ernestus Alberti Bojorum Principis ex D. Chunegunde Friderici IV. Romanorum Imperatoris filia, illustris filius, Wilhelmi & Ludovici Ducum Bavariæ germanus frater, Imperatoris Maximiliani è sorore nepos, Pataviensis Episcopus eligitur hoc adhuc anno, impetratâ à Pontifice Maximo Leone X. primùm ætatis veniâ, postea ut à sacrorum Ordinum initiatione abstinere posset, indulgentiâ acceptâ. [2.]

Anno etiam isto Maximilianus Imperator conclusit per sententiam diffinitivam litem inter Abbatem in Zwetl, & Joannem Chünringium exortam, [3.] quem suprà Annô MDXIII. mortuum & in Monasterio nostro sepultum retuli. Hic enim annô Domini MDVIII. Monasterium nostrum molestare cœpit super advocatia prætensa in villis Ternberg, Haslach, & Weickerstorf, quarum colonos censibus, auctionibus & laboribus variis vexavit, contra privilegia & indulta non tantùm Fundatorum ipsorum, sed etiam Austriæ Archi-Ducum, & Romanorum Imperatorum, qui omne tam Monasterii Zwetlensis, quàm ejus colonorum advocatiæ Jus Austriæ Principibus tradiderunt, utì ipsa privi-

privilegia & diplomata tam Hadmari Fundatoris II. quàm Leopoldi VII. VIII. Friderici II. Alberti I. Habspurgici, & successorum demonstrant. Conquesti autem præfatarum villarum coloni unà cum Monasterio apud Imperatorem: causa Regimini Inferioris Austriæ discutienda & dijudicanda comissa fuit, à quo mandatum Chünringio fuit, ut inposterum ab Advocatiæ Jure discederet, colonos quietos non ampliùs turbaret, neq; privilegia Monasterii infringere ultro tentaret. Quæ omnia non curans Chünringius denuo colonos vexare cœpit, quod actores præfati non ampliùs ferendum rati, eum apud Imperatorem altera vice prævaricatorem & contemptorem mandati detulerunt, petentes jure & lege contra eum decerni &c. Tandem ab Excel. Regimine Inferioris Austriæ sententia talis pro Monasterio data fuit: Joannem Chünringium contra Monasterii Zwetlensis privilegia injustè colonos in Ternperg, Haslach, & Weickerstorf super advocatia aliisque censibus & laboribus molestâsse, definitum itaque esse, ut hæredes ipsius advocatiam resignent, ab eâque penitus imposterum abstineant. „ Datum „ feriâ secundâ post Dominicam *Remi-* „ *niscere* in Quadragesima, nimirum 9. „ Martii. Annô ab Incarnatione Do- „ mini 1517. regnorum Romani 32. & „ Ungarici 27. „ [4.]

Erasmus Abbas Monasterium ratione rebellium rusticorum in periculo esse videns, ab Imperatore aliquot obtinuit bellica tormenta, ob quæ accepta dat suam quittanciam sequentem: „ Nos „ Erasmus Abbas &c. hisce fatemur, „ quòd cùm nobis Sacra Cæsarea Ma- „ jestas Clementissimus noster Domi- „ nus ex gratia ad Monasterii nostri de- „ fensionem duos ferreos Falckones & „ duodecim duplones (vulgò zwey ei- „ serne Falckoneth und zwölff Hacken- „ Büchsen) ex armamentario suo hìc „ Viennæ gratiosè dari jussisset, nos à „ Cæsareo Præfecto dicti armamentarii „ nomine Joanne Hoüss Viennæ suprà „ dicta accepimus, idcirco ipsum quit- „ tamus harum testimoniô literarum „ nostra subscriptione & sigillo munita- „ rum. Actum Viennæ 25. Octobris, „ annô 1517. „ [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Gerardus de Roó lib. 12.

Pontus Heuterus lib. 7. cap. 16. „ Prin- „ ceps - - - Carolus instante mense Ju- „ lio in Hispaniam navigaturus, Middelbur- „ gum, Zelandiæ urbem primariam, ubi ju- „ stam classem, cui præerat Adolfus Burgun- „ dus Beveræ Dominus, paratam habebat, „ proficiscitur. Sed, adversa coactus tem- „ pestate, in duodecimum usque mensis Au- „ gusti diem exspectare cogitur. Tum pro- „ sperum nactus ventum, dat vela; felicique „ usus navigatione, octo dierum spatio è Ze- „ landia Villaviciosam apud Astures pervenit, „ unica desiderata cum rebus omnibus navi, „ quæ mediô Oceanô fortuito igne correpta, „ cum nulla ei ratione succurri posset, con- „ flagravit. Erat ea oneraria ingens, gene- „ rosos Procerum Belgarum vehens equos, „ qui omnes cum stabulariis, equisonibus, ac „ nautis ad unum periêre. Exceptus est Prin- „ ceps Carolus summô Procerum ac populi „ gaudiô, inter quos præcipui fuêre qui pri- „ mi accurrerant, frater Principis Caroli Fer- „ dinandus Austriacus, Conestablis Castellæ, „ Dux Albæ, multíque alii Proceres. „

[2.] Hundius in Metropoli sua sub iisdem Episcopis. „ Præfuit (*Wigileus*) annis „ 17. mensibus sex. - - - - Sub hoc Episco- „ po annô 1517. feriâ sextâ Magnâ, cùm po- „ pulus frequens concioni de Passione Do- „ mini interesset, subitaneum incendium 300. „ ædes, & pene totum novum forum Patavi- „ num absumpsit, periêrunt multi homines „ cum jumentis, rem plane flebilem Jacob „ Philomusus carmine Elegiaco deploravit. „

[3. & 4.] E copia literarum.

[5.] Ex Notatis Erasmi Abbatis.

Hoc anno tota Ægyptus in servitutem cessit Turcarum, trucidato miserandum in modum Tomumbejo ejus Sultano. Item Martinus Lutherus primam sectæ suæ jecit sementem, de quibus fusè Surius ad hunc annum, quem secutus est Spondanus, ad quos benevolum Lectorem remittimus.

Annus Christi MDXVIII. Monasterii CCCLXXX.

Pont. Rom. Leo X. *Imp. Rom.* Maximilianus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Ernestus. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

MAximilianus hoc anno ætate jam provectum se considerans, sive mortem haud procul abesse animo præsagiens cum Septem-Viris Imperii Electoribus, qui præter Bohemiæ Regem Augustam omnes venerant, de Carolo nepote in Romanorum Regem eligendo agere cœpit. Sed quia novi exempli res esset, nihil certi definitum fuit, quamvis nec Leo Pontifex, nec Imperii Electores abnuere viderentur. Quare proximis comitiis ea de re perferatur, decretum est. * [1.] Soluto Augustano conventu Maximilianus Oenipontum profectus, audiendis & mittendis legationibus operam dabat, & nepotis successionem identidem urgebat.

Interea Leo Papa X. misit in Germaniam Indulgentias per Cajetanum Cardinalem publicandas, qui in Augustano Conventu Nuntius de Latere Apostolicus aderat. Hic Lincii in Superiori Austria illas præsentibus plurimis Notariis publicis & testibus proclamari facit, atque multa exemplaria per Germaniam utramque Episcopis transmittit. Quæ indulgentiæ in Germania magnos Martino Luthero tumultus excitârunt. [2.] Scripsit hoc anno Maximilianus Pontifici de turbis per præfatum Lutherum excitatis, orátque ut maturè rebus affectis opem ferat: quicquid decreverit, se curaturum, ut executioni mandetur. [3.]

Porro ad Monasterium nostrum venit F. Paulus Cistercii Professus contributionum Ordinis Generalis collector constitutus, qui postquam apochas Erasmo, Ægidio, Michaëli III. & Wolfgango II. Abbatibus Zwetlensibus à Receptoribus contributionum Ordinis subdelegatis datas conspexisset, generalem omnium contributionum Monasterii nostri debitarum ab anno MD. usque ad præsentem Erasmo Abbati apocham dedit. „ Datum in Zwetlensi Monaste-„ rio annô Domini 1518. 22. Februa-„ rii. „ [4.]

Videtur anno priori vel isto Philippus Gabler Magister Allodiorum ex hac vita migrâsse, qui aliquot vineas & pecuniæ summam Monasterio nostro legavit, cujus tanquam jam defuncti Erasmus Abbas mentionem facit. Datum „ in Monasterio Zwetl annô Domini „ 1518. feriâ tertiâ post Matthiæ, nimi-„ rum 2. Martii. „ [5.] Habet hic sepulturam suam sub rubro marmore insigniis suis & scriptura notato ante Sacellum S. Udalrici in Templo Monasterii majori ad plagam septentrionalem.

„ Bernardus Viennæ ad S. Doro-„ theam Præpositus, Joannes de Pue-„ chaim in Gelerstorf, & Ambrosius „ Wisennt, censuum Austriæ Recepto-„ res, ab Erasmo Abbate in Zwetl fa-„ tentur se recepisse 380. Pf. den. & 3. „ ß. Datum Viennæ annô Domini „ 1518. feriâ quintâ post Luciæ, nimi-„ rum 16. Decembris. „ [6.] Sciendum est, Maximilianum, ut suprà scripsi, soluto Augustano Conventu Oenipontum se contulisse, ibíque Legatos Austriæ aliarúmque suarum provinciarum audivisse, qui conventum ibidem celebrârunt; quibus Imperator per præcipuos Consiliarios suos propositionem facere mandavit, ac tandem ipse in persona coram suis provincialibus conventum conclusit, utì fusiùs est apud Streinium videre. Datum Oeniponti 24. Maji, annô Christi 1518. [7.] Unde quoque Abbas in Zwetl Erasmus partem Monasterium suum con-

concernentem protinus porrexit conſtitutis ea ſuper pecunia Commiſſariis ſeu Cenſoribus.

Retuli ſuprà adfuiſſe Commiſſarium Profeſſum Ciſtercienſem F. Paulum. „ Hic Abbatum Auſtriæ Viennæ celebravit conventum, iíſque perſuaſit à Generali ſuo edoctus, ut Viennæ Collegium pro Fratribus Ordinis litteris operam daturis communibus in unum collatis expenſis conſtituerent, ſicut etiam ſuprà, annô 1504. illud idem à Generali Ciſtercienſi per F. Joannem in Galliam ad Capitulum Generale miſſum petiérant. Hinc Bernardus Abbas S. Crucis fatetur ſe recepiſſe ab Erasmo Abbate in Zwetl „ pro reparatione Collegii Ordinis Viennæ ſiti talenta denariorum ſedecim. Actum annô Domini 1518. 17. Decembris. „ [8.] Verùm cœptum hoc non ſucceſſit, Abbatibus poſtmodum non convenientibus & bellô Turcicô aliíſque incommodis intervenientibus.

„ Demum hoc anno Erasmus Abbas fratrem ſuum juniorem D. Wolfgango Libero Baroni de Rogendorf & Mollenburg ad ſervitia transmittit & commendat, quem aliquandiu apud ſe habuiſſe dicit. Litteræ commendatitiæ datæ fuêre Dominicâ poſt S. Auguſtini, nimirum 29. Auguſti, annô 1518. „ [9.]

ADDITIONES.

• [1.] Gerardus de Roó lib. 12.
Cuſpiniianus in Cæſarib. ſub Maximiliano I.
Pontus Heuterus lib. 7. cap. 17.

[2.] Laurentius Surius in Commentar. priori anno.

Richardus Streinius in Annalib. Auſtriæ Superior. hoc anno.

[3.] Surius cit. ſuprà hoc anno.

[4.] Ex Apocha ipſius.

[5.] E literarum monumentis.

[6.] Ex Apocha ipſorum.

[7.] Rich. Streinius hoc anno. „ Annô 1518. beſchiecht die Zuſamenkunfft aller Oeſterreicheriſchen Land Außſchus zu Inſprug, denen erſtlich Ihr Kayſ. Majeſtät durch Ihre trefendtliche Räth und zum Grund und Beſchlus perſöhnlich derſelben und Ihrer lieben Söhnen, auch Dero Land und Leith Obligen und Notturfften gnädiglich und vertreulich entdeckhet, und dariber volgent die Notturfft abgeredt, bewilligt und beſchloſſen. Darunter diß die gemeinen und fürnemben Articul. Erſtlich ein Riſtung Ordinänz, oder wie es jetzundt ein defenſion Weſen; und wie ein Landt dem andern ſoll zu Hilff komen, die Kriegs Befelch beſtelt werden, auch welcher geſtalt Landt-Marſchalch und Landts-Haubt-Leith ihr Verrichtung darbey thuen ſollen, und was diſen allen anhangig. 2. Iſt Ihr Kayſ. Maj. zu derſelben Notturfften bewilligt worden 400000. fl. zu 4. termin, darunter ein drittheil 133333. fl. 20. kr. zu Ihr Maj. freyen Henden und die übrigen zwey drittheil 266666. fl. 40. kr. zu Ablöſung Ihr Maj. Silber und Kupfer von den Kauffleithen, und zu Erledigung anderer verpfendten gemeinen Camer Güetter, inhalt inſtruction ſo die Landtſchafften denen Comiſſarien überandtwort, und daß ſolches Hilffgeld ſonſt nindert auſſer gemeiner Landtſchafft Bewilligung gewendt noch außgeben werde, welches Hilffgeldt auch alſo zwiſchen dem Land verglichen und angeſchlagen worden: Oeſterreich ob und under der Ens 120000. fl. Steur Kärnten Crain 100000. fl. Tyrol mit beden Stüfften 120000. fl die vorder Oeſterreicheriſche Land, Herſchafft und Stätt 60000. fl. inhalt des dariber aufgerichten und gefertigten Libels. Geben und beſchehen zu Inſprug 24. (*Maji*) An. 1518. Und dis iſt das erſte Libell darauf ſich auch Ihr Kayſ. Maj. außführlich reverſirt de eodem die & anno. Zum dritten iſt damal aufgericht worden ein neue Ordnung des Kayſ. Hoff-Raths und Weſens auch Regiments Landtrecht, und Reformation des Camergueths eodem die & anno. Und dis iſt das anderte Libel. Zum vierten haben Ihr Kayſ. Maj. über der Ausſchus, ſo etwo vill Beſchwerung gebrauchen und Notturfft gemeiner Landt Ihr Maj. fürgebracht, darauf dieſelb Erklerung und Bewilligung damahl gethan eodem quo ſuprà die & anno. Und das iſt das dritte gefertigte Libel. Der ſo einer E. Landtſchafft in Steur Landthandtveſt zuſammen getragen, hat das erſt Libell gar übergangen, ſetzt darnach præpoſterè das dritt wegen

„ Beschwerung vor. Neben vorgehunten „ haben Ihr Kays. Majest. auch ein Policei „ Libel verfassen lassen, ùt in fine tertii Li- „ belli. Item ein sondere Verschreibung „ den Stenden von wegen der Müntz gefer- „ tigt, de eodem dato. Also auch den „ Stenden under und ob der Ens ein Befrei- „ ung des anderen vierten theils der Lehen, „ auch von denselben dato, in welcher Fer- „ tigung sich aber Anfechtung zugetragen, „ also das vor Erledigung derselben Ihr Kays. „ Majest. Ihr Leben beschlossen, wie das in „ Kayser Ferdinand Begnadung mit mehrern „ einkohmen. „

[8.] E literarum monumentis.

[9.] E Codicillo Abbatis Erasmi.

INCIDENS.

Pont. Heuterus lib 7. cap. 16. „ Mensis „ Februarii die septimo Princeps Carolus Val- „ ledoleti apud Castellanos, in Templo D. „ Pauli, magna cum solemnitate in Hispa- „ niarum Regem inauguratur, ac cum matre „ Joanna coronâ Regiâ redimitur, deducente „ eum ad Templum coronationísque locum, „ exceptis Hispaniæ Proceribus ac Ordinum „ Legatis, fratre Ferdinando, sorore Leo- „ nora, ac omnium ferè Christianorum Prin- „ cipum Legatis. Tum equestria belli simu- „ lacra eduntur, duobus Belgarum Proceri- „ bus, Baurini nimirum ac Zanzellæ Domi- „ nis, quosvis ad concursum provocantibus. „ Hi cùm biduum Hispanis ac Belgis dedissent, „ tertio die Princeps Carolus Regali more „ armatus in arenam descendit, ac quater cum „ Zanzellio fortiter animoséque concurrit. „ Primo congressu plumas è casside Zanzellii „ deterfit: secundo in sinistra pectoris Zan- „ zellii parte, haud procul humero, lanceam „ in multas partes confregit: tertio in fronte „ cassidis lanceam quoque nonnihil lacera- „ vit: quarto concursu summo cum honore „ lanceam rupit in circulari clypeo, quem „ Zanzellius, more tum consueto, circa sini- „ strum ferebat latus. Erat Zanzellius vir „ robustus, hísce decursibus exercitatissimus, „ quíque in iis parem non habere putabatur, „ Carolíque Principis Supremus Stabuli Præ- „ fectus &c. „

Item Gerardus de Roó locô cit.

Annus Christi MDXIX. Monasterii CCCLXXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Ducatus Austriæ*
Leo X.	Carolus V.	Vacat.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

„ MAximilianum, dum de succes- „ sore in Imperio ex uno nepo- „ tum suorum promovendo laborat, „ invasit lenta quædam febris, quæ utì „ soli cœlíque mutatione aut ipso iti- „ nere discuteretur, secundo amne in „ Austriam descendit. Welsam oppi- „ dum cùm venisset intendi morbum „ videns substitit. Mox Georgium „ (*Cuspinianus eum Gregorium vocat*) „ quendam Carthusianum, qui olim „ ipsi à confessionibus fuerat, Fribur- „ gô acciri jussit, Virum doctrinæ & „ sanctimoniæ commendatione insi- „ gnem. Qui cùm venisset, multa cum „ eo de animæ salute rebúsque divinis „ commentatus est. Aderant & Me- „ dici præter Domesticos Guilielmus „ Polymnius & Georgius Collimitius ex „ Academia Viennensi accersiti. Hos „ perhumanè audiebat, ac nè aut mor- „ bi violentiâ aut mortis metu dejici vi- „ deretur, Consiliarios interdiu & Ora- „ tores admittebat, de nocte verò (*quia „ insomnia ad morbum accesserant*) Joan- „ nem Stabium res gestas legentem au- „ diebat. Postquam verò deficere jam „ vires, animúmque debilitari sensit, „ ultimæ voluntatis placita describi „ jussit, ubi & quomodo sepeliri vel- „ let, Carthusiano præcepit; hinc ul- „ timis sacris ritè perceptis, animam „ Deo reddidit pridie Idus Januarii, „ annô 1519. cùm vixisset propè annos „ sexaginta, imperâsset triginta duos. „ Corpus ejus, utì ipse jusserat, in lecto „ collocatum, spectatores admissos suæ „ mortalitatis admonuit. Hinc Vien- „ nam, deinde Neapolim deportatum, „ ubi sub Divi Georgii ara conditum est. * [1.]

*[1.] Hæc de obitu Maximiliani Gerardus citatus, & suam historiam concludit, quem virum egregium & doctum potissimùm ferè secutus sum: qui plura de obitu ipsius Cæsaris scire desiderat, is adeat Cuspinianum, ab illo enim coævo scriptore pleniùs edocebitur. Sanxit autem Maximilianus, ut suarum provinciarum Rectores ac Præsides cum omnibus Officialibus in suo quisque statu, quoad alter nepotum huc commigraret, perseverarent: quod tamen post obitum illius servatum non fuit, quibusdam Provincialibus rerum summam ad se trahentibus, ùt Cuspinianus præsens spectator enarrat. Item Streinius. [2.]

Miserat Erasmus Abbas hoc anno in Stiriam ad Udalricum Leisser Præfectum armamentarii Ducalis, cognatum ejus Sigismundum Leisser cum aliquot munusculis, qui Abbati rescribens mittit bellicum tormentum, quod Quartanam vocat: „ Præterea, *inquit*, in„ tellexi, quòd Bohemi, ad quorum „ fines Reverentia vestra habitat, Au„ striacis bellum inferre minati sint, „ & ideo Reverentia Vestra confinis il„ lorum magìs quàm alii periculo pro„ xima est, contra quos ut meliùs eos „ excipere & Monasterium suum sar„ tum tectúmque conservare valeat, „ transmitto unam ex metallo fusam, „ non tamen adeo magnam, ligno in„ clusam Quartanam, cujus operâ vel „ contra dictos Bohemos, vel ubi ne„ cessitas postulat, contra alios uti „ poterit &c. Datum Græcli in Stiria „ feriâ quartâ post Luciæ, nimirum 14. „ Decembris annô 1519. „ [3.] Quoad Bohemorum tumultum sciendum, supradictum Sigismundum dum hìc erat, audivisse Proceres Austriacos de Præsidibus provinciarum disceptatos fuisse, utì suprà Cuspinianus citatus loquitur, & hoc Bohemis occasionem obtulisse, ut in Austriam irrumpere tentârint, nisi maturus Caroli Electi Romanorum Imperatoris adventus id impedivisset.

Defunctô Maximilianô & sepultô, Francofurti convenerunt Electores Principes, & in Maximiliani Cæsaris locum elegerunt Carolum Austriacum Principem potentissimum. Impedire conabatur hoc Franciscus Gallorum Rex, sed Carolus ei antelatus est. Fertur ea res exitiali illi bello causam dedisse, quod brevì postea inter illos exarsit. Missus est ad Carolum tunc in Hispaniis degentem Fridericus Palatinus, qui eum & oblatum honorem suscipere, & in Germaniam iter maturare hortaretur. Accepit eum Carolus liberaliter, & honorificè donatum à se dimisit. Hoc etiam anno apud Helvetios Tigurinos Ulricus Zwinglius unà cum Carlstadio & Oecolampadio Indulgentias oppugnare cœpit, & dogma Berengarii de Eucharistia instauravit. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Gerardus de Roó locô suprà cit. in fine.

Cuspinianus fusiùs in Maximiliani Cæsaris vita.

Surius hìc.

Item Richardus Streinius in Annal. Super. Austr. ad ann. 1518. in fine. „ Als Kayser „ Maximilian zu Insprug sich etwas übel em„ pfunden, in iram commotus febrim incidit „ occultam, inquit Cuspin. haben sich Ihr „ Maj. auf dem Wasser hinab, und volgent „ gen Wels begeben, und weil die Schwach„ heit zugenomben, aldorten verhardt &c. „ Macht darauf ihr Testament den 30. De„ cembr. annô 1519. zwischen 12. & 1. Uhr „ in der Nacht. Es ist aber des Jahr halber „ dahin zu verstehen, daß Secretari Finster„ walder, so es concipirt, das 19. Jahr à Na„ tali Domini 1518. eingeraidt, und verstan„ den hat. „

[2.] Cuspinianus suprà citatus. „ Mor„ tuus est autem pientissimus Princeps, cùm „ in universa Germania, Francia, Italia, Hun„ garia & pene toto Christiano orbe pax es„ set, quod nemo speravit, quum in omni „ ætate sua bellicosissimus Princeps innumera „ gessisset & atrocia bella. Sola patria ejus „ Austria intestinis & civilibus seditionibus

„ æstuavit. Cùm enim corpus Divi Maximiliani in Nova-Civitate (ùt jusserat) sepelitur, Viennæ in publico Provincialium conventu tumultus suboritur. Rectores Provinciarum, quos odiô habuerant, plerique suo Magistratu privantur, novi eliguntur sinè Archi-Ducum fratrum consensu ac voluntate. Qui arreptis reditibus ac Provinciæ censibus, moderari Austriam cœpêre. Veteres autem Provinciarum Præsides furorem vulgi insanientis timentes, in Novam-Civitatem abiêrunt. Nam & cives Viennenses, nobilium secuti dissensionem, in duas scindebantur partes „

Pont. Heuterus lib. 8. cap. 3. addit: „ His accedebat aliud ingens malum, pullulans hoc anno per universam Austriam immedicabilis pestilentia, quæ statim à morte Cæsaris Maximiliani sævire incipiens, pagos, oppidáque non pauca vastans, vacua cultoribus reliquit. Unde sementia in agris periêre, reconditæ in granariis fruges putrefactæ muribus gliribúsque cefsêre, opimæ hæreditates, justo qui adiret hærede non reperto, occupantium prædæ mansêre. Nulla enim erat civitas, nullum oppidum, vicus, pagus, arx, villa, domus nulla à contagiosa lue libera. Nec tamen interea insanire desinebant Austriaci, donec Rex Carolus, opinione ac desiderio eorum citiùs Hispaniâ profectus in Germaniam venisset, acceptáque Aquisgrani Caroli Magni coronâ Wormatiæ Principum Germaniæ primum ac celeberrimum habuisset conventum. Unde literis summa cum authoritate scriptis, ac Viennam missis, novis Præfectis ac Gubernatoribus præcipit, deposita administratione his obediant, quos missi à se Legati essent constituturi, additis minis Cæsare dignis, si quis in rebelli contumacia perstitisset. Plebi omnia præterita condonat, pauci vitâ bonísque multantur. „

Rich. Streinius in Annalib. Austriæ Superior. hoc anno.

[3.] Ex Autographo ipsius.

[4.] Surius suprà cit.

Pont. Heuterus lib. 8. c. 2. „ Hi (*Septem-Viri*) à Moguntino Archi-Præsule convocati (ejus enim id est in Germania officium) Francofurtum ad Mœnum amnem situm conveniunt, acerrimísque orationibus Moguntinus pro Rege Carolo, Trevir pro Rege Francisco (*Gallo*) certat. - - - - Dum dubii horum orationibus Septem-Viri sententias non explicant, tandem imperium Friderico Saxoniæ Duci Septem-Viro offerunt. Sed is constanter dignitatem renuens, docebat Regem Carolum non esse externum, ùt voluerat Trevir, sed Principem è præcipua Germaniæ nobilitate ortum, in ea natum educatúmque, habere in Superiori ac Inferiori Germania hæreditatem amplissimam, ejúsque familiam Cæsares complures de Germania ac Imperio optimè meritos protulisse &c. Hanc Saxonis sententiam ceteri Septem-Viri comprobant, ac vigesimô octavô Junii hujus anni Carolum Austriacum Hispaniarum Regem, Belgarum Burgundionúmque Principem Cæsarem renuntiant, mense quinto, ac die decimo septimo, ab obitu Cæsaris Maximiliani. „

Spondanus hîc n. 3. „ Unum adhuc est, quod de prædicta Romanorum Regis electione addamus ex Erasmo: nempe pridie quàm Carolus eligeretur, delatum ab omnibus Electoribus fuisse Imperium Friderico Saxoniæ Duci uni ex ipsis; sed ipsum ingenti animo recusâsse: mox rogatum, quem igitur censeret eligendum, negâsse sibi quemquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quàm Carolum: ob hunc insignem animum, à Legatis Caroli oblata triginta millia florenorum constantissimè rejecisse: cúmque urgeretur, ut tantùm decem millia pateretur dari famulis; acciperent, dixisse, si vellent, attamen neminem mansurum postridie apud ipsum, qui vel aureum accepisset: ac postridie conscensis equis subduxisse sese, ne pergerent esse molesti. Quod egregium illius Principis facinus, sibi uti compertissimum retulisse Episcopum Leodiensem, qui Comitiis Imperialibus intererat, Erasmus ait. Confirmatáque eadem reperimus testimoniô prædicti Cardinalis Cajetani, unâ ex epistolis, quas diximus ad Leonem Pontificem. „

Annus

Annus Christi MDXX. Monasterii CCCLXXXII.

Pont. Rom. Leo X. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Ducatus Austriæ* Vacat.

Episcopus Pataviensis Ernestus. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

CArolus Cæsar electus ex Hispaniis venit in Belgium, inde petiturus Aquisgranum, & veteri instituto coronam accepturus. Sæviebat id temporis pestis Aquisgrani, eóque hortabantur Electores Carolum, ut alium locum inaugurationi designaret. Sed ille in sententia permansit, dicens se non temerè posse mutare Caroli IV. legem. Hinc Piespordius (*sub Carolo V.*) ait: „ Inde (*è Belgio*) Aquisgranum proficiscens coronam argenteam Carolinam suscipit annô 1520. „ Itaque Ecclesiastici Electores cum aliis multis Principibus Viris, & tum aliorum, tum Saxonis & Brandenburgici Legatis eò venerunt, & omnibus ex more peractis primò Electores, post illos Cæsar inde Coloniam abiêrunt, ubi Imperii Conventus indictus est, & jussi Principes omnes Wormatiæ præstò esse sextâ Januarii, * [1.] annô nimirum sequenti. Notabile est in hac coronatione Carolum non tanquam Hispaniæ Regem, sed ùt Austriæ Archi-Ducem in habitu Archiducali ad coronationem processisse, utì Streinius citatus loquitur ad annum MDXX.

Porro tunc temporis Ordinis Cisterciensis Generalis erat Dominus Guillermus, qui Erasmo Leysser Abbati in Zwetl committit vicariatum suum in visitandis omnibus Ordinis nostri Monasteriis, per Austriam, Styriam, & Carinthiam, item mandat ipsi contributionum singularium collecturam. Datum Cistercii annô Domini 1520. 12. Maji. [2.] Accepit autem Erasmus Abbas unà cum his litteris nomina quoque Monasteriorum visitandorum, sicut & singulorum censum. Quæ omnia in literis Erasmi intimatoriis comprehenduntur, quarum hic sensus est: D. Guillermus Abbas Cistercii in Cabilonensi Diœcesi Generalis mandat omnibus & singulis totius Ordinis Cisterciensis Monasteriorum Abbatibus, Prioribus, & Commendatariis in Capitulo Generali apud Cistercium celebrato, atque etiam Abbatissis & Priorissis, quatenus subsidium conferant, pro Generali in Curia Romana causarum Ordinis Procuratore D. Edmundo Claræ-Vallis Abbate, cujus Ordinis antea Procuratores fuerant D. Augustinus Trivulcius, tt. S. Adriani Diaconus Cardinalis Ordinis Cisterciensis in Curia Romana Protector, & D. Matthæus de Paganis in dicta Curia Protector. Suspensô interea subsidiô pro Collegio S. Bernardi Parisiensi solvi solitô. Subdelegatum igitur Capitulum Generale, illiúsque caput præfatus Dominus Cisterciensis, per Austriam, Carinthiam, Carniolam Monasteriorum constituit Abbatem in Zwetl Erasmum Collectorem dicti subsidii seu contributionis; cujus sicut & Monasteriorum talem accepit Indicem, quem placet quoque posteris referre, ut videant, quæ tunc temporis & quot in Austria & ad Austriæ Diœcesim Monasticam Ordinis nostri numerabantur sine ordine ætatis seu fundationis, ita verò sonat: „ De Hilaria 20. florenos Rhenenses: „ de Cella-Angelorum 10. fl. de Paumgartenperg 22. fl. de Seissenstain seu „ de Valle-Dei 12. fl. de Zwetla 21. fl. „ de Sancta-Cruce 25. fl. de S. Trinitate in Nova-Civitate Austriæ 15. fl. „ De Novo-Monte 15. fl. de Runa 25. fl. „ de Victoria 20. fl. de Pfittich 12 fl. „ de Landstrass 7. fl. de Altovado 13. „ fl. de Alto-Fonte 7. fl. Nomina „ verò Monasteriorum Monialium sequen-

„ quentia erant: S. Spiritûs citra civi-„ tatem Ypsani 7. fl. de Felici-Valle „ 20. fl. de Impulhofen seu Pulhofen „ 10. fl. de Ybs 6. fl. de Schleibarich „ (*Schlierbach*) 8. fl. de S. Nicolao Vi-„ ennæ 8. fl. de Schönfeld Superiori „ 10. fl. de Schönfeld Inferiori 8. fl. „ de S. Bernardo de Peuchreich àliàs „ in regno Boiorum 13. fl. Datum in „ Diffinitorio Cisterciensi annô Do-„ mini 1520. 8. Maji. „ [3.] Hæc de collectura subsidii Ordinis: nihil tamen aliàs de visitatione Monasteriorum præfatorum reperio.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Streinius in Annalib. Austriæ hoc anno. Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano. Pontus Heuterus in Carolo V. lib. 8. cap. 10. „ Designatus erat à Carolo Septem-„ Viris Octobris dies sextus hujus anni con-„ veniendi Aquisgranum, sed qui in vigesi-„ mum primum est translatus propter pullu-„ lantem ea in urbe pestem. Rogârant eum „ Septem-Viri, coronationis locum mutaret; „ sed civibus morbi frequentiam ob factos „ sumptus extenuantibus, respondit se Caroli „ Quarti Cæsaris legem infringere nolle. Con-„ veniunt itaque Aquisgranum Archi-Præsul „ Moguntinus &c. - - - - Postridie (*corona-„ tionem*) Cæsar dat cœnam Septem-Viris. „ Tertio die inter Missæ solemnia Moguntinus „ suggestum ascendens, populo exponit Sum-„ mum Pontificem, approbata creatione ac „ coronatione, Regi Carolo Cæsaris titulum „ concessisse.

Cap. 11. „ Inde mense Octobri exeunte „ Cæsar dimissis Septem-Viris Coloniam ve-„ niens, Imperii conventum Wormatiæ in „ sextum Januarii diem anni 1521.[indicit.] „

Spondanus ad hunc ann. n. 3. „ Non „ ita Carolus Cæsar (*uti Fridericus Saxo, qui „ in tutelam suam susceperat Lutherum*) qui è „ contra pro munere Advocati & Defensoris „ Ecclesiæ, Lutheri libros à Sede Apostolica „ damnatos flammis absumi jussit; factúmque „ est in Belgio & proximis Imperii civitati-„ bus. Hoc enim anno proficiscens ab Hi-„ spania in Germaniam ad coronam regni „ Romanorum accipiendam &c. „

Joannes Cochlæus de act. & scriptis Lutheri sub hoc anno. „ Venerat Carolus V. „ Imperator electus ex Hispaniis per Ocea-„ num in Flandriam & Brabantiam, terras suas „ hæreditarias, Imperialia comitia celebratu-„ rus Wormatiæ. Qui ubi à Nunciis Apo-„ stolicis Marino Caracciolo & Hieronymo „ Aleandro accepisset Bullam Papæ Leonis X. „ contra Lutheri libros editam, memor titu-„ lorum suorum; cùm diceretur & esset Rex „ Catholicus Hispaniarum, ac Imperator Ro-„ manorum, Religiosæ suæ & pietatis & obe-„ dientiæ mox certissima exhibuit indicia, se-„ verè præcipiendo, ùt M. Lutheri libri à Se-„ de Apostolica damnati publicè combure-„ rentur. Combusti sunt igitur per lictores „ & carnifices tum in Brabantiæ urbibus, tum „ in civitatibus Imperii, Coloniæ, Mogun-„ tiæ, &c. Lutherus verò irâ æstuans, cùm „ non posset gladiô, calamô eam injuriam „ vindicare statuit &c. „

[2.] Ex Autographo ipsius.

[3.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXXI. Monasterii CCCLXXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Leo X.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

Pontifex Romanus Leo X. febri ingravescente pene quinquagenarius Calendis Decembris ex hac vita sublatus est, cui anno sequenti primùm alter in Petri Cathedra substitutus fuit, sicut ibi videre erit. *[1.]

„ Postquam Carolus trajecit mare, „ ùt loquitur Cuspinianus, Aquisgrani „ splendidissimè coronatus, divertit „ Wormatiam, publicum celebraturus „ Electorum & Germaniæ Principum „ conventum, missis litteris præcepit „ Viennensibus factiosis deponere ad-„ ministrationem, quam sibi vi usur-

„ pave-

„ paverant, ac vivere moribus magìs „ compositis. Paulò pòst dehinc Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam fratri tradidit Ferdinando Principi Hispaniarum, Archi-Duci Austriæ possidendas. Qui Annam Vladislai Regis Ungariæ & Bohemiæ filiam uxorem duxit, ac illas jam feliciter Australes regiones moderatur. „ [2.] Hæc Cuspinianus, & paulò pòst: „ Missis itaque Oratoribus cum mandato & consensu Regis Caroli, Ferdinando (*Anna scilicet præfata*) desponsatur. Qui vigesimô primô annô post mille quingentos matrimonium cum ea Lincii in Superioris Austriæ oppido consummavit, ùt paulò antè scripsimus. [3.] Streinius diem Lincii nuptiarum indictam ait fuisse in Dominica Trinitatis, nimirum 26. Maji: resignâsse autem Carolum fratri Austriam cum incorporatis provinciis 24. Aprilis Wormatiæ in conventu Principum. Austriaci verò ad festum Corporis Christi Wellæ Principi Ferdinando præstiterunt homagium. Conventus deinde mense Julio apud Pœsenpeugen ac tandem Lincii Provincialium utriusque Austriæ indictus fuit, in quo Principi Factiones querelas suas deposuêre, nam defunctô Maximilianô tumultuati fuêre, Magistratum Gerentes & in eo post mortem permanendos confirmavit Cæsar decumbens, quos ipsi deposuêre, aliósque substituêre. [4.] Addidit quoque Carolus Imperator Ferdinando ad supradictas provincias Tirolim, Comitatum Görcensem, Wirtenbergensem Ducatum, aliásque à Maximiliano avo suo possessas provincias unà cum Ducatu Burgundiæ in recompensationem Neapolitani Legati resignati. „ [5.]

Scripsi suprà Carolum Wormatiæ conventum Principum Germaniæ celeberrimum habuisse, in quo etiam Legatus de Latere Nuntius Apostolicus Hieronymus Aleander aderat, is multis verbis, ùt erat eloquentissimus, gravissimè accusavit Lutherum seditionis, rebellionis, impietatis, blasphemiæ & hæreseos. Sed absentem tuebatur Fridericus Saxoniæ Elector: donec è Principum decreto Lutherus accersiri juberetur. Quò cùm devenisset, libros quidem suos agnovit, sed eos revocare noluit, inquiens, se nihil contra fidem scripsisse. Carolus hæc percipiens, tandem epistolâ sermone Burgundico ad Senatum Imperii datâ, egregiè avitam suam fidem ac in Sedem Apostolicam Romanam reverentiam testatus est, cujus datum est 19. Aprilis 1521. Tandem è Wormatia dimissô Lutherô, & insolentiùs se scriptis habente, Carolus gravissimum edictum contra novatores orthodoxæ ac Catholicæ Religionis promulgavit, in quo inter cetera dicit, Lutherum non hominem, sed diabolum sub humana esse specie, qui in perniciem humani generis permultas olim damnatas hæreses in unam sentinam congesserit. [6.] Hæc fusiùs habet Surius.

Interea Solimannus Turca in Pannonia seu Ungaria Belgradum insigne ad confluentes Savum atque Danubium munimentum, digladiantibus inter sese Christianis, expugnavit, [7.] unde ipsi postea non tantùm in Ungariam porta aperta, sed quoque in Austriam ad obsidendam Viennam via facta est.

„ Præterea Status Austriæ Inferioris ab Abbate in Zwetl petunt numerari ducenta quinquaginta tria talenta, 4. sol. 23. den. nam utì fatentur, à Provincialibus ad 80000. florenorum promissa fuisse Ferdinando Principi Hispaniæ & Austriæ Archi-Duci &c. quando illi homagium Ipsi seu Vspii præstitêre. Pecunia autem danda est D. Joanni de Puechaim in Gellerstorf, D. Bernardo Præposito ad S. Dorotheam Viennæ, & Ambrosio Wisennt. Datum annô Domini 1521. Sabbatô Achatii, nimirum 22. Junii. „ [8.] Hanc pecuniam à

Carolo Imperatore petitam Streinius affirmat 24. Aprilis sub dato Wormatiæ diplomate Cæsareo, quam fratri suo resignâsse affirmat. [9.]

Monasterium etiam Zwetlense aliquamdiu vexaverat homagiis & spoliis in subditis suis nobilis quidam dictus Georgius habitans in Slawings, qui tandem cum Erasmo Abbate pacem iniens acceptâ priùs certâ pecuniâ harum testimoniô literarum, & ut firmiùs eam observare velit, adducit testes subscriptos: Nobilem Virum D. Hieronymum Skusrowsky de Skusrowa, Stanislaum Hansko de Sachradko in Urbans cum sigillis suis, item honestos & sapientes viros Joannem Peirl Judicem in Slawings, Sigismundum pannificem Senatorem ibidem, item Joannem Oberndorfium Scribam ejusdem loci cum sigillis suis. Actum in Slabings feriâ sextâ ante festum Michaëlis, nimirum 27. Septembris annô Domini 1521. [10.]

Demum Ferdinandus Princeps Hispaniæ, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ &c. perrexit Græcium in Stiriam, ubi conventum Austriæ Procerum tertium habuit, cùm unum Welsii, alterum in Pœsenpeugen seu Ypsii celebrâsset. Hoc probat ipsius quoddam diploma super Wolfgangi Stainperger supplicatione datum, quo satisfieri jubet mandatis suis positâ pœnâ 500. ducatorum. Datum Græcii annô Domini 1521. 3. Novembris. [11.] Quid tamen hoc diplomate Archi-Dux velit, hactenus reperire non potui.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Leone X.

Pontus Heuterus in Carolo V. lib. 8. cap. 12. „ Leo Papa epotô venenô in ipso ætatis flore è vivis excedit; succedítque illi Adrianus VI. Cardinalis Derthusiensis, Cæsaris Pædagogus. „

Spondanus hic n. 9. „ Paucos autem ante obitum dies Placentiam, & eodem quo obiit die Parmam captam intellexit. Qua ratione in summa felicitate & gloria, si hominum intueamur opinionem, obiîsse dici potest. Quod quidem contigit Romæ, quò se (*ex villa Manliana*) mox reduci curavit quartô Nonas Decembris: & ùt suspicio fuit, ex lento veneno, ipsi à quodam ejus cubiculario, atque à poculis ministro, propinato: cujus tamen inquisitionem (ùt Jovius ait) Cardinalis Mediceus sopitam voluit, nè fortè in nomen alicujus magni Principis inexpiabili cum invidia redundaret. Vixit quadraginta sex annos, uno minùs die: sedit annos octo, menses octo, dies viginti. Cadaver in Basilica Vaticana lateritiô tumulô tum sepultum, postea Paulo III. Pontifice ad ædem Minervæ, unà cum Clementis VII. corpore translatum, & nobilissimô marmoreô monumentô conditum est. „

[2.] Cuspinianus in Cæsarib. sub Maximiliano.

Pontus Heuterus ubi suprà.

[3.] Idem ibidem.

Item Surius in Commentario hoc anno.

[4. & 5.] Rich. Streinius in Annalib. Austriæ Superior. hoc anno.

[6] Surius ubi suprà.

[7.] Idem eodem loco addens: „ Cùm jam antea Amurathes ejus abavus & proavus Mahometes magnis acceptis detrimentis re infecta inde discedere compulsi fuissent. Facile id fuit Tyranno, quòd inter Ludovicum Regem juvenem & Proceres Pannoniæ parum conveniret, ideóque nulla firma præsidia hosti barbaro opposuissent. „

Spondan. ubi suprà n. 14. „ Solimanus Turcorum Imp. exercitum adversùs Hungaros ducens, mense Septembri, primitias expeditionum suarum; Belgradum, (*Albam etiam Græcam dictum, olim Taurunum ad confluentem Savi & Danubii inclytorum fluminum situm*) munitissimum totius Hungariæ oppidum, & validissimum Christianitatis ea parte propugnaculum, rebus omnibus necessariis tunc destitutum, post bimestrem obsidionem expugnavit; unà cum Sabbatia, aliísque nonnullis munitionibus. Cujus suscepti belli causam Spanduginus hanc exposuit, quòd Legatus Solimani ad denunciandum Hungaris bellum missus, nisi tributum solvere vellent, malè habitus ab Hungaris fuisset, in vindictam Legatorum Hungaricorum ignominiosè antea à Selimo Solimani patre habitorum. Alii, quòd cùm post regnum paternum susceptum, de more finitimis Regibus promotionem suam annunciâsset, Hungari contumeliosè nuncium ejus

„ tra-

„ tractassent. Nec verior ulla fuit, quàm „ certa spes (ùt Dubravius docet) illas mu- „ nitiones obtinendi; cùm Rege Ludovico „ adhuc adolescentulo annorum circiter quin- „ decim, Proceres regni omissâ Reipublicæ „ curâ, suis duntaxat commodis, voluptati- „ bus & luxui studerent. Addit Spandugi- „ nus, Solimanum detulisse inde Constanti- „ nopolim sacra corpora SS. Thetæ & Vene- „ randæ, Brachium S. Barbaræ, & Imaginem „ Beatissimæ Virginis: Ad quæ cùm undique „ Christiani concurrerent venerationis ergò, „ & pecunias offerrent; Solimanum accer- „ sito Patriarchæ minatum esse, nisi duode- „ cim millia ducatorum solveret, projectu- „ rum se illa in mare: Patriarcham collectâ „ ægrè eâ summâ ex eleemosynis Christiano- „ rum, Reliquias redemisse. „

[8.] Ex Autographo ipsius.

[9.] Streinius in Annalib. Austriæ Superior. hoc anno.

[10. & 11.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXXII. Monasterii CCCLXXXIV.

Pont. Rom. Adrianus VI. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ.* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Ernestus. *Abbas Zwetlensis.* Erasmus.

LEoni X. Romano Pontifici anno priore è vivis abeunti, Hadrianus seu Adrianus ejus nominis VI. Trajecti, Inferioris Germaniæ urbe, patre Florentio natus, quondam Carolo (Imperatori postea) à literis Magister, cui etiam Cardinali, dum in Germaniam ad coronationem suam transiret, totam Hispaniam suam utì Gubernatori commiserat, 39. Cardinalium suffragiis 5. Idus Januarii Annô MDXXII. in Vaticano Summus Pontifex creatus fuit. * [1.] De quo S. Malachias: Leo Florentius. Quia ejus pater Florentius vocabatur, & Leo ejus insignia fuêre. Præcipua ipsius cura erat summorum Principum animos ad pacem reducere, ut arma unanimes contra Turcam sumerent, qui Rhodum civitatem & insulam per mare, & terrâ in Ungaria fortissimum ac insigne munimentum Belgradum jam expugnaverat. Ejus tempore Lutherus cum suis asseclis contra Christum Domini se magis erigere cœpit. [2.]

„ Hoc porro anno Erasmus Abbas „ contributionum Collector constitu- „ tus petit ab Abbatibus Austriæ pro „ Collegio S. Nicolai in studentium „ Ordinis Religiosorum commodum „ Viennæ restaurando subsidium. Da- „ tum in Monasterio Zwetlensi 1. Mar- „ tii annô 1522. „ [3.] Hanc colligendi subsidii provinciam accepit Annô MDXX. ùt suprà videre est.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in vita Hadriani VI. Onuphrius Panvinius in ejusdem vita.

Spondanus hìc n. 2. „ Fuit Hadrianus „ verè Batavus Trajectinus, patre Florentio „ aulæorum textore, seu ùt alii volunt, cere- „ visiæ coctore; honesto, sed ità paupere, „ ut præclaræ indolis filium suo sumptu literis „ imbuere non posset. Lovanium igitur de- „ ductum, in Collegio Portiorum gratuitò „ ali obtinuit. Brevì literis, Philosophiâ & „ Theologiâ apprimè excultus, & egregiis „ moribus conspicuus, Margaritæ Caroli Cæ- „ saris amitæ, quæ Belgium procurabat, operâ, „ cui ejus virtus nota fuit, primò Parochia- „ lem quamdam, deinde Decanatum Ecclesiæ „ Lovaniensis cum Vicecancellariatu Acade- „ miæ obtinuit; præter vitæ integritatem, „ etiam egregiis tum lectionibus, tum scri- „ ptis quæ extant, insignis. Datus postea „ præceptor Carolo, & Episcopus Dertusensis „ in Hispania creatus, atque à Leone Pon- „ tifice in numerum Cardinalium Presbyte- „ rorum tituli Pammachii SS. Joannis & Pauli „ commendatione Maximiliani avi Caroli co- „ optatus, denique à Carolo, cùm in Germa- „ niam ad Imperium accipiendum iret, Hispa- „ niæ Gubernator relictus; electus est Ponti- „ fex eo modo, quem diximus; & apud Vi- „ ctoriam Cantabriæ oppidum nuncium suæ „ electionis accepit; & antiquo nomine re-

„ tento Hadrianus dici voluit ejus nominis
„ Sextus &c. „

[2.] Surius in Commentario sub anno præcedenti.

[3] Ex Autographo ipsius.

INCIDENTIA.

„ Decimô sextô Calendas Novembris
„ literis docetur (*Carolus Imperator in Hispania*
„ *contra rebelles agens*) - - - - In Germania
„ res etiam non admodum quietas esse intel-
„ ligit, quòd Franciscus Sickingius, Lutheri
„ sectæ addictus, Archi-Præsuli Treverensi,
„ Ludovico Palatino, ac Philippo Hassiæ Lant-
„ gravio bellum intulisset, haud dubiè operâ
„ & pecuniâ Francicâ. Infestare Sickingium
„ mercatores ac viatores, latrocinari publicè,
„ ac, quò hæc tutiùs perpetret, Cæsaris Im-
„ periíque nomen insigniáque præferre. Sed
„ tandem detectô dolô, eum à Ferdinando
„ Austriæ Archi-Duce, ceterísque Imperii
„ Principibus proscriptum, obsessúmque in
„ propria arce Neustella, ibíque tormenti
„ globô casu occisum, Ditionémque ejus
„ omnem esse occupatam.

„ Eodem tempore Margarita Austriaca,
„ Cæsaris amita, Burgundiæ Comes, cum Ordi-
„ nibus Ducatûs Burgundiæ, ut neutrius mane-
„ rent partis, convenerat, consentiente Fran-
„ corum Rege. Quare, ut Cæsar idem permitte-
„ ret, enixè petebat. Sinè ulla difficultate id
„ amitæ tribuit. Deinde fit certior, fratrem
„ Ferdinandum, rebus in Austria ex voto con-
„ stitutis, viros octo nobiles, præcedentis re-
„ bellionis duces, capite puniisse. Obsedisse
„ Turcas in Carniola munitissimam arcem,
„ congressósque cum eis Austriacos tria mil-
„ lia interfecisse, ceteros in fugam egisse. „
Pont. Heuterus lib. 8. cap. 15.

„ Cùm igitur Lutherus complicésque sui
„ præ se contemnerent omne judicium Eccle-
„ siasticum, rebelles non modò suis Priori-
„ bus & ordinariis judicibus, verùm etiam
„ summis Ecclesiæ verticibus, Papæ & Impe-
„ ratori, tantóque elati essent fastu despe-
„ ctionis, ut ne Universali quidem Concilio
„ dogmata sua, quæ pro Evangelio habent,
„ submittere velint, & rem proximè jam ad
„ tumultum & seditionem popularem perdu-
„ xissent: misertus condolénsque Germanicæ
„ Nationi Christiana pietate Illustrissimus
„ Anglorum Rex Henricus, hujus nominis
„ Octavus, rarô nimis & cunctis sæculis ad-
„ mirandô devotionis exemplô, ex Regali fa-
„ stigio in literariam descendit harenam, con-
„ tra maledicum decertaturus mendicantium
„ fratrum Apostatam. Scripsit itaque Asser-
„ tionem Septem Sacramentorum, adversùs
„ Captivitatem Babylonicam Lutheri, ad Leo-
„ nem X. Papam: adeo sanè disertè, eruditè
„ ac copiosè, ut eo labore promeruerit, ipsius
„ Papæ omniúmque Cardinalium judiciô,
„ perpetuæ laudis titulum, ut publica dein-
„ ceps approbatione diceretur, fidei Catho-
„ licæ Defensor &c. „ Cochlæus de actis & scriptis Lutheri hoc anno.

Item Surius ubi suprà.

Annus Christi MDXXIII. Monasterii CCCLXXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Adrianus VI.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Erneſtus.	Erasmus.

ADrianus Papa VI. cum gravissimo renum dolore conflictatus in Vaticano Romæ piè obiit, octavô Calendas Octobris, annô MDXXIII. Sepultus primùm in Basilica S. Petri, deinde à Gulielmo Enkhavordio, quem unicum Cardinalem creaverat, in æde S. Mariæ Germanorum Romæ translatus fuit, in marmoreum sepulchrum figuris & imaginibus ornatum conditus. Cui in Petri Cathedra substituitur Julius Medices, Florentinus, Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Damaso, S. R. Ecclesiæ Vice-Cancellarius 13. Calendas Decembris, annô MDXXIII. De quo plura anno sequenti. * [1.]

Dum hoc anno Carolus Imperator bellum cum Francisco Gallorum Rege in Imperii electione suo competitore & æmulo prosequitur, licèt Adrianus VI. Pontifex maximè laboraverat bellum hoc impedire, qui Principes contra Turcam arma capessere hortatus fuerat. [2.] Interea Ferdinandus Archi-Dux Austriæ Neapoli residens & Turcarum successum considerans, milites conscri-

bere

bere cœpit ad provinciæ suæ defensionem, ideo omnibus Statibus subsidium pecuniarium imposuit. „ Unde Erasmus Abbas coactus unà cum Conventu concedunt plenipotentiam F. Simoni Tyem conventuali suo, & Sigismundo Leysser, quem Abbas cognatum suum apud se tenebat, vendendi aliquot vasa argentea & clenodia ad comparandas pecunias pro subsidio petitas. Datum in Monasterio Zwetlensi, feriâ quartâ post Dominicam *Quasimodo*: nimirum 29. Aprilis, annô 1523. „ [3.]

„ Unde Dominus Matthias Götvicensis, & Dominus Michaël Scotorum Viennæ Abbates fatentur se accepisse à D. Erasmo Abbate in Zwetl pro auxilio contra Turcas 250. talenta denariorum. Actum Viennæ 21. Maji, annô 1523. „ [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Adriano VI. Onuphrius Panvinius sub eodem & alii.
[2.] Ciaconius ubi suprà. Surius in Commentar. annô 1522. & 1523.
[3.] Ex Autographo ipsius.
[4.] Ex Apocha ipsorum.

INCIDENS.

„ Hoc anno Bruxellis, quæ est Brabantiæ præclara urbs, duo Professionis Augustinianæ ob Lutheri dogma flammis exusti sunt. Illos verò Lutherani non aliô quàm Martyrum locô habent, quemadmodum etiam Joannem Hussium & ejus farinæ alios hæreticos. „ Surius ad hunc annum. Item Spondanus hic n. 14.

Annus Christi MDXXIV. Monasterii CCCLXXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

PRæcedenti adhuc anno Julius Mediceus à 38. Cardinalibus decimô tertiô Calendas Decembris Pontifex Maximus fuit salutatus, & proximô sextô Calendas Decembris thiarâ redimitus, vocatus Clemens VII. *[1.] De quo ita S. Malachias: Flos pilæ nigræ. Erat enim Florentinus de domo Medicea, cujus insignia pila & lilia.

Interea in Italia bellum Gallicum cum Cæsare varios habuit eventus, in Germania verò Religio à Luthero ejúsque asseclis mirè proscindebatur: Lutheri acta egregiè depicta Lector inveniet apud Surium, hoc, præcedentibus, & sequentibus annis. [2.] Et ipse Lutherus verè tumultûs rusticorum, qui anno sequenti erupit, causa esse perhibetur, ita enim Surius loquitur: „ Hæc autem omnia (*scilicet Acta Lutheri*) non parùm faciebant ad ciendas turbas & seditiones concitandas: nec possunt Luteri studiosi ab illo amoliri culpam tumultûs rusticorum, qui paulò pòst secutus est. Suis enim importunissimis scriptis nonnisi bellicum cecinit: nec tamen advertit misera plebs, quem hominem sequeretur. Miscebat enim seditionis vocibus verba quædam pietatis quandam speciem præseferentia, & hac arte tegebat animum sanguinarium. „ [3.] Hæc ille.

Porro cùm Norimbergam conventus Principum causâ Religionis indictus fuisset, Carolus in Hispaniis degens illum ratum habere noluit. Interea antequam literæ Imperatoris venissent in Germaniam, Legatus Pontificis Campegius, Ferdinandus Austriacus, Episcopus Salisburgensis, Duces Bavariæ Wilhelmus & Ludovicus, & aliquot

Episcoporum Legati, Ratisbonæ conventus habuêre, atque inter se fœdus percusserunt, quo Lutheranæ hæresi possent fortiùs ire obviam: multa quoque ibi saluberrimè decreta sunt pro Catholica tuenda Religione, & Lutheri dogmatibus profligandis & extirpandis. Legatus quoque Pontificis Campegius, quòd intellexisset Cleri malam vitam multis è vulgo ruendi in hæreses magnam præbere occasionem, quædam decreta promulgavit, quibus Cleri mores reformarentur, & abusus removerentur, quæ alii quoque Principes grata & rata habuêre. [4.] Hæc Surius suprà citatus. Inde conspicitur Austriacorum Archi-Ducum in Ecclesiam Apostolicam, Catholicam, Romanam devotio, Ducum Bavariæ pietas, ac aliorum Ecclesiasticorum in tanta Religionis perturbatione constantia.

In Austria hoc anno Ferdinandus Archi-Dux edictum divulgari facit de moneta, quæ justa, quæ injusta sit, ac certum cuilibet pretium pronuntiat. Datum Viennæ 28. Julii, annô 1524. [5.]

„ Legitur etiam Erasmus Abbas Jo„ anni Lechner de Gegend dicto, tunc „ Archiducali vendendarum rerum„ Censori vulgò Ungelter in oppido „ Loyss manenti, ad septennium cu„ riam in Cammern certis sub condi„ tionibus in literis desuper datis infer„ tis concessisse, quarum datum est in „ Monasterio Zwetlensi in die Georgii, „ annô 1524. [6.] Eodem die & an„ no dictus Lechner etiam fatetur à D. „ Abbate prædicto accepisse librum „ fundi & calicem argenteum deaura„ tum cum integro Missæ ornatu. Actum „ in Monasterio Zwetl uti suprà. „ Hanc postea curiam Cammern idem Abbas uni de familia sua ad perpetuò redimendam vendidit. [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Onuphrius Panvinius sub Clemente VII.

[2.] Surius in Commentario ab anno 1517. 1518. 1519. 1520. &c. & hocce anno. „ Hac ferè tempestate Bennonis olim Misnensis „ Episcopi, quem paulò antè Adrianus Pon„ tifex Divorum Catalogo adscripserat, ossa „ & reliquiæ venerabiliter è vetusto terræ „ tumulo elevatæ sunt, & annuæ feriæ in ejus „ honorem institutæ. Id supra modum malè „ habuit Luterum, quòd cerneret multum „ suis conatibus detractum iri eâ antiquæ pie„ tatis famâ & observantiâ. Mox ergo libel„ lum edidit hac inscriptione: Adversùs „ novum idolum & antiquum diabo„ lum, qui Misnæ exaltandus est. „ Ita ille insanus nec divis quidem jam beata „ apud Christum immortalitate fruentibus par„ cendum putavit. - - - - - - Per hoc tem„ pus Zuinglius non contentus à Lutero dici „ Luteranus, sed ipse potiùs de suo nomine „ sectam auspicari cupiens, non solùm Catho„ licos Transsubstantiationis assertores, sed „ etiam Luterum ipsum, unà cum pane & vino „ verum Christi corpus & sanguinem in Eu„ charistia haberi dicentem, oppugnare cœ„ pit. Hoc quidem pessimè habuit Luterum, „ & hæc res occasionem præbuit atrocissimæ „ illi inter Luteranos & Zuinglianos digla„ diationi, quæ in hunc usque diem componi „ non potest. Rectè hoc permisit sapiens & „ bonus Deus, ut Luteri arrogantia à pro„ prio discipulo comprimeretur, & mortales „ omnes intelligerent, rectissimè dixisse D. „ Hieronymum, scripturas non in legendo, „ sed in intelligendo consistere. - - - - - „ Postea libellos aliquot Carolstadius Basileæ „ edidit, quorum summa erat, non esse Chri„ sti corpus naturaliter in Eucharistia, nec ta„ men Zuinglii sententiam sequebatur, sed „ nova interpretatione ait, pronomine de„ monstrativo, Hoc est, demonstrâsse Chri„ stum corpus suum mensæ assidens, non au„ tem sub panis specie contentum. Hanc „ stultissimam opinionem Anabaptistæ qui„ dam amplectebantur, & Zuinglii atque „ Luteri interpretationem rejiciebant. Porro „ Zuinglius Carolstadium dicebat veritatem „ quidem agnoscere, sed quia troporum vim „ ignoraret, verba non recto ordine collocare. „ At ridicula fuit ea Zuinglii oratio, qui jam „ sibi de collega, licèt inepto, nonnihil ap„ plaudebat: Alii Carolstadii expositionem „ ceu nimis duram & violentam respuebant. „ Inde accidit, ut Senatus Tigurinus caverit, „ ne libelli Carolstadii in urbe sua venderen„ tur. „

[3.]

[3.&4.] Idem ibidem. „ Sub hoc ferme tempus ex Hispaniis Carolus Cæsar literas dedit ad Principes, quibus decretum Norinbergensis conventûs acriter reprehendit, & comitia Spiræ indicta fieri vetuit, ubi Principes & Ordines Imperii rationem inituri erant constituendæ religionis usque ad tempus Concilii. Id enim ad ipsos minimè ait pertinere. „

Pontus Heuterus lib. 9. cap. 1. „ Hujus anni æstate Germani, Cæsare in Hispaniis agente, primùm Norimbergæ, deinde Ratisponæ conventus egerant, tertiúmque Spiræ mense Novembri indixerant. Sed acceptis à Cæsare ex Hispania literis, conventus Spiranus omittitur, Norimbergici verò ac Ratisponensis pro parte decreta abolentur, quòd disertis Cæsar verbis juberet, decreta conventûs Wormatiani, in quo Lutherus ejúsque doctrina communi Principum Germaniæ sententiâ erat condemnata, rejectáque, nisi suam promereri indignationem mallent, observarentur; confirmans tamen ac rata habens quæ frater Ferdinandus in conventu Ratisponensi proposuerat, ac è Principum sententia decreverat. „

[5.] Ex Edicto illius.

[6.&7.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDXXV. Monasterii CCCLXXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

JUbilæum Clemens Pontifex hoc anno promulgavit, sed neque in Italia, ubi bellum agebatur horrendum inter Hispanum & Gallum, neque in Germania rusticis toto Imperio tumultuantibus, Jubilæum locum invenerat. *[1.] Quem tumultum rusticorum Ciaconius citatus ascribit Thomæ Münzero, qui doctrinâ suâ perversâ Anabaptistas procreavit, qui omnia libera & communia esse dicentes, non solùm prophana, sed Ecclesiastica etiam bona præcipites invadebant, & pluribus remotísque regionibus, præsertim Italiæ hostilem impressionem minabantur. Sed partim vi, partim dolo ad centum & quinquaginta hominum millia cæsa sunt. [2.] Hæc Ciaconius. Onuphrius citatus suprà causam hujus tumultûs rusticorum ascribit Lutheri doctrinæ, quod etiam ad longum Surius [3.] egregiè demonstrat, quem Lector cupidus prolixè scribentem adire poterit. Ubi verò cœperit, Onuphrius ita loquitur: Cœpit exitiabilis superstitio in Pannonia Inferiore, mox latius serpens Superiorem etiam, & demum totam Germaniam pervasit. Et Münzerus Anabaptistarum hæresiarcha, Lutheri discipulus, variè persequebatur, unde Surius, è Praga Bohemiæ, è Gutterbachio Marchiæ, ex Zwiccacia oppido Electoris Saxoniæ, ex Hallis Comitatûs Tyrolensis, ex Altsteto, unde ipsum Lutherus ipse fecit expelli, Münzerum repulsum fuisse scribit, qui demum ab Ernesto Catholico Comite à Mansfeld in Franchusio captus, postea gladiô cæsus fuit, & dicitur in fine resipuisse. [4.] Talem libertatem Evangelicam etiam rustici Salisburgenses aripuêre, cùm enim Matthæus Langius Cardinalis, Archi-Episcopus Salisburgensis aliquot ejusdem fæcis Anabaptistas in ferri officinis servientes, vulgò Bergknappen / decapitari curâsset, ceteri in ipsum insurgentes quamprimum cives in suam partem adduxerunt, unde capientes civitatem, illámque spoliantes Archi-Episcopum in arce sua obsederunt, donec à Ludovico Bavariæ Duce copiis militaribus missis liberatus, certis cum ipsis factis conditionibus convenit, ipsósque ad quietem reduxit. Simili modo in Stiria & in Carinthia tumultuatum fuit, ubi rustici semper liberi esse voluerunt, nobilitatémque, & Ecclesiasticum statum deletum habere gestiebant, verùm hi nonnisi armis expu-

gnari & deleri debebant. [5.] Pataviensis etiam Episcopus Ernestus in Anabaptistarum factionis hæreticos, aliósque qui passim eo tempore odiô Cleri suboriebantur, gravissimè animadvertit, quàm plurimos ultimô ignis suppliciô cremandos vivos tradidit, atque demum supra triginta à Liechtenstainio regulo in exilium missos, solíque mutandi causâ Pataviam confluentes, in carceres conjecit, donec totô trienniô morerentur partim, partim custodum incuriâ elaberentur. [6.] Hucusque Hundius. Streinius etiam ad longum agit de rebellione rusticorum tam in Inferiori quàm in Superiori Austria exorta, contra quos dicit conclusum fuisse, ut tria millia militum conscriberentur, quorum uni Austria Inferior, alteri Austria Superior, & tertio Stiria, Carinthia, Carniola stipendia solverent, &c. [7.]

Dum hæc in Germania geruntur, Carolus in Italia cum Francisco Gallorum Rege bellum prosequitur, donec ad Ticinum Gallorum Rex ipse in acie fortiter pugnans, suo atque equi vulnere remoratus à Cæsareanis capitur, exercitus ejus in fugam vertitur, atque in Hispaniam Rex captivus deducitur. Interiêre hoc prælio nobilissimi quique Francorum Duces, capti Rex Navarræ, Hanno Metmorantius, & alii multi maximi nominis & dignitatis viri. Quæ pugna & victoria in festo S. Matthiæ, nimirum in die Caroli Imperatoris natali, 24. Februarii contigit. [8.]

Interea Romæ mirabilis mutatio facta fuit, dum Pontifex cum Pompejo Columnensi totâque familia rixas fovet. Columnenses enim, Pontifice omnibus præsidiis nudato, Hugone Moncata sibi adjuncto, copiis reparatis & brevì auctis, Romam Cœlimontanâ portâ irrumpunt, & Xisti ponte ac Septimanâ portâ cum armatis instructísque agminibus ad Vaticanum contendunt. Clemens rebus desperatis trepidus in arcem fugit, frustrà auxilium opémque quærens. Nemine igitur in tanto Pontificis periculo repugnante, Columnenses in Urbem Leoninam irruperunt, & Palatiô Vaticanô omni suppellectile sacra & prophana direptô, in omnium quoque augustissimam Basilicam S. Petri nefarias manus injecêre. Clemens ita circumventus, cùm, comeatu in arce deficiente, nullam in aliquo spem haberet, Hugonem Moncatam ad colloquium advocavit, qui cum eo certis cum conditionibus pacem facit, Pompejo graviter indignante, qui sperabat capto vel quoquo modo sublato Pontifice, se summum Sacerdotium adepturum. [9.] Atque hæc irruptio præludium post alterum annum futuræ erat: & mirabilis Romanæ Ecclesiæ facies.

Circa Monasterium Zwetlense occurrunt hoc anno sequentia: „ Dominus Joannes de Neudegk in Rana „ scribit Wolfgango Erndorfer Magistro Allodiorum propter quendam „ Monasterii colonum ob excessus suos „ in se commissos puniendum. Datum „ in Rana feriâ sextâ ante Invocavit, „ nimirum 17. Februarii annô 1525. „ [10.] Hic rusticus etiam ex eorum numero esse videtur, qui contra nobiles conjurârunt.

„ Ferdinandus Archi-Dux Austriæ „ ad Erasmum Abbatem Zwetlensem „ dat literas credentiæ, quibus mandat „ D. Doctori Joanni Fabri Coadjutori „ Episcopatûs Novæ-Civitatis, sibi à „ Consiliis, & Nobili Viro D. Wolfgango Baroni de Rogendorf & Mollenburg, sibi etiam à Consiliis & Camera, „ quidquid nomine suo proponent, „ fidem dari. Datum Oeniponti 18. „ Aprilis annô 1525. „ [11.] Conjector secreta fuisse ob sectam Anabaptistarum inter subditos impediendam, cùm hoc anno illa rusticos adeò dementârit, ut contra Dominos suos passim arma capessentes insurgerent ac rebellarent. Quod magìs sequentes literæ ex Camera Archi-Ducali Inferioris Austriæ emanantes declarant, cujus Assessores

sores Erasmo Abbati scribunt; „ quatenus ad actionem D. Doctori Fabri, „ cui pro tumultu rusticorum sedando „ (qui præsertim Religiosis & Sacerdotibus cujuscunque statûs vel Religionis formidabilis est & exitium minatur) in belli prosequendi subsidium „ tria millia florenorum dare promiserat, pro hac vice mediam ejus partem solvat, si totum dare non potest. „ Datum Viennæ 27. Maji, annô 1525. [12.] Ad hæc magìs intelligenda Rich. Streinius de Swarzenaw scribit, quosdam ex Inferiori Austria ex omni statu lectos ad Archi-Ducem missos fuisse, quos nominat: „ Reverendissimum Principem D. Joannem Geyman Magistrum Supremum Ordinis S. Georgii; N. D. Abbatem Campolilienſem; D. Christophorum de Zinzendorf; Joannem Hauserum; Sebastianum Grabnerum de Rosenberg; „ Gabrielem Guetrater Juris Licentiatum & Syndicum Viennensem; Paulum Freyhammer civem Crembsensem. „ [13.] Quibus Archi-Dux puncta in comitiis provincialibus in Austria Inferiore ad 10. vel 12. Aprilis diem celebrandis consultanda proponit, nimirum consultationem de armis contra rusticos parandis, & pecunia in subsidium belli Turcici danda: unde Doctor Faber eam rem urserat, & Camera Aulica jam saltem mediam promissæ pecuniæ partem ab Abbate petiêrat.

„ Rursum Ferdinandus Archi-Dux „ ad compescendos tumultus rusticorum Abbati in Zwetl mandat, ut tres „ equos in bellum instructos feriâ quintâ post Pentecosten, nimirum 6. Aprilis mittat absque mora Corneoburgum ad Camerarium & Consiliarium „ suum Comitem Nicolaum de Salm, „ qui in omnibus ipsis provideri curabit. Datum Viennæ 30. Maji, annô „ 1525. „ [14.] Hic Comes Salmensis ductor exercitûs Cæsareani in Italia Franciscum Gallorum Regem in prælio cepit, [15.] quo in Germaniam post victoriam redeunte, Borbonius ex Gallia transfuga exercitum à Cæsare ducendum accepit, qui Romam non alterum Heinricum malum contra Paschalem, sed contra Clementem Pontificem Maximum adduxerat temerarium militem.

Suprà Doctori Fabri Consiliario Archi-Ducis Erasmus Abbas in belli subsidium tria millia florenorum promiserat, quam summam tam citò colligere non potuit; „ quare apud Archi-Ducem supplex rogavit, ut mediam partem solvendam differre possit. Qui „ ab Archi-Duce Ferdinando tale responsum retulit, se ad instantiam suam de pecunia promissa trium millium florenorum, partem dimidiam, „ nimirum 1500. flor. infra annos tres „ solvendos remittere, nam nihil se „ donare posse ob rusticorum tumultuantium necessitatem undique emergentem. Datum Augustæ Vindelicorum 9. Augusti, annô 1525. „ [16.] Necessitas rusticorum rebellantium emergebat ex Pannonia Inferiore, & ascendit in Pannoniam Superiorem, ùt suprà loquitur Onuphrius Panvinius, & jam Liechtenstainius Austriæ regulus aliquot Anabaptistarum ad triginta capita in exilium ejecerat, qui Pataviæ in vincula jussu Episcopi conjecti fuerant, utì etiam suprà Hundius narravit.

Capitanei verò ad rebelles rusticos coërcendos vel perdendos jam nominati fuerant, videlicet, Ditricus de Hartitsch & Georgius Windpassinger; „ quibus Archi-Dux mandat, nè illos „ Monasterii colonos homagiis (*vulgò* „ Huldigung oder Brandschätzung) lædant, qui Abbati Domino suo in laboribus & censûs persolutione obedientes fuerunt, sed tantùm discolos „ vexet. Datum Viennæ 9. Octobris, „ annô 1525. „ [17.] Streinius suprà citatus modum contra rusticos procedendi ex Aulico Cameræ Consilio præscriptum tradit. [18.] Sciendum, quòd coloni Monasterii contra Abbatem de quibusdam laboribus & servitiis

pecuniariis conquesti fuerint, utì sequitur: „ Inprimis quia frumentum tam „ in agris Monasterii, quàm ejusdem „ grangiarum absque mercede pecu- „ niæ metere debeant. 2. Eodem „ modo avenam. 3. Quia eadem in „ horrea deportare. 4. Quia caseos „ in pondere vulgò Wagkäß pendere. „ 5. Quia pro servitio caseos dare. 6. „ Item ova servitii locò. 7. Similiter „ silvæ pabulum porrigere teneantur. „ 8. Quia vina ex Cisterstorf, Viennâ, „ & ex aliis locis domum vehere, quæ „ vectura longo tempore pecuniâ re- „ dempta fuerat. 9. Quia agros pa- „ rare & arare, quia dolia in vindemias „ gratìs deportare. 10. Quia arborum „ truncos pro ferra dejicere & afferre, „ utì antiquitùs fuit, teneantur. 11. „ Quia fimum ad stercorandos agros „ educere cogantur. 12. Quia ligna „ pro focis Monasterii necessaria secare „ frustrà compellantur. „ [19.] Hæ erant rusticorum querelæ, à quibus si absoluti fuissent, planè liberi & non subditi vixissent. Hæc autem querelarum puncta, & exinde tumultum excitatum postmodum subditi Abbati Erasmo in Zwetl supplicando per publicas litteras revocârunt.

Ut autem Capitanei prædicti in mulctandis rusticis ac Dominorum subditis puniendis non impediantur, Ferdinandus Archi-Dux omnibus suis fidelibus cujuscunque statûs in Austria mandat, nè ullus unquam Ditricum de Hartitsch, quem suum in Retz Præfectum, Consiliarium Cameræ suæ, & Summum in Austria Inferiore Capitaneum nominat, item Nicolaum Comitem de Salm, quem Capitaneum Inferiorem (*Rich. Streinius ubi suprà annô 1526.*) vocat, (hic fuit junior ab illo, qui Regem Gallorum in prælio ceperat) in persequendis rusticis tumultuantibus impediat, quò illi ea omnia, quæ in mandatis habent, exequi possint, præsertim in mulcta pecuniaria (*vulgò* Brandschätzung) ob delictum extorquenda, contrà delinquentes aliâ pœnâ mulctabuntur. Datum Viennæ 27. Novembris annô 1525. [20.]

Præfatus autem Ditricus de Hartitsch hoc mandatum transgressus accusatur apud Archi-Ducem, cui per decretum suum mandat, nè Monasterii Zwetlensis colonos innocentes mulctâ supradictâ gravet, sed potiùs nocentes secundùm edictum suum & instructionem puniat, nè eam ob causam Abbas ulteriùs sibi conqueri cogatur. Datum Viennæ 23. Decembris annô 1525. [21.]

Demum Sebastianus de Hohenfeld ab Erasmo Abbate in Zwetl pro armatis equis solutionem se accepisse fatetur, quam se ipsius locò persolvisse dicit. Datum in Kirchperg ad sylvam feriâ quartâ ante Simonis & Judæ, nimirum 25. Octobris, annô 1525. [22.]

Videtur hoc anno Joannes de Gegent, cui anno præcedenti Erasmus Abbas curiam nostram in Cambern ad septennium elocaverat, mortuus fuisse, & à vidua ipsius illam pecuniâ datâ redemisse, cùm M. Jacobus Altinger Plebanus in Gobelspurg, & Wolfgangus Planck civis Loysensis, à Patre Joanne Schnabel Magistro curiæ in Weinzierl nomine Annæ dicti Joannis viduæ 40. tal. den. accepisse fatentur. Datum in Loyss feriâ 2. post Corporis Christi festum, nimirum 5. Junii, annô 1525. [23.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Onuph. Panvinius sub eodem Pontifice.

[2.] Ciaconius citatò locò.

Joannes Cochlæus de actis & scriptis Lutheri sub hoc anno. „ Pulsus autem (*ex Praga „ & aliis locis Münzerus*) pervenit Mulhusen, „ oppidum Imperiale Turingiæ, atque ibi & „ in circumjacentibus pagis & castellis, tam cives quàm rusticos ad nefandissimas quasque „ impietates concionando pertraxit: nempe, „ ut abolerent omnem cultum divinum, eji- „ cerent Clericos & Monachos, spoliarent „ Templa, & Monasteria: diffringerent ima- „ gines, Ciboria & Baptisteria: conculcarent „ divina

„ divina Sacramenta, aliáque id genus multa „ committerent dictu nefanda & piis auribus „ abominabilia. Nec iisce facinoribus & sa„ crilegiis contenti, processerunt ultrà ad op„ primendas potestates sæculares, ad rapienda „ bona aliena: ad subjugandos sibi Comites „ à Stolberg, à Schwartzeburg, à Honsteyn, „ à Mansfelt &c. ad opprimendos Nobiles, „ ad diruendas arces &c. - - - - - Mira pro„ fectò & miserabilis erat tunc Germaniæ Su„ perioris facies, inaudita & irrecuperabilis „ calamitas, terror & tremor maximus, quan„ do uno eodémque tempore omnium ferè „ Principum (qui Lutherico fermento minùs „ cautè ac nimis leniter & negligenter obsti„ terant) subditi, vel apertam intendebant „ vim, vel occultam in corde rebellionem fo„ vebant. Multa igitur millia rusticorum in„ surrexerunt in Suevia, multa in Alsatia, „ multa in Franconia, multa in ripa Rheni, „ multa in Turingia, profligatò unò cuneò, „ mox objiciebatur alius. Antequam verò „ justos conscriberent exercitus Principes, à „ tumultuantibus turbis gravissima passim & „ undique illata fuerunt damna, in diripien„ dis diruendísque Monasteriis, Templis & „ arcibus. Et intra unum mensem Majum, „ majores clades, cædésque & vastitates passa „ est Superior Germania, quàm Decemnali „ bello tum à Gallis & Hispanis passa sit Ita„ lia. Scribit enim D. Conradus Wimpina: „ vir gravis & eruditus, homo senex & Fran„ cus, in una Franconia devastata esse Mona„ steria & arces 293. Et unus Lotharingiæ „ Dux Antonius in una Alsatia suprà 26. mil„ lia rusticorum occidit. Quot autem occi„ dit Liga Suevica multis in Suevia & Fran„ conia præliis & conflictibus? quot Elector „ Palatinus? quot Marchio Casymirus? quot „ alii? &c. „

[3.] Onuphrius Panvinius suprà citatus. Surius in Commentario sub hoc anno.

[4.] Panvinius ubi suprà.

Cochlæus ubi suprà. „ Magnâ (*Munzerus*) fertur fuisse ductus pœnitentiâ, sum„ ma devotione & errores revocavisse, & Ve„ nerabile Sacramentum prævia confessione „ ritu Catholico sub una specie accepisse, „ priusquam ictum gladii subiret. „

Idem scribit de resipiscentia Münzeri cit. Surius.

[5.] Hundius in Metropoli Salisburg. sub Matthæo Langio Archi-Episcopo. „ Sub „ hoc Matthæo orta est seditio rusticorum & „ civium, qui Episcopatui parebant propter „ quendam capitis suppliciò affectum, nomine „ Stöckl, qui unà cum aliis per vim eripuerat „ Archi-Episcopo Sacerdotem, quem aliena „ à fide Catholica docentem Matthæus Archi„ Episcopus jusserat perpetuæ custodiæ tradi: „ Isti tumultus sedati postea sunt, mediante „ Ludovico Duce Bavariæ annô 1526. - - - - - „ Rustici iterum violata fide, quam Domino „ suo dederant, seditionem moliti sunt, sed „ illis Archi-Episcopus 13. signis militum oc„ currens, dispalavit, & prostravit ipsorum „ agmina. „

Megizerus Tom. 2. Annalib. Carinthiæ lib. 11. cap. 19. „ Belangende nun die je„ nige Auffruhr, so sich An. 1525. im Stifft „ Saltzburg angespunnen, ist solche folgen„ der gestalt entstanden. Es hatte in ge„ meldtem Jahr, Matthæus Lang, der Ertz„ bischoff zu Saltzburg (dessen wir hievor in „ seinem Leben nach längs gedacht) etliche „ Bergknappen von des glaubens wegen rich„ ten lassen: darauff seynd die andern all auff„ gestanden, haben die Stadt Saltzburg bald „ auf ihre Parthey gebracht und zum Anhang „ gehabt, die Stadt eingenommen und ge„ plündert, und den Ertzbischoff in dem „ Schloss, nahend bey dem Berg gelegen, „ belägert. Derwegen Ludwig, Hertzog von „ Beyern, den nicht verlassen wolt, und „ schicket jm den Edlen und weitberühmten „ Kriegshelden, Herrn Georgen von Freund„ sperg, eilends zu hülffe. Und wie dieser „ beneben den andern Hauptleuten in den „ Kriegssachen überaus wohl geübt ware, „ also funden sich auch ebener massen bey „ den Pawren nicht wenig erfahrne Männer. „ Under denen für die fürnembsten gerech„ net seind worden, Sebastian Meyer, und „ der N. Geissmeyer, die dem von Saltzburg „ viel leydes auffgethan haben. Als mann „ aber mit den Pawren täglich viel kleine „ Scharmützl gehalten, und sie demnach der „ Hertzog von Beyern in dem Gebürg (in „ welchem sich die Pawren mit grossen blö„ ckern und steinen gar wohl verbollwerckt „ hetten, denen mann dann daselbst nicht „ leichtlicht zukommen möcht) wolte stür„ men, hat solches der von Freundsperg heff„ tig widerrhaten, dieweil er als ein verstän„ diger Kriegsmann, gar wohl vermercket, „ daß man den Berg nicht ohne Gefahr be„ steigen, und allda an disem Orth vil redli„ cher Leute verliehren würde, welchem „ auch der Ertzbischoff gern zugefallen, da„ rumb endlich diese der Pawern Auffruhr „ auff gewisse Conditiones, und Mittel, ist „ gestillt worden. „

[6.] Hundius in Ernesto Episcopo Pataviensi.

[7.] Rich. Streinius in Annal. Austr. Superior. hoc anno.

[8.] Piespordius in Carolo V.

Ciaconius & Onuphr. Panvinius cit. locô.

Spondanus hîc n. 2. & sequentibus.

P. Heuterus lib. 9. in Carolo V. c. 2. „ Die
„ Februarii vigesimâ quartâ anni 1525. post
„ mediam noctem, ad Papiam, olim Ticinum,
„ Carolus Lanoius, Carolus Borbonius, Fer-
„ dinandus Davalus, Alfonsus Vastius, Anto-
„ nius Leva, Duces Cæsariani, coadunatis
„ copiis castra Regis Francisci, quæ in fera-
„ rum juxta urbem septo communita habe-
„ bat, invadunt; commissóque variis locis
„ cruento acríque prælio, tandem fusis fuga-
„ tísque Francis, Italis, Helvetiis, amplissi-
„ móque Francicæ nobilitatis equitatu dissi-
„ pato, memorabilem victoriam, capto Rege
„ Francisco, octodecim viris illustribus, mul-
„ ta nobilitate, ac militum multitudine in-
„ genti in potestatem redacta, cæsísque cir-
„ citer decem virorum millibus, ac inter hos
„ viginti Proceribus, obtinuêre. E Cæsaria-
„ nis circiter octingenti sunt desiderati, so-
„ lúsque alicujus nominis Ferdinandus Ca-
„ striota, Fani D. Angeli Marchio, ac cum
„ eo Hugo Cardona, periêre. Vulnerati
„ sunt Piscarius ac Leva. Itali, Francos universâ
„ ferè pulsos Italiâ à Cæsarianis conspici-
„ entes, ingenti formidine corripiuntur, ve-
„ teri Cæsarum in Italia Imperio ac Monar-
„ chia ob oculos versante, ad quam Carolum
„ Cæsarem aspiraturum pro certo sibi persua-
„ debant. Pontifex Clemens mense Martio
„ cum Pro-Rege Lanoio, Cæsaris nomine sti-
„ pulante, fœdus, pacémque facit: quæ ta-
„ men paulò pòst Cæsarianorum in Italia Du-
„ cum culpâ, nimìs properè animum dete-
„ gentium, fuit rupta. Cæsar in Hispania
„ decimô Martii Regis captivi ac Pro-Regis
„ Lanoii literis de victoria certior factus,
„ tanta moderati animi signa dedit, omnes
„ ut summopere obstupescerent, mirarentúr-
„ que ab adolescente Principe, arridentis for-
„ tunæ tam ingentem favorem tanta cum animi
„ cum modestia perferre potuisse &c. „

Surius ad hunc annum.

[9.] Ciaconius & Panvinius ubi suprà.

[10.] Ex Autographo ipsius.

[11.] Ex literis Archi-Ducis.

[12.] Ex Originali ipsorum.

[13.] Streinius in Annal. Superior. Austr. ad annum 1526. in fine.

[14.] Ex Autographo Consilii Cameræ Aulicæ.

[15.] Melchior Soiterus à Vinda Juris-Consultus lib. 1. de bello Pan.

[16.] Ex Autographo Archi-Ducis.

[17.] Ex decreto ipsius Archi-Ducis.

[18.] Streinius in Annal. ad annum 1525.
„ Der bemeldt Baurenkrieg hat sich in Landt
„ ob der Enß je länger je mehr erhebt: Herr
„ Ciriac Freyherr von Pollhäm Landtshaubt-
„ man thuet das Auffbott nach Corporis
„ Christi. Herr Alexander Schifer ist Feldt-
„ Haubtman wider die Bauren, der nimbt
„ durch Herrn Achazen von Losenstein Be-
„ scheidt von Ihr Fürstl. Durchleicht Statt-
„ halter Hoff unndt Camer-Räth der N. Oe.
„ Lande über etliche Articul, wie hernach
„ folgt. Nachdem Herr Achaz von Losen-
„ stein auf Herrn Alexander Schifer Feldt-
„ Haubtman ober der Enß Begehren, Ihro
„ Fürstl. Durchleicht Statthalter Hoff unndt
„ Camer Räth der N. O. Lande etlich Arti-
„ cul mündtlich fürgetragen, darauf sie ihme
„ wie hernacher folgt Bescheidt geben. 1. mò
„ von wegen der Baursleith, wie aus den
„ Pfahren von den Feldt-Haubtman mit Auf-
„ legung eines jeden Hoffs Hueben Güetter
„ und Holden durch den Feldt-Haubtman Er-
„ forderung gethan, unndt durch sye Geldt
„ mitbracht werden solle &c. Ist Hoff unndt
„ Camer Räth bescheidet, daß der Feldt-
„ Haubtman diser Zeit zu Gehorsam nit er-
„ fordere, sondern von welchen Enden die
„ Baurn auffriehrig unndt ungehorsam sein,
„ daß er denselben zu Rossen und Fuessen
„ zueziehe, unndt die mit Brandt oder ander
„ weeg zu Gehorsamb bringe: Unndt wo sich
„ aber die Bauren nit rotten oder besamlen,
„ oder sich zu Gegenwöhr schickhen wur-
„ den, alsdann abermahls, welche Pfahr,
„ Marckht, oder Besamblung am meisten
„ auffriehrig muetwillig unndt widerspenig
„ gewesen, denselben zueziehe, unndt auch
„ mit der Thatt dahin bringe, daß sye selbst
„ Gnadt begehren, ehe er sye derhalben be-
„ schickh, unndt darnach die andern, so nit
„ so gar aufrierig, oder muetwillig gewesen,
„ in Gehorsam unndt Glüb wie obstehet, er-
„ fordere, unndt so er also sie in Gnadt unndt
„ Ungnadt annimbt, daß sye aus der besche-
„ henen Bündtnus unndt nimer darein zu koh-
„ men schweren, unndt huldigen, auch all
„ Rädelfiehrer unndt Anfaher der Aufruehr
„ überantworten. Unndt darauf auch einen
„ jeden sein Hoff unndt Güetter nach Gele-
„ genheit eines jeden Vermögen zu Brandt-
„ schätzung geschlagen, unndt durch der
„ Fürstl. Durchleicht auch einer Landschafft
„ Verordens eingenohmen, unndt hal-
„ ber Theil zu Ihr Durchleicht, unndt der
„ ander halb Theil der Landtschafft, inmas-
„ sen

„ sen die Fürstl. Durchleicht den Landtschaff-
„ ten in Steur, Kärnten unndt Crain aus
„ Genaden auch bewilliget, von Genaden
„ wegen zuegestelt werde; doch ausgenoh-
„ men die Rädelsihrer so die einföltige Baur-
„ schafft in die Aufruehr bewegt, in solchen
„ auszuscheiden, sondern dieselben an ihren
„ Leben zu straffen. Aber welcher Marckht
„ Pfahrmenig oder Dorff glaublich in diser
„ Auffruehr unschuldig weren, unndt sich nit
„ in Bündtnus geben noch darzue geschwo-
„ ren hätten, auf dieselben kein Straff zu le-
„ gen, sondern ihnen von Fürstl. Durchleicht
„ anzuzeigen, dieweillen sie sich hierin als
„ getreu gehorsamb Unterthanen gehalten,
„ wölle die Fürstl. Durchleicht dasselb mit
„ sonderen Genaden gegen ihnen erkehnen.
„ Nach dem sich die Baurschafft durch den
„ Glockhen-Schlag zusammen rotten, dem-
„ nach sollen alle die groß Glockhen, so die
„ Baurn die in der Bündtnus unndt unge-
„ horsam gewesen, unndt die zu der Auffruehr
„ gebrauchen wollen, all zuschlagen unndt
„ zu Ihro Fürstl. Durchleicht Handen genoh-
„ men werden, unndt zu den Gottsdienst
„ ein kleines Glöckhl zu leiten, unndt von
„ den Bauren allen die sich wie obstehent in
„ Gehorsam unndt Gnad begeben, sollen
„ ihre Wöhren genohmen, unndt die hinfih-
„ ran zu haben nit gestattet werden. Actum
„ Wienn den 15. Julij an. 1525. „

[19.] E literarum monumentis.
[20.] Ex Edicto Principis terræ.
[21.] E copia mandati Archi-Ducis.
[22. & 23.] Ex Apocha ipsorum.

Ann. Christi MDXXVI. Monasterii CCCLXXXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

CArolus Imperator pace per eos dies cum Rege Francorum Francisco, quem captum detinebat, certis conditionibus factâ, & sorore sua illi in matrimonium traditâ, abire, duobus ejus filiis obsidibus acceptis, permiserat. Rex liber factus negavit se his conditionibus teneri, quas Cæsar ultima carceris necessitate expressisset, atque ita fœdus cum Clemente Venetísque pro Italica libertate tuenda, & Sfortia paterno imperio restituendo, amicitiámque percussit. Inde acre in Insubribus bellum contra Cæsarem à confœderatis gerebatur. Cæsareanorum Ducum egregia tum facinora enituêre, arce Mediolani non solùm per deditionem recepta, sed & hostibus procul ab urbe remotis. * [1.]

„ Dum hæc in Italia geruntur, Tur-
„ ca in Ungaria ulteriùs suum promo-
„ vet imperium, atque Ludovico Pan-
„ noniæ juveni Regi, & bellicis artibus
„ propter ætatem non satis instructo
„ bellum indixit. Tandem ægrè vi-
„ ginti quinque millibus peditum &
„ equitum coactis magna temeritate
„ itum est obviam Turcis, quorum
„ octuplô majores erant copiæ. Ubi
„ ad pugnam ventum est, nullo nego-
„ tio Turcæ Christianos protriverunt,
„ ita ut & Rex ipse, cùm sibi fugâ salu-
„ tem quærere vellet, lapsus in palu-
„ dem, suffocatus sit, unde tamen ejus
„ cadaver postea integrum extractum
„ apud Albam-Regalem Regio funere
„ tumulatum est. Solimannus hac vi-
„ ctoria potitus, & incredibili tormen-
„ torum æneorum copiâ auctus ac lo-
„ cupletatus Budam occupavit, ubi ex
„ arce nil aliud abstulit, nisi statuas
„ æneas tres ingentes, quæ Matthiæ
„ Regis fuerant. Maria Ludovici con-
„ junx, Caroli Imperatoris soror ægrè
„ ex hostium manibus dilapsa Viennam
„ profugit. Strages ista Christianorum
„ 29. Augusti facta legitur. In locum
„ Ludovici Regis primùm à Bohemis,
„ inde ab Ungaris electus est Ferdinan-
„ dus optimus & Christianissimus Prin-
„ ceps, Caroli Cæsaris germanus frater.
„ Sed ne quid deesset ad supremam re-

„ gni Ungariæ cladem & excidium, à „ quibusdam Pannoniæ Rex electus est „ Ciliæ Comes Joannes Vaiuoda, qui „ non cessavit legitimum Regem Fer- „ dinandum multis exagitare modis, „ donec tandem Ungaria tota ferè con- „ cessit in ditionem Turcarum. „ [2.] Hæc Surius. Qui fusiùs hæc legere desiderat, legat Salomonem Neugebauerum à Cadano. [3.]

E literarum Monasterii Zwetlensis monumentis sequentia eruuntur: Ferdinandus Archi-Dux mandat Abbati, ut coram D. Georgio de Puechaimb Barone in Raabs & Krumpach, Consiliario suo, & Austriæ Mareschalco, Sebastiano de Hohenfeld, & Ditrico de Hartitsch Præfecto in Retz & Capitaneo suo Commissariis suis, in civitate Zwetlensi cum colonis suis ratione mulctæ pecuniariæ quoad redimendum incendium ibidem acturus compareat, donec res componatur, ut rebelles rustici puniantur, & innocentes liberi relinquantur. Datum Viennæ 5. Januarii, annô 1526. [4.] Notandum, quòd Abbas Erasmus anno præcedenti de processu Ditrici de Hartitsch circa dictam mulctam impositam conquestus fuerit, unde lis per commissionem componi debuit, coram Mareschalco, sub quo dictus Ditricus erat.

Status Austriæ Inferioris etiam nomine Archi-Ducis ab Abbate in Zwetl septem equos, decem pedites, & in pecunia ducenta quinquaginta tria talenta, 5. ß. & 6. den. ad unum tantùm mensem petunt. Præterea ut singuli Status in provincia ista, quilibet de possessionibus suis in Austria sitis indicem quantocyus porrigant. Datum Viennæ, 8. Julii, annô 1526. [5.] Dictos milites, equos & pecuniam subitò Archi-Dux, qui tunc Spiræ in comitiis Imperii fuerat, promiserat Ludovico Regi in auxilium contra Turcas, qui Ungariam secundò inundârant, sed Rex non expectans auxilia Germanorum infeliciter pugnans occubuit in palude fugiens submersus, ùt suprà dictum fuit.

Præcedenti anno demum summum Altare in Templo Monasterii Zwetlensis ad ultimam manum deductum fuit, sicut Annus MDXXV. ad cornu Epistolæ ex Altaris ala legitur, ad cujus perfectionem M. Andreas Morgenstern dictus arcularius & civis Budvicensis in Bohemia collaborâsse conjectatur, qui ab Erasmo Abbate se pecuniam pro tabula magna Chori ibidem accepisse fatetur. Actum in Monasterio Zwetlensi in die S. Colomanni, nimirum 13. Octobris annô 1526. [6.] Hujus Altaris sculptorum nomina non invenio, quorum sex fuisse feruntur, inter quos unus è civitate Zwetlensi aliquando nimiùm potus ad Monasterium rediens, & in silva ante portam ejusdem pedem suum ad truncum dejectæ arboris impingendo lædens, indignatus quasi trunco ob læsionem pedis, illum sibi notavit, ac postero die illum effodiens dixit, ego me de te vindicabo, & ita te conscindam & effingam, ut omnes ante te genua sua incurvare debeant: Sculpsit enim ex eo imaginem Ecce Homo sedentis in trunco, & illam super Sacrarium, ubi Venerabile servatur, collocavit, quæ adhuc hodie ibidem conspicitur. Non quidem ut imago adoraretur, sed ut Venerabile Sacramentum ibi reconditum cultu latriæ coleretur.

ADDITIONES.

*[1.] Onuphrius Panvinius in Clemente VII.

Ciaconius ibidem.

Piespordius sub Carolo V.

Pontus Heuterus lib. 9. cap. 5. „ Conditionibus † (*pacis Carolum inter & Franciscum factæ*) ultro citróque subsignatis, ac „ jurejurando confirmatis, Rex ac Cæsar diu „ sæpéque publicè collocuti, eadémque quadrigâ vecti, sponsam Leonoram invisunt. „ Tandem Rex Franciscus decimô octavô Martii, cum Pro-Rege Lanoio, ac Alarcone „ custodum suorum Præfecto, comitantibus „ quinquaginta equitibus, Fontarabiam venit;

„ nit; mater ejus Ludovica cum Delphino, „ ac Aureliæ Duce Bajonam, indéque pro- „ greſſi ad flumen, nomine Toloſam, quod „ eò loci Hiſpaniam à Gallia dividit, in ripa „ conſiſtunt. Stabat in amnis medio navis „ longa, anchoris firmata, hominibus vacua. „ Hanc Rex, ſcaphâ advectus, cum Lanoio, „ Alarcone, ac octo viris nobilibus ingredi- „ tur. Idem ab altera ripa cum Regiis filiis, „ totidémque viris, Odetus facit Foxeus „ Lautrechi Dominus, tradens Lanoio Del- „ phinum ác Aurelianum, qui eos per Alar- „ conem, in Hiſpanicum littus expoſitos, „ equitibus Hiſpanis tradit: eodémque mo- „ mento Rex è navi in ſcapham alteram, in- „ déque in Francicum exiliens littus, equum „ conſcendit Turcicum miræ pernicitatis; „ ſubditíſque calcaribus à curſu non deſtitit, „ quoadusque ad fanum Joannis Luſii, indé- „ que Bajonam perveniſſet, ubi incredibili „ matris totiúſque Aulæ, quæ celeberrima „ convenerat, cum lætitia ac concurſu eſt „ exceptus. Tum Angliæ Regem, miſſo no- „ bili viro, de recepta libertate certiorem „ facit, gratiáſque agit, quòd ejus potiſſimum „ operâ eam eſſet adeptus, pollicitus ſeſe ab „ ejus amicitia, quamdiu vixiſſet, nunquam „ diſceſſurum. „

† Inter conditiones, quas laudatus Au-thor prolixè & exactè recitat, fuerunt & hæ: „ Ducatum Burgundiæ, quæque inde depen- „ dent, cum comitatu Charoloi, Noëtii, „ Chaſteau-Chinonii, Vice-comitatu Auxo- „ næ, ac Fani Divi Laurentii juris Comita- „ tûs Burgundici, quæque ab omni antiquitate „ juris Burgundici fuêre, ſextâ à die libera- „ tionis Regiæ ſeptimanâ Cæſari reſtituito, „ nulla in iis Regi, Regno, nec ſucceſſoribus, „ juris petitorii, nec poſſeſſorii (ùt hodie „ loquuntur Juriſconſulti) actione ſervata; „ ſed in perpetuum hæc deſerens, ea Cæſari, „ utriusque ſexûs ejus liberis, eorúmque ſuc- „ ceſſoribus, cum omni prærogativa juris pa- „ tronalis, reddito, reſtituito, ac in æter- „ num relinquito, cedens in perpetuum omni „ Ducatûs Burgundiæ eóque pertinentium „ Ditionum poſſeſſione, ſive eæ occupatione „ aut acquiſitione ceteris Franciæ provinciis „ Salicæ legis authoritate, aut quacunque „ alia ratione ſunt conjunctæ; iis omnibus „ eadem poteſtate ac authoritate hanc juris „ naturam derogans, auferénsque, qua id „ acquiſiêrant, inſupérque ſe & ſucceſſores „ omnes ſpolians poteſtate authoritatéque, „ qua id jus, eandémque actionem, veri, ve- „ riſimilis, ficti, aſſumptíque juris velamine „ reſumere poſſent, nullis in contrarium ju- „ ris clauſulis hìc non expreſſis, quæ ad hanc „ rem ſibi ſuíſque uſui aliquando eſſe poſſent, „ obſtantibus, aut obſtaculum aliqua ratione „ exhibere præberéque valentibus. Rex ex- „ templò Ducatûs Burgundiæ, ceterarúmque „ dictarum Ditionum incolas à dicto ſibi re- „ gnóque Franciæ Sacramento promiſſâque „ obedientia plenè abſolvito. Civitates, op- „ pida, arces, munitiones, in eo, quo ſunt ſta- „ tu, cum omni bellico apparatu, commeatu, „ ac quidquid Regii juris eſt, ſpatiô ſex ſepti- „ manarum à die liberationis reſtituito &c. „

Poſt plura ubi ſuprà, proſequitur Heuterus cap. 6. „ Vere hujus anni Cæſar Hiſpali recipit „ Elizabetham filiam natu maximam Emanue- „ lis Portugalliæ Regis, quam Marchio Vil- „ lerealis deduxerat, eámque, præeunte urbis „ Præſule, ingenti totius Hiſpaniæ Ordinum „ lætitia, quòd dudum has expetierant nu- „ ptias, uxorem ducit. Concurrerat uni- „ verſa Hiſpaniæ nobilitas Seviliam, omníque „ magnificentiæ genere nuptias cohoneſta- „ bant. Annorum erat ſponſa viginti duo- „ rum, Cæſar viginti ſex. Interea Spiræ Ne- „ metum vigeſimô quintô Junii conventus „ Germaniæ fit Principum, in quo Cæſaris „ recitantur literæ menſe Martio Seviliæ ſcri- „ ptæ, quibus promittebat ſeſe brevì in Ita- „ liam coronationis causâ profecturum, actu- „ rúmque cum Pontifice, futuro Concilio lo- „ cus tempúſque deſignaretur, in quo certi „ aliquid de religionis dogmatibus ſtatui poſ- „ ſet. Interim ſe velle ac jubere, nec Princi- „ pes nec civitates vel apicem unum in reli- „ gione mutent, ſed per omnia veterem ex „ præſcripto conventûs Wormatiani obſer- „ vent. Sub hoc tempus Solymannus Tur- „ carum Rex Ludovicum Bohemiæ ac Hun- „ gariæ Regem præliô ſuperatum occidit, „ uxórque ejus Maria Auſtriaca, Cæſaris ſo- „ ror, liberis non genitis, in Auſtriam ad „ fratrem Ferdinandum eſt reverſa, qui Lu- „ dovico in Bohemiæ ac Ungariæ Regno, „ causâ uxoris Annæ, ſororis ac hæredis uni- „ cæ dicti Regis Ludovici, ſucceſſit &c. „ Spondanus hìc n. 1. & ſequentibus.

[2.] Surius in Commentario hoc anno ſubdens: „ Ita ut meritò dici poſſit, illius „ barbari hoſtis vires non niſi inteſtinis Chri- „ ſtianorum bellis, odiis, & ſimultatibus cre- „ viſſe. „

Megizerus Tom. 2. Annal. Carinthiæ lib. 11. cap. 20.

Melchior Soiterus à Vinda J. C. de bello Pannonico lib. 1.

Georgius Bartholdus Pontanus in Bohemia Pia lib. 2.

Piespordius in Ferdinando I.

Spondanus hic n. 10. & sequentibus, ubi n. 11. hæc refert: „ In latissimis campis Mohaczii oppidi ad invadendos hostes compellentis; factum est sub vesperam diei festo Decollationis Sancti Joannis Baptistæ vigesimô nonô Augusti, (pro quo malè nonnulli natalem S. Joannis vigesimum quartum Junii ponunt) ut post sesquihoræ certamen Hungari magna cæde fugati fuerint: ipséque Rex, rebus profligatis, fugâ sibi consulturus, in vicina palude, cùm in altiorem paulò ripam evadere conaretur, equo cum sessore in dorsum corruente, ita ùt erat totus etiámque capite armatus, bipalmis in aquæ lutulento gurgite depressus & suffocatus interiērit, annô ætatis vigesimô, mense secundo, regni post patris obitum annô decimô, mense quinto: dignus omnino longiori vita, quâ in virum præstantem evasurus sperabatur. Cæsi sunt in pugna & fuga, unà cum eodem Paulo Duce belli Archi-Episcopo Colocensi, Archi-Episcopus Strigoniensis regni Primas, aliíque quinque Episcopi; permulti Barones, immensus aliorum nobilium numerus, præter omnem ferè peditatum: ex cujus ducibus vix evasit quispiam alius, præter Hannibalem Cyprium, ducem copiarum, quas Clemens Pontifex suo ære conduxerat. Ex captivis die sequenti mille & quingenti, & inter eos magna primorum nobilium pars, in coronam positi coram exercitu victore capite sunt truncati; pauci servati. Inde Solimanus Budam versùs movens, primariam Hungariæ civitatem, eam sinè ullo præsidio relictam reperit, & combussit, unà cum nobilissima Bibliotheca Matthiæ Regis. Ubi cùm Ludovici demortui & Mariæ uxoris imagines contemplaretur, illacrymâsse ferunt barbarum, etiam in tanta victoria humanæ conditionis memorem, quòd Rex in illa florenti ætate pravorum consultorum impulsu se in tam apertum exitium præcipitem dedisset: quippe non eo se consilio venisse, ut eum paternô regnô exueret, sed ut Hungarorum insolentiam refrænaret, & ipsum beneficiarium Othomanici Imperii efficeret. „

Item n. 13. „ Corpus Ludovici Regis (ùt Jovius refert) ab ejus armigero mox arenâ sepultum, nè eo potiretur hostis, post Solimani recessum ad Albam-Regalem in Regum conditorium delatum est. Quódque nullam prolem reliquisset, facta est de ejus successione contentio inter Ferdinandum Archi-Ducem Austriæ fratrem Caroli Cæsaris, qui tam Annæ uxoris suæ jure, quæ soror erat defuncti Ludovici, quàm Majorum ejus cum Matthia & Wladislao Regibus Ludovici decessoribus conventionibus, quas aliàs vidimus, utrumque regnum Hungariæ & Boëmiæ ad se spectare asserebat; & Joannem de Zapolia Vaivodam Transilvaniæ & Comitem Scepusiensem, qui jam olim post mortem Wladislai patris Ludovici Hungaricum ambierat. Hic autem Joannes à multis proceribus die festo S. Martini undecimô Novembris hujus ipsius anni Rex salutatus, & à nonnullis Episcopis inauguratus fuit. Verùm Stephanô Bathoriô Palatinô regni, atque saniori Prælatorum ac Baronum parte, Ferdinando adhærente, suffragantéque Mariâ Reginâ viduâ ejusdem Ferdinandi sorore; prævaluit demum ejus electio. „

[3.] Salomon Neugebauerus Historiæ Polonicæ lib. 7. hoc anno. „ Nusquam hosti magis repugnatum fuit, quàm ad Strigonium in loco, cui Marotho nomen. Omnium verò tam cæsorum, quàm captorum numerus utrinque putatur excessisse ad ducenta fermè hominum millia. Citeriore Ungaria hunc in modum vexata, terrore non modico longinquis, & præsertim Viennensibus incusso, ponte super Danubium facto, Tyrannus in Ungariam ulteriorem transiit, emissis inde ad omnes partes inter Danubium & Tibiscum, qui omnia similiter vastarent. „

[4.] Ex Autographo.
[5.] E literarum monumentis.
[6.] Ex Apocha ipsius.

Ann. Christi MDXXVII. Monasterii CCCLXXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

TUmultuosus maximè hic annus transiit, nam Germania in Religione perturbata, Ungaria à Joanne Comite Ciliæ pro Rege se habente divisa, Austria

ftria in finibus fuis devaftata, Italia tota bellorum fluctibus commota & fubmerfa, atque Roma ipfa, Pontifice in caftrum S. Angeli fugato, ac obfeffo, fpoliata & devaftata fuit. Borbonius enim ductor exercitûs Cæfareani, qui antè à Gallorum Rege ad Carolum defecerat, fpe potiundæ magnæ prædæ, ad quam immoderatiùs gregarium militem fuum animaverat, Romam per avia & devia advolavit, & ipfe in murum Leoninæ urbis impetum faciens in afcenfu fcalæ inhærens tormento tactus inter primos cecidit mortuus, temeritatis fuæ pœnas dans, Deo haud dubiè hominem ulcifcente, nè urbis abs fe captæ & direptæ fpectaculô gloriaretur: milites verò prophani in Bafilica S. Petri omnia prophanârunt, ingentes cædes perpetrârunt, & omnia depopulati funt. * [1. 2.] In qua tempeftate pretiofiffimam Vaticani Bibliothecam milites perdidiffe feruntur, quod omnes Catholici Hiftorici, atque etiam ipfe Cardinalis Baronius fummè deplorant. De ifta fpoliatione Romana plura qui cupit fcire, legat Ciaconium & Panvinium citatô locô, atque etiam Paralipomena alicujus Anonymi hoc anno ad Abbatem Urfpergenfem.

Ludovicô utì fuprà fublatô, Ferdinandus Auftriacus priori anno electus, hoc anno 24. Februarii Pragæ, & 28. Octobris in Alba Regali in Bohemiæ & Ungariæ Regem coronatur, qui contra Joannem Comitem Ciliæ feu Zepufienfem, Tranfilvaniæ Præfidem bellum parat, qui contra Ferdinandum electus regnô cedere nolebat, fed potiùs auxilia undique conquirebat, ut regnum fibi ftabiliret. [3.] Ferdinandus autem collectâ fubitò manu militari Budam defcendit & occupat, Joannes fugiens Toccaïum caftra metatur, quem Ferdinandus infequitur, & prælium ineunt, ubi Joannes victus in Poloniam fugit, atque apud Hieronymum Lafcum Palatinum Satadienfem moratur. Ferdinandus Tranfilvaniam victor ingreditur, & mox in poteftatem fuam illam redigit, indéque ab Ungaris omnibus Rex eligitur, ac utì fuprà coronatur, fuámque in Bohemiam, conftitutis primùm Ungariæ regno præfidibus, revertitur. [4.]

„ Venio ad Monafterii Zwetlenfis „ acta, inter quæ invenio Ferdinandi, „ Regis Bohemiæ, Infantis Hifpaniæ, „ Archi-Ducis Auftriæ, Ducis Burgundiæ, &c. (*talis titulus hic legitur*) decretum ad Erafmum Abbatem miffum, ut „ per Joannem Genger Allodiorum Magiftrum colonos fuos rebelles conquirere, in vincula & compedes conjicere, & Judici in civitate Zwetlenfi „ ad puniendum tradere maturet, qui „ jam in mandatis habet pœnas ipfis „ debitas infligere. Nominantur autem in hoc decreto rebelles Monafterii fubditi illi, qui annô 1526. tumultuaverant, fequentes: Leopoldus „ Pinder, Jacobus Toppelhofer, & „ Stephanus Maurer de Ruedmans; „ Faunder de Obernhof; N. Altreutter „ & Petrus Riedl de Haslawe; N. Wagner de Gerotten; N. Eisner de Pezles, „ & Hermannus de Germans, qui antea timore pœnæ fugam inierunt, „ tandem ad fua redierunt, quos Rex „ capi jubet. Datum Viennæ 14. Februarii, annô 1527. Regni verò fui „ annô primô. „ [5.]

Ferdinandus Rex deinde petit ab Abbate in Zwetl fex equos cum aurigis feu rectoribus fufficientibus ad aliam evocationem præfentandos. Datum Viennæ 1. Junii, annô 1527. [6.] Jam Ferdinandus Joannis Weywodæ machinationes intellexerat, ita fe armavit contra ipfum, ut regnô fibi hæreditariè debitô ipfum ejiceret, quod poftmodum factum fuit.

Ferdinandus Rex iterum (qui jam Rex Ungariæ & Bohemiæ nominatur) Abbati in Zwetl Erafmo mandat, quatenus promiffos fex equos pro curru cum neceffariis & fervis fuis ad Novam-Civitatem quamprimùm mittat, ita ut 2. Julii ibidem certè compareant. Da-

tum Viennæ 22. Junii annô 1527. Regnorum verò suorum primô. [7.]

Porro Ferdinandus Ungariæ & Bohemiæ Rex scribit Ungariæ regni Optimatibus & Proceribus seu Banis, quòd Joannes Comes Zepusiensis injustè regnum sibi appropriârit, exactiones novas gravissimas imponens: admonet igitur omnes ejusdem regni incolas, quatenus sibi cum exercitu venienti portas omnes civitatum, castrorum, castellorum aperiant, nè in contrarium facientes tanquam in hostes & rebelles suos ipse jure belli animadvertere cogatur. Datum Viennæ 29. Junii, annô 1527. [8.]

Præterea Ferdinandus Ungariæ & Bohemiæ Rex mandat Abbati in Zwetl contra Ungaros rebelles, & limites Austriacos devastantes quatuor armatos equos ad festum Bartholomæi sibi Viennam sinè mora submittere. Datum Viennæ 13. Augusti annô 1527. Regnorum suorum primô. [9.]

Demum nomine Regis ab Excelso Regimine Statibus provinciæ Austriacæ supra Mainhardi-montem dictæ habitantibus præcipitur, ut ad convocationem ultimam, vel per signa ignium, vel campanarum, aut etiam tormentorum faciendam, inprimis decimum, altera vice quintum virum armatum pro milite legant & constituant, & ad Capitaneum dictæ partis Austriæ D. Sebastianum de Hohenfeld & Wolfgangum Handelberger Legatum dirigant, vel certè ita præscriptos suos armatos milites ad Egenburgam civitatem mittant, ut in campis Marchiæ Joannis Zepusiensis Comitis hostiles incursus præcaveantur, qui à Buda cum exercitu suo fugiens ad hæreditaria sua dominia conservanda remeare fertur, unde liberum in Austriam ex ea parte patentem prædandi gratiâ incursum haberet & recursum. Datum Viennæ 23. Augusti, annô 1527. Regnorum verò suorum primô. [10.] Hoc tempore Rex cum exercitu in Ungariam jam descenderat.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius & Onuphrius Panvinius in Clemente VII.

Surius in Commentario, hoc anno.

Melchior Soiterus à Vinda de bello Pannonico, lib. 1.

Spondanus hìc n. 3. & 4. ubi funestissimam dicit fuisse hanc urbis direptionem. „ Adeo, „ ut calamitates, quas tunc Roma passa est, „ non modò explicari, sed ne cogitatione „ quidem comprehendi possint &c. „

[2.] Surius cit. locô, ubi præmiserat: „ Atque hæc quidem omnia insciente & in- „ vito Cæsare acta fuisse vel inde perspici po- „ test, quòd nec approbavit, nec rata habere „ voluit, quæ prophanus miles à Pontifice & „ Cardinalibus vi ac metu extorserat: & simul „ atque in Hispaniam captæ urbis nuntius al- „ latus est, illico cessare jussit ludos & specta- „ cula, quæ propter recens natum ei filium „ Philippum celebrabantur, deditque operam, „ ut Pontifex in pristinam libertatem „ restitueretur. „

[3.] Piespordius in Ferdinando I.

Soiterus à Vinda ubi suprà.

[4.] Neugebauerus à Cadano Histor. Polon. lib. 7. hoc anno.

Megizerus Annal. Carinthiæ lib. 11. cap. 21.

[5.] Ex Autographo mandati ex consilio.

[6. & 7.] Ex Autographo ipsius Regis.

[8.] Ex Edicto Regis.

[9. & 10.] Ex Autographis mandati ex consilio.

Annus Christi MDXXVIII. Monasterii CCCXC.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

JOannes Weywoda exul conferens cum Lasco hospite suo, qua via regnum suum amissum recuperare posset, unicum asylum esse posse refugium ad Tur-

Turcarum Imperatorem ajebat, atque ipſemet Laſcus nomine Weywodæ ſe Conſtantinopolim contulit, effecítque, ut Solimannus Joannem in clientem ſuſciperet, eúmque potenter in regnum ſuum reducere promitteret. Hoc Ferdinandus intelligens protinus ſuum quoque ad Turcam Legatum miſit, producens ſe jus in regnum Ungariæ hæreditarium ex pactis Majorum ſuorum habere: quæ tyrannus parviſaciens durum & ſuperbum Legato reſponſum dedit, ſiquidem propoſuiſſet contumeliam acceptam armis vindicare, Ungariámque tanta armatorum multitudine iterum ingreſſurum, ut Ferdinandus in ipſa quoque Germania non ſit tutus futurus. Quo reſponſo Legatum præproperè Conſtantinopoli abire juſſit. * [1.]

Hoc anno Monaſterium Zwetlenſe multis oneribus in belli ſubſidium fuit exhauſtum: nam ſicut D. Michaël Abbas Scotorum Viennæ fatetur, ſolvit à Rege petitam & à Prælatorum Statu promiſſam pecuniam in uſum defendendæ fidei orthodoxæ contra ejusdem hoſtes Anabaptiſtas alióſque hæreticos, nimirum 33. tal. 2. ß. 6. den. ſub dato Viennæ 20. Junii annô 1528. [2.]

Deinde quoque ab eodem Rex Ferdinandus per Commiſſarios in belli uſum petiît equos octo armatos, coram quibus Abbas ſe excuſat, tot ſe dare equos non poſſe, ſed promittit tres equos quantocyus in bellum inſtructos expedire velle, atque in hoc Regi ſe obedientem præſtare, reſpicerent ad alia onera, quibus modò gravatus eſſet, nimirum mille quingentorum florenorum ſingulis annis in domum provincialem ſolvendorum, item duorum equorum ad menſem quintum in Ungaria ſuis expenſis alendorum. Actum 2. Auguſti, annô 1528. [3.] Unde etiam motus D. Ulricus Leiſſer apparatûs bellici Magiſter Viennæ apud Regem Ferdinandum ſupplici libello pro Abbate intercedit &c. Datum Viennæ 8. Auguſti, annô 1528. [4.] Ferdinandus tunc erat Budæ, ad quam petitionem, utì infrà, Rex reſpondit: Præterea Eraſmus Abbas apud Regem delatus erat, quòd nullum Conventum aut exiguum aleret, & pauperum numerum in Hoſpitali ſecundùm fundationem non haberet, ſed Rex poſtmodum audiens mandatum ſuum ab Abbate impleri, ipſum laudat, & ut compleat Fundatorum voluntatem hortatur. Datum in arce Regia Poſonii, 22. Novembris, annô 1528. Regnorum verò ſuorum ſecundô. [5.]

„ Rurſum Ferdinandus Rex ab Abbate Zwetlenſi ad Viennenſem Univerſitatem augendam ſubſidium petit; nimirum pro Religione Catholica propugnanda, quæ à Lutheranis impugnabatur: pro Auſtriaca Domo ornanda per doctrinæ excellentiam: pro Monaſtico Statu augendo, quem Lutherus diminuerat. Datum Viennæ 3. Septembris, annô 1528. „ [6.] Et abhinc ita dictum ſubſidium Quæſtori Univerſitatis Viennenſis annuè à Monaſteriis præſtandum incepit.

Demum ad ſupplicem ſuprà libellum Ferdinandus Rex Abbati in Zwetl reſpondet, ſe tribus equis ab eo promiſſis contentum eſſe, & modò mandat, ut illos benè armatos cum ſuis curatoribus tribus menſibus ſervituris Viennam quamprimum dirigat, contra Joannem Comitem Zepuſienſem hoſtem ſuum, qui ultro regna ſua devaſtare conatur, licèt antea penes ſe victoria ſteterit, utendos. Datum Viennæ 24. Octobris, annô 1528. [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Soiterus à Vinda de bello Pannonico lib. 1. „ Quoniam autem potentiâ, „ Ferdinando Joannes ſe intelligebat imparem, propriis viribus diffiſus, externa confugit ad conſilia. Nam & interea temporis, dum hæc agebantur, veteris Marcomanniæ populi antiquo fœdere, quod olim priſcos inter Bohemiæ Reges & Auſtriæ Principes percuſſum fuit, Ferdinandum ſibi creavêre Regem. Veritus itaque Joannes

„ nè regnô solùm, cui inhiabat, excideret, „ verùm etiam, nè & comitatu, quem à Majoribus suis habebat hæreditarium, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: „ qui occasione nova, qua sibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, „ lubens hunc in suum accipit patrocinium: „ noverat enim callidus latro ille, quàm multa „ regna Majores sui per similes hujusmodi occasiones Christianorum Principum è manibus, à Paleologi ipsius atque Cantacuzeni „ temporibus usque jam pridem antea eripuissent. Ferdinandus verò Rex, cùm incendium illud non suam in perniciem tantùm, „ verùm etiam & totius Reipublicæ Christianæ in eversionem exarsurum præsentiret, „ sibi quoque & communibus rebus in tempore duxit prospiciendum. „

Neugebauerus à Cadano Histor. Poloniæ lib. 7. hoc anno. „ Ferdinandus interim Ungariæ regnum sibi contra Turcæ vim stabiliendum existimans, Solymanni amicitiam „ petere decrevit, ratus, ad eam facilè eum „ pertrahi posse, si ei jus, quo legitimus ejus „ regni hæres sit, probâsset suum. Ad quod „ legationis munus delegit Joannem Oberdanscum Ungarum, quem splendido exornatum comitatu, muneribúsque Bassis exhibendis instructum Constantinopolim ablegat. Oberdanscus Constantinopolim ubi „ pervenisset, licèt à Solymanno comiter acceptus, patientérque in consessu purpuratorum auditus fuisset, duro tamen & superbo cum responso fuit dimissus. Respondit „ enim Solymannus, Ferdinandum induciis „ magísque amicitiâ suâ indignum videri, qui „ alieni juris regnum invasisset, cùm ejus jura „ antiqua, quæ obtenderet, sua de Joanne „ victoria reportata planè oblitterâsset, tantísque etiam injuriis se ab illo affectum esse, „ ut eum in gratiam recipere nonnisi violatis „ Majorum suorum institutis queat. Ideóque „ sibi propositum esse contumeliam acceptam „ armis vindicare, Ungariámque tanta armatorum multitudine iterum ingressurum, ut „ Ferdinandus in ipsa quoque Germania non „ sit tutus futurus. Quo responso Legatum „ præproperè Constantinopoli abire jussit. „ Oberdanscus Viennam reversus, omnia, quæ „ de Solymanni adventu Regiis præsidiis referebat, conficta ab ipso credebantur, nemine Germanorum ei assensum præbente. „ Quare ut eam calumniam effugeret, ad Ferdinandum Regem, qui Spiræ tunc comitiis „ aderat, profectus, legationis responsum à „ Turca retulit inexpectatum. Quo nuncio „ non mediocriter Ferdinandus perculsus fuit, „ ut qui probè sciret, Turcam, quæ esset „ minatus, dubio procul executurum, metúsque eò major erat causa, quod Cæsare fratre bellis Italicis implicito auxilia à Germanis petere non auderet, thesauri quin „ etiam & Cæsaris & sui continuis bellis exhausti essent. „

[2.] Ex Apocha ipsius.

[3.&4.] E literarum monumentis.

[5.6.7.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDXXIX. Monasterii CCCXCI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

De improviso hoc anno pestifer morbus (sudorem Anglicum vocant) totam Germaniam pervasit, multis hominum millibus intra 24. horas extinctis antequam certum Medici remedium invenissent. Permulti verò, ubi virus illud exsudâssent, servati sunt. Simul autem & annonæ caritas & tumultus bellici Germaniam per id tempus premebant. * [1.]

Conventus etiam Principum Spiræ mense Februario celebratur; ubi cùm etiam Ferdinandus Rex esset, Legatus ab eo Constantinopolim missus rediit, & Tyranni superbum responsum retulit. Cujus relatione Ferdinandus perterritus, quia sciebat Imperatorem fratrem suum bellis Italicis implicitum, & Principes (qui ob Religionem convenire non poterant & contra quosdam articulos fidei protestabantur, ideóque Protestantes dicti sunt) in tanta rerum perturbatione fore difficiles ad auxilia subministranda, nihilominus in conventu ora-

oratione ad ipsos à Rege habita, auxiliares copiæ decretæ sunt, ac summa belli cura Friderico Comiti Palatino Rheni Bavariæque Duci demandata fuit. [2.] Ferdinandus Lincium rediît, ubi hoc anno ferè semper mansit, nisi quòd Budvicii comitia regni celebrârit ob auxiliares copias conquirendas.

Interea Solimannus Turcarum Imperator Belgradô rectà Budam cum exercitu innumerabili ascendit, ubi Joannes Comes Ciliæ ipsi, Ungaris quibusdam Proceribus & ipso Lasco Polono comitantibus, occurrit, ac manum osculatur, cujus ob causam Turca venisse in Ungariam videbatur. Budâ igitur, quia cives Tyrannum & ejus tyrannidem fugerant, desertâ occupatâ, arcem à quingentis germanis militibus sub Thoma Nadasta defensam oppugnare cœpit, qua contra voluntatem sui Capitanei, quem in vincula conjecerant rebelles, Turcis traditâ, vitam & fortunam pactos eos in exitu, cùm Tyrannus fidem Regi suo datam ab eis fractam audîsset, occidi mandavit, Nadastâ salvô dimissô, quem è vinculis Turcæ liberaverant. Locis deinde ad Danubium occupatis in Austriam ascendit, Viennámque subitò movit. Quam 21. Septembris levis armaturæ equitibus adequitare & lustrare præcepit. Præmiserat autem sub Michalogli Bassarum supremo triginta millia Turcarum, qui usque Lincium & in partem Stiriæ excursionem facerent, qui Christianæ plebi multa damna in tota ultradanubiana provincia intulerunt, maximámque stragem fecerunt. Erant ex Christianis exteriùs ad utramque Danubii plagam Duces egregii, Paulus Vagitius ex Græcia oriundus, & Sigismundus de Weixelberg cum aliquot centenis equitibus ad Turcarum itinera intenti, multósque ipsorum per devia deprehensos mactârunt. Viennenses quidem ad tanti hostis adventum primùm trementes, urbem tamen omnino se usque ad mortem defendere velle decreverunt. Quemadmodum Deô propitiô feliciter præstitêre, utì obsidio hæc passim & fusè descripta habetur. [3.]

Solimannus Budam cùm rediîsset, Joannem Ungariæ Regem constituit, eúmque amicum & beneficiarium diplomate solenni appellavit, adjuncto ei Ludovico Gritto, ut ejus consiliô usus, quæ ad regnum confirmandum necessaria forent, ordinaret. Nec multò pòst metu hyemis ingruentis, & invalescentis magìs magísque frigoris jumentis, camelis præsertim summè infesti in Thraciam reversus est. [4.]

Eruuntur porro ex literis Monasterii Zwetlensis hoc anno sequentia: „ Dominus Franciscus Josephus Episcopus „ Segmensis Ordin. Fratrum Prædicatorum Magnificis Dominis Regentibus „ Viennam scribit, quòd Abbas Zwetlensis optimè se tractet, eúmque ipsis „ commendat, & affirmat se jussu Regiæ Majestatis huc deportatum fuisse. „ Ceterum se velle sequi voluntatem „ Regis, ubicunque ipsum stare Regi „ placeret. Datum in Monasterio Zwetl „ in die Priscæ, nimirum 18. Januarii, „ annô 1529. „ [5.] Conjector ego dictum Episcopum à Turca de Sede sua ejectum & mutilatum per Monasteria Austriæ deportandum à Rege, ad quem confugerat, jussum fuisse.

„ Eousque hoc anno Erasmus Abbas ob continuos census solvendos „ devenerat, ut etiam quædam bona „ distrahere cogeretur, unde scribit „ Domino Gabrieli Comiti Ortenburgensi Baroni in Freyenstain & Carlspach, Regi Ungariæ ac Bohemiæ à „ Consiliis & Camera, & Joannem Genger Allodiorum Magistrum de venditione bonorum cum eo acturum mittit. Datum in Monasterio Zwetl 9. „ Martii annô 1529. „ [6.]

Deinde Ferdinandus Rex omnibus Dominis & Judicibus regnorum ac provinciarum suarum mandat, quatenus in omnes & singulos Anabaptistas rationis compotes secundùm constitutio-

nem Spiræ in Imperii comitiis factam vel igne vel gladio, prout factum & persona postulare videbitur, animadverti curent. Datum Viennæ 18. Maji, annô 1529. Regnorum verò suorum annô tertiô. [7.] Ex hoc mandato Regio apparet, quòd Anabaptistarum secta in comitiis Spirensibus damnata fuerit.

Porro fit mentio in quibusdam literis Joannis Kazianer Regii in campo Capitanei: Leonardi Baronis de Vels Junioris Capitanei super pedestres copias: Nicolai Jurischitz Regi à consiliis & ad militum stipendia distribuenda deputati Commissarii: Nicolai de Thurn Capitanei equestrium copiarum: Joannis Apholterer Campi-Mareschalli: Leonardi Guetenfelder conquisitoris: & Ulrici de Miltenberg præfecti ærarii militaris, apud quos Christophorus Lang famulus Monasterii de stipendio equitum ab Abbate pro bello in campum missorum agebat. Datum in castris campestribus ante Trentschin, 18. Julii, annô 1529. [8.]

Abhinc de Solimanni in Ungariam reditu omnia turbabantur, ita quoque, ut ubi ille Budam receperat civibus vacuam, & arcem occupârat, omniáque loca Austriam versùs in suam redegerat potestatem, decimus vir à Provincialibus petebatur, unde etiam Monasterium Zwetlense virum decimum ex subditis mittere tenebatur, qui sub Joanne Enzeweiser & Richardo Issanar Capitaneis militârunt, & stationes suas infra portam Scotensem Danubium versùs & portam Werderthor dictam habuerunt.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno.

Paralipomenon ad Abbatem Ursperg. hoc anno.

Soiterus de bello Pannonico in fine lib. 1.

Spondanus hoc anno n. 13. „ Hujus anni „ autumnô pestilens morbus de improvisò totam penè Germaniam, præcipuè verò Inferiorem, ac Belgium invasit, quo plurima „ mortalium millia sublata sunt: quem vel à „ notarum indicio vel potiùs ab efficientia, „ Sudorem, & quòd primùm olim in Anglia visus fuisset (ùt suô locô vidimus) „ Anglicum vocitârunt. Describit illum „ pleniùs Ludovicus Guicciardinus; & Medicos memorat, qui utiles de eo libellos conscripserunt. Miræus autem narrat, cùm „ Antverpiæ (ubi tridui spatiô circiter quingentos ea lue extinctos esse, Erasmus quadam epistola scribit) solemnis supplicatio „ ad implorandum divinum auxilium facta „ fuisset ipso die S. Michaëlis, subitò malum „ serpere desiisse: atque in ejus beneficii memoriam deinceps Antverpienses quotannis „ simili die solemnem celebrare supplicationem. Idque ipsum Oliverius contigisse „ Senonis ad invocationem Beatæ Virginis „ scribit. Fuisséque hunc morbum, qui in „ Anglia ortum olim habuit, prænuncium „ hæreticæ pestis, quæ regnum Anglicum erat „ paulò pòst infectura, Genebrardus existimavit. Simul autem gravissima annonæ „ caritate eamdem Germaniam hoc eodem „ anno afflictam fuisse, præter bella ac seditiones, quas diximus, auctores narrant. „ Ita námque Dominus novis indies emergentibus hæresum ac scelerum portentis, „ nova adhibuit flagella: quibus tamen indurati ad malum homines deteriores magìs „ quàm meliores effecti sunt. „

[2.] Neugebauerus à Cadano Histor. Polon. lib. 7. annô 1528. priori anno sub n. 1. relatus.

Soiterus à Vinda de bell. Pannon. lib. 1.

Surius in Commentario hoc anno.

Streinius in Annalib. Austr. Superior. hoc anno & alii.

[3.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. cap. 21. fusè describit.

Surius in Commentario hoc anno.

Soiterus à Vinda de bell. Pannon. lib. 1.

Neugebauerus histor. Polon. lib. 7. hoc anno, aliíque plures.

[4.] Neugebauerus & Surius ubi suprà.

[5.] E literarum monumentis.

[6.] E copia literarum.

[7.] Ex Autographo ipsius Regis mandati.

[8.] E literarum monumentis.

Annus

Annus Christi MDXXX. Monasterii CCCXCII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

VEnit in Italiam Cæsar triremibus ab Andrea Auria Genuam advectus, deinde Bononiam accessit, ubi à Clemente VII. susceptus, Romani Imperii diadema de Pontificis manibus more Majorum accepit, & incredibili apparatu, magnificentissimáque pompa Augustus ipso natalis sui die, qua die etiam Franciscum Gallorum Regem devicit & cepit, sextô nimirum Calendas Martii, Annô MDXXX. appellatus est, cùm Clementis & Venetorum precibus Franciscum Sfortiam in gratiam recepisset, redditô ei Insubrum imperiô, (Mediolani tamen arce ad tempus retenta) de quo tantis cladibus omni devastata Italia dimicaverant. * [1.]

Interea cùm esset in Italia Cæsar, conventum Principum & Ordinum omnium Imperii indixit apud Augustam Vindelicorum in diem 8. Aprilis, ubi maximè de Religione tractatum fuit, ubi Lutherani articulos suæ fidei, authore Melanchtone, quæ hodie Confessio Augustana nominatur, Cæsari obtulerunt, quæ jussu ipsius à Catholicis Theologis est refutata. Porro Cæsar cum Catholicis Principibus omnibus sub comitiorum finem omnino statuit, in ea fide & religione, quam à sanctis majoribus suis velut per manus traditam accepissent, constantissimè permanere. Ei sententiæ omnes & singuli subscripsêre 19. Novembris. Deinde soluto conventu omnes discedunt, Cæsar cum fratre Ferdinando & non paucis Principibus Coloniam Agrippinam petunt. Hoc anno protestantes Lutherani Smalcaldiæ conventum primum celebrant, & fœdus inter se contra Catholicos ineunt. [2.]

Hoc anno etiam Romæ Tiberis mirum in modum inundavit cum magno damno adhabitantium: non multò pòst etiam in Inferiore Germania apud Flandros, Seelandos, Hollandos, atque etiam Franciæ aliquot populos Oceano finitimos, mare ab imis visceribus exagitatum vehementer afflixit. [3.]

Joannes Genger Allodiorum in Zwetlensi Monasterio Magister hunc annum à reformatione rusticorum incepit, quæ dicitur Pontäding, qui superioribus annis tumultuantes in pessimam vitam declinaverant. [4.]

Porro Ferdinandus Rex cùm Turcam ad bellum se præparare denuo perciperet, Provincialium omnium bona & subditos in suis hæreditariis provinciis conscribere jussit, ut ad resistendum hosti pecuniam colligeret, de quolibet talento & domo rurali censum petiturus. Unde Erasmo in Zwetl Abbati præcipit, ut cum omnibus libris fundi ad Monasterium suum spectantibus, ac annotatione pagorum, domuúmque, enumerando etiam in pagis vel aliis bonis anno superiori per Turcam factam devastationem & illata damna, Viennæ coram Consilio Regio appareat ad singula responsurus. Item pecuniam, quam in præterita Turcarum rabie porrexisse tenebatur, secum afferat. Datum Viennæ 6. Februarii annô 1530. [5.] Census tales vocantur talenta, vulgò Pfundtgeld oder Gült / quem Domini dare tenentur, de domibus verò singulis singuli coloni, quod adhuc hodie est in usu continuo. Quòd autem hoc anno repetat ipse Rex totius provinciæ Austriæ Inferioris libros fundi, pagorum, redituúmque numerum & quantitatem, cùm tamen jam Annô MDXXVI. Provinciales hoc fecissent, in causa est,

quia cùm exactiùs ipse scire vellet, quot talenta, quot domus in tota provincia haberet, ita denuo omnes, præsertim Statum Ecclesiasticum requirebat; de quorum bonis ad bellum Turcicum sustinendum tertiam partem distrahendam à Summo Pontifice obtinuerat; sicut etiam hoc anno Erasmus Abbas in Zwetl partim cum consensu Regis plurima bona, utì infrà patebit, divendidit & distraxit.

Rursus Ferdinandus Rex omnibus Austriæ Inferioris incolis mandat, quatenus si Turcam redire contingeret, illi se in loca munita, in civitates, in castra, in castella, in arces, in oppida protinus conferrent, deinde modum confugientium talium suscipiendorum ac modum vivendi præscribit: item de nutriendis senibus, parentibus, & liberis, atque etiam ad alienos Dominos transeuntium jura & documenta ponit: rursum de militibus nominetenus tantùm vagantibus, & de viatico militibus modestis porrigendo. Demum loca pro speculis alta, ex quibus incolæ tormentorum boatu, vel ignibus, aut aliis signis saluti suæ consulere admonentur, numerantur ista: „ Puttenberg, Semering, „ Hainburg, Kalenberg, Püessenberg, „ Göttwey, mons ad Sitzendorf, Leisserberg, mons S. Georgii apud Sicharts, Rauchmaysß apud Schrætenthal, Prugg ad Lytam, Valckenstain, „ Krutt, Anger, Eysenstatt, Scharfeneck, Gunnß, Vorchtenstain, Landsee, Kirchschlag, Pernstain, & Wartenstain. „ Dicit etiam Turcarum Imperatorem ad instigationem Joannis Zepusiensis quondam Weywodæ in Transylvania, & complicium suorum in Ungariam invitatum fuisse. Ait verò vires suas contra hostem hunc communem cum Imperatoris fratris sui Germaniam modò ingredientis exercitu potenti se conjuncturum. Datum Viennæ, 10. Junii annô 1530. Regnorum suorum annô quartô. [6.]

Præterea hoc anno Erasmus Leisser Abbas in Zwetl fratri suo germano Sigismundo Leisser, qui fuit Regi à consilio bellico, & supremus armamentarii Præfectus, grangiam Monasterii Zwetlensis Neunzenhof dictam vendidit 24. Junii, annô 1530. [7.] cum pagis Erchenprechts, Oephlgschwendt, Wurmpach, Stainbach, & Alentsteig. Eodem die & anno alteri germano fratri suo Maximiliano Leisser, qui Capitaneus Regius vexillum peditum sub se habebat, pagos Hollenbach, Mezenslag, & Limphings simili modo vendidit, de quibus bonis Monasterium Zwetlense adhinc cum familia Leisserorum longas coram Excelso Regimine lites habuit, quæ in hodiernum usque diem continuantur. Familia Leisserorum aliàs suam in Stiria originem habuit, sat nobilis, supradictorum parens fuisse videtur Georgius Leisser, qui ex Scholastica de Ernaw etiam nobili uxore sua genuit Sigismundum præfatum, cui hoc anno Neunzen grangia vendita fuerat. [8.] Præterea genuit Christophorum Leisser, qui se scribit de Neunzenhof & Idoltsperg, & in Viennensi obsidione sub fratre suo Maximiliano Capitaneo militavit, uxorem habuit Margaretham filiam Joannis de Eibeswald in Purgstall Equitis, Consiliarii Regiminis Regii, ac Rosinæ natæ de Herberstain Baronissæ, uterque conjunx in Parochiali Ecclesia in Edelbach, quæ ad Monasterium Zwetlense spectat, ad lapidem marmoreum sepultus. [9.] Idem Georgius procreavit Joannem Leisser, qui in obsidione sub Joanne Kazianero egit vigiliarum Magistrum: rursum Maximilianum Leisser suprà nominatum, qui etiam Viennæ obsessus habebat vexillum peditum: postmodum Ulricum Leisser, qui post Sigismundum etiam vocatur Regi à Consilio bellico & supremus armamentarii Præfectus: Ultimò Erasmum Leisser, qui in Monasterio Zwetlensi factus Ordinis Cisterciensis Professus, post Ægidium Abbatem defunctum Abbas fuit electus & confirmatus, utì suprà Annô MDXII. Atque ita

ita Georgius Leiſſer ſex filios habuiſſe videtur. Non tantùm autem hæc ſuprà dicta bona ſuis fratribus Abbas vendidit, ſed etiam grangiam Monaſterii in Cambern juxta Hädreſtorf, Chriſtophoro Leiſſer patrueli ſuo dedit; Item Joanni Fuxberger Oſſarn pagum apud Hertzogburg; D. Wilhelmo de Zelcking Zegerſtorf pagum juxta Stockeraw; Joanni Ernſt civi Crembſenſi mageriam in Hafnerbach juxta Hohenegg; aliquot ſubditos in Alten-Poëlla Maximiliano fratri ſuo, & Abbatiſſæ ad S. Bernardum aliquot colonos in Hainfeld, non quidem omnia hoc anno, ſed & ſequentibus iſta & plura cum Regis conſenſu diſtraxit.

Præterea mentio facta fuit Ulrici Leiſſer armamentarii Viennenſis Præfecti, qui Eraſmo Abbati fratri ſuo ſcribit, quòd ad duo priùs empta Viennæ illa tormenta bellica, quatuor adhuc comparaverit, quorum unum in pondere centum viginti quinque libras habet, centum autem libras metalli emit decem florenis Rhenenſibus: ſcribit præterea ſe duo illa priora probâſſe, quæ paſſus quadringentos ſuperant, & metam attingunt, nuntians, ſe inſignia Abbatis & Monaſterii ſingulis affundi curâſſe. Refert etiam in his literis ſe arces & dominia in Styria Inferiore Wyldon & Weinberg habere. Facit quoque mentionem fratrum ſuorum Maximiliani, Sigismundi & Joannis: item Alexandri vel patruelis, vel avunculi, item aliquarum ſororum. Literæ hæ datæ ſunt Viennæ 19. Auguſti, annô 1530. [10.]

Ex his literis conſtat meam ſuprà de Leiſſerorum progenie conjecturam veram fuiſſe; præterquam quòd Chriſtophorus Leiſſer, qui ſe de Neuntzenhof & Idoltſperg ſcribit, ac Edelbachii ſepultus jacet, omittatur, qui utì mihi videtur, Sigismundi, cui Eraſmus grangiam Neuntzenhof vendiderat, filius & hæres fuiſſe debuit.

„ Demum etiam Erneſtus Adminiſtrator Epiſcopatûs Pataviensis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ ſcribit Abbati in Zwetl, & de privilegiis & libertatibus deducendorum per Oenum ſalium Zwetlenſium absque telonio certior fieri petit, eorúmque privilegiorum deſcriptionem ſibi transmitti poſtulat. Datum Auguſtæ Vindelicorum Dominicâ poſt Bartholomæi, nimirum 28. Auguſti, annô 1530. [11.] Cui Abbas Eraſmus reſpondet, quòd ipſe Viennæ in comitiis provincialibus exiſtens literas Principis ab Officiali ſuo Doctore Leonardo Mötz accepiſſet, ſéque ait, non modò ab Auſtriæ Ducibus, ſed etiam à Ducibus Bavariæ utriusque Majoribus ipſius, item ab Epiſcopis Patavienſibus ſuis prædeceſſoribus privilegia & immunitates ſalium ſuorum liberè ſinè muta per Danubium & Oenum deducendorum habere, quorum copiam protinus miſiſſet, ſi in Monaſterio ſuo tunc fuiſſet. Promittit tamen id poſtea ſe facturum. Datum Viennæ 16. Septembris, annô 1530. „ [12.]

ADDITIONES.

* [1.] Onuphrius & Ciaconius in vita Clementis VII.
Surius in Commentario hoc anno.
Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. c. 13.
Spondanus hìc n. 1. & ſeqq.

[2.] Surius in Commentario hoc anno. Item Spondanus n. 4. & ſeqq.

Cochlæus hoc anno, qui interfuit huic conventui. „ Inter primos igitur, qui Auguſtam convenerunt, fuit Illuſtriſſimus Princeps Elector, Dux Saxoniæ Joannes. In cujus comitatu erant & alii nonnulli Principes, nempe filius ejus Dux Joannes Fridericus: duo fratres Duces Luneburgenſes, Erneſtus & Franciſcus: & Princeps ab Anhalt Wolfgangus. Splendida præterea Nobilitas, & cum eis doctrinæ Lutheranæ Anteſignani: quorum præcipuus erat Philippus Melanchton. Adduxerat & Lutherum ipſum per bonam itineris partem, ad Au-

 „ guſtam

„ gustam tamen usque non perduxit, eò quòd „ esset à Cæsare in Edicto Wormaciensi pro „ hæretico notorio damnatus & proscriptus. „ Volebat eum sub salvo conductu reservari „ in quadam urbe Imperiali propinqua, sed „ responsum est ei à Senatu, non licere sibi „ contra Cæsarem assecurare quenquam. Ita- „ que reliquit eum in munitissima arce sua „ Koburg. Cæsaris autem adventus fuit ali- „ quantò tardior, propter magnos honores „ & pomparum apparatus, quibus honorifi- „ centissimè excipiebatur ubique per terras „ Venetorum, per terras avitas Comitatûs „ Tyrolis. In quibus occurrebat & excipie- „ bat eum summo & gaudio & splendore, „ frater suus Rex Ferdinandus, ejúsque po- „ pulus Suaciensis, qui nominatissimas habet „ fodinas argenteas, donavit eum nummô „ unô argenteô, qui mille ac DCC. aureos „ preciô æquabat, omnia Cæsaris stemmata „ venustissimè repræsentans. Et per terras „ Ducum Bavariæ, qui in pulcherrima ur- „ be sua, quæ Monacum dicitur, nullo non „ exhibito honoris genere, illum quatriduô „ retinuerunt, simul cum Rege Ferdinando, „ & Cardinale Campegio Sedis Apostolicæ „ Legato. Die autem XV. Junii in profesto „ Corporis Christi, cùm Cæsar appropinquâs- „ set urbi Augustæ: occurrerunt ei obviam „ omnes Principes & Status Imperii, quorum „ omnium nomine Reverendissimus & Illu- „ strissimus Dominus Albertus, Cardinalis & „ Archi-Episcopus Moguntinus, ac Magda- „ burgensis Princeps Elector, velut Archi- „ Cancellarius Imperii per Germaniam, de- „ centissima oratione eum excepit: Verum- „ tamen priusquam adirent, omnes ab equis „ descenderunt in occursum ad L. aut LX. „ passus. Sed & Cæsar ipse unà cum fratre „ suo, ùt viderunt, mox ab equis descende- „ runt honoris gratiâ. Facti autem urbi pro- „ pinquiores, excepti sunt supplici devotio- „ ne à Senatu Populóque Augustensi, qui pe- „ destres procedebant: habebant tamen & „ Equites aliquot accuratissimè exornatos, „ & cohortes quatuor ad duo millia pedi- „ tum. In ipsa autem urbe expectabat adven- „ tum ejus Reverendissimus Dominus, Chri- „ stophorus à Stadio, Episcopus Augusten- „ sis, cum omni Clero suo, qui Cæsarem sub „ Tensa deduxerunt in Ecclesiam Cathedra- „ lem, peractísque ibi ab Episcopo benedi- „ ctionum cæremoniis, decantatóque hym- „ nô, Te Deum laudamus: Cæsar in Episcopi „ curiam, quæ Palatina dicitur, velut in ho- „ spitium suum concessit, aliíque omnes in „ sua redierunt diversoria, vespere jam in

„ crepusculum inclinato. Cæsar & illo ve- „ spere adhuc, & altero die manè per suos „ egit cum Electore Saxoniæ, alisque Princi- „ pibus Lutheranæ factioni adhærentibus, ut „ antiquo more irent simul cum Majestate „ ipsius, alisque cum Principibus ac Statibus „ Imperii, in processione publica, qua depor- „ taretur Venerabile Sacramentum Corporis „ Christi. Illis autem excusantibus sese, & mul- „ ta obtendentibus, quæ circa eam rem suæ „ obsisterent fidei: petiit tandem, ut si nollent „ propter honorem Dei comitari, facerent sal- „ tem propter ipsum Cæsarem, ùt Vasalli & „ Principes Imperii. At nec ea ratione per- „ suaderi potuerunt. Unde factum est, ut „ processionis tempus usque in meridiem pro- „ tractum fuerit. Cæsar verò nihilominus „ unà cum aliis Principibus ac Statibus Im- „ perii, suísque cum Proceribus Hispanicis „ Burgundisque eam processionem devotis- „ simè simul & splendidissimè peregit. Ve- „ nerabile Sacramentum portabat Primas Ger- „ maniæ, Cardinalis & Archi-Episcopus Mo- „ guntinus, quem deducebant Rex Ferdinan- „ dus à dextris, & Marchio Brandeburgensis „ Elector Imperii Joachimus, Domini Mogun- „ tini frater germanus, à sinistris. Ante „ ipsum Sacramentum procedebant sæculares „ Principes, ante eos Magistri Curiæ, Cadu- „ ceatores, Heroldi, Buccinatores tum Cæ- „ saris, tum Regis, ante quos præcedebant „ Proceres utriusque Curiæ totúsque Clerus. „ At ponè Sacramentum sequebatur ipse Cæ- „ sar nudo semper capite, quamvis in arden- „ tissimo sole, quadrifidam in manu facem „ ardentem gestans: Post eum omnes Archi- „ Episcopi & Episcopi. Jussu autem & pro- „ videntiâ Cæsaris, omnes tum Principes & „ Proceres gestabant quadrifidas faces arden- „ tes in cera albata: tum longissima processio- „ ne diversi generis Musici decantabant in „ laudem Dei, & Tensam, sub qua portaba- „ tur Sacramentum, semper alternatis vicibus „ gestabant seni Principes sæculares. Luthe- „ ranorum verò contumaciam Cæsar ægerrimè „ ferens, voluit, ut mox altera die cum salvo „ conductu abirent domum. Alii autem „ Principes, pacis & concordiæ avidi suppli- „ cârunt ejus Majestati, ut sedatâ irâ, daret „ eis publicam audientiam, juxta tenorem „ Edicti, per quod vocati fuerant. Quorum „ petitioni acquiescens Imperator, die XX. „ Junii incepturus Acta publica, jussit omnes „ Principes ac Status Imperii adesse in Eccle- „ sia Cathedrali. Ubi Missam quidem cele- „ brabat Primas Germaniæ supradictus: Ora- „ tionem verò latinam disertissimè habuit ad

„ Prin-

„ Principes R. D. Wicentius Pimpinella, „ Archi-Episcopus Rossanus, Nuncius Apo- „ stolicus. Cardinalis námque Campegius, „ Summi Pontificis Legatus de latere, poda- „ grâ & articulari morbo præpeditus, publicis „ actibus raró interesse potuit. Aderant & „ Lutherani Principes, tum in Missa, tum in „ Concione: Quibus peractis, ad publicum „ in Prætorio consessum ex Ecclesia solenni „ more processum est: Elector Saxoniæ ante „ Cæsarem de more equitans, gladium eva- „ ginatum gestabat. In consessu autem pu- „ blico, generalis facta est rerum agendarum „ propositio. - - - - - - - - - Ceterùm „ Cæsar antiquò Romanorum exemplô, ac „ laudabili religiosóque Majorum instituto, „ causam religionis omnibus aliis causis ne- „ cessitatibúsque præferens: In proximo con- „ sessu publico audientiam dedit Lutheranis „ Principibus, qui ex scripto fecerunt recitari „ fidei suæ confessionem Teuthonicè, per D. „ Christianum Beyer: quam & latinam exhi- „ buerunt, cujus Architectus præcipuus fue- „ rat Philippus Melanchton. In qua sanè „ post exordium commemorantur XXI. arti- „ culi de fide ipsorum. Deinde annectuntur „ alii articuli, in quibus recensentur abusus „ (ùt ajunt) mutati, quorum tituli sunt: De „ utraque specie, de conjugio Sacerdotum, „ De Missa, de Confessione, de discrimine „ ciborum, de votis Monasticis, & de pote- „ state Ecclesiastica. In articulis de fide mul- „ ta dissimulabant, quæ antea aliter docue- „ rant. - - - - - - - Cæsar pro innata sua „ clementia ac bonitate, omnia ad finem us- „ que patienter audivit, acceptóque exemplari „ cœtum dimisit: profunda enim jam erat „ vespera. Examinandæ autem & confutan- „ dæ illius confessionis curam negociúmque „ Theologis Catholicorum Principum deman- „ davit. Qui cùm intra paucos dies bene „ acrem copiosámque responsionem adornâs- „ sent (in qua non solùm quæ erronea erant, „ scripturis & rationibus confutârunt: verùm „ etiam circa ea, quæ recta erant, ostende- „ runt Lutherum suis cum complicibus an- „ tea longè aliter docuisse atque scripsisse) „ exhibuerunt eam Cæsari: Cæsar Principibus „ Catholicis. Quoniam verò avidi pacis & „ concordiæ omnes erant, visum est eis, le- „ niùs respondendum, atque omittendum, „ quidquid illorum concionatores antea do- „ cuissent ac scripsissent aliter, quàm eorum „ habebat confessio. Dum autem mutaretur „ confutandi modus, abierunt dies aliquot. „ - - - - - - - - - - - - Augustæ verò post „ Lutheranos, aliam fidei confessionem ex-

„ hibuerunt Cæsari Oratores quatuor civita- „ tum Imperialium, Argentinensis, Constan- „ tiensis, Memmingensis, & Lindauiensis, qui „ sectam sequebantur Zuinglii. Quamvis „ verò Catholicis exosa esset ea secta, maxi- „ mè, quòd negabant, veritatem corporis & „ sanguinis Christi in Eucharistia, Missámque „ prorsus abolebant, & demoliebantur Alta- „ ria, Ciboria, Imagines sacras, & alia Ec- „ clesiarum ornamenta: Juxta tenorem tamen „ Edicti citatorii, concessa est illis publica „ audientia. In qua coram omnibus Imperii „ Statibus, recitata est eorum confessio: Adeo „ sanè astutè comptis verbis adornata, ut sim- „ plicioribus, velut per omnia probabilis, „ facilè imponere posset, adeo bene fucatam „ habebat speciem pietatis. Quam Cæsar „ per eosdem Theologos, qui Lutheranam „ confutaverant Confessionem, confutari jus- „ sit, quorum confutatio publicè itidem re- „ citata est. Cæsar itaque seriò ab illis pe- „ tiit, ut dimissis erroribus cum Majestate „ sua, atque cum aliis Imperii Principibus ac „ Statibus, in fide & religione consentirent. „ Illi verò respondebant, se ad hoc non ha- „ bere mandatum aut commissionem à suis „ civitatibus. Petebant autem exemplar con- „ futationis, ut suis exhibere possint: Quod „ Cæsar justis rationibus denegavit, quamvis „ vellet permittere, ut eis bis aut ter aut sæ- „ piùs recitaretur, si audire velint. At illi „ pertinaces in opinione sua perstiterunt. Cæ- „ sar discessurus Lutheranis certos proposuit „ articulos in publico recessu: Nempe, ut „ intra XV. diem Aprilis proximè futuri, da- „ rent sigillatum responsum: An per omnia „ cum sua Majestate, & cum aliis Principibus „ Statibúsque Catholicis in fide convenire „ velint, nec ne. Item, ut interea temporis „ nihil novi in causa fidei finerent in terris „ suis edi aut venundari. Item, ut aliorum „ subditos non allicerent (sicut hactenus fa- „ ctum fuerat) ad suam sectam, nec ab anti- „ qua fide abducerent. Et si qui adhuc essent „ in terris eorum, qui fidem tenerent Catho- „ licam, ne cogerent eos in sectam suam, ne- „ que ab antiquis ritibus arcerent. Item, ut „ adversùs Zuinglianos & Anabaptistas cum „ Catholicis convenirent, ad consulendum, „ quid contra eos agendum sit. Verùm illi „ ejusmodi articulos recipere noluerunt, & „ sinè concordia discesserunt. Cæsar autem „ nihilominus postea cum omnibus aliis Ele- „ ctoribus, Statibúsque, & alius Principibus „ in generali recessu (ùt vocant) firmiter „ conclusit, ut omnes constantissimè in priscâ „ Majorum suorum religione ac fide perma- „ nerent.

„ nerent. Hæc acta sunt Augustæ, & ab „ omnibus sigillatim subscripta die 19. No„ vembris. Deinde discesserunt omnes, Cæ„ sar & Rex frater ejus, & multi cum eis Prin„ cipes descenderunt versùs Coloniam: alii „ domum reversi sunt. „

Pont. Heuterus lib. 10. cap. 5. „ Cæsar „ cum fratre Ferdinando vigesimô tertiô De„ cembris Augustâ discedit, nil à Germanis „ in causa religionis obtinens, jubens Septem„ Viros initiô Januarii Coloniæ Agrippinæ „ sibi præstò adesse, ad eligendum nominan„ dúmque Romanorum Regem. Et quoniam „ his comitiis in urbe Augustana primùm „ protestantes novæ religionis capita Cæsari „ exhibuissent, Confessio Augustana est ap„ pellata, eadem planè quæ Protestantium „ Secta. Tum varia inter se Germani ac cum „ vicinis fœdera ineunt; iterúmque mense „ Decembri Smalcaldiam convenientes, fœ„ dus mutuæ defensionis causâ faciunt, no„ vósque aliquot socios recipiunt, ac ad Re„ ges, Principes, Civitatésque, quæ nondum „ conjurârant, mittendum, ut se jungant, „ decernunt. Sumit verò Smalcaldicum fœ„ dus hoc tempore seriò initium, desiítque „ eodem anno Suevicum. „

[3.] Surius in Commentario hoc anno. Onuphrius & Ciaconius ubi suprà. Spondanus cit. locô n. 12.

[4.] E literarum monumentis.

[5.] Ex Autographo ipsius mandati.

[6.] Ex mandato ipsius.

[7.] E copiis literarum.

[8.] Megizerus lib. 11. cap. 22.

[9.] Lapis sepulchralis in Parochia Edlbach juxta Neünzenhof.

[10. & 11.] Ex Autographo ipsorum.

[12.] E copia literarum.

INCIDENS.

Heuterus ubi suprà. „ Pridie Calendas „ Decembris sub mediam noctem Mechliniæ „ è vivis decedit Margarita Austriaca, Cæ„ saris Maximiliani I. filia, Caroli Cæsaris „ amita, ætatis annô ferè quinquagesimô se„ cundô, Belgicæ gubernationis circiter vi„ gesimô tertiô, sepelitúrque, ùt jusserat, „ corpus Burgis in Hispania juxtra fratrem, „ cor Brugis Flandriæ apud Matrem, Mech„ linia ùt patria, sibi viscera servante. Justis „ illi pro dignitate solutis Cæsar in ejus lo„ cum, se absente, Belgis præesse voluit so„ rorem Mariam Austriacam, viduam Ludo„ vici Bohemiæ & Hungariæ Regis, quam „ ex Austria Augustam perductam, in Bel„ gium se proficiscentem sequi voluit.

Cap. 6. „ Interea Francorum Rex Fran„ ciscus omnia parârat, quæ ad recipiendos „ obsides filios, è promisso fœderis Camera„ censis erant necessaria, Cæsarísque pignora „ ab Angliæ Rege impetrârat. „

Item Spondanus ubi suprà n. 12.

Annus Christi MDXXXI. Monasterii CCCXCIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

FErdinandus Rex Ungariæ & Bohemiæ pridie Epiphaniæ Domini Coloniæ in primario Templo, ubi Trium SS. Magorum corpora condita asservantur, Electorum Principum suffragiis creatus est Romanorum Rex, & die 11. mensis Januarii Aquisgrani coronatus. Saxo eam electionem per filium suum irritam protestatur, habuítque Principes alios præsertim Lutheranos, qui ei consentirent. Verùm Cæsar, quòd amplissimas haberet ditiones, nec posset semper esse in Germania, consultum omnino putavit, ut in Imperio haberent aliquem loco suo, qui ipso absente rebus præesset. * [1.]

Dum hæc in Imperio geruntur, Excelsum Regimen ordinationem in provincia se tuendi & in loca tuta se conferendi confecit, & scriptò publicari voluit taliter: Ferdinandus Romanorum, Ungariæ & Bohemiæ Rex &c. Provinciales de improviso impetu Turcarum & perduellium Ungarorum, qui Joanni Comiti Zepusiensi adhærent, ad fortiter hostibus resistendum admonet, & se armandi conveniendíque modum præscribit, loca quadripartitæ denominat

nat Austriæ sequentia pro signis observanda. „ Inprimis factis signis adventantis hostis, qui in parte provinciæ „ supra nemus Viennense habitant, protinus suos amandabunt milites Tulnam, qui verò infra dictum nemus „ sunt, ad Novam-Civitatem suos dirigant. Qui ultra Danubium in parte „ supra Mainhardi montem juxta Marchiam & Pulkam torrentes manent, „ militem suum in Cisterstorf, vel quò „ à Capitaneo illius partis jubentur, „ transmittant; qui autem infra dictum „ montem Danubium versùs eam Austriæ partem incolunt, Corneoburgum ablegent. Loca dandorum signorum in his Austriæ quatuor partibus „ sequentia constituuntur: Infra silvam Viennensem Püttenberg, Semering, Hainburg, Wartberg, Calenberg, „ Prugg an der Leyta, Vorchtenstain, „ Landsee, Kirchschlag, Pernstain, „ Eysenstatt, Günns. In provincia supra silvam Viennensem, Götvicum, „ Oëttscher, Sitzenberg, Nusberg ad „ Holenburg, Sontagberg, Hohenegg. „ In parte infra Mainhardi montem, „ Krutt, Anger, Falckenstain, Hertertanz apud Wulferstorf, Leysserperg, Pysenberg, S. Michaëlis mons, „ Puechperg apud Meilberg, mons „ apud Sitzendorf. In parte supra „ Mainhardi montem, Rauhermays „ apud Schrätenthal, mons S. Georgii, „ Kolmüntzberg, Arbasbach, Weissen-Albern, Sperckenpühel apud Grüenbach, in Ihaudnyng apud Rana. Datum Viennæ 24. Januarii annô 1531. „ annô verò regnorum Romani primô „ & ceterorum quintô. „ [2.]

Emit etiam hoc anno Wilhelmus Chünringius de Seveld ex Fundatorum nostri Monasterii familia ab Erasmo Abbate reditus quosdam & subditos in pagis Faundorf & Steltzerndorf. Datum in Seveld 19. Junii, annô 1531. [3.] Hic fuit filius Joannis IV. Chünringii, in Excelso Regimine Regis Consiliarius.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno.
Piespordius in Ferdinando I.
Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. c. 23.
Soiterus de bello Pannonico lib. 2.
Spondanus hìc n. 1. & 2.

Pont. Heuterus lib. 10. cap. 6. „ Decimô „ nonô Calendas Februarii, cùm se Magistratus civésque Aquisgranenses Romanorum „ Regi Sacramentô obstrinxissent, postero die „ Cæsar cum sorore Maria in Brabantiam, Rex „ Romanorum in Austriam contendit. - - - „ Prótestantes Germaniæ Principes considerantes Cæsarem novæ religionis dogmata „ omnino aversari, ac proinde vim aliquando „ ab eo timendam, tertiò Smalcaldiam conveniunt, literásque ad Reges Franciæ, Angliæ, Daniæ, maritimásque ejus tractûs civitates, ac ad alias Imperii dant urbes, secum fœdus propagandæ novæ religionis „ causâ ineant petentes. Dant omnes spem, „ nemine tamen subscribente. Ut verò ratione munire se viderentur, convocant „ Theologos ac Jurisperitos, proponunt, an „ salva æquitate, pietatéque contra legitimum Principem fœdus inter se facere possent? Negant Theologi arma rectè ac piè „ contra legitimum Principem sumi. Idem „ affirmant Jurisconsulti, sed sub conditione: „ expressas enim esse legibus causas, quando „ id justè piéque fieri possit. Fatetur Lutherus se id antea ignorâsse. Arreptô igitur „ statim calamô, contrà quàm sæpiùs scripserat, ac in publicis concionibus docuerat, „ populum adversùs Cæsarem, omnésque qui „ Protestantibus essent arma illaturi, vehementer concitat, æterna comminatus supplicia „ his, qui ad Cæsaris ivissent castra, nunquam „ desitura promittens gaudia, qui re ac consiliô Protestantes juvissent. „

Item præmisit adductus Heuterus. „ Initiô anni 1531. Franciæ & Angliæ Reges „ alienô se à Cæsare animô declarare incipiunt: hic ob materteræ Cæsaris repudium, „ quod ægerrimè eum ferre sciebat: Francus „ felicitatis ac gloriæ Cæsarianæ splendore „ invidiâ correptus, quiescere non poterat, „ sed nova consilia spectare, novósque excitandos motus decernit. Quare ut Solymannum Turcarum Regem ac Protestantes „ Germaniæ Principes in Cæsarem concitet, „ clam Legatos mittit, cum utrisque communicatis consiliis secretum fœdus iniens, hoc „ tamen anno, pudore coactus, à bello abstinens. „

Verùm de hoc dubitanter ſcribit citatus Spondanus n. 3. hisce: „ Miramur Guicciardinum, quaſi rem certam absque ulla hæſitatione aſſerere, Franciſcum conſilia cum Solimaño Turcorum Imperatore communicâſſe, ut eum in Carolum Imperatorem concitaret: cùm Jovius haud Gallis parcere ſciens, ubi dixit fuiſſe, qui id crediſiſſent, nihilominus addat de hoc nihil pro vero „ fuiſſe compertum, cenſeréque ſe eum hac infamia liberum. Solent enim ſic hoſtes hoſtibus omnia ſcelera impingere, & calumniis eos deturpare. Si tamen Franciſcus id commiſit, quàm id infame, ac planè indignum nomine, quod gerebat, Regis Chriſtianiſſimi extiterit, nemo non videt. „

[2.] Ex Autographo ipſius.
[3.] Ex literarum monumentis.

Annus Chriſti MDXXXII. Monaſterii CCCXCIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Erneſtus.	Eraſmus.

Alteram Turcarum in Ungariam & Auſtriam irruptionem Surius egregiè deſcribit, cujus placet textum referre: Annô 1532. Cæſar Carolus, *inquit*, comitia indixerat Spiræ, ſed ob Turcarum irruptiones tranſtulit ea Ratisbonam, ut eſſet propinquior Auſtriæ, cui imminebat Turcarum tyrannus Jam Turca cum incredibili exercitu imminebat Germaniæ, nec poterat negotium ultrà protrahi. Itaque Cæſare in Proteſtantium Confeſſionem Auguſtanam conſentiente in tanta rerum difficultate, pax publica totius Germaniæ ſancita eſt, & ut ad Concilium uſque nulli fiat moleſtia ulla Religionis ergò. Ubi verò Proteſtantes Cæſaris hoc decretum acceperunt, obſequentiam & officium illi deferunt, & auxilia contra Turcas pollicentur. Ferdinandus Rex certior factus de Solimanni expeditione, tres Legatos cum muneribus ad eum mittit, quos ille quidem humaniter ſuſcepit, ſed nihil impetrârunt aliud, niſi ut caſtra ſequerentur. Itaque Ratisbonâ diſceditur, & uno omnes animo ad arma ſe parant. Cæſar ex Italia inſtructiſſimas Italorum & Hiſpanorum copias accerſit. Andreæ quoque Auriæ maris Præfecto dat negotium, ut comparatis triremibus & onerariis navibus, adversùs Turcarum claſſem in Græciam trajiciat. Clemens Pontifex ad id bellum immenſam auri vim contulit, & eo officio ſuum in Rempublicam animum verè paternum egregiè teſtatus eſt, quamquam exactiones Sacerdotiis & Clero impoſitæ nimiùm graves pleriſque viderentur. Galliæ & Angliæ Reges, itémque Helvetii ejus belli ſpectatores otioſos ſeſe præbuerunt. Legatum Pontifex miſit Hippolytum Mediceum Cardinalem, qui præter ingentem pecuniam, etiam multos viros fortes, ac militares equos adduxit. Sub hoc tempore Weywoda Aloyſio Gritto, quem Turca illi ſocium reliquerat, negotium dat expugnandæ Strigonii arcis, quæ Ferdinandi præſidiô tenebatur. Milites Germani eam oppugnationem aliquamdiu fortiſſimè ſuſtinuerant, licèt rerum propè omnium inopiâ laborarent, parúmque feliciter cum Turcis navali prælio manus conſeruiſſent, qui eis ſubſidiô miſſi fuerant. Solimannus interea ubi Belgradum pervenit, Savo amne multis ſimul pontibus conſtrato, innumerabilem equitum multitudinem in Pannoniam intulit, & in Valeriam provinciam, quæ Stiria hodie dicitur, rectâ contendit. Ex Legatis Ferdinandi & captivis quibusdam poſtea cognitum eſt, in exercitu ejus fuiſſe ad quingenta hominum millia, & in iis trecenta ferè equitum millia. In ipſo itinere occurrit illi Guintium oppidum, quod Nicolaus Lurixius (vulgò Juriſchitz dictus) parva ſuorum manu contra tantam hoſtium vim

vim defendere non dubitavit. Referebant Turcæ, se equitem districtô gladiô ipsis urbem invadentibus minas intentantem in aëre conspexisse, quem plerique piè crediderunt D. Martinum fuisse, qui Sabariensibus, à quibus Guintium parùm aberat, omnibus dubiis temporibus semper opitulari consueverit. In hac exigui ejus oppiduli oppugnatione diebus viginti tribus hæsit Solimannus, & cùm vi expugnare non posset, quod mirum profectò fuit, certis tamen conditionibus transegit cum Nicolao Præfecto, atque ita non sinè dedecore inde abscedens, in Carinthiæ fines iter habuit. Habebat in exercitu suo Tyrannus tormenta æneа currulia circiter trecenta, castra plena erant omnis opulentiæ, securitatis, silentii, disciplinæ; universus exercitus vervecinis carnibus atque orizâ affatim reficiebatur. Verùm enim verò non fuit ausus unà proficisci ad Cæsarem, cujus exercitus magna alacritate ejus adventum ad Viennam sustinebat. Ne tamen absque Germaniæ clade discederet, missus est Casonus Dux barbarus & impiger cum quindecim millibus equitum, qui omnia longè latéque depopularentur. Non defuit Casonus Solimanni votis: fit magna passim in agris & pagis cædes hominum: cuncta fumô, flammis, & ignibus per multa milliaria collucent. Ad Lincium usque oppidum, ubi tum erat Ferdinandus Rex, ea barbarorum rabies progressa est. At ubi multâ onustus prædâ eodem ferè, quo venerat, itinere ad Solimannum redire contendit, in nostros pedites & equites incidit, qui diversis in locis ejus reditum operiebantur. In ipso autem itinere captivos ad quatuor millia, nè oneri essent, immanis barbarus crudeliter occidit. Progressus inde in Palatinum incidit, à quo magna equorum & hominum strage edita, ipse quoque Casonus fortissimè pugnans cæsus est. Qui superfuêre, paulò pòst in Londronii & Joachimi Brandenburgici copias delati, pecudum modô mactati sunt, captis tamen nonnullis, qui in servos venderentur. Postremi, qui effugerant Germanos, Ungaros sensêre longè infestissimos, qui etiam fugientes per 60. ampliùs stadia, terga cædentes, persecuti sunt. Ita in diversis locis ad octo ferè millia periêrunt. Solimannus itaque, licèt equitatu nostros multis modis superaret, non tamen est ausus vires periclitari suas, sed (quod maximè dolendum est) plusquam triginta millibus Christianorum in fœdissimam servitutem (ùt ferebatur) abductis, Constantinopolim ex turpi fuga sempiternam secum ignominiam reportans ita discessit, ut identidem respectaret, an Cæsar à tergo sequeretur. Sic immanis ille tyrannus intra paucissimos annos bis Germanorum è finibus cum dedecore profugit. Habuit in hoc bello Cæsar descriptorum peditum nonaginta, & equitum triginta millia, præter alios multos ultro in id sacrum bellum profectos. Ubi verò Cæsar de Solimanni discessu cognovit, in Italiam cum aliquot Germanorum & Hispanorum millibus profectus est. * [1.] Hæc ex Surio. Ad longum hoc bellum describunt Soiterus à Vinda, [2.] & Megizerus. [3.]

Ceterùm è literarum monumentis Monasterii Zwetlensis edictum tale invenitur: Ferdinandus Romanorum, Ungariæ & Bohemiæ Rex &c. mandat omnibus Austriæ Inferioris incolis, ut quilibet ad ignes in speculis positos, ad explosiones tormentorum, & ad fumos montium altiorum, item ad pulsus campanarum, propter hostium Turcarum irruptiones diligenter attendant, qui tunc per signa talia in Austriam involare significantur. Monet deinde, auditis & visis signis prædictis singuli cum uxoribus, liberis, rebúsque suis ad civitates, castella, castra, oppida contra incursus hostiles munita, præmisso antè commeatu suo se conferant. Item cives in oppidis & civitatibus quilibet è frumento farinam sibi sufficientem maturè fieri procurent. Et nihil de commeatu in

domibus desertis pro hostium spoliis à fugientibus relinquatur; Rex aliàs Joanni Catzianero Consiliario suo & summo Austriæ Capitaneo Carinthiæque Præfecto in mandatis dedit, ut inventos omnes post fugam possessorum commeatus in usum militum suorum rapiat, aut si propter instantem hostem non potest, penitus perdat. Datum Viennæ 10. Junii, annô 1532. Regni Romanorum secundô, aliorúmque sextô annô. [4.]

Deinde Rex Ferdinandus ab Abbate in Zwetl pro expeditione contra Turcarum Imperatorem, quem in propria persona Ungariam rursum invadere scribit, pro curru sex equos ad tormenta bellica deferenda petit. Datum Viennæ 26. Junii, annô 1532. Romani regni secundô, aliorúmque sextô annô. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Comment. hoc anno. Neugebauerus histor. Poloniæ lib. 7. hoc anno.

Spondanus hîc n. 1. & seqq.

Pontus Heuterus lib. 10. cap. 7. in fine. „ Habebat juxta Viennam in castris Cæsar „ ducenta sexaginta hominum millia. At „ flos peditum centum millia, equitum tri- „ ginta millia non superabat: cum quibus, quòd „ ex acerrimis Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ, ac „ Belgarum veteranis essent collecti, Cæsar acie „ cum Solymanno certare, si advenisset, ex om- „ nium consilio statuerat. Non enim longiùs à „ Danubio recedere, ne ab immenso hostium „ equitatu commeatu intercluderetur, decre- „ verat. Tormentorum Cæsari ingens aderat „ numerus, quæ percalefacta, & ad exo- „ nerandum inidonea facta, plaustris, rotís- „ que ejecta, hísque implicata, pediti contra „ hostilis equitatûs invasionem, valli loco, „ objici jusserat. Sed Solymannus, consiliô „ Cæsaris perspectô, disciplinâ militum, vir- „ tute, ac ardore motus, conversis signis „ Dravum ac Savum amnes cum omnibus co- „ piis trajicit, Belgradúmque revertitur, ultra „ triginta hominum millia in captivitatem „ abducens, cùm non minorem numerum di- „ versis locis trucidâsset. Dixisse Solyman- „ nus ad familiares fertur; non se temulen- „ tos Germanos, sed Caroli fortunam refor- „ midare, quæ eum in hunc usque diem non „ deserens, insignes victorias tribuisset.

C. 8. „ Cæsar, cognito Solymanni regressu, „ in Italiam reverti statuit, quicquid frater Fer- „ dinandus rogaret, Joannem Vaivodam Hun- „ gariâ ejiceret; cui nil aliud tribuit, quàm ut „ Itali Austriacis juncti, Duce Fabritio Mara- „ maldo, in Hungaria bellum gererent. Sed Itali „ in seditionem versi, ad octo millia virorum, „ invitis Ducibus, domum contendêre, re- „ liqui cum Maramaldo mansêre. Cæsar cum „ veteranis Germanis ac omnibus Hispanis „ per Forum-Julii Venetorúmque Ditiones „ amicè & pacatè incedens, Mediolanum „ pervenit, mensêque Novembri ad Ordines „ Imperii dat literas, jubens pacem Ratisbo- „ nensem observent, fratrémque Romanorum „ Regem agnoscant, sibi necessariò ex Italia „ in Hispaniam proficiscendum. „

[2.] Soiterus de bello Pannonico lib. 2.

[3.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. cap. 24. & 25. ad longum.

[4.] Ex Autographo ipsius in Consilio.

[5.] Item ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDXXXIII. Monasterii CCCXCV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ.*
Clemens VII.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

CArolus hoc anno cum Clemente Pontifice Bononiæ colloquium instituit, ubi etiam cum ipso de futuro Concilio habendo plurima egit, sicuti Protestantibus promiserat. Verùm illi Principes fraude concionatorum suorum eò adducti fuêre, ut Concilium verum & legitimum prorsus repudiârint. Nam Pontificem rei personam sustinere volunt. Imo usque adeo eundem in odium & contemptum adduxerunt, ut apud omnes, qui Lutheri & discipulorum

rum

rùm dogmata complexi sunt, non alio quàm ipsissimi Antichristi loco habeatur. * [1.]

Henricus porro Angliæ Rex à quibusdam improbis adulatoribus malè persuasus, repudiavit Catharinam Caroli Cæsaris materteram, & duxit Annam Bolanam sive Boleniam, ex qua nata fuit Elisabetha, quæ postmodum venenô hæreseos totam Angliam infecit; Rex propter illicitas nuptias à Clemente Pontifice fulmine excommunicationis feritur, sed ille à suo proposito nulla se passus est ratione deduci. Quæ res florentissimum Angliæ regnum in multas calamitates conjecit. [2.]

Nuptiæ quoque Catharinæ Mediceæ cum Henrico Francisci Regis Galliarum filio Massiliæ celebrantur, quibus non tam Franciscus ipse quàm Clemens Pontifex, cujus neptis sponsa erat, præsentes fuerunt, quæ postea inter Cæsarem & Gallum magnum bellum peperêre. [3.]

ADDITIONES.

* [1.] Surius in Comment. hoc anno.

Ciaconius & Onuphrius in Clemente VII.

Cochlæus in actis & scriptis Lutheri hoc anno.

Spondanus hic n. 11. ubi n. 13. refert Lutheri colloquium cum dæmone.

[2.] Surius, Ciaconius & Onuphrius ubi suprà.

Item Spondanus n. 3. & 4.

P. Heuterus lib. 10. c. 9. ad finem. „ Hoc „ quoque anno Henricus Octavus Angliæ „ Rex, repudiatâ Catharinâ Cæsaris mater- „ terâ, cum qua per viginti annos conjun- „ ctissimè vixerat, filiúmque ei, qui paucis „ diebus vixit, ac filiam Mariam, postea Cæ- „ saris filio Philippo nuptam, susceperat, „ Annam Boulenam, Reginæ Catharinæ pe- „ dissequam, liberaliùs inter nobiles virgines „ educatam, ex se gravidam, in uxorem, (ùt „ omnes credere volebat) reipsa pellicem, „ acceperat, ac Londini quartô Calendas „ Junii coronâ redimiri jubet. Peperit septi- „ mô Idus Septembris filiam Elizabetham, in „ adulterio susceptam, quæ sorori Mariæ in „ regno Angliæ successit, patrem Henricum „ impietate ac crudelitate, matrem ac patrem „ obscænis libidinibus referens. „

[3.] Surius, Ciaconius, & Onuphrius ubi suprà.

Item Spondanus n. 7.

Annus Christi MDXXXIV. Monasterii CCCXCVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

CLemens VII. Pontifex diuturni stomachi vitiô tabefactus, sextô Calendas Octobris diem clausit extremum, annô Pontificatûs undecimô, ætatis verò quinquagesimô septimô. Per id tempus inter Cardinales principem locum obtinuit Alexander Farnesius patriâ Romanus. In eum propensô admodum fuit animô Clemens, adeo ut si Pontificatus hæreditate possit obtingere, eum se testamentô sibi hæredem scripturum affirmaret: hortaretúrque Hippolytum Medicem Cardinalem, ut modis omnibus eum sibi substituendum curaret. Quod etiam factum est. Qui à triginta quinque Cardinalibus conclave ingressis Pontifex salutatus, Paulus III. vocari voluit, 3. Nonas Novembris coronatus. * [1.] Hunc Pontificem S. Malachias indigitavit: Hiacinthum Medicorum. Lilia enim cærulea Farnesius in albo campo pro insignibus tulit, & Cardinalis fuit SS. Cosmæ & Damiani, qui fuerunt Medici, & Medicorum Patroni.

Anabaptistæ hoc anno Monasterii in Westphaliæ Metropoli, qui urbem illam Magistratu locô moto in suam redegerant potestatem, Regem sibi quendam

dam sartorem nomine Joannem Batavum (Hanns von Leyden) creant, qui insaniæ prodigiosæ deliramenta plurima edidit, ùt apud Surium præcipua leguntur, & deinde capta urbe post duos annos Rex unà cum complicibus suis horrendô ibidem suppliciô exanimatus fuit. [2.]

Porro Ferdinandus Rex ab Erasmo Abbate in Zwetl frumentum petit, unde cum mandato Pancratium Raiger in Monasterium dirigit, ut cum Abbate de frumento sibi mutuo dando tractet, cui in omni actione fidem adhibere jubet. Datum Viennæ 24. Novembris, annô 1534. Regnorum suorum Romani quartô & aliorum octavô annô. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Onuphrius in Clemente VII. & Paulo III.

Surius in Commentario hoc anno.

[2.] Item Surius ubi suprà.

Onuphrius sub Paulo III.

Spondanus hoc anno n. 25. & 26.

Pont. Heuterus lib. 10. latè cap. 10. & 11.

Cochlæus in actis & scriptis Lutheri sub hoc anno. „ Propheta igitur eorum (*Anabaptistarum*) præcipuus, Joannes à Leydis „ oppido Hollandiæ, artificiô sartor, post oppugnationem ab Episcopo frustrà tentatam, „ suis persuasit, Deum sibi per spiritum mandâsse, ut Rex fieret Israël & Justitiæ, sicut „ David fuerat, ac toti dominaretur orbi, „ perderétque omnem potestatem, tum sæcularem, tum Ecclesiasticam: & nemini parceret, nisi iis, qui suam reciperent fidem, „ fieréntque subditi justitiæ. Cùm ergo nemo auderet spiritûs oraculo contradicere, „ constitutus est generali suorum consensu „ Rex. Qui regnô sic obtentô, mox magno „ apparatu Regalem instituit Curiam diversis „ officiis & Magistratibus, atque insigni pompa „ se suósque Ministros exornavit holosericis, „ auratísque & argenteis indumentis, quæ ex „ Templis abstulerat. Ipse autem gestabat „ coronam triplicem ex auro præcipuo, & „ catenam auream gemmis adornatam: pomum „ item aureum, cui parva crux aurea superposita erat, cum hac inscriptione: Rex justitiæ super terram. Gladium præterea aureum, cum capulo argenteo. Sic & Reginam suam ejúsque virgines pretiosissimo „ splendore fecit ornari &c. „

[3.] Ex Autographo ipsius Regis.

Annus Christi MDXXXV. Monasterii CCCXCVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

CArolus Cæsar invictus hoc anno in Africam ad opprimendum piratam famosum Barbarossam, expeditionem parat, cujus classis septingentis ferè navibus constitit. Paulus Pontifex ad Centumcellas (*Civita Vecchia*) subsistens, inde bene precatus est exercitui in Africam trajicienti. Ubi Carolus occupatâ Guletâ & Tunetô direptô, Barbarossam fugat, & Muleassem in regnum Tunetanum hæreditarium restituit. Victoriâ partâ redit per Siciliam Neapolim, & inde Romam, ubi cum Pontifice multa de communi pace, multa de Concilio collocutus, tandem oratione Hispanica bellum Francisco Regi Gallorum per Legatos publicè indicit, præsente Pontifice & Cardinalium Collegio, nec non multo Clero. *[1.] De qua re plura Ciaconius citatus refert. Bello ita uno sopito, aliud Carolum excepit.

Porro Ferdinandus Rex Romanorum scribit Abbati & Conventui Zwetlensi, quòd, cùm ratione novarum Sectarum contra veram Religionem Christianam & contra omnem honestatem in Romano Imperio exortarum & excitatarum nobis periculum imminere videatur, legerit & nominârit Commissarios D. Paulum de Oberstain Præpositum Viennen-

nensem, & Philippum Preiner Doctorem suos Consiliarios, & tertium, quem de ordinatione sua ipsi advocarent, quibus Abbatem & Conventum parere, fidem adhibere, benignè audire, & respectu summi periculi ita se resolvere admonet, ut ipsi aliàs ad bonum Religionis Christianæ & veræ fidei promovendum tenentur, & ille ab ipsis expectat, quo animo prompto se majori suæ gratiæ insinuabunt. Datum Viennæ 24. Januarii annô 1535. Regnorum suorum Romani quintô, aliorúmque nonô annô. [2.] Quid autem petiêrint hi Commissarii Regii, sequens petitum declarat. Ferdinandus Rex enim ab Erasmo Abbate in Zwetl petiît septingentos florenos porrigi, quos unà cum Conventu promiserat Commissariis, qui fuerunt Paulus de Oberstain Præpositus Viennensis, & Philippus Preiner, uterque à consiliis Regis, & hos per modum mutui petitos. Datum Viennæ 15. Maji, annô 1535. Annô verò Regnorum Romani quintô, ceterorum nonô. [3.] Et ob hanc mutuò petitam sæpè pecuniam Prælatorum Status nimiùm exhaustus humiliter rogat Regem, sibi cuilibet de Ecclesia vel Monasterio suo licere ad tempus bona immobilia distrahere, ut Regiæ petitioni satisfacere queant: inde ob necessitatem ingruentem Rex Ferdinandus generalem Abbatibus præsertim, bonorum Monasteriorum suorum vendendorum licentiam, sed ad tempus tantùm, & ut quamprimum ea redimere potuerint, redimant, concedit. Datum Viennæ, 28. Maji, annô 1535. annô verò Regnorum suorum Romani quintô, & aliorum nonô. [4.]

Inde Abbas Erasmus Vladislao de Hofkirchen Baroni in Kholmuntz, & Magdalenæ conjugi ejus pagum in Ternberg cum reditibus & bonis in Meyssaw ad perpetuò à Monasterio Zwetlensi redimendum vendidit, causam afferens, ut Romanorum Regi pecuniam promissam solvere possit. Datum in die S. Nicolai, 6. Decembris, annô 1535. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno.
Ciaconius & Onuphrius in Paulo III.
Piespordius sub Carolo V.
Heuterus in eodem lib. 10. & 11.
Spondanus ad hunc annum n. 21. 22. 23. 24. & ad annum sequentem n. 5. & seqq.
[2.] Ex mandato Regis proprio.
[3. & 4.] Ex Autographo ipsius Regis.
[5.] E literarum monumentis.

INCIDENS.

Surius cit. locô. „ Hoc anno per Angliam facta est religionis infausta & funesta „ mutatio, Rege ob odium Pontificis, qui „ ejus nuptias probare noluit, connivente, „ licèt antea Luteri dogma acerrimè oppugnâsset. Hoc quoque humanæ mutabilitatis exemplum fuit, non facilè oblivioni „ tradendum, ut qui stat, videat, nè cadat. „ Erant per id tempus in illo regno inter alios „ duo præcellentes viri, pietate & eruditione clarissimi, Joannes Fischerus Roffensis „ Episcopus, & Thomas Morus regni Cancellarius, qui est apud Britannos proximus „ à Rege Magistratus. Ii, utpote viri graves, „ neque divortium cum Catharina probare, „ neque Regis, caput Britanniæ se profitentis, sententiæ subscribere volebant. Id verò tulit animô periniquô, & Roffensi quidem majoris odii auctarium fuit, quòd captivum Pontifex in Cardinalium ordinem „ cooptavit. - - - - - - - Rex Angliæ cernens neque Roffensem neque Morum sibi „ obtemperare velle, utrumque capite damnavit per suos Administros. Roffensis quidem ad X. Calend. Julii, Morus autem „ ipsius Julii 7. die capite plexus est. „

Annus Christi MDXXXVI. Monasterii CCCXCVIII.

Pont. Rom. Paulus III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Ernestus. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

POntifex Romanus sollicitante etiam piissimo Carolo Cæsare, volens perturbatæ Ecclesiæ mederi, hoc anno Concilium Oecumenicum apud Mantuam celebrem Italiæ urbem indixit. Verùm is locus non placuit Germanis Protestantibus. * [1.]

Præterea circa Monasterium Zwetlense nihil adeò memorabile occurrit, nisi quòd quædam inter Præpositum Zwetlensem & Parochianos suos de equo Sacerdotis ad infirmos cum Eucharistia exeuntis disceptatio definiretur. Nam Joannes Rosinus Præpositus Claræ-vallis in Zwetl & Joannes Pschönig Vice-Decanus ac totum Capitulum ibidem unum equum, vulgò dictum Gotts-Roß (eò quòd esset ad usum divinum tantùm adhibendus) pro infirmorum longiùs à Parochia decumbentium salute procuranda fundatum, cúmque è Præpositura & Parochia fuisse alitum fatentur, verùm à suis aliquot antecessoribus neglectum, modò à Parochianis repetitum esse. Qui equus ab Anna quadam vidua Simonis dicti Erman annô Domini MCCCLXXXVII. in festo S. Martini in civitate Zwetlensi cum consensu D. Michaëlis Abbatis in Zwetl ùt Feudatoris, in perpetuum fundatus erat, præsentibus tunc Plebano eo tempore Andrea Krumicher in civitate dicta existente, Judice, atque civibus universis astantibus, tali cum conditione, ut quicunque decimas de quatuor integris laneis seu feudis in villa Gswend sitis haberet, ille equum dictum pro Presbytero ad infirmum iter faciente aleret & paratum offerret. Unde prænominatus Joannes Rosinus Præpositus, & Vice-Decanus pro ejusmodi necessitate ex parte sua equum in similem usum alterum servare aleréque in Præpositura promiserunt, sub dato in Præpositura Zwetlensi feriâ quintâ ante Colomanni, nimirum 5. Octobris, annô 1536. [2.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Ciaconius & Onuph. Panvinius in Paulo III. Cochlæus ad annum sequentem. Spondanus hîc n. 15.

[2.] E literarum monumentis.

INCIDENS.

Heuterus lib. 11, cap. 3. „ Mense Januario „ anni 1536. obiit Catharina Arragonia, Cæ- „ saris Caroli matertera, ante triennium à „ marito Henrico octavo Angliæ Rege repu- „ diata, ac nunc tandem venenô sublata, nu- „ bili relicta filia Maria. Pellex Anna Bou- „ lena, non diu ejus thorô est gavisa. Nam „ mense Majo Regis jussu ob incesta adulteria, „ capite cum adulteris (inter quos & germa- „ nus ejus fuit frater) est punita, unica etiam „ relicta filia Elizabetha, adhuc hoc año 1598. „ (*quo hic cit. Author scripsit*) Angliæ Regina.

„ Januarii die decimo nono Rex Mona- „ sterii (*Anabaptista vid. suprà Annô 1534.*) „ cum duobus dictis Vatibus (*Cnipperdollinco „ & Crechtingo*) ad urbem reducitur, ac, ci- „ vibus omnibus rebellione condonata, ad „ hujusmodi mortis genus condemnantur. „ Rex viginti sex tantùm annos natus, die Ja- „ nuarii vigesima secunda in scenam ligneam, „ quæ in foro Monasteriensi erecta stabat, per- „ ductus, ad umbilicum usque nudus palo „ alligatur. Adstabant carnifices duo, sin- „ guli candentibus forcipibus carnem ejus „ frustratim à pectore, tergo, lateribus ac hu- „ meris vellicantes lacerantésque. Ad tres „ primas vellicationes Rex obticuit, deinde „ sine intermissione misericordiam ac gratiam „ à Deo magna voce implorabat. Cúmque „ per horam hac ratione esset excruciatus, „ alter carnificum, jussu Magistratûs, adacto „ per præcordia pugione, vitam illi eripuit. „ Eodem modo de Bernardo Cnipperdollinco „ Pro-Rege, ac Bernardo Crechtingo Can- „ cella-

„ cellario, quos Rex Duces creârat, supplicium est sumptum, altero de alterius mortis genere ignaro. Fama erat, Regem Joannem Beukelarium, ejurata impietate, ad Catholicam Religionem reversum. Sed duo Vates obstinatè in secta morientes nil aliud in tormentis vociferabantur, quàm, Pater, Pater. Ossea eorum cadavera (caro enim vivæ calci injecta, ab ea erat consumpta) ferreis cancellatis inclusa caveis, ad summi Templi Divo Lamberto consecrati turris fastigium appenduntur. Rex medius, à dextra Crechtingum, à sinistra Cnipperdollincum habebat, hominis Rex longitudine sublimior annô adhuc 1589. pendens. Utebatur autem Rex hoc titulo: Joannes verus Rex novi Templi, famulus Dei altissimi, annô ætatis suæ 26. Regni primô, secundo die primi mensis, sumptæ à JESU Christo Filio Dei carnis annô 1535. Hic finis fuit Anabaptistici apud Monasterienses, primariam Westphaliæ civitatem, regni, quum paulò ampliùs quàm biennium durâsset, urbs verò per sesquiannum obsessa fuisset. Misêre ad hoc bellum Antistiti auxilia vicini omnes, ac inter hos præcipuè Maria Austriaca, Belgarum Gubernatrix, Cæsaris Caroli soror germana; memores versùs Ovidii: Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet. „

Annus Christi MDXXXVII. Monasterii CCCXCIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

IN Ungaria mense Octobri clades Ferdinandi Regis exercitui à Turcis ad Ezekum, quod ab illis firmô tenebatur præsidiô, illata est. Inde Mahometes Belgradensis Præfectus, cui Turcarum Tyrannus limitum præfecturam commiserat, frequentes prædas agebat, ac damna plurima ex insidiis inferebat, inducias nil moratus, quæ pro veteri consuetudine his in locis velitationes & extraordinarias incursiones admittebant. His Ferdinandus Rex irritatus justum iterum è Germanis, Italis, Ungaris, & Bohemis exercitum cogit, octonum millium equitum & sedecim peditum, cum copioso omnis generis tormentorum apparatu. Dux exercitûs erat Joannes Kazianerus, quem defensæ nuper Viennæ famâ clarum Ferdinandus Rex ad summum militaris imperii decus evexerat. Mahometes eo cognito, ex proximis Ungariæ præsidiis milites accersit, & copias nec numerô, nec virtute Christianis inferiores colligit, ad Ezekum Christianos exspectaturus. Katzianerus verò, ubi exercitus fame ac rerum necessariarum penuriâ laborare cœpit, & Turcæ ad Garam in proximis silvis Christianis eorúmque tormentis atque impedimentis iter arboribus dejectis præclusissent, omnésque vias obsedissent, desperatus & quasi inermis se fugæ inter primos tradidit. Inde Duce Lodronio Saxones, Austriaci, ac Bohemi, qui ignominiosæ fugæ se dare nolebant, à Turcis irruentibus ceduntur & mactantur. Katzianerus interim non modò rei malæ gestæ, sed perfidiæ accusatus, & judicio experiri non ausus ad Mahometem fugit, atque etiam Nicolaum Serinium ad proditionem incitavit. Is scelus detestatus Katzianerum per suos capi & suppliciô affici jussit. * [1.] In hac pugna tum ex aliis multis ex Carinthia & Stiria Nobilibus occisis, tum ex Austria etiam plurimis Ministerialibus desideratis, qui ex Austria ceciderunt, Megizerus sequentes numerat, scilicet, Dominum de Vetaw, Dominos de Hofkirchen, de Hohenfeld, de Auersperg, duos de Neudegg, unum de Lamberg & Weltzerum. [2.] Hi Monasterio Zwetlensi proximi habitârunt, ùt Domini de Hofkirchen in Kolmuntz juxta Raabs, Domini de Hohenfeld & Neudegg in Kirchberg ad silvas in Rastenberg & Liechtenvels, Dominus de Lamberg in Ottenstain; ex quibus nonnulli benefactores Monaste-

rii nostri fuerunt, qui pro patria contra Turcas strenuè pugnârunt & ceciderunt.

Porro in Archivo Monasterii Zwetlensis literas Joannis Leisser Junioris inveni, quas ad Erasmum Abbatem fratrem suum direxit; „ quibus significat, se nomen militiæ dedisse sub auspiciis Imperatoris Caroli contra Gallorum Regem pro Mediolano Longobardiæ, & propriis expensis jam aliquot gravis armaturæ milites conscripsisse, hoc tamen anno vix se abiturum, cùm primùm sequenti hostium irruptio timeatur, sperat: inde siquidem Viennæ sibi interea manendum erit; & cùm ob caritatem pabuli etiam pro pecunia avenam habere nequeat, sex equos unà cum curatoribus suis ipsi transmittit, & eos usque ad proximam Quadragesimam sustentari rogat, quibus ad commodum Monasterii interea uti poterit. Datæ Viennæ in festo Trium Regum, annô 1537. „ [3.] Ex his literis colligitur, quòd Carolus Imperator jam exercitum contra Gallum parari jusserat, unde etiam Viennæ militum conscriptio facta fuit. Hoc tamen bellum ratione Mediolanensis Ducatûs inter ipsos postea sopitum fuit.

Annotatio demum quædam reperitur talis: „ Annô 1537. Parochialis domus in Cisterstorf, & omnia in illa, conflagravit, quo etiam anno tacta domus in Petzleins fulmine, cujus flamma ibi devoravit quinque domos. De quo incendio Cisterstorfensi etiam inter alia sua gravamina Erasmus Abbas mentionem facit. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Neugebauerus histor. Polon. l. 7. hoc anno. Megizerus Annalib. Carinth. lib. 11. c. 78. Richardus Streinius in Annal. Superior. Austriæ hoc anno.

Spondanus hoc anno n. 7. „ Quo eodem item anno, autumnîque tempore gravissimum duplici Ferdinandi Hungariæ Regis exercitui illatum est à Turcorum illius tractûs præfectis detrimentum; Alterum ab Amurate apud Elissiam munitissimum Dalmatiæ oppidum, multis sæculis à Pannoniis & Dalmatis magno labore & egregia virtute defensum; quod modò in præmium victoriæ Turcis cessit: alterum à Mahomete apud Essekum Turcorum oppidum, quod alter exercitus oppugnandum susceperat: quo nullum ea ætate (ùt Jovius scribit) vel funestius, vel ignominiosius, si trucidatorum quatuor gentium militum, Germanorum, Hungarorum, Boëmorum, Italorum, (nam & miserat Paulus Pontifex suppetias) & ducum florem reputemus, Christiano nomini extitisse visum est. Describit hæc ille pluribus: nec non Isthuanffius in Historia Hungarica; breviúsque Surius, & Belcarius. „

Ortelius Redivivus editus Francofurti ad Mænum annô 1665. sub hoc anno. „ Als aber der Katzianer wegen seiner Flucht von männiglich, als meineydig und feldflüchtig gescholten ward, begehrte er vom K. Ferdinando zu seiner Verantwortung sicher Geleyt, welches ihm zugesagt und versprochen ward. Da er nun in einer ehrlichen Gefängnus, biß zu Austrag der Sachen verbleiben solte, machte er sich kranck, bricht aus seiner Schlaffkammer, läst sich an Leylachen herab, und fliehet zu Mahomet, Türckischen Obersten, der ihme die Land-Vogtey Crabaten dieser gestallt versprochen, wann er dem Sultan Solymann etliche Oesterreichische Stätt unterthänig machte; wie er denn solches nicht allein zu thun sich verpflichtet hat, sondern sich auch unterstanden, Niclas Graff von Serin darzu zu bereden, daß er vom Ferdinando abfallen, und sich in des Solymanni Schutz begeben solte. Aber Graf Niclas als ein hochverständiger, ehrliebender Oberster, hielte nicht allein seinen Eyd, sondern brachte auch den Katzianer in seinem Schloss nach dem Essen umb sein Leben, und schickte dessen Haupt dem König Ferdinando, der verehrete ihme (Grafen von Serin) des Katzianers Schloß, auch alle seine Haab und Güter. „

[2.] Megizerus ubi suprà.
[3.] Ex literarum monumentis.
[4.] Ex Archivo Monasterii.

Annus

Annus Christi MDXXXVIII. Monasterii CCCC.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Ernestus.	Erasmus.

CArolus Cæsar & Franciscus Rex Galliarum ad Aquas-mortuas in mutuos venêre complexus, quod apud Niceam Paulus Pontifex impetrare non poterat, & pacem inter se firmârunt. *[1.]

Erasmus Abbas Zwetlensis, cùm anteannum Parochia in Cisterstorf incendiô conflagrâsset, eámque jam reædificaverat, omnes ibidem res mobiles conscribi, atque novo Vicario Joanni Castner tradi jussit, sub dato Monasterii in Zwetl 9. Januarii, annô 1538. [2.]

Porro Ferdinandus Rex Abbati in Zwetl mandat, ut sex equos cum curru ad bellum paratos tradat. Datum Viennæ 26. Martii, annô 1538. Regnorum suorum Romani octavô, aliorum duodecimô annô. [3.] De hujus anni bello à Ferdinando habito nihil reperi, nisi forsan ille Carolo Imperatori fratri suo pro defendendo Mediolani Ducatu suppetias promiserit, utì etiam anno præcedenti me scripsisse memini, nimirum ante pacem inter Cæsarem & Gallum factam.

In Saxonia, Hassia, Misnia Monasteria passim à religiosis personis evacuabantur, & bona eorum Principes Lutherani suum in usum rapiebant, Ferdinandus autem Rex in Austria & in aliis hæreditariis provinciis econtra Monasteria Religiosis impleri mandavit.

Ob bellum Turcicum, sicut & Ungaricum Erasmus multa bona à Monasterio suo distrahere coactus fuit, unde etiam Gulielmus à Neudegg in Rastenberg cum ipso commutationem pagi Zelderndorf inire voluit, cui Abbas respondet, se illum pagum à grangia Rasingensi, à qua jam antea in distractione quartæ bonorum partis multa alienata fuerant, alienare non posse, alioquin grangia illa conservari nequeat. Actum in Monasterio Zwetl 4. Augusti, annô 1538. [4.] Qui pagus tamen pauló pòst abalienatus fuit.

Obiit hoc anno Joannes Leisser, ille utique de quo anno præcedenti facta fuit mentio, hic testamentum condidit, cujus executores D. Georgium de Herberstain Baronem, & D. Achatium Schrotter ambos Regi à consiliis, quos Erasmus Abbas suos affines vocat, item Maximilianum Leisser fratrem suum habere voluit; cujus memoriæ ad diem trigesimam Græcii in Stiria 22. Augusti celebrandæ Abbas se adesse non posse excusat, sub dato Monasterii in Zwetl 7. Augusti, annô 1538. [5.] Ex his literis colligitur dies obitûs præfati Joañis Leisser fratris Abbatis in Zwetl, tunc enim 24. Julii hoc anno obiisse debebat, cùm 22. Augusti tricesima dies nominetur. Alius etiam quidam Leonardus de Ernaw avunculus Leisserorum in Stiria obiêrat, ac testamentum reliquerat, cujus executores rationes dare tenebantur, quare Erasmus Abbas & Sigismundus Leisser fratres in Austria constituti scribunt Maximiliano & Christophoro Leisseris, qui ultimus arcis Wyldoniensis Præfectus erat, fratribus suis, ut cum dictis Testamentariis rationes ineant & discutiant, Abbate à jure suo omnimodè cedente, Sigismundo verò vices suas aliis fratribus resignante. Actum in Monasterio Zwetl 25. Augusti, annô 1538. [6.] Hinc colligitur, ubi fratres Leisser residere solebant, nimirum Sigismundus in grangia Neuntzen, Maximilianus armamentarii Regii in Inferiore Austria Præfectus Græcii in Stiria, & Christophorus in arce Wyldoniensi in Stiria inferiore:

feriore: Joannes verò, qui hoc anno mortuus scribitur, apud Maximilianum fratrem Græcii hucusque manserat. Deinde cùm Leonardus de Ernaw supradictus avunculus vocetur, ille matris Leisserorum Scholasticæ de Ernaw frater fuisse videtur. Hìc paulò fusiùs Leisserorum familiam depingere volui, ut magìs innotesceret.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Ciaconius & Onuphrius in Paulo III. Spondanus hìc n. 8.

Pontus Heuterus lib. 11. cap. 10. „ Genuâ Cæsar, valedicto Pontifice, in Hispaniam trajecturus, ad oppidum Aquæ-Mortuæ dictum (*olim Fossa Mariana*) contendit, iis in partibus Regem Franciscum hærere intelligens, cui per Legatum nunciari jussit, se eum amplecti salutaréque velle. Lætatus Rex, ad Cæsaris quadriremem accurrit, eámque cum paucis intrans Proceribus, per horam cum eo solus est collocutus, admissô paulò pòst ad manus osculum Andreâ Auriâ. Postero die Cæsar per præconem edici jubet, nè quis è classe in continentem exeat. Tum ad Regem pransurus contendit, qui cum Regina, duobus filiis, ac magnô Procerum numerô obviam Cæsari prodiens, ad Aulam deducit, apud quem & cænatus ea nocte dormivit, posteróque die iterum prandet. Exinde ad classem honorificè deductus, iterum Rex cum exiguo comitatu Cæsaris quadriremem intrat, ac aliquandiu hilariter compotantes, amicissimè tandem invicem amplexi, ac valedicentes, Cæsar sua cum classe Hispaniam versùs, Rex in citeriorem Franciam contendit. Hæc cùm utriusque subditi intellexissent, factis ad Divorum Templa supplicationibus, gratias Deo agebant; extructísque publicis locis ignibus, inter se epulabantur. Ingentem enim animis lætitiam conceperant, aurea inposterum sæcula ac perpetuam pacem sperantes. „

[2.] E literarum monumentis.

[3.] Ex Originali ipsius.

[4.5.6.] E literarum monumentis.

INCIDENS.

Heuterus ubi suprà c.9. „ Sub initium sequentis anni (*hoc est præsentis 1538.*) Cæsar cum Pontifice Paulo Tertio, ac Venetis novum fœdus facit, stipulante pro Cæsare Joanne Ferdinando Manrico, Aguillarii Marchione; pro Venetis Marco Antonio Contareno. Pontifex ipse in Vaticano, ubi hæc agebantur, propria manu subscripsit. Igitur Cæsar cum Christianis Principibus quietem ad tempus nactus, arma in Turcas vertenda, ac Græciam Christiano orbi vindicandam statuit. Sextô igitur Idus Februarii annô 1538. Cæsar, Pontifex Paulus, ac Veneti, divisâ inter se Græciâ, contra Solymannum, Italiæ minitantem, bellum decernunt, promittente Cæsare octoginta duas triremes, totidem Venetis, Pontifice triginta sex, quibus Cæsar atque Genuenses onerarias convehendo commeatui, pedestribúsque copiis, addebant, Ferdinando Gonzaga, Siciliæ Pro-Rege, iis Præfecto: universæ verò Confœderatorum classi Andreas Auria Cæsaris nomine erat imperaturus; Pontificiæ Marcus Grimannus, ac Paulus Justinianus; Venetæ Vincentius Capella præerat. Sed tantæ in unum coactæ vires, quanquam contrà prodiisset Solymanni Præfectus Hariadenus Barbarossa, nil dignum memoriâ gessêre, Auria pugnam vafrô artificiô detrectante, ac paulò pòst Turcarum classe ingenti tempestate fœdè disjecta. Qua re Veneti perspecta, soluto fœdere, vel cum Reipublicæ suæ incommodo, pacem à Solymanno petiêre ac impetravêre. „

Spondanus hìc n. 13. „ In Anglia Rex Henricus in sua feritate perseverans, hoc anno Ecclesiam quoque triumphantem pro potestate Capitis Anglicanæ, suæ jurisdictioni subjicere nihil veritus (quod omnem sive immanitatem dixeris, seu phrenesim superat) S. Thomam Archi-Episcopum olim Cantuariensem, totius Angliæ Primatem, vitæ sanctitate, constantiâ fidei, & immunitatis Ecclesiæ defensione præstantissimum, miraculorum editione celeberrimum, quem Reges Angliæ præ ceteris ferè omnibus Sanctis colere, populus præcipua devotione utì gloriosissimum Martyrem venerari, ac sacris peregrinationibus frequentare consueverat, jam ante quadringentos propemodum annos in Sanctorum Martyrum numerum solemni celebritate ritè relatum; quòd eum præcipuô odiô prosequeretur, quoniam in causa non planè dissimili, licèt infinitis partibus minore, videlicet in defensione libertatis Ecclesiæ, fortem se adversùs Henricum Secundum præstitisset, re in judicium denuo deducta, eumdem

„ coram

„ coram se citavit, & tamquam contumacem „ perduellionis condemnatum, inter Sanctos „ ampliùs censeri vetuit, sacra ejus ossa è „ theca aurea gemmis pretiosissimis ornata, „ qua servabantur, exempta, per carnificem „ publicè cremanda, cinerésque in ventum „ spargendos curavit; ac thesauros bonáque „ omnia ejus memoriæ consecrata fisco Regio „ addixit. Insupérque Monasterium S. Au- „ gustini, à quo Christianam fidem Angli ac- „ ceperant, ibidem Cantuariæ, pulsis Mona- „ chis, in stabulum bestiarum convertit. „

Annus Christi MDXXXIX. Monasterii CCCCI.

Pont. Rom. Paulus III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Ernestus. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

FErdinandus Rex Romanorum hoc anno, mense Februario cum Joanne Ungariæ Rege pacem iniît, iis conditionibus, ut Ferdinandus Joannem Regem appellaret, cùm eum antea sermone & literis Waiwodam sive Palatinū è vetere Transilvaniæ præfectura vocare consuêsset. In tabulis autem conscripti obsignatíque fœderis disertè fuerat appositum, subscribentibus Ungariæ Proceribus, ut si Joannes vitâ decederet Ferdinandus totius Ungariæ regnô potiretur. *[1.] Joannes nihilominus hoc adhuc anno Isabellam Sigismundi Poloniæ Regis filiam in uxorem duxit, malè id Ferdinando ferente. [2.]

Ceterum Monasterium Zwetlense olim scholam puerorum habuit apertam plurimis, unde Erasmus Abbas D. Gulielmo Chünringio in Regimine Austriæ Inferioris Regi à consiliis scribit (ad petitionem ipsius, quòd Sigismundus de Herberstain affinis filium suum ad scholas Monasterii dirigere vellet, si susciperetur) se jam ab eo tempore, quo Turca Viennam obsedit, neque pueros neque Ludimagistrum habuisse, nam parentes & tutores illorum eosdem protinus domum revocârunt ac receperunt, unde etiam se Ludimagistrum tunc dimisisse. Datum in Monasterio Zwetl, 24. Aprilis, annô 1539. [3.]

Demum hoc anno quoque Ferdinandus Rex mandatum generale publicari fecit, quo ex Regnis, Ducatibus & Provinciis suis hæreditariis tam Lutheranos præcones, quàm libros & scripta eorum jam antea vetita, eliminari ac tolli jussit, pœnâ dictatâ. [4.] Ex quo Domûs Austriacæ candida erga Catholicam Ecclesiam fides elucet.

ADDITIONES.

*[1.] Neugebauerus histor. Polon. lib.7. hoc anno. „ Proximi anni mense Februario „ pax inter Ferdinandum & Joannem Ungariæ „ Reges Varadini confecta est, sed eo rerum „ statu necessaria potiùs quàm honesta, Un- „ garis aurem exoptata, quibus vel in partes „ ejus distractis conditionibus cavebatur, ut „ fortunæ incolumes manerent, vel his, qui „ antea Ferdinandum secuti solum vertissent, „ urbésque, oppida, vicos, arces, quæ tum „ in potestate essent, suô quisque præsidiô „ tueretur: Joannem verò Ferdinandus Re- „ gem appellaret, cùm eum antea sermone „ ac literis Vaivodam sive Palatinum è vetere „ Transylvaniæ Præfectura vocare consuêsset. „ In tabulis autem conscripti obsignatíque „ fœderis disertè fuerat appositum, subscri- „ bentibus Ungariæ Proceribus, ut si Joannes „ vitâ decederet, Ferdinandus totius Unga- „ riæ regnô potiretur: Ea conditio tum sup- „ pressa est metu Turcarum tyranni, cujus id „ regnum esset tanquam belli jure captum, „ ac beneficiario duntaxat nomine Joanni „ concessum. Cùm de concordia Joannes „ Rex consuleret Tyrannum, is non probârat modò, sed amicè etiam suaserat, ut ca- „ lamitoso atque ancipiti bello certam ac ho- „ nestam pacem præferret, utpote qui con- „ tra Parthos in Asiam trajecturus nullam „ omnino novi belli materiam in Europa re- „ linquere vellet. Verùm res Tyranno pòst „ innotuit. Ferunt enim, Hieronymum La-

„ scum Palatinum Siradiensem, qui à Joanne „ superioribus annis defecerat, pro Ferdinando Rege suscepta legatione Constantinopolim Tyranno conditiones detexisse, quibus pacem duo Reges inter se iniissent. „ Unde ingens odium Joanni conflatum. „ Ceterùm Joannes Rex re cognita vehementer sibi timens, per idoneos homines operam dedit, ut ejus facti calumniam multis donis opportunò dilueret. Sed tantam postea contumeliam, quæ non suam modò, verùm Reipublicæ salutem in discrimen vocaret, à Ferdinando Rege indignè sibi impositam apud Principes graviter est conquestus, misso ad id Joanne Statilio Albæ Juliæ Episcopo, qui ad Pontificem, Venetósque, ac demum ad Franciscum Galliæ Regem probrosum ejus injuriæ nomen detulit. „

Spondanus secutus Historicum Hungaricum (*Istuanffium lib. 12. ad finem*) rejicit hanc pacem ad annum 1536. ubi n. 21. hoc, quod Neugebauerus non exprimit, addit: „ Quòd „ si ducta uxore masculum hæredem relinqueret, Transylvania ejus ditionis foret, „ ac Joannis arces paternæ omnes ei restituerentur: quibus Ferdinandus in Silesia „ Principatum aliquem superadderet. Si bellum à Turcis uni aut alteri inferretur, communibus viribus ei propulsando obstringeretur. „

[2.] Neugebauerus cit. locô: „ Eodem anno Joannes Rex regnô in spem pristinæ felicitatis restitutô, Budáque præsertim admirandis operibus communitâ, uxorem duxit Isabellam Sigismundi Regis filiam ex Bonæ Sfortiæ conjugio primogenitam. „ Abhorrebat ille quidem à nuptiis, jam ea ætate valetudine infirma, verùm Procerum Ungarorum precibus id dederat, suadentium, ut cælibatum abrumperet, & Ungarici sanguinis proles legitimo illustríque conjugio susciperetur, quæ Patri aliquando succederet, stirpémque propediem interituram propagaret. Accedebat & affinitas cum Sigismundo Rege, qui in priori conjugio sororem Joannis habuerat: videbatur enim vicini Regis iterata affinitate res Ungaricas maximè confirmatum iri. Probabat & has nuptias Turcarum Tyrannus, qui antea in Joanne cælibis vitæ statum „ improbabat. Sed non æquè placuerat Ferdinando, quanquam & ipse Sigismundi Regis filium Regem Poloniæ designatum sibi generum adscivisset, utpote qui prævideret, Ungaros contemptu odióque externæ gentis superbos puerô ex hoc conjugio susceptô protinus in sui sanguinis prolem studia conversuros. Deducta est nova nupta in Ungariam ad sponsum à Stanislao Tarlone Episcopo Premisliensi, & Petro Opalinio Castellano Gnesnensi magna cum pompa atque apparatu. „

[3.] E literarum monumentis.

[4.] Rich. Streinius in Annal. Austr. Superior. hoc anno.

Pontus Heuterus lib. 11. cap. 10. in fine. „ Calendis Maji 1539. Toleti è partu obiit Elizabetha Lusitana Cæsaris uxor, filium, qui paucis diebus vixit, enixa, relictô filiô Philippô, Mariâ, ac Joannâ filiabus. Rex Franciscus celeberrimas ei Parisiis celebravit exequias. „

Surius hoc anno. „ Testamento scripsit „ (*Georgius Princeps integerrimus nullos relinquens liberos*) hæredem fratrem suum Henricum, „ & ejus filios Mauritium & Augustum, ea conditione, nè quicquam in religione mutarent. Missi fuerunt ad Henricum, qui hoc ei proponerent, sed interim mortuus est pius Princeps, & continuò Henricus ditionem omnem occupavit, atque in omnia Misniæ, Thuringiæ, & Saxoniæ loca, quæ Georgio Principi paruerunt, Luteri dogmata invexit. Jam enim Luterani, ùt antè dixi, eum in suam nassam pertraxerant. „

Item Spondanus hìc n. 6. „ Ejus (*Georgii Ducis*) porro obitu maxima recepit in Germania incommoda Religio Catholica; „ non solùm quòd tanto privaretur propugnatore, verùm & magìs, quòd cùm nullos post se liberos reliquerit, (duo námque quos habuerat, jam antè sinè prole excesserant) Henricum fratrem ejúsque filios Mauritium & Augustum successores habuerit: „ qui quamvis ea lege fuissent ab ipso instituti testamentô hæredes, ut nihil in religione immutarent, & si secùs facerent, Carolo Cæsari & Ferdinando Regi ditionem omnem attribuisset, donec aut ipsi vel ex ea familia proximus agnatus conditionem impleret. „

Annus

Annus Christi MDXL. Monasterii CCCCII.

Pont. Rom. Paulus III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

REx Ferdinandus ab Austria venit Gandavum ad Carolum Cæsarem, qui ob religionis causam indixit primò Conventum Principum Spiræ, qui tamen ob pestis sævitiem translatus est Hagenoam, cui Ferdinandus Rex Cæsaris nomine præfuit, Cæsare aliis occupato. Colloquium etiam Wormatiæ petierunt Lutherani & impetrârunt, nihil tamen undique confectum est. * [1.] Hoc etiam anno Carolus Cæsar gravi edicto proposito, per omnes ditiones suas hæreditarias Germaniæ Inferioris omnibus interdixit lectione librorum Lutheri, & quorumcunque aliorum hæreticorum, in immorigeros capitis pœna decreta est. [2.]

Moritur itidem hoc anno Joannes Ungariæ Rex, relicto infante sub tutela Georgii Monachi, qui Ungariam omnem, quæ illi paruerat, in pueri etiamnum in cunis vagientis verba jurare compulit. Ea res nova bella peperit, quæ Ungariam Turcis occupandam objecêre. [3.]

Præterea hoc anno à Pontifice Paulo III. approbatum est Institutum Societatis JESU, cujus auctor fuit Ignatius Loyola Cantaber nobili Baronum familia ortus, de quo plura Surius citatus, & alii. [4.]

Porro Ferdinandus Rex, audita Joannis Regis Ungariæ morte, protinus per Legatum Reginam relictam ac Proceres regni adit, pactúmque antea sibi regnum petit, alioquin sibi non defore arma, quibus idem regnum occupare possit. Regina tergiversari, econtra & eam Proceres instigare cœperunt, ut ad patrem suum Regem Poloniæ petitionem hanc deferre possit, ac inde responsionem dare. Ferdinandus autem Lascum mittens ad Solimannum Constantinopolim petens regnum Ungariæ, qui nihil impetravit, sed Tyrannus puerum Regem Ungariæ declarans, munera ipsi in clientelæ susceptæ signum transmisit. Ferdinandus igitur bellum, ad quod jam se paraverat, decernens misit Leonardum Velsium è Rhetia Superiori justo cum exercitu, cui cum Imperio præerat, qui Strigonium descendens primò Vissegradum, deinde Pestum & Vacciam occupat, Budámque frustrà obsidet. Albam tamen Regalem per deditionem accepit. Regina verò proximos Turcas excitat, qui tamen absque Imperatoris sui expresso mandato non venerunt. [5.] Hæc de hujus belli initio, anno sequenti cetera sequentur.

Anno rursum isto Ernestus Dux Bavariæ, Episcopatûs Pataviensis Administrator, Matthæo Langio Cardinale ac Archi-Episcopo Salisburgense defuncto, unanimi Canonicorum electione in Archi-Præsulem Salisburgensem electus fuit. Quo cedente Wolfgangus Comes à Salm, filius Nicolai Comitis, qui & Regem Galliarum Franciscum ceperat, & Pannoniarum adversùs Turcicas irruptiones murus diu fuerat, mense Novembri circa festum S. Martini Episcopus Pataviensis factus est. [6.]

ADDITIONES.

* [1.] Surius in Commentario. Heuterus sub hoc anno. Spondanus hìc n. 1. & seqq.

Item Cochlæus sæpe laudatus. „ Hoc „ anno Cæsar ex Hispaniis, per Gallias magni- „ ficentissima hospitalitate deductus, in Ger- „ maniam

„ maniam Inferiorem reverſus eſt feliciter, „ & Imperialem Conventum Spiræ habendum indixit. Verùm propter peſtem, quæ „ Spiræ tunc erat, translatus fuit Hagenoiam. „ In quo Cæſaris locò (qui adeſſe non poterat) Imperii negocia tractabat Rex Romanorum frater ejus, qui Cochlæum quoque à Vratislavia illuc proficiſci juſſit. A „ quo ſanè petiît, ut ex actis colloquii Auguſtenſis (quæ ſcripſerat ac Majeſtati ejus „ tradiderat D. Hieronymus Vehus, Cancellarius Badenſis) compendium breve colligeret, ac de 28. articulis Auguſtanæ Confeſſionis, quidnam bonâ conſcientiâ & ſalva fide pacis gratiâ queat aut debeat admitti, animi ſui ſententiam explicaret. Is „ igitur per omnes articulos ſigillatim, quid „ conceſſum, & quid reprehenſum aut negativum fuerit, commemorans: quàm breviſſimè potuit, affirmavit, ſe id religioſè „ ſumma cum fide feciſſe, ſicut coram Deo „ intendat confiteri, & in noviſſimo die. In „ fine tamen adjecit, complures alios eſſe „ contra Catholicam fidem Lutheri complicúmque ejus articulos, qui in Confeſſione „ illa omiſſi, in aliis eorum ſcriptis evulgati „ ſint: ſinè quorum diſcuſſione & conciliatione firma pax aut concordia conſtitui „ non poterit. Lutherani autem, illic in „ publicis tractatibus nolebant ratam habere „ conciliationem eorum articulorum, qui Auguſtæ in Septenorum colloquio concordati „ fuerant. Emiſerunt autem duo ſcripta, „ quæ ad Cæſarem dederant: unum in Latino, alterum in Germanico. In quibus ſanè ſex præcipuos, ac velut neceſſarios propoſuerunt, & ſibi concedi petiêrunt articulos. Quid autem in iiſce admitti ſalva „ fide Catholica poſſit, Cochlæus brevi ſcripto indicavit. Petierunt illi aliud colloquium, & obtinuerunt, ut Wormaciæ inſtitueretur poſt paucos menſes eodem anno. „ Quid autem in illo factum ac diſputatum „ ſit, Melanchton & Bucerus editis libris in „ publicum evulgârunt. „

[2.] Surius ubi ſuprà.

[3.] Surius citatô locô.

Neugebauerus Hiſtor. Polon. lib. 7. hoc anno.

Megizerus lib. 11. c. 31.

Spondanus hìc n. 11.

[4.] Surius ubi ſuprà in laudem hujus celeberrimi Inſtituti fusè & pro merito excurrens.

Item Spondanus n. 14.

[5.] Surius citatô locô.

Ciaconius & Onuphrius in Paulo III.

[6.] Neugebauerus Hiſtor. Polon. lib. 7. hoc anno.

Megizerus Annalib. Carinth. lib. 11. c. 31.

Spondanus hìc n. 12.

Hundius ſub Epiſcopis Pataviensib. Erneſto & Wolfgango I.

Megizerus ubi ſuprà c. 30.

Annus Chriſti MDXLI. Monaſterii CCCCIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Wolfgangus I.	Eraſmus.

Comitia hoc anno Imperii Ratisbonæ tum Turcis reſiſtendi, tum Religionis componendæ causâ habita ſunt, quibus Carolus & Ferdinandus, ac etiam Cardinalis Caſpar Contarenus miſſus à Pontifice interfuêre, Principes etiam Lutherani deeſſe nolebant, qui in deſpectum Religionis Catholicæ in ipſa Paraſceve, venationibus oblectare animum auſi ſunt. Sed & hæc comitia ſinè fructu abierunt. *[1.]

Interea noſtri milites in Ungaria, quod antè occupârant, rurſum amittunt, Solimannus enim ingentem Reginæ in ſuccurſum præmiſerat exercitum, ipſe Adrianopoli ſubſiſtens, non immeritò Caroli Cæſaris ac Ferdinandi Regis potentiam veritus, quò factum, ut noſtrates in fugam verterentur apud Peſtum, & paſſim cæderentur. Feruntur eo bello ſupra viginti Chriſtianorum millia variis caſibus interempta. Capta ſunt ab hoſtibus eximiæ elegantiæ muralia tormenta triginta ſex, minora autem, quæ cantheriis & curribus imponerentur, centum & quinquaginta, præter aliam pulveris tormentarii, ferrearum pilarum, armorum, telorum, commeatûs

meatûs mirabilem copiam. Ipsemet belli Dux Rogendorfius tormenti ictu tactus, ex vulnere obiît. Solimannus verò suorum victoriam percipiens maximis usus itineribus in Pannoniam cum majoribus copiis advenit, ac Budâ occupatâ, Reginâque cum Rege puero ultra Tibiscum in Lippam Transilvaniæ dimissâ, potiori Ungariæ regni parte potitur. Deinde mox misit è suis, qui Austriam & Moraviam rapinis, incendiis & cædibus vastarent, quibus tamen magno impedimento fuêre plenis imbribus inflati amnes. Atque ita Tyrannus cum opimis spoliis ad sua repatriavit; cùm priùs in adventu suo ad Budensia castra ad octingentos captivos Christianos miserè trucidari curâsset. [2.]

Venio ad Monasterium Zwetlense, & apocham unam invenio à D. Christophoro à Schrattenbach D. Erasmo Leisser Abbati, quem suum avunculum nominat, datam pro quatuor ad bellum paratis & armatis equis pretiô 90. tal. hoc anno præsentatis. [3.] Hi utique equi in Ungaricum bellum adhibiti, & etiam perditi fuerunt. Ista in Pannoniam contra Turcas expeditio multùm constitit, nam Abbas Erasmus denuo aliquot bona Monasterii distrahere debuit. Hinc colonos Monasterii circa Pölan pro quingentis viginti octo libris denariorum in supplementum duorum millium florenorum ad subsidium in Turcas Regi promissorum, fratri suo Maximiliano Leisser vendidit. Actum 9. Novembris, annô 1541. Similiter etiam D. Marquardo Chünringio bona in Zelderndorf & Siedendorf pro trecentis quadraginta florenis tradidit. Datum in Monasterio Zwetl annô 1541. [4.] Ex his patet, quantum Monasterio Turcica in Ungariam expeditio constiterit hoc adhuc anno.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Comment. hoc anno. Ciaconius sub Paulo III.

Cochlæus de actis & scriptis Lutheri sub hoc anno.

Neugebauerus Histor. Polon. lib. 7. hoc anno.

Spondanus hic n. 1. & seqq.

[2.] Surius ubi suprà.

Megizerus in Annalib. Carinth. lib. 11. cap. 31.

Neugebauerus ubi suprà. „ Solymannus, „ ubi de suorum victoria certiùs cognovit, „ quintis demum castris Budam appulit. Ibi „ consedit in adversa ad Budam veterem re„ gione, offensus fœtore cadaverum & fæ„ ditate amnis tot corpora per omnes ripas „ evolventis. Exinde statim captivos pro„ duci jubet, quorum erant circiter octin„ genti, qui prælongis vincti restibus coram „ ducibus ac omni exercitu Turcico ludibrii „ causâ tracti, ex his duces nobilésque ali„ quot, quibus parceretur, delecti sunt, re„ liquos ad unum omnes, alioqui clementiæ „ laudem affectans, & nunquam antea in Chri„ stianos crudelior, eo conspectu abductos „ tyronibus trucidandos dedit. Patrata ea „ sæva clade, Tyrannus infanti dona misit, „ phaleratos tres equos eximiæ pulchritudi„ nis, frenis habenísque aureis & gemmatis „ ephippiis exornatos, totidem textas aurô „ vestes: Proceribus verò præter singulares „ togas talares, aureos etiam torques. Ce„ terùm Reginæ referri jubet, cupere se pue„ rum videre, petitque, ut in castra sibi mit„ tat. Quô perterrefacta, cùm aliud non „ posset, hortatu Procerum mittit, unà cum „ nutrice, comitatum turbâ nobilium. Ex„ ceperunt adventantem progressæ aliquan„ tùm è castris honoris causâ ornatissimæ „ equitum turmæ, & inter castrenses vias præ„ torianæ cohortes. Ubi in tabernaculum „ Tyranni ventum est, ille quidem infantem „ humaniter inspicit, blandè cum ejus nutrice „ loquitur, filios suos Selymum & Bajazetem „ præsentes infantem complecti exosculari„ que jubet. Sed interim dum Ungari Pro„ ceres cum Bassis prandent, immissis in ur„ bem militibus Budam tradi sibi vult. Ne„ que enim ipsis eas vires esse, quibus ab ho„ ste eam defendere possint, & sibi subinde „ redeundum eo cum exercitu fore, quod „ valde & molestum, & sumptuosum sit. At„ que ita fraude ab ipso occupata est Buda. „ Nocte ingruente Tyrannus infantem remit„ tit in urbem, sed Proceres detinet. In iis „ erat Georgius Monachus, in quem totius „ hujus Ungariæ calamitatis culpa præcipuè „ conferebatur. Porro Regina his omnibus

„ sternata supplices scribit ad Tyrannum literas, quibus eum datæ fidei admonet, oratque ut Proceres remittat. Postridie Budam ingreditur Tyrannus, & in Templo D. Virginis more suo expiato sacra facit: inde Reginam ex urbe & arce excedere, cúmque puero in Transylvaniam ire jubet. Ipse verò præsidiis Budæ Pestique relictis reliquum exercitum domum reducit, & in itinere Lascum Ferdinandi Regis Legatum, qui Belgradi ob interceptos interfectósq; Cæsarem Fregosum Genuensem, & Antonium Rinconem Hispanum quondam apud se Regis Galliæ Legatos detentus erat, liberaliter dimittit. „

[3.] Ex Autographo.
[4.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXLII. Monasterii CCCCIV.

Pont. Rom. Paulus III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. *Abbas Zwetlensis* Erasmus.

PAulus Papa III. pacis studiosissimus, tum ut Christiani orbis Principes in concordiam colligeret, tum ut Concilio ad extirpandam sectam Lutheranam initium daret, mirum in modum laboravit, unde mense Novembri hoc anno Tridenti per tres Cardinales Concilium indixit, sed ob bellum inter Hispanum & Gallum calamitosissimum exortum dilatum fuit. * [1.] Erant tum res Christianorum valde afflictæ, Turcis in Ungaria grassantibus, & Germaniæ dira quæque minitantibus, hæresibus quoque mirum in modum serpentibus & in varias formas abeuntibus.

Mense Junio Ferdinandus Ungariæ Bohemiæque Rex expeditionem communibus Germaniæ auxiliis adversùs Turcas suscepit. Ceterùm decretô bellô coacta sunt à Principibus & Imperialibus civitatibus Germaniæ ad triginta peditum & equitum septem millia, Duce belli supremo designato Joachimo Brandeburgico Electore. Viennam ubi deventum, accessêre Ferdinandi Regis copiæ, quæ præter Germanos ex Ungaris, Bohemis, & Austriis constabant, quibus Pontifex Romanus tria circiter millia peditum auxilia miserat ductore Alexandro Vitellio. Omnium igitur animis ad expeditionem erectis Elector Brandeburgicus nullâ morâ interpositâ Danubium transiturus castra ad Vacceiam oppidum promovet, ad quod variâ fortunâ Christiani cum Turcis congressi præliati sunt, donec adventus Achmetis Bassæ cognitus, nostris è mœnibus Vaccianis depulsis, duces inde castra movenda Viennámque redeundum commovebat, præsertim hyeme instante, multísque millibus è contagione pereuntibus. Hic fuit eventus belli in Ungaria hoc anno gesti. [2.]

Circa Monasterium Zwetlense hoc notandum occurrit, quòd ob continuas pecuniarias contra Turcas exactiones Abbas varia Monasterii bona distrahere, atque etiam in grangias nostras sæculares præfectos suscipere cogeretur, unde Joannes cognomine Ernnst, civis Crembsensis in grangia Weinzierl Annô MDXXIX. in Ascensione Domini Magister constitutus erat, qui de vinearum cultura aliísque transactis rebus Abbati ab Anno MDXLI. usque ad MDXLII. rationes suas in Monasterio 13. Februarii hoc anno fecerat; [3.] in vindemias autem illuc quidam subditus Conradus Juncker de majori Weissenbach ab Abbate missus fuerat, cui ob fidelitatem postea piscinam ante grangiam Behaimbhof sitam ad dies vitæ suæ concessit. [4.]

Bellô in Turcas decretô Ferdinandus Rex postulat ab Abbate in Ungarici belli usum duos currus & decem equos sinè mora mittendos. Datum Viennæ 18.

18. Aprilis, annô 1542. annô verò regnorum suorum, Romani duodecimô, aliorum autem decimô sextô. [5.]

Porro Abbas undique angustiatus tot pecuniis numerandis, tot curribus & equis mittendis, fratres suos germanos pro auxilio & consilio adhibuit Maximilianum scilicet, & Christophorum Leisser, quos tales supplices Regi obtulisse inveni. „ Serenissime ac potentissime „ Rex, Clementissime Domine &c. Postquam „ frater noster Abbas in Zwetl, sine dubio „ ex ordinatione divina in sua adhuc juventute „ ad Religiosum Statum vocatus fuerat, „ & jam quadraginta annis sub Regulari disciplina „ & obedientia (absque laude nostra „ scribimus) in religiosa modestia in Monasterio „ Zwetlensi vixerat, in quo triginta „ & uno annis Abbatiæ non absque laboribus „ & curis magnis, tum partim modò elapsa, „ cùm partim adhuc durante injuria temporis, „ quàm fidelissimè potuit, præfuit ac rexit, „ séque erga Regiam Majestatem Vestram „ semper & hucusque in Ejusdem urgentissimis „ postulationibus ac subventionibus ita obedientem „ gessit, quòd ipse nomine Monasterii „ sui Zwetlensis, inprimis quartam partem „ bonorum Monasterii immobilium venditorum „ solvendo: deinde duobus millibus „ & quingentis florenis quasi mutuò datis: „ item aliquorum equorum ad bellum propriis „ sumptibus comparatorum & petitorum oblatione: „ rursum aliquot modiis frumenti „ absque solutione datis: iterum curruum, „ equorum, servorum, aliorúmque ad bellum „ necessariorum missione, quæ binis vicibus „ amissa fuêre: demum ad alendos Universitatis „ Viennensis Professores ordinarios „ contributione, aliísque pluribus collatis „ non difficilem se exhibuerit. Accedit, „ quòd Abbatem hoc elapso 1541. anno Regiæ „ Majestatis Vestræ Commissarii eousque „ adegerint (minis istis additis, quòd pro „ vectigalibus Monasterii Quæstorem unum „ ærarium ipsi deneganti adjungere vellent) „ quatenus duo millia florenorum unà cum „ septingentis modiis frumenti, mensuræ Viennensis, „ propriis Crembsium expensis missurus, „ promittere & dare debuerit. Ex quibus „ enarratis & allatis expensis in tantam „ devenit impossibilitatem, eam maximè ob „ causam, quòd ultra quatuor millia talenta „ redituum annuorum partim vendere, partim „ oppignorare coactus fuerit. Clementissime „ Rex, Majestati Vestræ sub veritate „ scribimus & attestamur, quòd Monasterium „ Zwetlense in majori fama vectigaliúmque „ æstimatione sit, quàm proventus ipsius numerantur, „ ideóque in omnibus petitionibus „ censuum aut contributionum præ aliis „ Monasteriis plùs illi attributum, taxatum, „ & inde maximè gravatum fuerit. Quando „ porro dictum Zwetlense Monasterium à „ destructione ab Hussitis annô 1426. facta „ per septennium integrum planè combustum „ ac desolatum relictum fuerat, ejúsque tunc „ vectigalia & proventus partim dissipata, partim „ planè abalienata essent, ab illo profecto „ tempore nulla superfluitas, uti quondam, „ sed tenuiores proventus ad necessitatem „ apparebant, qui tamen potiùs ex Prælatorum „ diligenti providentia & œconomia „ eveniebant, ad nullam copiam, ad nullam „ ubertatem reponendi, sed ad reædificandum, „ sartum tectúmque Monasterium conservandum „ adhibebantur, quomodo nunc „ ex Dei gratia in tali temporum injuria subsistere „ potuerit? Inde Regia Majestas Vestra „ gratiosissimè considerare velit, quòd ad tam „ varias & plurimas expensas census annui sufficientes „ esse non valeant, præsertim hoc „ turbulento tempore, quo unà cum Statibus „ provinciæ Monasterium multa portare onera „ cogitur, quæ Majestati Vestræ sat molestè „ enarranda forent: quòd insuper Monasterium „ Zwetlense unà cum triginta pauperibus „ in Hospitali alendis, quotidianisque „ necessariis domorum tectorúmque reparatione „ ac conservatione tali censuum tenuitate „ se juvare ac subsistere impossibile sit. „ Quapropter apud Regiam Majestatem Vestram „ tanquam Clementissimum nostrum „ Dominum in omni subjectione humiles preces „ nostras deponimus, Majestas Vestra „ fratrum trium defunctorum nostrorum Udalrici, „ Sigismundi & Joannis Leisserorum, „ (quorum aliorúmq; omnium animabus Deus „ sit propitius) olim Majestatis Vestræ fidelium „ famulorum, atque etiam nostrûm amborum „ fratrum servitiorum fideliter præstitorum, „ ac cum Dei auxilio inposterum à „ nobis præstandorum memor vivat, & fratrem „ nostrum sæpedictum Abbatem in Zwetl „ tanquam humillimum Ejusdem Capellanum „ clementissimè sibi commendatum habere, „ ipsum Monasteriúmque illius, qui in eodem „ senuit, dies vitæ suæ potiores jam vidit, & „ sæpè etiam debilis nunc infirmetur, ab hisce „ mutuò petendis subventionibus & exactionibus „ dandis, tamdiu tantùm quàm ille vixerit, „ clementissimè liberum pronuntiare „ ac donare dignetur, ut fundatio Monasterii „ ad Dei honorem & gloriam conservetur, „ neque sub ipso Abbate, ad nostræ Leisse-

„ rorum familiæ & nominis exprobrationem „ perpetuam, ita deterioretur; nam Clementissime Rex, si Abbas dictus non ad religionem animum habuisset, & in sæculo „ mansisset, æquè Majestati Vestræ tam devotus ac fidelis utì nos inserviisset, absque „ dubio etiam à sua Majestate ipsi gratanter „ provisum fuisset. Majestas Vestra scriptum „ hoc humillimum nostrum in gratia suscipere, „ nósque unà fratres omnes clementissimè „ sibi commendatos habere velit, quam gratiam apud Deum pro Regia Majestate Vestra devotione nostra atque exiguis nostris „ servitiis in omni obedientia submississimè „ toto vitæ nostræ tempore referre non omittemus, Regiæ Majestatis Vestræ demississimi „ Maximilianus & Christophorus Leisseri fratres germani. [6.] Hunc libellum Regi porrectum prolixiorem quidem, sed ad nostram historiam magìs accommodum ideo Annalibus nostris inseruimus, ut tunc Monasterii Zwetlensis faciem & statum Lectori benevolo ante oculos poneremus.

Porro F. Simon Magister curiæ in Rasing nuntiat Erasmo Abbati, se Viennæ fuisse, & quæ in comitiis Provincialium audierit, & quid in causa armaturæ census apud Deputatos egerit, significat, licèt Hager ex Alentsteig ex Deputatorum numero unus omnia impedierit. Deinde scribit, quòd tormenta bellica & milites omnes in Ungariam ad Budam obsidendam avehantur & deducantur. Datum in curia Rasing 9. Septembris, annô 1542. [7.] Ex his colligitur, in omnibus aliis grangiis sæculares, in hac verò unica Professum Religiosum Magistrum egisse, quia aliæ jam vel venditæ, vel fuerant Laicis impignoratæ, utì suprà vidimus. Deinde mense Augusto primùm in Ungariam expeditionem factam esse.

ADDITIONES.

* [1.] Surius in Commentario hoc anno. Ciaconius & Onuphrius in Paulo III. Spondanus hìc n. 10. & sequentibus.

[2.] Neugebauerus Histor. Polon. lib. 7. hoc anno.

Cochlæus de actis & scriptis Lutheri hoc anno.

Megizerus lib. 11. Annal. Carinthiæ c. 32. infelicis hujus expeditionis acta de die in diem referens ita concludit: „ Diß ist der Ausgang „ dises unglückseeligen Türckenzugs gewesen, in dem mancher redlicher Mann, der „ für die Religion und das Vatterland, wider „ den grausamen Feindt Christlichen Nahmens streitten wöllen, umbkommen, erfroren, und Hungers gestorben ist. Man „ achtet auch, daß bis in 20000. ihr Ende „ dises Zugs halben genommen haben, und „ daß über 4. Million Golds Unkosten sey „ darauff gangen. „

Spondanus hìc n. 1. 2. & 3. ita concludens: „ Utq; rei malè gestæ fœdus exitus, ad minuendam infamiam, avertendósque hominum „ sermones, alicujus insignis facti novitate „ tegeretur; Petrus Perennius Hungarorum „ nobilissimus, qui fortem & antea, & postremo hoc bello operam Ferdinando navaverat, affectati regni accusatus, captúsque „ est, ministeriô Liscani Hispani; qui indignitatem augens, avarè & inhumaniter aureum „ torquem collo ejus detraxit, exuítque pretiosa veste, qua indutus erat. Quod factum „ utì clarissimo viro atque insonti indignum, „ adeo Hungarorum animos contumeliæ dolore consternatos perturbavit, ut supra duodecim millia equitum, maledictis Germanicum nomen incessendo sublatis continuò „ signis domum redierint. Rem narrat Jovius; innocentiam quidem in hoc Perenii „ agnoscens, sed tamen mobilitatem ejus ingenii in fide erga Joannem defunctum Regem & Ferdinandum, & defectione ab utroque ad utrumque, atque etiam in rebus „ Turcicis, sugillans, ob quam meruit sic plecti. Cui Isthuanffius graviorem etiam causam adjungit; nempe, quòd invexisset in „ Pannoniam Lutheranam hæresim, propterea „ divinam meritò sensisse vindictam, etiamsi „ in præsenti accusatione perduellionis insons „ esset. Ceterùm ut publicè audiretur, à Ferdinando impetrare non potuit: indictáque „ causâ in perpetuam custodiam ad Novam „ Austriæ civitatem missus, ibíque per quinquennium detentus, cùm in eo esset, ut libertatem certis conditionibus adipisceretur, „ diuturnô morbô oppressus extinctus est. „

[3.] E literarum monumentis.

[4.] Ex literis contractûs in Originali.

[5.] Ex Originali ipsius.

[6.]

[6.] Libellus supplex ad Regem Ferdinandum.

[7.] Ex literis ejus in Originali.

Annus Christi MDXLIII. Monasterii CCCCV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Erasmus.

MIsit hoc anno tres Cardinales Legatos Paulus Pontifex ad Concilium Tridentinum, sed fervente bello inter Cæsarem & Gallum in aliud tempus prorogatum est. Carolus enim in Sicambros profectus Ducem Clivensem partes Galli secutum devicit, & ad certas pacis conditiones per deditionem coëgit. * [1.]

Interea Solimannus Turcarum Tyrannus in Ungariam cum exercitu rediens, primùm Volponium, deinde Quinqueecclesias, inde Soclos capit, mox Strigonium petit, ac etiam post aliquot insultus occupat. [2.] Talis rerum in Ungaria tum status erat.

Erasmus Abbas in Zwetl quendam excellentem in arte organorum fabrum D. Jacobum dictum Künigswerth de Strohof in ConversorumOrdine ad professionem suscepit, de quo annis sequentibus sæpiùs fiet mentio, hoc autem anno ejus mentio habetur 19. Januarii.

Anno adhuc præcedenti F. Simon scripserat Erasmo Abbati suo de Sebastiano Hager, qui Viennæ suam pro Monasterio susceptam actionem impedire conabatur, unde à D. Christophoro Barone de Eytzing, Mareschallo Austriæ commissio inter Abbatem in Zwetl & dictum Hager in Alentsteig decreta fuit, Commissarii ergo, qui erant Joannes Rosinus Præpositus Zwetlensis, Erasmus de Puechaimb in Albrechtsperg, Melchior de Hohenegg, Wolfgangus Römer de Purgschleinitz, diem Erasmo Abbati 12. Martii Zwetlæ in civitate in domo Augustini Haunolt ad comparendum indicunt. Datum in Præpositura Clara-vallensi 16. Februarii, annô 1543. [3.] Quæ autem hujus litis causa fuerat, nondum inveni.

Erasmus Abbas porro, ut petitos novos census persolvere posset, Christophoro Leisser fratri suo grangiam in Cambern hæreditario quidem jure possidendam, sed à Monasterio quandoque redimendam vendidit, unde colonos ejusdem grangiæ ab obedientia sua solvit, atque eos in manus Christophori Leisser jurare mandat. Datum in Monasterio Zwetl, 13. Martii, annô 1543. [4.] Hæc grangia postmodum ab Udalrico Hackel Abbate redempta ad Monasterium rediit, utì suo tempore scribetur.

Ferdinandus Rex bonum agens œconomum, braxandi cerevisiam rusticis inhibuit libertatem, unde ejus ad Monasterium Zwetlense mandatum defertur, quo suo Regimini ab Abbate significari velit, qua libertate, & à quo tempore braxatores coloni Monasterii in domibus suis braxatoriam exercere ausi fuerint, item quibus privilegiis fulciantur. Ad hæc responsuri subditi citati una voce dixerunt, se quidem à nullo accepisse privilegia braxandi, sed hoc ex arte sua facere, qua vivere possent, atque etiam se illam ex antiqua loci consuetudine tenere. Unde Lucius Crajer advocatus Monasterii scribit, se sperare in præsenti ipsorum causa aliquid obtenturum. Datum Viennæ 9. Aprilis, annô 1543. [5.]

Comitia Provincialia tunc Viennæ celebrabantur, ad quæ F. Simon Magister curiæ in Rafing ab Abbate missus nuntiat, quid in ipsis propositum, quid conclusum fuerit. Deinde Prælatis om-

nibus Austriæ per mandata contributionem ad Universitatem indictam esse refert, miraríque se ait, quòd Zwetlense Monasterium præ aliis magìs taxatum sit; nam Mellicense tantùm 15. talenta, & Götvicense 12. talenta contribuere, annotatum vidit. [6.] Datum in Rafing, 10. Aprilis, annô 1543.

Abbatissa & Conventus ad S.Bernardum ab Abbate in Zwetl petunt rogantes, quatenus se ad Monasterium ipsarum conferat, & quasdam sorores jam per sexennium in probatione constantes in Moniales benedicat. Datum in S. Bernardo 13. Januarii annô 1543. [7.]

Erasmus Abbas Conrado de S. Trinitate Abbati scribit, quatenus Professum & Conventualem suum F. Simonem in Abbatem S. Crucis canonicè electum & à Conventu ibidem postulatum esse intellexerit, sic ipsum libentissimè dimittere, sēque Abbatem rogare, ut opus in Professo suo cœptum prosequatur, & Electi novi promotio ad finem suum quantocyus deducatur, nè Monasterium aut novus Electus in aliquo negligatur, se verò cum Conventu suo & Electum Monasterii S. Crucis Venerabili Conventui commendare. Datum in Monasterio Zwetl 26. Maji, annô 1543. [8.]

Scripseram suprà ad initium anni hujus Solimannum denuo in Ungariam rediisse, & post plures insultus Strigonium occupâsse, unde timor vicinos Austriacos nonnihil perculit, ita etiam Simon Abbas S. Crucis subitam irruptionem Turcarum timens scribit Erasmo Abbati in Zwetl, quòd Turca magnis copiis Viennam repetere feratur, inde nec Monasterium, nec grangiæ seu curiæ, nec alia bona circa Viennam sita fore tuta, quin destruantur, incendantur, perdantur. Mittit ergo ipsi clenodias Templi ac privilegia Monasterii sui de consilio Conventûs sui servanda, exemplum à Proceribus provinciæ sumens, qui etiam omnia privilegia ex aula Principis seu Burgo Viennensi in loca securiora deportârunt. Datum in curia S. Crucis Viennæ, 14. Julii, annô 1543. [9.] His acceptis Erasmus Abbas & P. Wolfgangus Prior in Zwetl, nomine Conventûs sui scrinium tribus seris obsignatis obseratum à D. Simone Abbate S.Crucis, per P. Georgium Priorem ibidem sibi custodiendum oblatum se recepisse fatentur, quod se bona fide restituturos, sicut acceperunt, pollicentur. Actum in Monasterio Zwetl 18. Julii, annô 1543. [10.]

Turcis ad Strigonium hærentibus Ferdinandus Rex Pragæ resedit, & undique auxilia collegit, & ita etiam Erasmo Abbati in Zwetl demandat, quatenus ad petitionem Cameræ Austriæ Inferioris sit facilis pro patria contra Turcas defendenda ad pecuniam concedendam. Datum in arce Regia Pragensi, 5. Augusti, annô 1543. [11.] Irruptio enim Turcarum in Austriam subitanea timebatur.

Demum rursus Ferdinandus Rex Erasmo Abbati mandat, ut sibi contra Turcas moventi, equos sanos & fortes octo cum duobus curribus expeditis pro tormentis rebúsque bellicis ac commeatu portandis transmittat. Hos Maximiliano Leisser supremo sui armamentarii Magistro & copiarum Inferioris Austriæ Ductori 24. Augusti Viennæ tradi jubet. Actum Viennæ, 12. Augusti, annô 1543. [12.] Neugebauerus ait: „ Turcas occupato Strigonio Tatam „ & loca circa Comaram capta demolivisse, Albámque Regiam obsidione cinxisse. Dum verò illi Albam Regiam expugnant, jam Ferdinandi Regis copiæ circa Posonium convenerant, cum quibus Ferdinandus Posonii ex utraque parte Danubii castra metatur, triduum in construendo trans fluvium ponte consumpsit. Cûm ita parata essent omnia, ex improviso tam horribilis tempestas exorta, tanti imbres continuis diebus delapsi, ut vix locus editior metandis castris ibidem reperiri potuerit:

„ fuit

„ fuit insuper ea ventorum procellarúmque vis, ut nec tabernacula erigi, „ nec ignes in castris excitari possent. „ Quæ causam præbuerunt, ut Bohemi „ difficulter moverentur, metuebant „ enim, nè si semel pontem transiissent, „ illo interrupto, quo nollent, inviti „ ducerentur. Orant ergo Regem, nè „ hyeme ingruente in hostem pergat „ ducere; sese primo vere omnes adfu„ turos, quocunque etiam vellet. Rex „ itaque partim eorum voluntatem, par„ tim necessitatem secutus, quòd vi„ deret, sub dio & pellibus militem „ contineri non posse, exercitum di„ misit, & Viennam reversus omnes „ cogitationes, quibus artibùs & viri„ bus bellum anno subsequenti geri „ posset, intendit. „ [13.]

Abbati Erasmo in Zwetl non tam studium erat Conventum augere, quàm in Hospitali pauperum numerum conservare, sed etiam scholam pro pueris informandis in humanioribus litteris constituit, in qua tam pauperes quàm nobiles erudiebantur, quod ejus studium probant literæ Joannis de Lamberg & Haunstain ad eum datæ, quibus significat, se percepisse Abbatem in Monasterio suo habere pro juventute scholam, in quam Nobilium quoque filios susciperet, utì Neudeccensium, Leisserorum, aliorúmque. Rogat itaque, quòd & ipse filium unum habeat quinquennem, quem ad erudiendum ipsius scholæ ad biennium, vel quamdiu illi opus esset, tradere velit, modò per Abbatem sibi liceat, se non tantùm pro eo victum, sed etiam scholæ Magistro honorarium, & pro sui filii servitoribus vitæ necessaria subministrata grata habere ac solvere velle, sub dato 17. Decembris, annô 1543. [14.] Ex his colligitur, Lambergicos bonos in tanta Religionis turbatione Catholicos fuisse, qui Majorum exemplo laudabili filios suos ad Monasteria ob pietatis in Deum & literarum studium transmittere solebant.

ADDITIONES.

• [1.] Surius in Commentario hoc anno. Ciaconius in Paulo III. „ Annô igitur „ 1542. circiter Kalendas Novembris Conci„ lium indicitur, & locus idoneus Tridentum „ eligitur. Eò Legati protinus fuêre Cardi„ nales Petrus Paulus Parisius, Joannes Moro„ nus, Reginaldus Polus, qui inchoandi Con„ cilii auspicia agitarent, & sedem tot Patri„ bus, ac gentibus pararent.

„ Post hæc Paulus 3. eodem anno, die 12. „ Novembris, recrudescentibus magis bello„ rum seditionibus inter Carolum Imperato„ rem, & Franciscum Gallorum Regem litte„ ras, eodem ferè exemplo ad eos misit; qui„ bus pacem toties ab ipso tentatam, com„ munem opem, atque vires contra Turca„ rum Tyrannum, ut jungerent, acriter & ve„ hementer postulabat. Quæ parùm quum „ profecissent, Legati Tridentô revocantur, „ & Concilium differtur. Carolus à Gallis „ offensos, se absente, Belgas suos, & gravi„ bus præliorum detrimentis oppressos vindi„ caturus, in Italiam contendere decrevit.

„ Pontifex ea re cognita solennes suppli„ cationes in urbe habuit, & annô 1543. die 4. „ Kalendas Martii Româ egressus, omnémque „ ferè Ecclesiasticam ditionem oberrans, Im„ peratoris adventum præoccupare, ut eum „ bellô averteret, mirum in modum cupie„ bat. Eo Romam decedente Leonianæ ur„ bis murô cingendæ Alexander Vitellius, „ qui bellicis operibus præerat, diligenter in„ cubuit. Carolus Imperator circa Solstitium „ Genuam delatus, à Petro Luisio Farnesio, „ frustrà in Pontificis colloquium venire ro„ gatus, mox ab Alexandro Farnesio Cardi„ nale tandem exoratus, Buxeti (quod est „ Palavicinæ familiæ oppidum) Pontificem „ convenit. Carolus Pontificem alloqui re„ cusaverat, nè tempus sibi jam bello Sicam„ brico destinatum interlaberetur, ac nè Bri„ tanniæ Regem, quocum adversùs Gallos „ fœdus inierat, offenderet.

„ Post dies quinque, per quos mutuis al„ loquiis Pontifex & Imperator Buxeti de „ pace, & aliis rebus disseruerant, & Car„ dinalium Senatus, habita à Grimano Car„ dinale, super ea re, oratione, Imperatorem „ ad pacem fuerat hortatus, eâ non impetratâ, „ Pontifex Bononiam, ut solemnia Aposto„ lorum Principi celebraret: Carolus in Ger„ maniam bellum administraturus contendit. „

Cochlæus. „ Hoc anno rursus Nuren„ bergæ, absente adhuc Cæsare in Hispaniis, „ per

„ per Regem Romanorum habitus est Con-
„ ventus Imperialis, à mense Januario usque
„ ad Aprilem: cujus recessus factus ac publi-
„ catus fuit die 23. Aprilis. Adjuncti fue-
„ runt Regiæ Majestati ad id negotii tres Com-
„ missarii à Cæsarea Majestate, utpote Chri-
„ stophorus Episcopus Augustensis, Fridericus
„ Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, &
„ Joannes de Navis: quorum primus in illo
„ Conventu Nurembergæ obdormivit in Do-
„ mino. Tractatum est autem & ibi præcipuè
„ de ratione belli, adversùs Turcas gerendi,
„ déque præsidiis, subsidiísque & contribu-
„ tionibus in tempore constituendis. De
„ causa verò religionis nihil aliud constitui
„ commodè potuit, nisi ut publica pax utrin-
„ que servetur, nè religionis prætextu ulli
„ inferatur vis aut injuria. Fuit eodem anno
„ indictum à Summo Pontifice Generale Con-
„ cilium ad Civitatem Tridentinam, quò tres
„ misit Cardinales Legatos. Quoniam verò
„ propter bella, quæ inter potentissimos erant
„ Monarchas, perpauci Episcoporum compa-
„ ruerunt: revocatis Romam Legatis, suspen-
„ sum est ad tempus Concilium illud. Fata
„ insuper eripuerunt Catholicis in Germania
„ duos clarissimos & doctissimos viros, D.
„ Eckium, & D. Pighium, fortissimos contra
„ hæreticos Ecclesiæ fideíque Propugnatores.
„ Mortuus autem est uterque intra unius men-
„ sis, & quidem primi, spacium, non sinè pu-
„ blico plurimorum luctu & gemitu. „

[2.] Surius citatô locô.

Neugebauerus lib. 7. hoc anno. „ Ducto
„ igitur ad Dravum exercitu, ut omnia à ter-
„ go pacata relinqueret, cohortes aliquot ad
„ Volponium arcem in finibus Bosniæ, Croa-
„ ciæ atque Ungariæ sitam oppugnandam mi-
„ sit, quam ferè per tres menses totos frustrà
„ obsedit. Deditio postea facta est, sed per-
„ fidiâ militum, qui Præfectum omnia potiùs
„ experiri, quàm dedere se volentem compre-
„ hendêre, Turcísque tradidêre. In quem
„ Tyrannus non solùm non crudelis, sed mu-
„ nificus etiam fuit: deditiios verò omnes
„ mactari mandavit. Erant jam proximi Quin-
„ queecclesienses, qui in superioribus bellis
„ in fide data constanter permanserant: sed
„ territi virium hostilium magnitudine, ac in-
„ primis prædictarum arcium jacturâ, Episco-
„ pus & reliqui Proceres plus in fuga, quàm
„ in urbis munitionibus præsidii posuêre,
„ & multitudinem Barbaris prædæ reliqué-
„ runt. „

Item Ortelius Redivivus hoc anno.

[3.] Ex citatione ipsorum.
[4.] Ex literis ejusdem.
[5.] E literarum monumentis.
[6.&7.] Ex literis scriptis.
[8.] E literarum monumentis.

Item ex serie Abbatum S. Crucis nobis communicata.

[9.] Ex Autographo ipsius.
[10.] E literarum monumentis.
[11.] Ex Mandato Regis proprio.
[12.] Ex mandato ipsius.
[13.] Neugebauerus ubi suprà.
[14.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDXLIV. Monasterii CCCCVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Erasmus.

INitiô Januarii annô MDXLIV. Cæsar è Belgio in Germaniam profectus, Spiræ Imperii comitia celebraturus venit. Adfuêre, quod rarò est visum, Septem-Viri omnes, ac totius Germaniæ præcipui Principes, ipséque Clivius. Quo Conventu Cæsari adversùs Francum decernuntur equitum quatuor, peditum viginti quatuor millia, qui sex mensibus Imperii sumptu militarent: promisitque hanc ob causam Cæsar Protestantibus, primo quoque tempore in Germania aut generale, aut nationis Germanicæ, Concilium se procuraturum; Summo Pontifice Paulo factum ægerrimè ferente, ac scripto Cæsari exprobrante. * [1.]

Econtra habitis hoc anno Tridenti octo Sessionibus, salutaribúsque decretis aliquot excussis & examinatis, Lutheranis modò Præsides, modò locum non probantibus, simultate etiam inter Carolum & Paulum III. excitata, & pestilentiâ Tridenti obortâ, ex Pontificis authoritate Concilium Bononiam Annô MDXLVII. translatum fuit. [2.]

Quidam Christophorus Pachswel Cano-

Canonicus Posoniensis scribit cuidam dicto Casparo Liczelman, quem Abbatis in Zwetl Secretarium vocat, sed utì Abbas ipsi respondet, se nullum talis nominis unquam famulum habuisse, & inter cetera etiam ex Ungaria nova illi significat sequentia: „ Nimirum se ferme quotidie ad mensam Episcopi sui Strigoniensis assidere, ubi audivit spem ferè nullam esse residuam evadendi, hinc enim unum sursum, alium dextrorsum è regulis fugam meditari & inire, præter Castellanum Plintenpergensem, qui pro auxilio semper clamat, & tamen nullum exspectare potest. Turcæ ante Strigonium turrim Danubianam occupârunt, inde è tormentis bellicis globos 2700. in civitatem miserunt, & præsidiarios civitatem relinquere, ac in arcem fugere coëgerunt: in Vigilia verò Paschatis Turcæ tres impressiones & impetus in arcis mœnia fecerunt, sed contrà egregiè se defendentibus Christianis nihil effecerunt, qui tamen in commeatu seu victu defectum patiuntur, ita timendum, nè fames expugnet, quos vis Martis expugnare non valet. Nuntiatum etiam esse Plintenbergum jam expugnatum, oppugnari verò jam à Turca Temeswar castellum. Præterea Transilvanos cum Turcis de tributo convenisse, quibus sex mille ducatos Waywodæ de Moldavia totidem, ac totidem F. Georgio Episcopo miserunt, unde quid Ungari intendant, colligi potest. Rogat deinde præfatus Canonicus Abbatem in Zwetl, quatenus ipse in domo Monasterii Viennæ hospitiolum pro se habere posset: habere quidem se, ait, tria cellaria vinô plena, priùs tamen ipsa relinquere quàm hostem exspectare malle. Datum Posonii 4. Aprilis, anno 1544.

[3.] Ex his literis apparet, Strigonium primùm anno isto expugnatum fuisse, & non anno superiore, utì Authores illi citati volunt.

Venio ad F. Jacobum Künigswerdt de Strohof, Conversum Zwetlensem, & organorum fabrum, quem Senatus Viennensis ab Erasmo Abbate sibi mitti petit scribens; „ quòd jam antea per Syndicum suum cum præfato F. Jacobo egerit, quatenus organum majus in Basilica D. Stephani non tam repararet, quàm augeret, illúmque id promisisse, quod tamen hactenus omissum fuerat. Rogat ergo Abbatem Magistratus dictus, quatenus ipsum F. Jacobum admoneat & jubeat, ut quantocyus Viennam se conferat & ad opus manum applicet &c. Datum Viennæ 6. Julii, annô 1544. „

[4.] Præfatus autem F. Jacobus cum licentia Abbatis sui descendit Viennam, de cujus missione Magistratus Viennensis Abbati scribens „ agit gratias, quòd cum eo de opere plenè transegerit, significat, nimirum, ut in majori suo organo in Cathedrali Ecclesia ad S. Stephanum ad Dei gloriam anterius & posterius Positivum, utì vocant, addendo octo adhuc vocum consonantias faciat, cúmque laborem in Zwetlensi Monasterio quantocyus perficiat. Mercedem pro labore ad petitionem ipsius pronuntiant centum libras denariorum &c. Datum Viennæ 23. Julii, annô 1544. „

[5.] „ Rursum Franciscus Igelshofer Viennâ Erasmo Abbati scribit, quòd F. Jacobus organorum Magister & artifex illuc advenerit. Deinde significat, ipsum jam sæpe à Rege Pragam ad novum ibi organum fabricandum vocatum fuisse, à se tamen ipsum semper excusatum esse, tum ob valetudinem adversam & ætatem gravem, cùm ob opus Viennæ ad D. Stephanum jam inchoatum, in cujus perfectionem Rex consensit, ac mirum quantum opus dictum placuit. Datum Viennæ 23. Julii, annô 1544. „

[6.] „ In aliis etiam literis suis Magistra-

„ tus Viennensis significat Erasmo Abbati, quòd Rex ipsemet cum F. Jacobo aliquoties fuerit locutus, unde rogant, ut opus organi cœptum à „ præfato Jacobo pro voluntate Regis ad festum omnium Sanctorum perfici procuret. Datum Viennæ 20. Octobris, annô 1544. „ [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Heuterus in Carolo V. lib. 12. Cochlæus hoc anno. „ Recessus ergo publicus datus fuit Spiræ X. die Junii. Cujus sanè tenorem ubi Romanus Pontifex accepit, paternè admonuit per quandam epistolam Cæsaream Majestatem, ut in causa fidei & Religionis more Majorum, nihil velit, inconsulto Romano Pontifice, statuere aut permittere, in Sedis Apostolicæ præjudicium. Mos (*inquit*) Majorum est ejusmodi, ut quoties de his, quæ ad Religionem pertinent, disceptatur, ad Sedem Apostolicam omne judicium semper referatur, nihil illâ inconsultâ statuatur. Tu verò nunc Fili, cùm vel de Concilio Generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius inprimis Germaniæ mentionem facis: vel de Nationali, cujus etiam meministi: vel de futuro ad proximum autumnum Imperiali Conventu, in quo de religione, ceterísque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis; ità agis, ità statuis, ut supprimas ejus nomen ubique, cui divina & humana jura, approbante tot sæculorum consensu, supremam, cùm cogendi Concilia, tum statuendi de his & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ unitatem utilitatémque spectant, authoritatem dederunt &c. Contra hanc Papæ Pauli III. epistolam, horrenda convitia scripserunt Lutherani, quidam Latinè, quidam Germanicè. Lutherus ipse Teuthonicè prolixum adversùs eam edidit librum, usque adeo maledicum & obscœnum, ut sinè pudore recitari aut legi non queat. „

[2.] Ciaconius in Paulo III.
Onuphrius in eodem.
Surius in Comment. hoc anno.

[3.] Ex literis ejusdem.

[4. 5. 6.] Ex Autographis ipsorum.

[7.] Ex litteris ipsius Magistratûs Viennensis.

Annus Christi MDXLV. Monasterii CCCCVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Erasmus.

„ HOc anno rursus indixit Summus Pontifex ad Tridentinum Generale Concilium, cui præfecit tres Cardinales Legatos, virtute ac eruditione excellentissimos. Quorum operâ consulatur Ecclesiæ, & contra hæreses usque adeo impias, variásque; & contra corruptos mores & abusus Ecclesiasticorum; „ *[1.] fuit nonnisi unica hoc anno inibi Sessio celebrata. [2.]

Cæsar pace cum Gallo facta Wormatiæ comitia Principum Imperii per Ferdinandum Regem in causa Religionis celebrat, inde verò absque effectu ullo discessum est. Ipse verò denuo Ratisbonæ alia indicit, ad quæ cùm & Saxo & Hæssus venire recusarent in opinionibus errorum suorum pertinaces, tunc Imperator in eos bellum decrevit, [3.] quod à loco fœderis inter Lutheranos facti Smalcaldicum vocabatur, [4.] sed annis sequentibus primùm gestum.

Redeo ad F. Jacobum Künigswerth Conversum Zwetlensem, qui Erasmo Abbati suo scribens Viennâ, se organum ad D. Stephanum vigesimâ Januarii perfecturum, quare currum pro se petit mittendum, atque etiam duas vel quatuor urnas albæ cerevisiæ, quam alicui suorum amicorum promiserat. Datum Viennæ 11. Januarii, annô 1545. [5.] Quòd autem præfatum organum dicta die

die perfecerit, atteſtatur Magiſtratus Viennenſis ſuis literis; „ quibus Ab-
„ bati pro oblatione aliquorum ex or-
„ gano ſuo neceſſariorum maximas agit
„ gratias, & in animi grati indicium do-
„ lium unum Huſone ſale condito im-
„ pletum transmittit, recentes nullos
„ fuiſſe adductos, alioquin talem miſiſ-
„ ſent, claudunt literas de laude per-
„ fecti ſui organi cum oblatione ſuo-
„ rum officiorum. Datum Viennæ 23.
„ Januarii, annô 1545. „ [6.]

Porro Eraſmus Abbas etiam piſcinam magnam fieri curavit, quæ à proximo pago Ruedmans nomen accepit, & feriâ tertiâ poſt Georgii feſtum, id eſt, 28. Aprilis incepta fuit à foſſoribus Bohemis, quorum hæc ſunt barbara nomina: Gemſchtzo Tzſchyſſi. Henſel Peckh. Wentzl Peckh. Holy Ztzebeny. Zeſcho. [7.] Horum Magiſter erat Thomas Teychtpartier; utrum verò hoc anno perſolverint, certi nihil affirmare auſim: hoc tamen conjicere poſſum ex ſequentibus Eraſmi Abbatis gravaminibus Monaſterii ſui p.m. ſcriptis, dictam piſcinam ſub eo perfectam fuiſſe, præſertim cùm & eam inter cetera Monaſterii bona taxata annotaverit. [8.]

Venio ad obitum Eraſmi Abbatis Zwetlenſis, qui Calendis Maji, id eſt, primâ Maji hoc anno contigit, utì omnes Abbatum Catalogi conveniunt, ac etiam Mortilogium antiquum cum Chronoſticorum authore, qui ita tempus Eraſmi obitûs deſignat:

- - - - - - qui fabricavit opus
„ Altaris, ſummis perfectum ſumptibus ingens,
„ DVM probVs Is VIXIt, rVrsVs & Ipſe VIget.

Sic hic ſedulus Pater Monaſterio Zwetlenſi præfuit triginta tribus annis, ab anno electionis ſuæ Abbas: & in Ordine Ciſtercienſi Profeſſus vixit univerſim quadraginta duobus annis: ac ætatis ſuæ annum, ſi non ſuperavit, ſaltem complevit ſexageſimum, infirmus ſemper, ac plenus dierum, utì ex vitæ ipſius contextu magìs patet. Quæ pertulerit, quæ fecerit, quæ ædificârit, annorum decurſus per Abbatiam ejus declarat. Cognito obitu ejus Simon Abbas S. Crucis protinus advenit, & ad electionem canonicam procedens F. Jacobum cognomento Grienwald Profeſſum Zwetlenſem electum invenit, qui jam Annô MDXII. Profeſſus erat, & ipſum de more inſtallavit, quod vel menſe Julio vel Auguſto factum videtur, ùt ex literis Georgii Schockler ad Jacobum Abbatem datis conſtat. Datum literarum eſt Crembſii feriâ quintâ poſt Michaëlis 1. Octobris, annô 1545. [9.] De ſucceſſione omnes Abbatum Catalogi conveniunt, ſicut & Chronoſticorum author, qui ita verſificat:

„ ExItIt atqVe pIVs qVoqVe MoX In orDIne præſes,
„ Electus portat ſceptra Jacobus ovans.

Interea dum hæc in Monaſterio tranſiguntur, Bernardus Turſo in Grafenegg ſubditos Monaſterii in Weinzierl, Nondorf, & Lenterſtorf variis modis vexare cœpit, unde à Joanne Ernnſt Magiſtro curiæ in Weinzierl de intolerabili cenſu aliíſque illatis gravaminibus apud Ferdinandum Regem accuſatus, à quo contra ipſum inhibitionis ſub mulcta decretum impetravit, quod nuntiat D. Jacobo electo Abbati ſub dato Viennæ 14. Auguſti, annô 1545. [10.] Ex his colligitur jam Auguſto menſe Abbatem Jacobum electum fuiſſe; ac nonnulla præludia apparent ſubditorum ad Dominium Grafenegg raptorum ſub titulo advocatiæ, de quo plura in ſequentibus annis legenda occurrent.

ADDITIONES.

* [1.] Cochlæus locô sæpe cit. sub hoc anno ad finem.

Ciaconius in Paulo III. „ Post cruentam „ ad Cerasuleam inter Imperatorem & Gallo- „ rum Regem pugnam, annô 1544. apud Cre- „ pinium in Suessionibus castellum inexpe- „ ctata pax, omnibus tamen ac præcipuè Pau- „ lo III. expetita, certis conditionibus icta „ fuit. Pontifex ubi cognovit, quæ in pace „ Crepinii Imperator & Gallus agitâssent, „ Concilium in anni sequentis mensem Mar- „ tium convocari jussit, eóque Joannem Ma- „ riam de Monte, Marcellum Cervinum, po- „ stea Romanos Pontifices Maximos, & Car- „ dinalem Polum legavit: quibus centum Epi- „ scopos, ingeniô & scientiâ præstantes, in „ publico totius orbis consessu de rebus fidei „ nostræ disputaturos adjunxit. „

Onuphrius in eodem Paulo III. & alii.

[2.] Spondanus hic n. 16. „ Cùm tan- „ dem post longas moras, postpositis omnibus „ difficultatibus, quæ quotidie velut ab ini- „ mico humani generis emergebant, decretum „ venisset à Pontifice datum ultimô Octobris, „ ut Concilium, quod inchoari non potue- „ rat Dominicâ Lætare Quadragesimæ, omni- „ no absque ulteriori dilatione aperiretur eo- „ dem fausto omine Dominicâ Gaudete ter- „ tiâ Adventûs, quæ futura erat dies 13. De- „ cembris: - - - - - -

N. 17. „ Adveniente igitur tandem Do- „ minica illa Gaudete, Idibus Decembris, „ Romæ Pontifex publicatis per totum Chri- „ stianum orbem supplicationibus, & Jubileo „ universali cum plenissima remissione omni- „ um peccatorum, cunctos hortatus est ad „ orandum pro Patribus congregatis Tridenti „ ad celebrationem Concilii, quod à se in- „ dictum esset sanandis vulneribus, ab impiis „ infidelibus reprobísque hæreticis Ecclesiæ „ inflictis. Eodémque die Legati primam „ acturi Sessionem, unà cum viginti sex qui „ aderant Patribus, videlicet quatuor Archi- „ Episcopis & viginti duobus Episcopis ha- „ bitu Pontificali ornatis: Oratoribus Regis „ Romanorum; quinque Generalibus Ordi- „ num Mendicantium, Minorum Observan- „ tium, & Conventualium, Eremitarum S. „ Augustini, Carmelitarum & Servorum; cum „ multis tam sæcularibus quàm regularibus „ Doctoribus, Clero, nobilitate, & populo, „ supplicationem solemnem habuerunt ab Ec- „ clesia Sanctissimæ Trinitatis ad Cathedra- „ lem Sancti Vigilii ejus civitatis olim Epi- „ scopi & Martyris: ubi Cardinalis de Monte „ primus Legatorum Missam de Spiritu Sancto „ celebravit: & Episcopus Bitontinus magnâ „ eloquentiâ orationem habuit de necessitate „ Concilii; & laudibus Pontificis, qui illud „ favore Imperatoris, ac Regum Galliæ, Ro- „ manorum, & Lusitaniæ, aliorúmque Prin- „ cipum Christianorum subnixus indixisset: „ laudatísque pariter Legatis, Patres horta- „ tus est ad vitæ emendationem, ac deposi- „ tionem omnium affectuum, quò dignè ab „ iis dici posset: Visum est Spiritui San- „ cto, & nobis &c. „

[3.] Surius in Commentario hoc & seq. anno.

Piespordius anno sequenti.
Spondanus cit. locô n. 4.
Pont. Heuterus lib. 12.

[4.] Idem eodem. „ Jam dudum Pro- „ testantes inter se fœdus Smalcaldii fecerant, „ sæpiúsque diversis conventibus renovârant, „ confirmârant, diversósque Principes ac ci- „ vitates eodem attraxerant. Est autem Smal- „ calla oppidum ad limites Thuringiæ & Has- „ siæ situm, juris, Ditionísque partim Lant- „ gravii Hassiæ, partim Comitis Henneber- „ gæ. „

[5. & 6.] Ex Autographis ipsorum.
[7.] E literarum monumentis.
[8. & 9.] Ex Autographis ipsorum.
[10.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXLVI. Monasterii CCCCVIII.

Pont. Rom. Paulus III. — *Imp. Rom.* Carolus V. — *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. — *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

Bellum, utì anno superiore scripsi, Smalcaldicum, colloquiô Religionis causâ susceptô, absque fructu Ratisbonæ solutô, * [1.] hoc anno inchoatum & finitum fuit, Deo Cæsari justam causam habenti succurrente: [2.] quo

quo etiam anno 17. Februarii Islebii in Comitatu Mansfeldiæ Martinus Lutherus omnium schismatum hæresiósque auctor & princeps animam efflavit. [3.]

Porro Jacobus Abbas in Zwetl Joanni Ernnst civi Crembsensi contulit emptionis titulô grangiam in Weinzierl cum Landerstorf, Noindorf, & Neustifft, aliísque ad eam pertinentibus juribus, utì civis dictus fatetur 15. Februarii annô 1546. [4.] Ego potiùs eam grangiam illi locatam, quàm venditam fuisse judico.

Erat tunc temporis Allodiorum Magister Gulielmus Staindorfer, qui Viennâ inter cetera sua negotia hæc nova nuntiat Abbati, quòd Turca infra dierum duodecim spatium non procul Labaco plurima Stiris & Carinthiis damna cæde & incendio intulerit, atque etiam ad duo millia hominum in captivitatem perpetuam secum abduxerit, ísque in Ungaria suos numerô augere fertur. Item Excelsum Regimen Priorem Mellicensem in vincula conjici, atque alium ejus loco substitui curâsse scribit sub dato Viennæ 19. Martii annô 1546. Causa non additur. [5.] De dicta Turcarum in Stiriam & Carinthiam irruptione nihil Megizerus habet, nisì forsan vicini Turcæ de more suo vicinos Christianos visitârint. Richardus Strein in suis Annalibus Austriæ Superioris scribit, quòd 13. Decembris Annô MDXLI. quinque Austriacarum Provinciarum ac Comitatûs Goriciensis Legati in conventu Pragæ ad pedes Ferdinandi Regis se projecerint humiliter petentes, quatenus dictis provinciis purô putóque Evangeliô veráque fidei justificatione, atque SS. Sacramenti sub utraque specie communione sinè timore pœnæ liberè ipsis uti liceret: sed nihil impetrârunt. [6.]

„ Scribit etiam Jacobo Abbati in
„ Zwetl Maximilianus Leiffer Eques &
„ armamentarii Præfectus, & ipsi quen-
„ dam Christophorum cognomine Pa-
„ triarcham, Regium Vice-Domini
„ Austriaci Antigrapheum commen-
„ dat, quatenus ipsi, mortuâ Turnerin
„ viduâ, domum Zwetlensem Viennæ
„ in veteri rusticorum foro sitam ad dies
„ vitæ concedat, qui in emergentibus
„ litibus Monasterio utilis esse possit,
„ siquidem etiam in Camera officiô fun-
„ gatur, idémque apud Excelsum Re-
„ gimen sit in notitia & favore: deinde
„ Abbati aut aliis de Monasterio Vien-
„ nam venientibus æquè ac dicta vidua
„ in hospitio & victu vult providere.
„ Datum Viennæ 1. Maji, annô 1546. „

[7.] Hæc domus erat ad cœmiterium S. Petri in platea Monetariorum, qui locus à foro venalium rerum à rusticis allatarum olim dicebatur, modò ibi est aula S. Margarethæ.

Nominat præterea Martinus Meichsner Præpositus in Eisgarn Jacobi Grienwald Abbatis in Zwetl se patruum, à quo modium tritici petit sub dato in Eisgarn 23. Julii, annô 1546. [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Cochlæus de actis & scriptis Lutheri hoc anno. „ Colloquium de religione à Cæsare in „ conventu superiore Wormaciæ habito, ad „ festum S. Andreæ indictum, & ab eodem „ postea ad XIIII. diem Decembris ex certis „ causis per literas prorogatum: propter tardiorem eorum, qui ad colloquium deputati „ fuerunt, adventum, non potuit inchoari „ Ratisponæ ante XXVII diem Januarii. Nam „ ii, qui ab Electore Saxoniæ ad colloquium „ missi sunt, Doctor Laurentius Zoch, ùt auditor, & Doctor Georgius Maier, ùt collo„ cutor, advenerunt primùm die XXI. Ja„ nuarii, cùm ceteri ex utraque parte jam „ pridem comparuissent, & Melanchtonem „ (qui nominatim pro collocutore fuerat „ Cæsari per literas indicatus) tot diebus „ frustrà expectâssent: Quandoquidem pro „ eo substitutus ab Electore prædicto fuit D. „ Maier. Die igitur 27. Januarii, Domini Præ„ sidentes, post solenniter celebratam ritù „ Catholicô in Cathedrali Ecclesia Missam, „ in Prætorio cum utriusque partis Collocutoribus & Auditoribus convenerunt, factóque consessu Cæsareæ Majestatis, commis-

„ siones sibi factas exhibuerunt, & recitari „ fecerunt utrique parti. Modum insuper „ procedendi, à Cæsare præscriptum, utrique „ parti in scriptis tradiderunt. Verùm, cùm „ Lutherani suspiciosiùs variis causationibus „ & exceptionibus rem protraherent, atque „ colloquium inire nollent, nisi proprios per- „ mitterentur habere Notarios: effecerunt, ut „ quinto tandem die Februarii primùm, à Ca- „ tholicis Collocutoribus materia de articulo „ justificationis, juxta præscriptam à Cæsare „ formulam, proponi potuerit. Die autem „ sequenti Lutherani, antequam ad materiam „ propositam responderent, prolixo apparatu „ præfati ac protestati, & extra propositum „ querelis & excusationibus vagati: rem scri- „ ptis, recitationibus, ac dictationibus ex- „ traxerunt, usque in diem XII. Februarii, an- „ tequam Catholicis daretur locus aut copia „ respondendi. Deinde die XVII. Feb. rur- „ sus Lutheranis concessa dicendi facultate, „ res iterum extracta est partim dictationibus „ & scriptis, partim familiari colloquendi vice „ ac disceptatione verbali, usque ad 24. diem „ Februarii, qui erat festus Matthiæ Apostoli „ veneratione. Interea Cæsar à Dominis Præ- „ sidentibus consultus, & de modo proce- „ dendi (qui Lutheranorum pervicaciâ & „ importunitate à præscripto aliquantulùm „ mutatus erat) certior factus, novam eis „ super quibusdam dubiis commissionem mi- „ sit, & utrique parti literas Credentiales, ut „ de sua voluntate & mandato Præsidentibus „ crederent, & R. D. Julium Pflug, Electum „ & Confirmatum Numbergensem, pro tertio „ Præside reciperent. Quæ die 26. Fe- „ bruarii publicata utrique parti, à Catholi- „ cis quidem obedienter acceptata sunt, à „ Lutheranis autem per varias ambages & ex- „ cusationes recusata. Quæ sanè res inter „ Præsidentes & Lutheranos, variis tractatio- „ nibus diebus aliquot agitata, non potuit ad „ consensum perduci, eò quòd Præsidentibus „ non liceret egredi aut recedere à præscripta „ Cæsaris commissione. Lutherani autem à „ conditionibus & limitationibus, quas con- „ tra Cæsaris commissionem afferebant, nol- „ lent recedere. Coacti sunt igitur Luthe- „ ranorum pervicaciâ Domini Præsidentes, „ iisce de rebus iterum scribere ac referre ad „ Cæsaris Majestatem (quæ jam iter ingressa „ erat è terris inferioribus versùs Ratispo- „ nam) ut scirent inde, quid Lutheranæ parti, „ tam obstinatè contra commissionem exci- „ pienti, permittere aut concedere deberent. „ Lutherani autem, antequam à Cæsare ad- „ veniret Rescriptum, contra Præsidentium „ voluntatem, die 20. & 21. Martii (quæ erat „ Dominica Reminiscere) subitò præter om- „ nium opinionem, insolita festinatione, tan- „ tùm non furtivè, discesserunt, & suâ con- „ tumaciâ omnem colloquii fructum præpe- „ dierunt, atque concordiæ spem præcide- „ runt. Id quod optimis quibusque, qui pa- „ cis & concordiæ desideriô tenebantur, dis- „ plicuit, & Cæsar ipse permolestè tulit. Nam „ ubi Ratisponam pervenit die X. Aprilis, „ & perpaucos ad indictum Imperii Conven- „ tum Principes & Status personaliter præ- „ sentes reperîsset: novum ad singulos misit „ mandatum, ut omnes absque ulteriori pro- „ crastinatione advenirent. Datum Ratispo- „ næ XXII. die Aprilis. „

Spondanus hîc n. 10.

[2.] Item Surius cit. locô, & Spondanus n. 17. & 18.

Onuphrius in Paulo III.

P. Heuterus sub Carolo V. lib. 11. hoc anno.

[3.] Iidem citati Authores & alii; non tamen concordant hi cum Protestantibus in referendo genere mortis, quam hic magnus illorum Pater pertulerit; hi enim ad Superos evehunt, illi ad inferos detrudunt eum; nos judicium super hoc Judici venturo judicare vivos & mortuos libenter subjicimus: nec tamen nobis credibile est nostros coævos, & non infimæ notæ scriptores quoad hoc ex toto hallucinatos fuisse.

[4.] E literarum monumentis.

[5.] Ex Autographo ipsius.

[6.] Annales Streinii sub anno 1541.

[7. & 8.] Ex Autographis ipsorum.

Annus Christi MDXLVII. Monasterii CCCCIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Jacobus.

BEllum Smalcaldicum anno priori finitum excepit hoc anno bellum Saxonicum, quod Cæsar Carolus utique Numinis Superni ope victoriâ maximâ poti-

potitus, infra trium mensium spatium ferè confecit, ac de tota Germania mirabiliter triumphavit, Joanne Electore Saxone atque Landgravio Hassiæ captis. Erant eo tempore etiam Bohemi ad defectionem Regis sui Ferdinandi à Saxone excitati, sed illo capto ad obedientiam rediêrunt. * [1.] Cæsar circa finem Julii Augustam Vindelicorum venit, ibíque comitia Imperii celebravit, in quibus omnes Principes Concilii Tridentini decretis se submittunt. [2.] Interea cum Pontifice tum literis tum Legatis Cæsar enixè laborat, Concilium Tridenti cœptum finiret. Transtulerat enim paulò antè Pontifex illud Bononiam, sed nihil impetravit. [3.]

Videtur Jacobus Abbas in Zwetl hoc anno mutâsse famulitium suum, nam 16. Februarii fit mentio Camerarii Nobilis Juvenis Joannis, item Andreæ Winckler civis Crembsensis, qui 20. Decembris aliquot annorum Magister curiæ in Weinzierl à Jacobo Abbate à curia illa se absolutum esse fatetur, illam enim Joanni Ernnst alii civi ibidem ad perpetuò redimendam vendidit. Deinde Gulielmus Staindorfer 22. Februarii Magister Allodiorum adhuc fuerat, utì ex literis Servatii de Neudeck in Rastenberg ad eum datis videre est, cui suffectus fuit Georgius Grueber, huic Abbas claves aliásque res 20. Martii tradi jussit, quod ille literis suis fatetur. [4.] Atque hæc de Monasterio.

ADDITIONES.

*[1.] Surius in Commentario hoc anno. Pontus Heuterus lib. 12. cap. 13. „ Decimô Calendas Aprilis Cæsar Nortlingâ „ Norimbergam, inde Ægram cum copiis contendit, conjunxeréque ei hoc loco se cum „ non contemnendis copiis Romanorum Rex, „ Mauritius ac Augustus Saxones fratres, multùm perpessi, antequam per Herciniæ silvæ „ saltus, à conjuratis succisis arboribus præmunitos, cum milite evaderent. Hinc simul „ in Mysiam profecti, circa finem Aprilis ad „ flumen Albim, è regione oppidi Mulbergæ, „ haud procul Miseno, ubi ab altera fluminis „ ripa Septem-vir Saxo castra habebat, confident. Habebat is pares Cæsarianis virtute ac numero copias. Peditum enim viginti, equitum quinque millia illi aderant, „ pontémque Sublicium, qui erat ad oppidum Mulbergam, incenderat; positísque in „ ripa Albis variis locis tormentis ac Sclopetariis, qui Cæsarianos transitu amnis prohiberent, cum majori exercitûs parte lento „ passu Wittenbergam contendebat. Sed „ Hispani Sclopetarii, audacter flumen ingressi, ita rem gessêre, ut mox Saxones ripam desererent, ac ad Septem-virum properarent. E Hispanis aliquot, qui natare didicerant, gladios ore ferentes, in hostilem „ ripam transnatant, repertásque scaphas ad „ Cæsarem retrahunt, qui ex his, & quas habebat, ponte facto, majorem exercitûs partem Albim traducit. Levis Hungarorum „ armatura, repertô vadô, quod rusticus ob „ abactos à Saxonibus equos monstrârat, „ transiît; tandémque omni transmisso exercitu, Saxonem Septem-virum, audiendæ „ concioni de novæ Religionis decretis intentum, ad silvam Lochanam assequuntur. „ Is de Cæsaris diligentia obstupefactus, dimissa concione, acies instruit. Idem facit „ Cæsar, ac ex omni equitatu duas acies educit. In prima erat Albanus, Lanoius, Antonius Toletanus, Baptista Spinellus, Mauritius ac Augustus Saxones; in altera Cæsar, „ Romanorum Rex duobus cum filiis natu „ maximis, ac Emanuel Philibertus Sabaudiæ „ Dux. Contra hos prodit Joannes Fridericus Septem-vir Saxoniæ, ac à meridie ad „ noctem acerrimè variis locis pugnans, tandem superatur; cúmque in tutum se fugâ „ elapsum existimaret, casu capitur. Equites „ enim Hispani quatuor, totidémque Itali, „ ac duo Hungari, palantes longiùs profecuti, „ in Septem-virum à suis desertum incidunt, „ cúmque circumstantes, ac singuli capere „ conati, in sinistra gena, dum se pertinaciùs „ defendit, sauciant, dederéque cogunt, reversíque cum nobili captivo ad Cæsarem, „ lætum ei, omnibúsque Proceribus spectaculum præbent. Ab Albano ad Cæsarem „ adductus, ait: *Tuus, Clementissime Cæsar, „ jure belli sum captivus: rogo, me in morem „ Principis Viri custodiri ac tractari jubeas.* „ Tum Cæsar: *Bene habet, quòd nunc tibi „ sim Cæsar: non ùt decet, sed ùt meritus es, „ excipieris.* Ille suspirans obticuit. Romanorum Rex acerbiùs cum eo agens, exprobrabat, quòd subditos suos Bohemos ad

„ arma concitâsset, séque regnô cum omni-
„ bus liberis pellere conatus esset. Captus
„ est & Ernestus Brunswicanus, Philippi filius.
„ Joannes Septem-viri Saxonis filius natu ma-
„ ximus, saucius Wittenbergâ Gotham au-
„ fugit. Captivorum peditum ingens fuit nu-
„ merus. Bichlingus ac Recrodius cum qua-
„ dringentis equitibus Wittenbergam eva-
„ sêre. Tormenta majora quindecim, poste-
„ ro die alia sex, cum multis impedimentis
„ capta. Septem-viri, ac Ernesti custodia
„ Alphonso Vives Hispano demandatur. Pu-
„ gnæ hujus tempore Sol meridie, sereno
„ cælo ac aëre, nulla eclipseos causâ nec oc-
„ casione, me inter alios, duodecim tum an-
„ nos nato, aspiciente, prodigiosè claritatem
„ amisit, ac caliginoso tristique rubore aspi-
„ cientes terruit. Cecidêre supra bis mille
„ pedites, ac quingenti equites. Nox, ac
„ propinqua silva, majorem partem periculo
„ exemêre. Signa militaria viginti octo re-
„ lata, ac inter hæc Septem-viri summum.
„ Cæsar centum viros non desideravit. Pu-
„ gnatum est ad Albim octavô Calendas Maji. „
Piespordius sub Carolo V.
Spondanus hìc n. 8. & seqq.
[2. & 3.] Megizerus lib. 11. cap. 33.
Ciaconius & Onuphrius in Paulo III.
Spondanus ubi suprà n. 7. & 33.
[4.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXLVIII. Monasterii CCCCX.

Pont. Rom. Paulus III. — *Imp. Rom.* Carolus V. — *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. — *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

IN Conventu Augustano Cæsar ubi vidit Concilium nonnihil distractum, Patribus aliis Bononiam profectis, aliis Tridenti remanentibus, quibusdam negotium dedit formulæ cujusdam Religionis conscribendæ, qua per Germaniam uterentur usque ad Concilii definitionem, qui liber Interim inscribebatur. * [1.]

Porro anno isto Jacobus Abbas in Zwetl & Erasmus Wasserbergius in Moydrams erant Commissarii Regii in eligendo novo Judice in civitate Zwetlensi, utì ex literis ipsorum 24. Februarii datis colligere est. [2.] Constituit etiam Abbas quendam suæ curiæ in Leüss Præfectum, civem ibidem Leonardum Hillinger sub dato 17. Februarii, [3.] ubi etiam alterius novi Magistri Allodiorum fit mentio dicti Christophori Pfesfer, ita ut alter jam mortuus conjectetur.

Quidam etiam Christophorus Schratenbach de familia Leisserorum scribit Jacobo Abbati in Zwetl, (quem ob filium è fonte sacro levatum Patrinum vocat) & rogat sibi promissum in præsentia Maximiliani & Ulrici Leisserorum armamentarii Præfectorum, avunculorum nimirum suorum honorarium in memoriam Erasmi Abbatis sui Antecessoris, nempe centum florenos porrigi, cùm jam etiam Wilhelmo Staindorfer partem suam dedisset, cui simul promiserat honorarium præfatum. Datum Egenburgæ 12. Maji, annô 1548. [4.]

Idem Schratenbachius repetit dictum promissum aliis sub dato Egenburgæ 11. Junii literis, in quibus se dicit quatuor jam annis curiam Rafingensem inhabitâsse, ac resignâsse. Cujus in tectis sartis conservandis negligentiam Abbas carpit, illíque exprobrat. [5.] Inde videtur Erasmum Abbatem suis agnatis & cognatis prædia Monasterii partim vendidisse, partim ad habitandum concessisse, utì prædium Neuntzen fratribus suis vendidit, item prædium Cambern, deinde Rafingam huic Schratenbachio concessit, ita ut Jacobus Abbas pro eorum recuperatione multùm laborare debuerit.

Excepit etiam Abbatem Jacobum lis quædam ob decimas in Weinzierl inter Episcopum Pataviensem, Abbatem Götvicensem, & Plebanum Crembsensem orta, unde apud Austriæ Mareschal-

ſchallum Abbas Præfectum in Mauttern accuſavit, eò quòd lite adhuc pendente inter partes, frumentum Joannis Ernnſt Præfecti curiæ in Weinzierl pro cautione apud dominium Grafenegg depoſuerit. Datum Viennæ 4. Septembris, annô 1548. [6.]

Demum Chünringius Marquardus petit literas ob vendita ſibi bona in Cellerndorf & Sierndorf, in qua annotatione duo coloni in Sierndorf omiſſi fuerant, immutari, ſub dato Kirchpergæ 18. Decembris, annô 1548. [7.] Hæc bona in tertia parte divendendorum bonorum Eccleſiaſticorum fuerunt à Monaſterio diſtracta.

ADDITIONES.

..* [1.] Surius in Commentario ad hunc annum. „ Interim Cæſar veritus, nè tardiùs, „ quàm expediret, Concilium Religionis ne- „ gotium abſolveret, quibusdam negotium „ dat formulæ cujusdam conſcribendæ, qua „ per Germaniam uterentur uſque ad Con- „ cilii definitionem. Hi fuêre Julius Pflugius „ Epiſcopus Numburgenſis, Michaël Sidonius „ Moguntini Electoris Suffraganeus, & Jo- „ hannes Islebius. Princeps Joachimus Ele- „ ctor Brandeburgicus, conciliationis cupi- „ dus, curavit Bucerum Argentoratô acciri. „ Is ubi clàm venit, à Principe librum de re- „ ligione à tribus illis, quos diximus, con- „ ſcriptum accepit & legit. Rogatus à Prin- „ cipe, ut ſubſcriberet, recuſavit, quòd magis „ eſſet Catholicus, quàm Buceri Evangelium „ ferre poſſet. Ea re graviter Principem of- „ fendit. Porro ipſe domum rediit. - - - - „ - - - In libello, quem diximus juſſu Cæ- „ ſaris conſcriptum, inter cetera pacis tuendæ „ cauſa permittebatur, ut qui apud Prote- „ ſtantes ex Sacerdotum ordine uxores du- „ xiſſent, uſque ad Concilii determinatio- „ nem non cogerentur eas relinquere: itém- „ que qui utramque ſpeciem Euchariſtiæ ha- „ ctenus ſumpſiſſent, non compellerentur ca- „ lice carere. Hæc duo multos Catholicos „ offenderunt, quòd non poſſet Cæſar tale „ aliquid ſtatuere. Verùm optimus Princeps „ nihil ſibi ſumebat in ejusmodi rebus autho- „ ritatis, ſed quàm poſſet commodiſſimè cu- „ piebat res in Germania nimiùm exulceratas, „ ſenſim in priſtinum gradum revocari, ſalva „ ſemper Pontificis & Tridentinæ Synodi au- „ thoritate, quam ille prorſus inviolatam vo- „ luit: faciléque videbat, ſi vi adhibita invi- „ tos ad omnia ſubitò mutanda cogere „ voluiſſet, nihil niſi graviſſimos Reipublicæ „ motus expectandos eſſe: quanquam ego hac „ in re nihil velim ſtatuere, ſed libenter ſequi „ rectiùs ſentientium judicium. Hoc quidem „ eo rerum ſtatu nimis fuit inſolens & intole- „ rabile, quòd cùm libellus hic paſſim voca- „ retur, Interim, quidam Scriptores Evan- „ gelici miris modis in eam vocem luderent, „ & ſannis atque conviciis petulanter proſcin- „ derent. Veriſimile eſt, jam tum agitari cœ- „ piſſe conſilia, quibus ſe ſperarent brevì in „ priſtinum gradum reſtitutum iri. Wittem- „ bergæ quidem Mauritius Philippum Me- „ lanchtonem, Pomeranum, Crucigerum re- „ ſtituit. Antequam autem Cæſar libellum „ memoratum Imperii Ordinibus proponeret, „ priùs eum Romam Pontifici miſit, hoc ipſo „ ſanè animi ſui religionem teſtatus, quòd in „ religionis negotio nihil ipſe per ſe vellet „ conſtituere. Pontifex verò quid eo in li- „ bro diſpliceret, non tacuit: quemadmodum „ autem Pontifex reſcripſit, ſic eſt à Catho- „ licis liber receptus. „

Pontus Heuterus lib. 12. cap. 16. „ Idi- „ bus Maji Cæſar convocatis totius Imperii „ Ordinibus, ac de ſua erga Germaniam affe- „ ctione operoſo ſermone differens, pacem „ inter eos nulla ratione conſtitui poſſe aſſe- „ rit, niſi de Religione idem ſentiant. In „ eam rem coactum eſſe Tridenti Concilium, „ ubi dum de dogmatibus controverſis diſce- „ ptetur, Religionem adminiſtrent ſecundùm „ decreta ſtatutáque libelli ſuo juſſu conſcri- „ pti, nomine, Interim, quem omnibus, „ ſingulísque offert. Moguntinus aſſurgens, „ Cæſari gratias agit: quòd is pro communi „ omnium aſſenſione recipit, nec ullam po- „ ſtea excuſationem admiſit, ſi quis contra „ libelli, Interim, decreta aliquid auſus „ eſſet; qui mox Latino Germanicóque ſer- „ mone in publicum emittitur. - - - -

„ Pridie Cal. Junii comitiis Auguſtanis finis „ imponitur, ſtatutúmq; , ut ſecundùm decreta „ libelli, Interim, Religio ubique exerce- „ retur. Nec defuiſſet Cæſar Eccleſiæ ſibíque, „ quin, quod decretum erat, executus fuiſ- „ ſet, alterâ etiam tertiáque contra defecto- „ res Germanos ſuſcepta expeditione, niſi „ ingentia, quæ mox ſupervenêre, variis è „ locis bella negotiáque, ac valetudo indies „ in deterius procedens, impedimento fuiſ- „ ſent. „

Onuphrius ſub Paulo III.

Piespordius sub Carolo V.
[2. & 3.] Ex Autographis ipsorum.
[4.] E literarum monumentis.
[5.] Ex Autographo ipsius.
[6.] E literarum monumentis.
[7.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDXLIX. Monasterii CCCCXI.

Pont. Rom. Paulus III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

GRandævus senex Paulus III. Summus Pontifex in gravem febrim incidit, cui cùm diutiùs resistere nequiret, corporis viribus destitutus, integerrimis alioquin sensibus 4. Idus Novembris paulò ante lucem in Quirinali, quò sese tanquam ad salubriorem urbis locum conferre solebat, Sacramentis Ecclesiasticis piè susceptis è vita discessit Annô Domini MDXLIX. ætatis suæ octuagesimô primô, Pontificatûs verò decimô quintô, conditus temporariô monumentô in Basilica S. Petri, domesticorum humeris per mediam urbem nullâ pompâ eodem illatus. *[1.] De successore ipsius anno sequenti, quo electio finita fuit, faciam mentionem.

„ Comparavit hoc anno Jacobus „ Abbas in Zwetl annulos Pontificales „ fieri tres, quorum primus quatuor „ ducatorum & partis quartæ pondus „ habet, à Magistro Henrico aurifabro „ Viennensi factus, constat octo talenta, „ sex solidos, & decem denarios. Alii „ duo à M. Christophoro Rödel auri- „ fabro etiam Viennensi facti, unus „ gemmis, alter topaziô ornatus, duo- „ rum ducatorum pondere, constant „ decem talenta, unum solidum, & sex „ nummos, utì eos Christophorus Hil- „ liprand in Cancellaria Provinciali No- „ tarius mittens describit sub dato Vi- „ ennæ 19. Februarii, annô 1549. „ [2.]

„ Sequenti mense Ferdinandus Rex „ Romanorum &c. mandat Abbati in „ Zwetl, & expeditos ad currus ducen- „ dos octo equos cum curru Viennam „ ad armamentarii sui Præfectum sibi „ mitti petit, pro expeditione contra „ quosdam Ungaros subditos sibi rebel- „ les & contumaces. Datum Viennæ, „ 21. Martii, annô 1549. „ [3.]

De rebellione Ungarorum aliud nihil sub hoc anno invenio, nisi quod in compendio historiæ rerum Ungaricarum legi, ubi sic habetur: „ Annô „ 1549. Comes à Salm multa castra in „ Superiore Pannonia expugnabat. „ [4.] Megizerus tamen plus scribens, sed non sub hoc, verùm sub MDLI. anno facit mentionem F. Georgii Monachi, quem citatô locô egregiè depingit, qui tutor Regis Joannis Junioris constitutus fuerat, & exinde ita insolens factus, ut Isabellam Regis Joannis Senioris viduam etiam ex Transilvania, quâ à Turca amandata fuerat, pellere, sibíque Ungariæ regnum comparare posset, sicuti pluribus à Megizero citato factio ista describitur. De his machinationibus dicti Regii tutoris Monachi Ferdinandus Rex certior factus utique ad recuperandum regnum Ungariæ arma expedire jussit, unde superior petitio causam accepit. [5.]

Porro Andreas de Praga Baro in Windhag scribens ad Jacobum Abbatem in Zwetl, se nominat dominii Weitracensis possessorem, Rege Romanorum nihilominus perpetuam ejusdem dominii redemptionem liberam habente, & propter Schweickers aliáque ipsum commonefacit sub dato Weitra 19. Aprilis, annô 1549. [6.] Hæc de Praga familia postmodum multa mala contra Monasterium Zwetlense ob Sacellum S. Wolfgangi in Pfaffenschlag situm, quia Luthe-

Lutherana facta fuerat, machinata est, utì in decursu annorum videbitur.

Demum Servatius de Neudeck petit à Jacobo Abbate in Zwetl, quatenus transmissa duo testamenta seu ultimas voluntates, unius quidem tenoris, sed non unius linguæ, unum Bohemico, alterum Germanico idiomate scripta (à Domina Anna de Neudeck fratri suo oblata) sigillo suo Abbatiali & Conventûs obsignare ac munire velit. Fidem autem Bohemico testamento habendam, utpote quod priùs Domino de Lagelberg & Domino de Landaw perlegendum dedisse se ait, qui etiam sigilla sua cum subscriptionibus addidêre in Rastenberg; præsentes verò Servatius præfatus locò fratris sui Ottonis tunc absentis dederat. [7.] Misit unà petitoriam schedam dicta Domina ad Jacobum Abbatem hæc in se continentem: „ Domina Anna de Neudegg, D. Adami Leonis de Rosental & Plattna, Dominæque Annæ de Bizkowitz filia, ac Nobilis Equitis Ottonis de Neudegg in Rastenberg & Wildegg, Regi à Consiliis & Camera, conjunx rogat D. Jacobum Abbatem in Zwetl, quatenus ad sua duo testamenta, utì suprà, transmissa sinè damno addat & imprimat &c. Actum in Rastenberg, 23. Septembris, annô 1549. „ [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Onuphrius sub Paulo III. & Ciaconius sub eodem.

Heuterus sub Carolo V. lib. 13.

Surius hoc anno. „ Decima Novembris die anno ætatis suæ 82. moritur Paulus Pontifex III. In hunc Sleidanus scribit suo more, & ut vitâ functum acerbissimè & odiosissimè traducat, citat librum Italicum Bernardini Ochini, longè contumeliosissimum. Si quis ita scriberet in Principes Evangelicos, quemadmodum liber ille perstringit Pontificem, nemo æquô ferret animô. Et hic visus est dignus Sleidano Sacramentario, è quo non pauca in defuncti Pontificis contumeliam suis illis præclaris commentariis infarciret. Sanè qui talium commentariorum lectione delectantur, illi facilè quoque Mahometis Alcoranum & id genus alia commenta non admodum recusaturi videantur. Fuit ille Pontifex à luxu & crapula alienus, & temperantiæ inprimis studiosus: quæ res illi tam raram conciliavit senectutem. Porro qui stupris, libidinibus, commessationibus & largioribus poculis assiduè vacant, vix possunt ad eam pertingere senectutem. Fuit idem Pontifex multâ rerum peritiâ ac prudentiâ, & apud omnes plurimùm gratiâ valebat, Italiámque diuturno liberavit bellorum tumultu, & perpetuam servans pacem, vulgò dictus est pater patriæ, bonus pastor, bonus Reipublicæ. „

Spondanus hìc n. 12. ubi sic de eo concludit. „ Insequentium - - temporum infelici eventu maximè à bonis omnibus, & ab infima etiam multitudine desideratus. Quòd autem præterea hæretici & apostatæ, Ochinus, Vergerius, Baleus, Sleidanus, alíique ejusmodi impuri & perversi homines plura de ejus gestis & moribus confinxerunt, atque in publicum ediderunt, ea cum suis auctoribus in infernum, unde processerunt, retrudimus. „

[2.] Ex Autographo ipsius.

[3.] Ex mandato Regio.

[4.] Compendium Histor. Ungaric. hoc anno.

[5.] Megizerus in Annal. Carinth. lib. 11. cap. 34.

[6.] Ex Autographo ipsius.

[7.] Ex literis ejusdem.

[8.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDL. Monasterii CCCCXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Jacobus.

IN defuncti Pontificis Pauli III. locum subrogatur Februarii tertiâ Joannes Maria Montanus Episcopus Cardinalis Prænestinus, & vocatur Julius III. & à Dia-

Diaconorum Principe Innocentio Kybo 8. Calendas Martii Sacri Imperii diademate ante fores Basilicæ S. Petri coronatur. *[1.] Erat tunc ob Jubilæum Romæ magnus concursus, qui Lutheri & ejus similium blasphemiis surda aure præteritis, pia animi devotione loca sacra Romanæ Urbis invisebant, & largissimarum condonationum, quas Indulgentias vocamus, participes sese reddere studebant. [2.] Hunc Pontificem S. Malachias Hiberniæ Primas indigitavit elogiô: De Corona Montana. Julius III. enim antea vocabatur Joannes Maria de Monte, & in insignibus suis sertum ferebat.

Cæsar rursum 26. Julii comitia Imperii Augustæ-Vindelicorum celebrat, cui interfuêre ipse Carolus cum Philippo filio postea Hispaniarum Rege, item Ferdinandus Romanorum Rex cum filio Maximiliano, cum Maria Belgica Cæsaris sorore, ubi de Concilii Tridentini admissione actum. [3.]

Mortuus priori anno Magister curiæ in Weinzierl Joannes Ernnst, qui reliquit filium Abrahamum Ernnst, cujus tutores erant Leopoldus Zaller & Joannes Oëxelmayr cives Crembsenses, qui à Jacobo Abbate in Zwetl se locô dicti filii 300. florenos accepisse, & librum fundi more consueto cum colonis & omnibus suis pertinentiis ex Senatûsconsulto Tripoleos Crembsensis se Monasterio reddidisse fatentur, sub dato Crembs 21. Septembris, annô 1550. [4.] Ex hac Apocha colligitur curiam istam inter vinitores ante Crembsium sitam, fuisse à Monasterio solutâ pecuniâ redemptam.

ADDITIONES.

*[1.& 2.] Surius hoc anno.

Pont. Heuterus sub Carolo V. lib. 13.

Ciaconius & Onuphr. sub Julio III. quorum primus ita refert. „ Ad Jubilæi annum, qui „ tunc erat 1550., peragendum, solitis cerimo- „ niis Portam, quæ sancta vocatur, 6. Kal. Mar- „ tii die S. Matthiæ sacro, Julius aperuit, ean- „ démq; vertente anno, in secundo Epiphaniæ „ Vesperi, debita pompæ solennitate clausit.

„ Fuit hic primus annus Pontificatûs, in- „ ter eos, quos populus Romanus vidit, læ- „ tissimus non modò ipsa Jubilæi festivitate, „ & diversarum gentium, in urbem confluen- „ tium multitudine, sed ipsa etiam Pontificis „ humanitate, & incredibili in regendo Pon- „ tificatu temperantia: qua nec in puniendo „ acerbus, nec indulgendo remissus, omnium „ civium, & populi animos, gratô imperiô, „ & beneficentiâ, & mansuetudine promereri „ cupiebat. Hispanis tam peregrinis, & ad- „ venis, quàm urbem incolentibus, in Caroli „ Quinti Imperatoris gratiam favebat. Omnes „ grassatores, aut quoscunque factiosos ho- „ mines, qui sanctæ inquisitionis officio in „ Neapolitanam urbem inferendo restiterant, „ & Romam tanquam ad asylum convenerant, „ ægrè à Neapolitano Prorege exoratus, pu- „ blicô edictô urbe depulit. „

Spondanus hîc n. 1.

[3.] Surius ubi suprà. „ Julii mensis „ die 26. Cæsar comitia auspicatur Augustæ. „ & hæc quoque Sleidano armata dicuntur, „ quòd Cæsar urgeret quædam, quæ id ge- „ nus homines nollent. Mauritius, qui an- „ tea Cæsari se submiserat, ad hunc Con- „ ventum mittit Legatos, per quos ostendit „ se non aliter probaturum Concilium Tri- „ dentinum, nisi etiam Augustanæ Confessio- „ nis Theologi habeant definiendi potesta- „ tem, & Pontifex non obtineat locum præ- „ sidis in Concilio. Hæc absurda è suis ab- „ surdis habuit Theologis. Scilicet rei, immò „ jam olim damnati, non unius, sed multa- „ rum hæresum, in Concilio sententiam fe- „ rent. Quis unquam audivit ejusmodi ab- „ surditates? - - - - In Augustanis comitiis „ multùm fertur Carolus Cæsar egisse cum „ Ferdinando fratre de Philippo filio ad Im- „ perii successionem admittendo. Sed nihil „ ea in re effici potuit. Non dubium, quin „ Cæsar, qui sciret Philippi amplissimas di- „ tiones & vires, Reipublicæ Christianæ illo „ promovendo consulere voluerit, quando- „ quidem & Turcæ vicini, & alii Imperii ho- „ stes nonnisi summâ potentiâ arceri possint. „ Cur autem Ferdinandus ea in re, ùt ajunt, „ Cæsari non acquieverit, me latet, nec est „ nostrum, Principum consilia scrutari. „

Pont. Heuterus cit. locô.

Piespordius in Carolo V.

Spondanus ubi suprà n. 5. & 7.

[4.] E literarum monumentis.

Annus

Annus Christi MDLI. Monasterii CCCCXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Jacobus.

HOc anno Idibus Februarii dimissus est Augustanus Imperii Conventus anno superiori celebratus. In quo Imperator Carolus decretum fecit, ut omnes interesse deberent Concilio Tridenti resumendo: promittens cauturum se, pro munere suo advocati Ecclesiæ & defensoris Concilii, ut quicunque venturi ad illud essent, cujuscunque forent religionis, iis liberè ire, commorari & ire liceret: daturúmque operam, ut in eo res piè & Christianè, semotis affectibus, juxta Sacram Scripturam & Patrum doctrinam tractarentur & definirentur. Cognitionem verò difficultatum receptionis sui Interim, & reformationis, sibi reservavit. *[1.]

Abbas Jacobus in Zwetl impetebatur ratione decimarum ad grangiam Weinzierl spectantium, inprimis à Præfecto in Mauttern nomine Episcopi Pataviensis, ab Abbate Gotvicense & à Plebano Crembsensi, unde Abbas Jacobus apud terræ Principem conqueri & advocatum constituere coactus, dedit contra prædictos vices suas agere seu agendi plenipotentiam Joanni Dierer J.U. Doctori, Advocato Aulæ & Juris Viennæ Provincialis sub dato 24. Maji, annô 1551. [2.]

Castra Rastenbergense & Wildeccense Otto Neudeccensis incolebat, qui erat Cæsari à consiliis & camera, hic jam grandævus petiît testamentum à se factum ab Abbate in Zwetl Jacobo sigillô suô confirmari sub dato Rastenbergæ 20. Junii, annô 1551. [3.] Idem fecit Catharina Lagelbergerin nobilis fœmina, cujus maritus fuit Sigismundus Lagelberger sub dato Wisenreith 5. Julii, annô præfatô. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Spondanus ad hunc annum n. 1.
[2.] Ex copia literarum ejus.
[3.] Ex Autographo ipsius.
[4.] Ex literis ejusdem.

Annus Christi MDLII. Monasterii CCCCXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Jacobus.

GErmanicum bellum in Cæsarem hoc anno suscipitur, Galliæ Rege Henrico cum Mauritio Electore Saxone & aliis quibusdam sese conjungente, & defensorem Germanicæ libertatis se palàm scribente. *[1.] Mauritius cum exercitu rectà Oenipontum, ubi Cæsar cum Ferdinando erat, petit, unde Cæsar audito ejus adventu properè cum àula Villacum in Carinthiam tendit. Interea Passavii de pace tractatur, ubi Cæsari Mauritius reconciliatur, qui militem suum in Ungariam contra Turcas educit, Gallorum Rege defectionem ejus malè habente, sicut & Alberti Brandenburgici in Metensi obsidione Cæsari se jungentis. [2.] Et sic tandem pax post multas editas clades & illata damna rediît.

ADDITIONES.

*[1.] Surius hoc anno.
[2.] Idem eodem anno.
Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. c. 35.
Ciaconius & Onuphrius sub Julio III.
P. Heuterus sub Carolo V. lib. 13. hoc anno.
Spondanus hic n. 10. „ Pax autem Mauritii ad principium Augusti demum confirmata est, his potissimùm conditionibus: quoad Religionem quidem, ut intra sex menses Ordinum Imperii conventum Imperator cogeret, ubi de ratione componendi dissidii, sive per Concilium generale, sive per Nationale, sive per colloquium, sive per ipsummet publicum Ordinum conventum deliberaretur, atque interim nulla cuiquam propter religionem exhiberetur molestia: ut ad Cameram Imperialem admitterentur etiam Augustanæ Confessionis professores: & quòd si pacandæ religionis ratio facilis non occurreret, hæc nihilominus pax & concordia in perpetuum firma rataque permaneret. Quo facto interemptum est illud **Interim**, cujus causâ tot & tanti concitati fuerant motus, quódque nihilominùs paucis locis obtinuerat; ad nihilúmque redit. Hánceque Protestantes Secundam Pacem in Religione numerant, annô vigesimô à priori Norimbergæ factam. Eámque tanti faciunt, ut etiam Chytræus, qui uberiùs descripsit in sua Saxonia, scribat eam non solùm fundamentum & firmamentum publicæ salutis & tranquillitatis Germaniæ eo tempore fuisse, verùm etiam religionis futuram ad omnem posteritatem. Præcipuæ verò quoad cetera fuêre ejus conditiones, ut Lantgravius, cujus occasione, seu prætextu, arma sumpta fuerant, libertati restitueretur: qui fœderatis Principibus militâssent, nullam ob id pœnam subirent: proscripti in gratiam redirent. „

Annus Christi MDLIII. Monasterii CCCCXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Julius III.	Carolus V.	Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus I.	Jacobus.

Mauritius Elector Saxo cum Alberto Brandenburgico hoc anno bellum gerit, & 9. Julii in Saxonia fit inter partes atrox prælium, victoria stetit penes Mauritium Alberto ægrè effugiente, multísque magni nominis utrinque cæsis, in quo prælio ipse Mauritius sauciatus post aliquot dies animam efflavit Cæsari non adeo semper fidus, egregius aliàs bellator. [*]

ADDITIONES.

[*] Surius hoc anno, ubi ita concludit: „ Sub hoc tempus sanguineæ guttæ repertæ sunt in foliis arborum, auditi canum importunissimi latratus, & mutuæ dilaniationes, equorum velut fremitus, & concursationes armorum. Fuerat inter Mauritium & Albertum maxima necessitudo, quæ tandem hunc habuit eventum. „

Pont. Heuterus lib. 13. cap. 17. „ Cùm uterque exercitus ad Visurgim convenisset, sinè mora acies instruunt, nonáque Julii exoneratis magno cum detrimento hinc inde majoribus tormentis, acriter cum omni equitatu utrimque concurrunt, victoria partes confœderatorum eligente: quo tamen prælio Dux Mauritius ita est sauciatus, ut post scriptas ad Antistitem Wirziburgensem literas, obsessis omnibus itineribus Albertum elabi non sineret, postridie diem obiret. Sepultus est Fribergi oppido Misniæ, juxta patrem Heinricum, ac filiolum Albertum, decimo quarto à pugna die, ætatis annum trigesimum tertium ingressus, unicâ relictâ filiâ hæredéque Anna, altera Guilielmi Nassavii, Aurantii Principis uxore. Cecidêre cum Mauritio, cruentâ obtentâ victoriâ, Carolus & Philippus, Henrici Ducis Brunswichi filii. Albertus, desideratis circiter quinque equitum millibus fugâ est elapsus. Peditatus enim, visa equitum clade, non tentatâ pugnâ, deditionem fecit. Relata sunt ad Mauritium adhuc spirantem quinquaginta quatuor pedestria militaria signa, equestria quatuordecim: quo prælio ita Albertus est attritus fractúsque, ut imposterum nunquam ampliùs vel mediocres „ potue-

„ potuerit colligere vires. Cæsarianis verò ac „ Germanis hoc prælio nil utiliùs nec commodiùs accidere potuit, duobus acerrimis „ Germaniæque quietis perpetuis interturbatoribus liberatis Ducibus; hoc morte sublato, illo concisis nervis in sempiternum debilitato, neque ampliùs timendo. „ Spondanus hìc n. 1.

Annus Christi MDLIV. Monasterii CCCCXVI.

Pont. Rom. Julius III. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

HOc anno Albertus Brandeburgicus omni ditione sua ejicitur, & Blasseburgum præcipuum ejus propugnaculum obtinet Rex Ferdinandus. * [1.] Item Philippus Caroli Cæsaris filius 9. Julii venit in Angliam: quarto pòst die Wintoniam, ubi ad summam cum multa nobilium turba progressus ædem, ab Episcopo Wintoniensi & quibusdam aliis excipitur. Luce altera Reginam adit. Porro sequenti die, ipsis feriis D. Jacobi, regali magnificentia nuptiæ celebrantur. Cæsar eò miserat Legatum, qui suo nomine regnum Neapolitanum filio nuptiarum causâ concederet. Postea cum multo splendore Londinum cum Regina ingreditur. Sub finem Octobris, Mediolanensis quoque Principatûs possessionem Cæsar ei tradit per Legatos. [2.]

Viennæ verò dictus Rex Ferdinandus pietatis cultor eximius Catechismum à præstantissimo Theologo Petro Canisio concinnari curavit. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius hoc anno.
[2.] Idem eodem anno.
Pont. Heuterus lib. 13. hoc anno.
Item Spondanus hìc n. 1. & 2.
[3.] Item Spondanus ad annum sequentem n. 3. „ Rex Ferdinandus pietatis cultor „ eximius, jam anno superiori tum Catechismum à præstantissimo Theologo Petro Canisio Neomagensi ab Geldria, qui primus ex omnibus Germanis Societatem Jesu ingressus „ est, concinnandum Viennæ curaverat; quem „ unum omnes Austrii, ceteris deinde Catechismis, quos hæretici passim spargebant, explosis, tuto & inoffenso pede percurrerent: „ (qui deinceps in multarum translatus nationum linguas, ad hanc usque diem omnium „ ferè gentium manibus magnô commodô „ fructûque teritur: fuitque ille, & alius eodem tempore concinnatus à Joanne Polanco „ libellus, quem Directorium Confessariorum inscripsit, primus in Germania ejusdem „ Societatis publicus partus:) tum cunctis „ suis subditis editô promulgatô prohibuerat, „ in religione ac sacris ritibus quicquam mutare; speciatim verò, ut in Cœnæ Dominicæ „ Sacramento unica specie contenti essent: „ ejúsque vi edicti ducentos circiter hæresis „ ministros è Boëmia migrare jussisset, non „ parùm sinistrè inde apud Protestantes audiens. „

Annus Christi MDLV. Monasterii CCCCXVII.

Pont. Rom. Marcellus II. *Imp. Rom.* Carolus V. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus I.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus I. *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

JUlius III. Romæ febri correptus sexagesimum septimum annum agens 23. Martii hoc anno diem suum obiit, cui succedit electus Marcellus Cervinus de oppido Montis-Fani ortus, Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem,

lem, *[1.] quem B. Malachias Hibernus indigitavit: Frumentum floccidum: Cujus insignia erant cervus & frumentum, dicit autem floccidum, quòd brevi tempore Pontifex fuerit, nam sedit tantùm 22. dies, & rursum 1. Maji obiît apoplexiâ tactus. Huic mox Joannes Petrus Carafa tunc Cardinalis Episcopus Tusculanus, Ostiensis, & Collegii Decanus substituitur, vocatus Paulus IV. 23. Maji hoc anno, [2.] à S. Malachia itidem præostensus hoc vaticinio: De fide Petri: Nam vocabatur Joannes Petrus de Carafe, seu chara fide.

Obiît quoque hoc anno Wolfgangus I. Episcopus Pataviensis quintâ Decembris, cui successit Wolfgangus II. antiqua, nobili, ac primaria Familia Bavariæ de Klosen natus, qui anno primùm sequenti à Pontifice confirmatus fuit. [3.]

Mentio habetur Michaëlis Straifhofer allodiorum Magistri in Zwetl, qui Christophoro de Concin in Wocking librum fundi jubente Abbate super Osfarn pagum non procul ab Hertzogburg situm dedit, qui etiam ab Erasmo Abbate fuerat ad perpetuò redimendum distractus, quod præfatus Concinius apochâ suâ fatetur sub dato Viennæ 12. Januarii annô 1555. [4.] Pro recuperando hoc pago adhuc laborat Monasterium.

ADDITIONES.

*[1. & 2.] Ciaconius & Onuphrius sub Julio III. Marcello II. & Paulo IV. P.P.

Surius hoc anno.

Spondanus hoc anno n. 4. 5. &

N. 6. „ Postridie electionis Episcopus „ consecratus (*Marcellus*) (quamvis enim Ec„ clesias aliquas habuisset, consecratione ta„ men inaugurari voluerat) & sinè pompa co„ ronatus, quòd instarent dies Paschales, pro„ prium suum nomen Marcelli retinuit; (ejus „ nuncupationis Secundi) eo testatum omni„ bus facere volens, se per hanc supremam „ dignitatem immutatum non iri. (Cùm „ alioqui non desit etiam sua gravis ratio mu„ tationis nominis in ceteris, præter ordi„ narias quæ recensentur; nimirum quò de„ tur intelligi, simul cum nomine privatos „ affectus in publici boni studium, & huma„ nas cogitationes in sanctas & divinas esse „ commutatas.) Cui nec absimile fuit alte„ rum illud, quòd cùm ei oblata fuissent à „ Cardinalibus capitula quædam in conclavi „ de more condita, jurataque, quæ jam Pon„ tifex suo chirographo firmaret, respondit „ se ante paucos dies in eadem ipsa jurâsse, „ nunc verò sibi constitutum ea re ipsa præ„ stare, nec verbis tantùm promittere &c. „

N. 7. „ Cùm autem sic totus esset in ex„ cogitandis modis, quibus Ecclesiam ab hæ„ resibus & vitiis, Rempublicam à bellis & „ dissensionibus, Romanam Curiam à super„ fluis sumptibus & pompis inutilibus expur„ garet; inscrutabili Dei judicio factum est, „ ut qui nativa corporis compositione non „ satis firmis esset viribus, atque anno supe„ riori diu etiam febri laborâsset, jámque con„ clavis incommodis & concursantium rece„ ptionibus, ac cùm ceteris publicis mune„ ribus, tum maximè solemnibus Dominicæ „ Passionis & Resurrectionis cæremoniis, quæ „ per Pontifices fieri consueverunt, fatigatus „ fuisset; duodecimo Pontificatûs die ex pi„ tuita in febrim incidens, emisso sanguine „ paulùm recreatus, cùm rursum negotiis in„ tenderet, pridie Calendas Maji derepentè „ apoplexiâ correptus, sequenti nocte vitâ „ exutus sit vigesimô secundô electionis die, „ incredibili omnium bonorum dolore, „ quibus spes affulserat emendationis & au„ rei sub illo sæculi. Sublatus fortè divina „ benignitate, ne malitia mutaret intelle„ ctum ejus &c. „

N. 8. „ Post justa ei de more persoluta, „ ingressi conclave Idibus Maji quadraginta „ quinque Cardinales qui tunc in urbe erant; „ post multas contentiones, Cæsariana fa„ ctione vehementer repugnante, & Alexan„ dro Farnesio cum favore Gallorum præva„ lente, decimô Calendas Junii die Assum„ ptionis Dominicæ, creatus est Joannes Pe„ trus Carafa, clarissimâ Neapolitanâ fami„ liâ, patre Joanne Antonio Matalonæ Co„ mite, matre Victoria Camponesca Aquila„ na, natus in Hirpinis vico, cui nomen est „ S. Angeli de Scala propè Furcas Caudinas, „ annô Christi 1476. quartô Calendas Julii: „ unde intelligas, explêsse eum propemodum „ cùm factus est Papa, annum ætatis suæ se-

„ ptua-

„ ptuagesimum nonum. Qui omnium disci-
„ plinarum ac præsertim sacrarum literarum,
„ linguarúmque Latinæ, Græcæ, Hebraicæ
„ accuratæ cognitioni, maximam à primis an-
„ nis vitæ integritatem conjungens, atque à
„ Julio II. Archi-Episcopus Theatinus crea-
„ tus, Ordinem Clericorum Regularium, ab
„ ejus Ecclesia Theatinorum dictorum insti-
„ tuit. „

[3.] Hundius in Metropol. Salisburg. sub iisdem Episcopis. „ Erexit ipse (*Wolf-*
„ *gangus I.*) sibi in Meridionali Cathedralis
„ Templi pariete monumentum eruditum,
„ Propheticis & Apostolicis ornatum senten-
„ tiis ex eleganti & ingeniosissimè sculpto
„ marmore. Matrem, insigni virtute & pie-
„ tate præstantem matronam, cujus erat ob-
„ servantissimus, penes se vitæ & gloriæ suæ
„ spectatricem habuit. Parentem heroa cla-
„ rissimum amisit natus 16. annis. Habuit
„ fratrem germanum, & nomine & virtute mi-
„ litari patrem referentem, Camerarium D.
„ Ferdinandi, generalem Capitaneum Hunga-
„ riæ & Austriæ, qui Agriæ in Ungaria obiit
„ annô 1550. 20. Decembris. Ex hoc fratre
„ tres habuit Episcopus fratres nepotes, Ec-
„ kium, Regiæ Majestatis Consiliarium ac
„ Ministerialem, Julium, qui item in Regia
„ aula versatus est, & Nicolaum tertium, qui
„ cùm Pataviæ literis operam daret, Reveren-
„ dissimus iste Princeps, studiorum ipsius non
„ modò inspector, sed etiam Rector indefes-
„ sus fuit; ita ut etiam epistolas aliquot no-
„ bilium adolescentum, qui tunc unà stude-
„ bant, emendare subindè non erubesceret.
„ Præfuit annis magna cum laude 15. Obiit
„ annô 1555. die quinto Decembris.

„ Wolfgangus Secundus antiqua nobili
„ ac primaria familia Bavariæ de Klosen na-
„ tus, Canonicus Pataviensis, successit Wolf-
„ gango, Comiti Salmensi, eodem mense De-
„ cembri in Vigilia S. Thomæ Apostoli ele-
„ ctus. - - - Impetrata autem Pontificia con-
„ firmatione, consecratus est Pataviæ à Re-
„ verendissimo D. Michaële, Archi-Episcopo
„ Salisburgensi, 5. Iduum Octobris; Dominica
„ die sequenti, S. Maximiliano Pataviensis
„ Ecclesiæ Patrono sacra, ipsemet, magna
„ clarorum hominum corona circumstante,
„ sub Infula Liturgiam perfecit, annô Domini
„ 1556. „

[4.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDLVI. Monasterii CCCCXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus II.	Jacobus.

Tandem Carolus Cæsar, laborum annorúmque plenus, continua corporis ægritudine penè consumptus, postquam anno priori Philippo filio tunc Regi Angliæ, Burgundionum & Belgarum Principatus in pleno Ordinum conventu tradidisset, eidem suo filio 17. Januarii hoc anno omnia regna Hispanica, Italica, & alia novi orbis, paterna, vel recens acquisita: * [1.] ac etiam mense Septembri Ferdinando fratri Imperium Romanum renuntiat, ac cum sororibus suis in Hispaniam navigat, ubi in Extramadura provincia in Monasterio D. Justi, Ordinis Eremitarum D. Hieronymi, loco solitario, reliquum vitæ sanctissimè transegit. [2.] Atque ita hoc anno Ferdinandus solus imperare cœpit.

Rex Ferdinandus necessaria contra Turcarum irruptiones præsidia comparare volens (illi enim Sigethum obsederant, & Babotziam occupârant) petit à subditis suis eam in rem subsidia. Austriaci Inferiores apud Viennam conveniunt, séque imperata ultrà facturos recipiunt, modò ipsis permittatur novum Evangelium. Id si fiat, sperare ipsos omnia contra Turcas ex sententia cessura. Nihil tum impetratum est: hæc Surius coævus Scriptor. [3.]

Fuit hoc tempore Præpositus Zwetlensis Joannes Zenonianus Juris utriusque Doctor, qui scribit Jacobo Abbati in Zwetl sequentia nova: „ Quòd ni-
„ mirum Cæsar Carolus cum Rege Gal-
„ lorum quinquennales inducias iniê-
„ rit, atque captivi utrinque gratìs re-
„ stituantur. Item ait, Reginam senio-

„ rem Poloniæ Viennam cum magno „ comitatu ingressam esse, hæc se Vi- „ ennâ à patruele suo accepisse nuntiat, „ sub dato in Præpositura Clara-val- „ lensi 3. Martii, annô 1556. „ Notanda veniunt ad nova pleniùs intelligenda, quòd Carolus ante resignationem Imperii cum Gallo inducias iniêrit, sciens nimirum Pontificem Paulum IV. certas ob causas contra se bellum machinari, quod etiam hoc anno sub ducibus gestum, & Gallo salvis cum Cæsare induciis pactis, suppetias Pontifici mittente propagatum fuit. [4.] De Reginæ Poloniæ, quæ Bona vocabatur, & erat de gente Sfortia in Italia potente, Viennam adventu accipiendum est de seniore, matre nimirum Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, quæ in Italiam adornavit iter suum, licèt ægrè dimissa fuerit, & per Austriam & Stiriam illuc abiît. [5.] Sic ista nova patent.

Ferdinandus Rex, antequam Carolus resignaverat Imperium, utì suprà dictum, non tam cum Transilvano quàm cum Turca in Ungaria bellum habebat; „ inde à Jacobo Abbate Zwetlensi petit „ ad tormentorum bellicorum machi- „ nas in Ungariam devehendas currum „ unum quatuor equis instructum Vi- „ ennam 21. Augusti armamentarii sui „ Magistro quamprimùm transmitten- „ dum, sub dato Viennæ 11. Augusti, „ annô 1556. [6.] Servatius quoque „ de Neudegg respondet Abbati Jaco- „ bo, quòd neque mutuò dare, minùs „ vendere ipsi possit equum suum Cel- „ ticum, nam à fratre suo Ulrico Neu- „ deccensi Viennæ existente illum pe- „ titum, ut cum Archi-Duce Ferdinan- „ do contra Turcas eques in campum „ prodire possit, sub dato Rastenberg, „ 4. Augusti, annô 1556. „ [7.] Sciendum in hac expeditione Ungarica Ferdinandum Regem filium suum Oenipontanum Principem etiam Ferdinandum dictum cum exercitu additis Ducibus militiæ strenuis in Ungariam delegâsse, qui Sigethum ab obsidione Turcica liberare debebat, sed illâ solutâ cum milite ad Canisiam hæsit, & salvus infecta re Viennam rediît. [8.] Patet etiam Catholicos Proceres, ex quorum numero prædicti Neudeccenses Servatius & Ulricus fuêre, Ferdinando semper morigeros fuisse, nec novum Evangelium sibi liberum petiîsse, utì suprà alii fecerunt.

ADDITIONES.

* [1.] Piespordius sub Carolo V.
Surius hoc anno.
Pontus Heuterus in Carolo & Philippo lib. 14.

[2.] Piespordius in Ferdinando I. Imp. „ Annô 1556. resignante fratre Imperium ple- „ no jure administrare cœpit. „ Et hunc sequitur textus noster constituens jam hoc anno Ferdinandum Imperatorem solum regnantem.

P. Heuterus lib. 14. cap. 6. „ Æstate hu- „ jus anni Maximilianus Austriæ Archi-Dux, „ Ferdinandi Romanorum Regis filius natu „ maximus, cum uxore Maria, Cæsaris filia, „ in Belgium ad patruum eundémque socerum „ contendit. Obviam ei Bruxellâ procedit „ Rex Philippus, deinde ad portam urbis Ma- „ gistratus, Cæsare cum sororibus subsequen- „ te, ac utroque populi ordine Principes de- „ bito cum honore reverentiáque suscipien- „ te: intrant Bruxellam postridie Idus Julii. „ Maximilianus cum Cæsare Regéque Philip- „ po transigit de uxoris dote, assignatúrque „ illi ingens pecuniæ summa, quam certis „ pensionibus Neapoli esset recepturus: quæ „ cùm Tabulis ritè essent consignata, Maxi- „ milianus Belgarum Provinciis Hispaniæque „ Regnis renunciat, ac sub finem mensis Au- „ gusti cum uxore in Austriam, Cæsari ami- „ císque in æternum valedicens, rediît. Cæ- „ sar verò iterum literas ad fratrem Ferdi- „ nandum perscribit, quibus eum de suo in- „ stituto, Imperiíque cessione, certiorem fa- „ ciebat, útque Cæsaream dignitatem admit- „ teret petit: se enim posthac nec animô cu- „ ras, nec corpore labores ferre posse. Quare „ ut Religioni concordiam pacémque summô „ studiô procuret, rogat, alioqui nec in Im- „ perio unquam tranquillitatem, nec in vici- „ nis Ditionibus stabilem quietem, nec veram „ amicitiam unquam expectandam. Rebus „ omnibus ad profectionem Hispanicam pa- „ ratis,

„ ratis, in Zelandiam mense Septembri con„ tendit, ac Zeburgô, ubi ventum expecta„ bat idoneum, Legatos cum literis ad Ger„ manici Imperii Septem-Viros destinat, à di„ cto eos sibi Sacramento absolvens, novíque „ creandi Cæsaris potestatem primis comitiis „ faciens. Fuêre autem hujus rei causâ missi „ Guilielmus Nassavius Aurantii Princeps, „ Georgius Sigismundus Sila, Imperii Pro„ Cancellarius, ac Wolfgangus Haller, Cæ„ saris ad res Imperii Germaniæque Secreta„ rius. Literarum ad Septem-Viros per hos „ missarum hic fuit tenor: Carolus Dei gratiâ „ Romanorum Imperator &c. - - - - - - - - „ Hæc enim nostra expressa est ac extrema „ voluntas. Datum, adjunctô sigillô nostrô, „ Zeburgi Zelandiæ, septimo die mensis Se„ ptembris annô 1556. Imperii nostri 36. „ Cum his renunciationis cessionísque Ta„ bulis dicti Legati in Germaniam proficis„ cuntur, Principum prima comitia expecta„ turi, ac in iis Cæsaris voluntatem omnibus „ exposituri; alias literas Spiræ Imperii Se„ natoribus reddentes, quibus eos Cæsar de „ Imperii in fratrem translatione certiores „ faciebat, ac ad avitæ Religionis, juris justi„ tiæque observationem gravissimè adhorta„ batur. Scriptæ hæ erant Gandavi quintô „ Calend. Septembris, cùm in Zelandiam „ istac properaret. Cæsar verò Legatorum „ non expectato reditu, sed commodum „ propitiúmque nactus ventum, filium Regem „ Philippum amplectitur, - - - cum utraque „ sorore navem conscendit &c. „

Surius hoc anno.

Item annô 1558. „ Mense Februarii die „ 24. quo die in hanc lucem editus fuit, & annô „ 1530. Bononiæ à Clemente VII. incredibili „ splendore Imperii insignia acceperat, missa „ insigni legatione ad Principes Electores, „ qui Francofurti convenerant, Carolus Cæ„ sar Imperium in fratrem suum Regem Fer„ dinandum transfert, & ut Septem-Viri id „ gratum & ratum habere velint, orat. Inde „ 13. Martii die Principes Electores Ferdinan„ do maximi Imperii dignitatem deferunt, „ & tandem Imperator ipse & Principes om„ nes domum repetunt. „

Spondanus ad hunc annum n. 3. „ In„ terea Carolus Imperator post inducias inter „ filium & Regem Henricum factas, ad secess„ sum Hispanicum se præparans; viso ad prin„ cipium Martii ingenti & lucido sidere, flam„ miferum crinem trahente, in octavo Libræ „ gradu, quod duodecim ferè dies arsit, or„ tum solis aliquando antevertens, sæpiúsque „ sub auroram apparens, eo sibi mortem pro„ tendi ratus, (*Hìs*, ait, *indiciis me mea* „ *fata vocant*) de Imperii quoque abdicatione „ literas ad Cameræ Imperialis Præsidem & „ Assessores, Gandavi vigesimô septimô Au„ gusti scripsit, eos ad observationem justitiæ „ gravissimè cohortans. Indéque Sudburgum „ Zelandiæ ad vela danda progressus, die se„ ptimo Septembris ad Ordines Imperii scri„ bens, monuit fratri suo Ferdinando Roma„ norum Regi obedientiam præstare: post„ quam ipse Imperium tenuisset à tempore ele„ ctionis annos triginta septem, menses duos, „ dies decem; à coronatione Aquisgranensi „ annos triginta quinque, menses decem, dies „ quindecim; à coronatione Pontificia annos „ viginti sex, menses sex, dies septemdecim. „ Cùm verò censeret penes Electores, sicut „ faciendæ promotionis, ita & accipiendæ re„ nunciationis auctoritatem residere; hono„ rificam legationem ad ipsos adornavit, quam „ Guillelmo Nassovio Principi Aurangio, „ Georgio Sigismundo Seldio Augustali Vice„ Cancellario, & Wolfgango Hallero ab epi„ stolis credidit. Qui tamen nonnisi post „ biennium mandata sibi data executi sunt; „ sive quòd interim tribus Electoribus mor„ tuis, Palatinô videlicet, Treverensi & Co„ loniensi, novi suis rebus constituendis oc„ cupati fuissent; sive quòd post Caroli disces„ sum bellô inter Reges Galliæ & Hispaniæ „ renovatô, omnium animis ad ejus exitum „ suspensis, tempus à celebratione comitio„ rum Imperii alienum videretur. Agetur „ itaque tunc de eo.

N. 4. „ Carolus autem, unà cum sorori„ bus Eleonorâ Galliæ, & Mariâ Hungariæ olim „ Reginis Septembri mense in Hispaniam na„ vigans; ubi eam, ad Laredum Cantabriæ „ portum exscensione facta, pede tetigit, in „ terram prostratus ipsam osculatus est; & „ *Salve*, inquit, *mihi optatissima mater; nudus* „ *ex utero matris meæ exivi, nudus ad te tan*„ *quam ad alteram matrem redeo; tibique, quod* „ *unum possum, pro tam multis in me meritis* „ *corpusculum hoc & ossa dedo & dedico.* (Quod „ quidem de regno & longiori incolatu intel„ ligendum: cùm alioqui esset ipse ortu Bel„ ga, non Hispanus, licèt ex femina Hispana „ natus.) „

[3.] Surius hoc anno.

Item Streinius in Annalib. Super. Austr.

Neugebauerus Histor. Polon. lib. 8.

Megizerus Annalib. Carinth. lib. 11. c. 38.

[4.] Pont. Heuterus ubi suprà.

Ciaconius & Panvinius sub Paulo IV.

Surius anno sequenti.

[5.] Neugebauerus ubi suprà.
Item Surius anno sequenti.
[6.] Ex mandato Regis.
[7.] Ex Autographo ipsius.
[8.] Neugebauerus cit. locô.
Item Spondanus n.5. „Duplici verò fuêre „ alibi hoc anno Turci tentata obsidione à „ Christianis ignominiosè repulsi. Alterâ „ apud Oranum in Africa Mauritanæ Cæsariensis urbem maritimam amplam & populo „ frequentem, Buyzam olim dictam: quam „ præsidiô Hispanicô munitam, cùm oppugnare cœpissent, virtute obsessorum, quibus „ Alcaudetus Comes præerat, gravi clade acceptа, incœptum deseruerunt. Altera longè „ celebriori, & à pluribus memoriæ mandata, „ apud Sigethum Hungariæ munitissimum oppidum. Cùm enim Solimannus Turcorum „ Imperator misso in Hungariam Hali Bassa, „ cum mandatis nè Budam regni caput à Turcis detentam priùs ingredi auderet quàm „ Sigethum cepisset; is omnem conatum ad „ illud expugnandum adhibens, forti propugnatione Marci Horvathi, qui oppido præ„ erat, tertio oppugnationis mense re infecta „ recedere coactus est; nonnullis tamen aliis „ oppidis captis, direptis & incensis: sicuti & „ Ferdinandus Princeps Ferdinandi Regis filius, à patre in auxilium Sigethi cum exercitu missus, aliquot Turcorum arces pariter „ recepit. At deteriori fortuna ejusdem Ferdinandi duces in Transilvania usi, eâ penè „ totâ cedere Isabellæ Reginæ ac filio ejus „ coacti sunt; Provincialibus externorum militum rapinas & insolentiam non ferentibus, „ quasi agmine facto sub eorum jura concedentibus, cum Turcorum auxilio, quod Isabella delusam se dicens à Ferdinando imploravit. „

Annus Christi MDLVII. Monasterii CCCCXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus II.	Jacobus.

QUinquennalibus induciis, vix integrô servatô annô, rescissis, sævissimum bellum exarsit. Verùm interim, dum Galli exercitus hæret in Italia, Philippus Hispaniarum Rex insigni potitur victoria apud D. Quintinum Galliæ oppidum sub Duce suæ militiæ Philiberto Sabaudiæ Principe. Post quam victoriam Pontifex cum Rege Philippo pacem fecit. * [1.]

Fuit hoc tempore Monasterii Zwetlensis Advocatus apud Aulam & Excelsum Regimen Mag. Lucius Crajer, qui in causa Leisseri viduæ Jacobo Abbati quædam scripserat sub dato Viennæ 20. Junii, annô 1557. Has ideo affero literas, quia sunt quidam, qui hoc anno Jacobum Grienwaldt Abbatiam resignâsse volunt, cùm tamen ex diversis aliis constet, eum non tam hoc anno, quàm sequentibus duobus adhuc Abbatem passim nominari, sicut hoc anno Joannes Zenonianus Præpositus Zwetlensis ad ipsum ratione patruelis sui Antonii scribens 4. Octobris, illius meminit. [2.]

Rursum hoc anno Ferdinandus Imperator ab Abbate in Zwetl petit ad bellica instrumenta in Ungariam deportanda currum cum sex equis, quo exercitum suum diriget sub dato Viennæ ultimâ Augusti. [3.] Idem Imperator altera vice cum comminatione pœnæ eidem in Zwetl Abbati injungit, ut subditos suos compellat currus ad comeatum militibus, & pabulum equis ad castra in Ungariam deferenda quantocyus adducere, nè detrimentum inde aliquod emergat, si omiserit. Sub dato Viennæ 3. Septembris, annô 1557. [4.] Dedêre huic expeditioni tum Isabellæ Reginæ, tum Sigismundi Transilvani Principis novi motus causam, qua occasione Turcæ Villeccum expugnârunt. Tandem per Legatos suos cum Solimanno positis non adeo iniquis conditionibus Ferdinandus Imperator pacem fecit. [5.]

Du-

Durante hacce temporum injuria septem superstites Moniales Ord. S. Benedicti ex Parthenone Gottwicensi, quòd ex communibus Cœnobii inibi virorum reditibus sustentari ampliùs non possent, jussu Imperatoris Ferdinandi ad sæpedictum Monasterium S. Bernardi Sanctimonialium Cistercienfium in regno Boiorum situm translatæ sunt. [6.]

ADDITIONES.

*[1.] Surius hoc anno plausibiliter describens hanc victoriam subdit: „ De exercitu Philippi vix quinquaginta eo in certamine periisse putantur. Incidit hæc memorabilis victoria in decimum Augusti mensis diem. Aliquot pòst diebus Philippus Rex venit in castra, & quòd se dedere nollent Galli, qui in S. Quintini oppido erant, urbs ipsa validè oppugnata, & die XXVI. Augusti vi expugnata & direpta est. In ipsa urbe captus est Amiralius Franciæ, cum multis aliis nobilibus. Non est hìc prætermittenda insignis pietas Regis Philippi. Ante ipsam urbis expugnationem præconis voce edixit, nè Sacramenta & sacra milites prophanent, nè quid in Reliquias S. Martyris Quintini, quæ illic reverenter asservabantur, committant, nè Sacerdotes injuriâ afficiant, ut parcant senibus, cœnobitas & virgines Deo sacratas nè lædant. Ex ipsa deinde urbe imbellem turbam curribus per media castra in Gallias duci jubet, Germanos milites eo bello victos in gratiam recipit, adhibitisque contra vim custodibus, in patriam reduci cur.t, singulis aureis in singulos pro viatico distributis. Porro victoriâ partâ ingentes Deo gratias egit. Captô Sancti Quintini oppidô, arces aliquot proximæ, Han & Castelletum, victori Philippo Regi cedunt. Erat tum Franciæ Rex in non mediocri trepidatione, coactúsque est suos ex Italia revocare, & novum repentè conscribere militem. „

Pont. Heuterus ad longum sub Philippo II. lib. 15.

Spondanus hìc n. 9. & 10.

[2.] Ex literis ipsius.

[3. & 4.] Ex Autographo ipsius proprio.

[5.] Neugebauerus Histor. Polon. anno sequenti. „ Eodem anno in Ungaria Ferdinandus Rex cum Turca inducias pepigit, quas tamen Transylvanici motus interturbârunt. Isabella enim Regina vidua ejectis omnibus, qui Ferdinando favebant, rerum summam ad se retraxit, cum populi favore, tum Solymanni amicitiâ, & Regis Poloniæ Sigismundi Augusti fratris sui auxiliis fretâ, ídq; tantò ei fuit faciliùs, quòd multis hominum millibus peste absumptis maxima esset tota regione solitudo. Nec tamen Ferdinandus Rex arma statim sumpsit, Rege Poloniæ & aliis Principibus de pace diligenter agentibus. Petebat à Ferdinando Joannes Sigismundus Transylvanus, ut quicquid trans Tibiscum esset, sibi concederetur, tum se ei, quod cis esset, libenter cessurum, præterea uxor è Cæsaris stirpe cum centum aureorum millibus dotis nomine sibi daretur: matri verò ex Ungariæ Proceribus reliquum debiti persolveretur: bellô autem inter Ferdinandum & Turcas exortô, Joannes se medium gereret. Ad reliqua Rex Ferdinandus, paulò antè Imperator creatus, assensit: ut verò Transilvaniâ cederet, induci nullo modo potuit. Interim cùm ea occasione Turcæ Villecum expugnavissent, omniáque ad bellum atrocissimum rursus spectare viderentur: ecce velut à media tempestate subita affulsit tranquillitas. Nam Solymannus, cùm Ferdinandi Regis Legatos Antonium Verancium, & Franciscum Zayum Constantinopolim de pace missos per totum biennium detinuisset, tandem tolerabilibus conditionibus pacem fecit, quam etiam Ferdinandus, quoad vixit, inviolatam servavit. „

Ortelius Redivivus sub finem præcedentis & ad hunc annum. „ In disem Jahr (1557.) ließ Sultan Solyman Königs Ferdinandi Botschafft, welche vor zweyen Jahren nach Constantinopel wegen eines Friedens abgefertiget, aber durch Beredung des Königs aus Franckreich Legaten, so lang versperet gehalten worden, widerumb loß, nahm auch den Frieden von den Gesandten ohne alle Einred, und Widersprechen an, und fertigte sie alsso mit dem beschlossenen Frieden, als der neue Frantzösische Legat etwas, so ihm zuwider gewesen, gesagt, wiederumb ab. „

[6.] Tabula ret. Göttwicensium à Domino Abbate Göttwicensi Georgio Heller an. 1668. edita, & Inclytis utriusque Austriæ Ordinibus dedicata & Xenii locò oblata. „ S Scholastica des Heiligen Benedicti Zwillings-Schwester ist Patronin des Jungfrauen Closters, welches bald nach der Stifftung zu Göttweig erbauet, und von gemainen Ein-

„ khommen erhalten und verpflegt worden. „ Deren an. 1388. 24. Persohnen gewesen. „ Zu Erleichterung der strengen Kost hat „ Pabst Nicolaus der V. an. 1452. Dispensa- „ tion erthailt, dass sie ausgenommen der Fa- „ sten in der Wochen 3. mal von Fleisch „ essen dörffen. Nachdem aber das Closter „ Göttweig an. 1557. in gäntzliche Verödung „ gerathen, hat Kayser Ferdinand der I. die „ verbliebene 7. Closter-Jungfrauen auf S. Ber- „ nard in Poügreich Cistercienser Ordens „ transferiren lassen. „

Annus Christi MDLVIII. Monasterii CCCCXX.

Pont. Rom. Paulus IV. *Imp. Rom.* Ferdinandus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis Wolfgangus II. *Abbas Zwetlensis* Jacobus.

CArolus in dicto Monasterio D. Justi die 21. Septembris, cùm jam aliquot dies acutissima febre tertiana laboràsset, è vivis feliciter excessit. Verè piissimus Princeps ac potentissimus Imperator, tanta enim illi à Summo Numine data in rebus gerendis felicitas, tam insignes victoriæ desuper donatæ, adeo ut ob multa fortissimè gesta, Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Siculi Africano, Hispani Alexandro Magno, Turcæ Julio Cæsari, Afri Hannibali comparârint. * [1.] Qui ejus laudes uberiùs vult habere, coævum adeat Scriptorem Laurentium Surium Carthusianum.

Jacobi Abbatis in Zwetl adhuc fit mentio hoc anno à Nicolao Hertzog Plebano in Cisterstorf 29. Januarii; item à Mag. Lucio Crajer Monasterii Advocato 9. Februarii; rursus à præfato Plebano 21. Novembris; & à Sebastiano Woppingero de Wopping Magistro grangiæ Räfingensis 20. Decembris. [2.] ita hoc anno Abbas extitisse probatur.

Pace certis sub conditionibus cum Turca facta & militibus dimissis, viæ per Austriam publicæ præsertim in silvis viatoribus tutæ non erant ob prædones omnes invadentes, spoliantes & mactantes, unde Ferdinandus Cæsar edictum promulgari facit, quo Austriæ Inferioris Provincialibus & Statibus præcipit, ut in silvis suis à via publica hinc & inde per octo orgyarum spatium arbores dejiciant, ne prædones aut latrones latebras suas habere possint, sub dato Viennæ 28. Maji, annô 1558. [3.]

Demum Ferdinandus Imperator animum quoque adjicit ad mores reformandos, præsertim ad vitia publica, quæ in consuetudinem abierant, & hactenus belli tempore quasi impunè committebantur, eliminanda; unde mandat denuo sub pœna gravissima omnibus Magistratibus, ne blasphemos, publicè propinantes, continuò ebrios, lusores, adulteros, concubinas notorias, impunitos relinquant; superfluum etiam vestium splendorem, fastum nuptiarum nimium, imitationes novas, dolos item malos & contractus pecuniarum iniquos &c. coërceant, talium vestium peregrinarum usu per annum quotidiano ad eas conterendas tantùm concesso, sub dato Pragæ ex aula sua Regia 29. Novembris, annô 1558. [4.]

ADDITIONES.

* [1.] Surius hoc anno, ubi fusè hujus Potentissimi & Pientissimi Monarchæ prosequitur laudes.

Piespordius sub Carolo V.

Pont Heuterus suprà ad ann. 1556. sub n. 2. à nobis relatus ita prosequitur: „ Ubi (*in* „ *Monasterio Divi Justi*) cùm non integrô elapsô „ bienniô sanctè piéque vixisset, decimô Calendas Octobris, qui Divo Matthæo Christi „ Apostolo est consecratus, summa animi „ tranquillitate, corporisque patientiâ, Deo „ animam paratissimè reddidit, annô 1558. „ manè

„ manè inter horam tertiam & quartam, paulò
„ ante auroræ ortum, tertiana febri, è con-
„ tinuis articularis morbi doloribus, non
„ humorum abundantiâ, nata, quæque tan-
„ dem in continuam est mutata, extinctus.
„ Continui enim articularis morbi dolores,
„ sanguinem exagitantes, primùm calorem
„ præter naturam, deinde febrim excitavêre,
„ sensimque calorem naturalem oppressêre
„ extinxereque. Vitia primùm Bartholomæo
„ Mirandæ, Archi-Præsuli Toletano, ritè de-
„ texerat, ac ab eodem, celebratô Missæ Sa-
„ crificiô, Sacrosancto JESU Christi corpore
„ mystico recreatus, ac ad iter æternæ salutis
„ armatus instructúsque fuerat. Sepultus est
„ Granadæ, Bæticæ urbe primaria, juxta ma-
„ trem Joannam, ac avum, aviámque mater-
„ nam. Rex verò Philippus patri, ùt dece-
„ bat, amplissimas Bruxellæ Brabantiæ cele-
„ bravit exequias; idémque fecêre non solùm
„ ceteræ omnes ejus Provinciæ ac Regna, sed
„ urbes etiam, civitates ac oppida. Tertia à
„ Cæsaris morte septimana, soror ejus Regina
„ Maria, Ludovici Hungariæ ac Bohemiæ
„ Regis vidua, Belgarum per viginti quinque
„ annos Gubernatrix, fratrem, relictô mundô,
„ est secuta; cum paulò antè, desideriô Bel-
„ garum tacta, iter Barcelonâ Genuam, indé-
„ que terrestri itinere in Belgium facere con-
„ stituisset, classisque in eam rem parata sta-
„ ret. Leonora verò, altera Cæsaris soror,
„ fratrem ac sororem, deserta hac vita, mense
„ Martio præcesserat, eique Heinricus Fran-
„ ciæ Rex Parisiis summo cum honore pom-
„ páque justa persolvit. Atque hac ratione
„ Cæsar Carolus V. cum duabus sororibus
„ uno eodémque anno è vivis excessit &c. „

Ortelius Redivivus continuatus in Chron.
„ Annô 1558. Diß nachgehende Jahr wardt
„ Ferdinandus, so zuvor Römischer, Böhmi-
„ scher, und Ungarischer König war, zu
„ Franckfurt durch die damahls anwesende
„ Chur- und Fürsten, an statt seines Bruders
„ Kaysers Carls, zu einem Römischen Kayser
„ am 14. Tag Martii öffentlich publicirt, aus-
„ geruffen, und abgekündigt. Hernach den
„ 21. Septembr. starb in Hispanien Kayser
„ Carl, welcher annô 1500. den 24. Februarii
„ zu Gent in Flandern gebohren; annô 1519.
„ zu Franckfurt zu einem Römischen König
„ erwählt, und annô 1520. den 12. Octobris
„ zu Ach gekrönt worden. „

[2.] E literarum monumentis.

[3.&4.] Ex Edictis ipsius.

Spondanus ad hunc annum n. 8. „ Mense
„ Februario convenientes Francofurti ad Mæ-
„ num, unà cum Ferdinando Romanorum
„ Rege, Electores Imperii, renunciationem
„ Caroli, per Legatos Aurangium, Seldium,
„ & Hallerum allatam receperunt 6. Martii
„ die S. Matthiæ Carolo in plerisque faustis-
„ simo: ac post deliberationem conditionum,
„ quibus Electores Romanorum Regem ob-
„ stringere consueverunt, pridie Idus Martii
„ Imperii Majestatem in eundem Ferdinan-
„ dum solemni cæremonia transtulerunt; ei-
„ démque ùt Imperatori fidem & obedien-
„ tiam jurârunt, annum tum agenti ætatis
„ 55. &c. „

Annus Christi MDLIX. Monasterii CCCCXXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus II.	Jacobus.

OBiît Paulus IV. Pontifex Romæ 18. Augûsti hoc anno. *[1.] Sedes autem Romana sinè Pontifice fuit menses quatuor & dies septem. Ideo alterius electionem in sequentem annum rejicio.

Porro cùm aliqua in catalogis Abbatum Zwetlensium in successione difficultas præsertim Josephi Abbatis emergat, diligentiùs literæ inspiciendæ & conferendæ erant, inde collegi Jacobum dictum Grienwaldt hoc anno nondum obiisse, cujus mentionem inprimis facit suis in literis Monasterii Advocatus Mag. Lucius Crajer 13. Januarii. [2.] Item 19. Aprilis ejus habetur mentio unà cum Michaële Straishofer Magistro allodiorum, Marthâ Joannis Knoll civis quondam Viennensis relictâ, & Jacobo Gienger à Grüenpüehel Cæsari à consiliis ac Austriæ simul Vice-Domino. [3.] Idem etiam Abbas Jacobus

 cum

cum consensu Maximiliani Archi-Ducis Austriæ & Regis Bohemiæ nomine Cæsaris ad perpetuò redimendum pagum Negers licentiam dantis vendidit illum Eberhardo Pühler de Rieckers sub dato in Monasterio Zwetlensi 3. Septembris, annô 1559. [4.] Demum 10. Octobris eodem anno Jacobi Abbatis mentio habetur. Ex allatis literis patet ipsum hoc denique anno Abbatem vixisse, & anno primùm sequenti ex alio itidem testimonio afferendo obiisse. Maximilianus, cujus hìc fit mentio, fuit jam 14. Februarii annô MDXLVIII. in Regem Bohemiæ electus, sed postea 20. Septembris annô MDLXII. tandem coronatus. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius sub Paulo IV.
Surius hoc anno.
Item Onuphrius sub Paulo IV.
Spondanus hìc n.32. „ Moribundi verò „ suprema verba fuêre: *Lætatus sum in his quæ „ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* De- „ cessit autem 15. Cal. Septembris, ætatis suæ „ annô 83. mense uno, die 22. Pontificatûs „ annô 4. supra mensem 2. & diem 24. „ Fuit valetudine adeo prospera ante ulti- „ mum morbum, ut numquam medicorum „ operâ usus fuerit, quamquam in victu „ non admodum diligens esset. Ceterùm „ liberalitate, religionis tuendæ conservan- „ dæque zelô, super omnes retrò Pontifices „ maximè clarus; disciplinæ autem Ecclesia- „ sticæ restituendæ adeo sollicitus, ut ex ejus „ cogitationum rationúmque fonte multa sa- „ cri Concilii Tridentini decreta profluxisse „ postea videantur. „

[2.] Ex Autographo ipsius.

[3.&4.] E literarum monumentis.

[5.] Piespordius sub Maximiliano II.

Annus Christi MDLX. Monasterii CCCCXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Wolfgangus II.	Josephus.

POst longas quatuor mensium in novo Pontifice eligendo inter Cardinales habitas disceptationes, tandem septimô Calendas Januarii ineuntis hujus anni à 44. Cardinalibus Joannes Angelus Medices Cardinalis tituli S. Priscæ Summus totius Ecclesiæ Pontifex eligitur, & in Epiphaniæ festo coronatur, Pius IV. vocari voluit. * [1.] A beato Malachia Hiberno nominatus: Æsculapii pharmacum. Antea dictus Joannes Angelus Medices.

Turca hoc anno Velicam capit, locus is in Superiore Pannonia munitissimus est. [2.] Nec multo tempore pòst Ferdinandus Imperator & Solimannus fœdus inierunt, quod utrique parti tolerabile fuit, & ratum illæsúmque perstitit, quoad Imperator Ferdinandus in vivis erat.

Venio ad Monasterium Zwetlense, ubi videndum, quando Jacobus Abbas ejusdem obiêrit, & quando Josephus eidem successerit. Inprimis in tabulis antiquis defunctorum reperitur talis annotatio: „ Quintô Idus Februarii Ja- „ cobus Grienwald quondam Abbas „ Zwetlensis obiit annô 1560. „ [3.] Id est, nona Februarii die. Item huic in anno astipulatur chronosticorum author, cujus placet distichon referre, quod ita sonat de eodem:

„ Per tria lustra fuit Præsul, migravit in auras,
„ Dona tIbI VItæ Larga feret MerItIs.

Tria enim lustra sunt ter quinque, id est, quindecim anni; nam Jacobus annô MDXLV. Abbas factus fuit.

Udalricus tunc Abbas S. Crucis & Visitator fuit, qui accepto Jacobi Abbatis obitu, mox se Zwetlam contulit, ut

ut electioni canonicæ de more Ordinis præsideret, in qua electione convenerunt electores fratres in suum Priorem F. Josephum dictum Scheichenpflueg, cujus electionem Ferdinando Imperatori S. Crucis Abbas præsentare debuit petens illius confirmationem. Quæ electio adhuc mense Februario mox post obitum Jacobi contigit, quod ex literis Udalrici Abbatis S. Crucis ad Josephum noviter electum Abbatem datis colligitur, qui nuntiat, quòd in supplici libello electionem nuper in Zwetl factam Cæsari obtulerit quidem, sed nullum adhuc responsum retulerit, laborare se tamen velle, ut illud quamprimum accipiat sub dato Trummaw 29. Februarii, annô 1560. [4.] Rursum eidem significat, & diem installationis nominat 25. Aprilis, qua in Zwetl comitantibus se Abbatibus Mellicensi & Dei-Vallensi comparere, & installationem ejusdem solenniter perficere velit sub dato Trummaw 18. Aprilis, annô 1560. [5.] Utique jam confirmationem obtinuit Josephus, cùm dicta die installatus fuerit tam in spiritualibus quàm temporalibus Abbas. Assentit his chronosticon sequens:

regnaVItqVe pIVs qVoqVe MoX,
at non DIV VIXIt
Josephus, Præsul per breve tempus
erat. [6.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Onuphrius in Pio IV. Spondanus ad annum præcedentem n. 37. „ Postquam variis Cardinalium contentionibus certatum esset de Rodulpho Pio Carpensi Episcopo Portuensi, Jacobo Puteo Niciensi Presbytero S. Mariæ in Via, Hercule Gonzaga Mantuano Presbytero S. Mariæ Novæ, & Hippolyto Estensi Ferrariensi Diacono S. Mariæ in Aquiro; (hos enim præcipuè reperimus, qui egregiis singuli virtutibus micantes, numero etiam faventium eminuêre; quamquam & in Historia Societatis JESU tradatur, tractatum etiam fuisse, nescio quo subito animorum motu, de Lainio Præposito Generali nuper in locum Ignatii defuncti suffecto, creando Pontifice) demum mense quarto diéque septimo vacationis Sedis, Carolo & Alfonso Carafis imprimis, Alexandro deinde Farnesio, Guidone Ascanio Sfortia, & Ludovico Guisio, maximè suffragantibus, nocte subsequente Natale Domini, omnium Cardinalium suffragiis creatus est Joannes Angelus Medicinus Mediolanensis, (Medicem dicunt alii, tamquam fuerit ex Mediceorum Florentinorum familia; quæ nihilominus diversæ fuisse dicuntur) ex Presbytero Cardinale S. Priscæ: ad quam dignitatem fuerat post multiplices occupationes, legationes, administrationes pro Sede Apostolica diligenter & feliciter obitas, à Paulo III. Pontifice assumptus: filius Bernardini olim vectigalium redemptoris, fratérque Marchionis Mariniani strenui illius ducis, quem sub Carolo V. meruisse vidimus, quíque Mediceorum Mediolanensium fortunam fabricavit: natus annô Domini millesimô quadringentesimô nonagesimô nonô pridie Calendas Aprilis ipso Paschatis die: ac proinde cùm factus est Pontifex, annum ætatis agens sexagesimum, & nonum ferè mensem. Cujus promotionem portendisse dicitur columba casu Sacellum Sixtinum, ubi congregati Cardinales erant, per fenestras ingressa, cùm diu circumvolitans cum admiratione omnium ejus quietem expectantium, cellæ Joannis Angeli insedit. Ita enim Onuphrius in ejus vita, qui conclavi interfuit, & singula quæ gerebantur oculis & auribus, ùt ait, haud segniter perlustravit. Accepto nomine Pii IV. & symbolô sive sententiâ: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*; coronatus est octavô Idus Januarii anni proximi, ipso die festo Epiphaniæ. Qui meruit unus, quod non temerè alii uni evenisse reperiatur, ut tribus celebrioribus anni totius festivitatibus nasceretur, Pontifex crearetur, & coronaretur. „

[2.] Historia rerum Ungaric. hoc anno. Ortelius Redivivus. „ Annô 1560. In folgendem Jahr nahmen die Türckhen das feste Schloß Vileck in Ober-Ungarn ein, dahin der Sultan Solyman einen Sangiacken, so dem Bassa von Ofen unterworffen, zum Obersten eingesezt. „

[3.] Mortilogium antiquum in Februario.

[4. & 5.] Ex Autographis ipsius.

[6.] Chronosticorum Author sub Josepho. Annô 1560.

Annus Christi MDLXI. Monasterii CCCCXXIII.

Pont. Rom. Pius IV. *Imp. Rom.* Ferdinandus I. *Archi-Dux Austriæ* Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Josephus.

POntifex hoc anno Ferdinandi Cæsaris Imperatoriam dignitatem in eum ab ejus fratre Carolo V. translatam, quam Paulus IV. improbaverat, ratam habuit, ejúsque tanquam legitimi & Catholici Imperatoris Legatos perhonorificè suscepit. *[1.]

Obiît quoque hoc anno septimô Idus Augusti Wolfgangus II. de Klosen Episcopus Pataviensis, cui Urbanus à Trenbach Canonicus & Præpositus Ecclesiæ ejusdem est subrogatus 15. Calendas Septembris, id est, 18. Augusti, sed primùm anno sequenti Nonis Aprilis à Summo Pontifice confirmatus fuit. [2.]

Redeo ad Monasterium Zwetlense. Ex binis sub dato 18. Martii hoc anno literis patet Josephum Abbatem adhuc 14. Martii hoc anno vixisse, [3.] & ante decimum Aprilis vitam hanc reliquisse, qua die Martinus, qui se jam Abbatem in Zwetl nominat, Andreæ Abbati Wittingaviensi scribens petit carpionum ducentas sexagenas emendas sub dato loci, diei, mensis, & anni modò dicti. Oportebat ergo Josephum adhuc mense Martio è vivis excessisse: & in Aprili Martinum eidem successisse, quâ tamen die ille obiêrit, mortilogia tacent, & quâ hic electus fuerit, nullibi invenitur.

Ceterùm sub Josepho Abbate nullus Fratrum de Conventu in tabulas publicas devenit, sic etiam in tam brevi ejus vitæ tempore Conventus quantus fuerit, non reperitur. Cui in Abbatiæ regimine successit F. Martinus dictus Staingaden, Professus S. Crucis, inde postulatus, quod patet ex quadam epistola Udalrici Abbatis S. Crucis ad eum data, in qua eundem Martinum vocat noviter è suo Conventu electum in Abbatem Zwetlensem, cui hoc Monasterium ipse paternè commendat, memórque vivat sui antecessoris Josephi sub dato 20. Junii, annô 1561. [4.]

Installatio tamen ejus mense adhuc Majo contigit, nam Abbas S. Crucis & duo à Cæsare additi Commissarii scribunt Martino in Zwetl electo, ut cum Conventu suo & familia se domi contineat, se enim brevì affuturos sub dato Runæ in Stiria 13. Maji, annô 1561. [5.] ubi tunc vel similem installationem vel visitationem iniêrunt. Dies nihilominus ejus installationis non invenitur certa.

Martinus Abbas in causa Parochi Raapsensis propter Præposituram in Eisgarn à Regimine Excelso deputatus Commissarius scribit Lucio Crajer suo Advocato Viennam, eandem commissionem non ad se, sed ad antecessorem suum Jacobum Abbatem transmissam esse, cùm ipse jam tertius ab illo sit Abbas noviter electus & installatus, nam post Jacobum Josephus, & post Josephum se electum ait. Petit igitur se apud Excelsum Regimen de ista commissione non deducta ad finem excusari & liberari sub dato Monasterii in Zwetl, 6. Julii, annô 1561. [6.] Ex quibus literis constat, jam ante sextum Julii se installatum fuisse, dies tamen certa nondum constat.

ADDITIONES.

*[1.] Onuphrius & Ciaconius in Pio IV. Spondanus ad ann. 1558. n. 8.

[2.] Hundius in Metropol. Salisburg. in Episcop. Patav. sub Urbano. „ Hic jam ante, „ ob insignem eruditionem & rerum agenda„ rum prudentiam, adscriptus erat in Ratisbo„ nensem & Salisburgensem Canonicum; & „ quoniam ipse Italiam & Romanam urbem

„ jam

„ jam antea eruditionis & linguarum capes- „ sendarum gratiâ perlustrârat, Wolfgangus „ à Klosen, antecessor suus, propter electio- „ nis suæ confirmationem eum iteratò Ro- „ mam misit, ubi in quorundam Cardinalium „ amicitiam pervenit. Negotiô itaque gna- „ viter expeditô, accidit, ut post Reverendis- „ simi Domini Michaëlis, Archi-Episcopi Sa- „ lisburgensis obitum Joannes Jacobus Kuen, „ Decanus Brixinensis & Canonicus Salisbur- „ gensis illi in Episcopatu substitueretur. Hic „ electus Archi-Præsul hunc eundem Domi- „ num Trenbeckium, suum confratrem, pro „ sui confirmatione Romam etiam tertiò trans- „ misit, ubi pro sua sedulitate in quorundam „ Prælatorum summorum familiaritatem rece- „ ptus est. Quare cùm jam hic electus in „ Antistitem Pataviensem suos Oratores Ro- „ mam pro suæ electionis confirmatione mi- „ sisset, illic jam antea probè cognitus, suæ „ petitionis faciliorem expeditionem sortitus „ est &c. „

[3.] E literarum monumentis, & Catalogo Abbatum Zwetlensium.

[4.] Ex Autographo ipsius.

[5.] E literis eorum.

[6.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDLXII. Monasterii CCCCXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Martinus I.

HOc anno Pius Papa IV. Tridentinum Concilium revocavit, cui Legati, eruditi atque optimi Viri Joannes Moronus Episcopus Prænestinus, Hercules Gonzaga, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Hosius, Ludovicus Simonetta, Bernardus Naugerius, Marcus Sitticus de Altaemps, S. R. E. Cardinales interfuerunt. *[1.]

Deinde mense Novembri Francofurti in Romanorum Regem communibus omnium Electorum Principum suffragiis eligitur Maximilianus Bohemiæ Rex, Cæsaris Ferdinandi filius multis egregiis corporis ac animi dotibus insignis. [2.] Turcici Imperatoris Legatus venit Francofurtum, equum gradarium & quatuor camelos munera Solimanni offerens.

Porro unde fuerit natus Martinus Abbas, literæ, ejusdem produnt, qui scribit Senatui Wangiensi, quæ est Imperialis civitas, & Joannem Staingaden fratrem suum germanum civem ibidem de reditu illius dilato excusat, sub dato Monasterii in Zwetl 10. Augusti, annô 1562. [3.] Wangium in Suevia non procul à Lindavia & Aerspergo situm est, ita Martinus Suevus erat.

Ob minerarum signa inventa Monasterium impetitur, quarum fossorem impedire quidem conabatur, sed à Cameræ Aulicæ Præsidibus jubetur Abbas nomine Regis Bohemiæ Maximiliani, quatenus Melchiorem Huser Prutenum Gedanensem in opere suo minerarum fodiendarum contra ordinem à Cæsare mineratoribus præscriptum non impediat, nè gratiam & Cæsaris & Regis amittat, sub dato Viennæ 9. Septembris, annô 1562. [4.] An autem aliquid invenerit, vel nihil, non constat.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Onuphrius sub Pio IV.

Pontus Heuterus lib. 15. cap. 8. „ Sub „ initium mensis Decembris Pontifex Pius „ Concilii Tridentini aliquandiu intermissi „ renovationem eadem in urbe in proximum „ ver publicari jubet, certo Patribus conve- „ niendi die constituto : quod Concilium „ annô 1563. mense Decembri fuit finitum, „ decreta statutáque ejus publicata, susceptá- „ que ab omnibus Catholicis Principibus ac „ Rebuspublicis; solis Novatoribus reclaman- „ tibus, quasi indictâ causâ condemnari essent, „ quòd non æquô cum Catholicis numerô

„ iis Concilio præesse, decernere, statueré-„ que licuerit: qua in re nil ab Ecclesia Ca-„ tholica, Patribúsque Concilii Tridentini, „ insolitum nec novum est factum, sed idem, „ quod Apostolos omniáque superiorum sæ-„ culorum Concilia usitâsse constat. In pri-„ mo enim Hierosolymitano Concilio Juda-„ ismi jugum defendentes, ab Apostolis qui-„ dem auditi sunt, sed ut aliquid decerne-„ rent statueréntque non admissi. Idem pri-„ mô Nicenô Conciliô Arrianis usu venit, „ successivísque temporibus omnibus Nova-„ toribus; quorum rationes in Conciliis sunt „ auditæ examinatæque aliquoties & earum „ Authores admissi, sed cùm definiendum, sta-„ tuendúmque esset, nunquam inter sacros „ Proceres fuêre recepti. „

Spondanus hìc n. 1. & sequent.

[2.] Surius hoc anno.

Megizerus Annal. Carinth. lib. 11. cap. 43.

Octav. de Strada sub Maximiliano.

Piespordius sub eodem.

[3.] E literarum monumentis.

[4.] Ex decreto Cameræ.

Annus Christi MDLXIII. Monasterii CCCCXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius IV.	Ferdinandus I.	Idem Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Martinus I.

TAndem post annos viginti septem ab Indictione Concilii Tridentini, peractis viginti quinque Sessionibus Annô Christi MDLXIII. singulari Pii IV. studio & vigilantia universali Concilio finis allatus est, Patribus ita acclamantibus: Beatissimo Pio Papæ Domino, Sanctæ & Universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria. Audito Concilii exitu supplicationes pro gratiarum actione Pius indixit. * [1.]

Item hoc anno Maximilianus Romanorum & Bohemiæ Rex Posonii in Ungariæ Regem cum multa celebritate & solitis cæremoniis coronatus fuit. [2.]

Martinus Abbas hoc anno 2. Aprilis Joanni Schweinhämbl Cæsari à secretis, & Margarethæ uxori ejus, mortuo Martino Turnero cive quondam Viennense, domum Zwetlensem liberam Viennæ in antiquo rusticorum foro in der Müntzer-straß sitam ad utriusque dies vitæ cum consensu Conventûs contulit: [3.] quorum conjugum memoria sæpiùs occurret.

Porro Erasmus Abbas quondam in Zwetl Annô MDXLI. adhuc Maximiliano Leisser quosdam colonos circa Pölan & circum habitantes ad perpetuò redimendos vendidit, quos vidua illius Sophia Abbati Martino redimendos obtulit, ille verò id recusavit, sed illos ulteriùs vendendos, reservata sibi redimendi potestate, concessit, quæ Jacobo Landsidl Cæsari à consiliis & secretis Notarióque provinciali Austriæ Superioris, qui castrum Schaunstain possidebat, dictos colonos vendidit 1. Maji, annô 1563. [4.] Ex his literis Leisserorum familia pluribus fit manifesta; Sophia enim prædicta fuit uxor Maximiliani Leisser, nata Zwicklin, hujus frater erat Wolfgangus Zwickl de Weyer, avunculus Leisserorum: illa tulit ex Maximiliano majores natu Wolfgangum & Georgium Leisseros, item natu juniores Wilhelmum & Ferdinandum fratres, quorum consensu supradicta venditio facta est. Ipsa autem Sophia ad secundas nuptias transiit, & nobili Viro Wilhelmo de Gera in Arnsfels Cæsari à consiliis nupsit.

Ut redeam ad Martinum Abbatem, Ferdinandus Romanorum Imperator ipsi & Christophoro Lagelberger commissionem injungit in Parochia Weitracensi ineundam, quia nimirum Elisabetha dicta Preinerin vidua aliqua bona de illa abalienâsset, sub dato Viennæ 18. Maji, annô 1563. [5.] Pluribus ejusmodi commissionibus onustus fuit Abbas Martinus, qui unà cum Abbate Altenbur-

burgensi in causa aliqua, quæ non nominatur, Monasterium Geracense concernente commissionem habuit contra Leonardum de Sinzendorf in Goggitsch & Ludovicum Welzer de Sigharts, quibus, an dies indicta placeat, sibi significent, scribit, ut Conventui Geracensi tempestivè eam indicare valeat sub dato Monasterii in Zwetl 15. Septembris, annô 1563. [6.]

Rursum Monasterium Monialium ad S. Bernardum habuit lites cum vicino Domino de Kuefstain in Greilenstain, ob quas commissio fuit injuncta Leopoldo Abbati Altenburgensi, item Wilhelmo Pernstorfer & Wolfgango Stainhauf, qui 15. Decembris partibus præfixerunt, quòd Altenburgensis Martino Abbati in Zwetl significat, à quo petit, ut vel ipse commissioni ex parte Abbatissæ intersit, aut si videret Monasterio illi incommodum aliquod inde provenire, tanquam Visitator commissionem dictam faceret irritam, aliáque viâ per interpositionem fidelium Dominorum res componeretur, & ita Moniales nullum saltem damnum caperent, sub dato Altenburgi 9. Decembris, annô 1563. [7.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius sub Pio IV.

Onuphrius sub eodem. „ Reformatio Ecclesiastica continuatâ vigesimâ quintâ novissimâ Sessione, III. & pridie Non. Decembris anni 1563. gravi Pontificis morbo, quo de ejus vita dubitatum est, audito, acceleratâ Patres de Igne Purgatorio, de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, de sacris imaginibus, de indulgentiis, de delectu ciborum, de jejuniis, de diebus festis, de catechismo edendo, breviario & missali reformandis, de Concilii Tridentini saluberrimis sanctionibus servandis, non minùs pia, quàm prudentissima decreta promulgârunt: reliqua verò quæ supererant reformationis capita sanxerunt. Quibus confectis summo omnium Patrum consensu decretum est, ut cunctorum, quæ in Concilio acta essent, confirmatio ab Apostolica Sede peteretur.

„ Cardinalis verò Moronus primus Legatus Concilio præsidens, finem Concilio iis verbis fecit: *Post gratias Deo actas, Reverendissimi Patres, ite in pace.* Ab universo cœtu, *Amen*, responsum, atque ita Concilio Tridentino finis feliciter datus est annô XXVII. posteaquàm primùm à Paulo III. Mantuæ indictum fuerat: à prima verò Sessione Tridenti celebrata decimô octavô. Duravit omnino annos quinque, biennium sub Paulo III. annum sub Julio III. biennium iterum sub Pio IV. universis porro Concilii decretis subscripserunt Patres, quibus ea potestas erat, CCLV. „

Præter alios Spondanus hìc n. 64. & seqq. n. 68. ita concludens: „ De quo quidem Concilio verè dici posse videtur, quod Episcopus Ragazzonus in sua oratione, de qua nuper egimus, ultima Sessione pronunciavit: nempe in superioribus actum sæpe esse de fide nostra explicanda, moribúsque corrigendis, sed nunquam diligentiùs atque distinctiùs quàm in isto Tridentino; in quo præsertim ultimô bienniô, ex omnium populorum ac nationum, in quibus veritas Catholicæ Religionis agnosceretur, non solùm Patres sed Oratores extitissent: viri omnes, si doctrinam spectes, eruditissimi; si usum, peritissimi; si ingenia, perspicacissimi; si pietatem, religiosissimi; si vitam, innocentissimi: numerus talis, ut si præsentes Christiani orbis considerarentur angustiæ, frequentissima hæc omnium, quæ antè fuerunt, Synodus appareret: in ea singula omnium vulnera detecta, mores expositos fuisse, nihil dissimulatum: Adversariorum argumenta, & rationes ita tractatas, ut eorum tum causa, non Catholicorum, agi videretur: tertiùm nonnunquam, atque etiam quartùm discussa: Summa sæpe contentione certatum; eo scilicet consilio, ut quemadmodum igne aurum, ita quibusdam quasi luctationibus veritatis vires ac nervi probarentur. Adeo ut licèt optandum summopere fuisset, ut unà cum illis hæc acta essent, quorum potissimùm causâ tractabantur; qui propterea solicitè invitati, perdiu expectati, ac frequenter rogati fuêre accedere: quamvis tamen detrectârint, nihilominus absentium incolumitati atque saluti ita provisum esse, ut alia ratione provideri, si affuissent, non potuisse videretur. Ita ille. „

[2.] Surius hoc anno.

Piespordius sub Maximiliano II. „ Annô 1563. VIII. Septembris Posonii Ungaricam, & sic annô unicô vix exactô (rarô felicissimô exemplô, quale Alberto II. Austriaco

„ etiam accidit) tres ordine coronas accepit. „ Quæ pro tutando regno Ungarico, & arcendo ab Imperio Tyranno Turcico egerit, „ jam orbi non minùs quàm bella Belgica „ Philippi patruelis nota sunt. Immanissimos illos Christiani nominis, germanici sanguinis, & Imperii hostes non uno sæpe loco „ fudit, fugavítque, & non minùs fortiter & „ feliciter ipse contra hos, quàm Marchiones „ isti primi stirpis Babenbergicæ, Marcam illam Orientalem Pannoniæ (verè cor, clypeum, & antemurale Imperii) olim contra „ Ungaros defendit, & tutatus est. „

Megizerus lib. 11. cap. 43. „ Annô 1563. „ den 8. Septembr. ward König Maximilian „ auch zum König in Hungarn erwöhlet, „ und zu Presburg sampt seinem Gemahel „ mit grosser Solennität gekrönt. Nach diser „ Krönung seind in dem November beyde „ Hertzogen Rudolphus und Ernestus Königs „ Maximiliani Söhne durch das Ertzhertzogthumb Khärnten In Italien, und folgends „ in Hispanien gezogen, denen dann von den „ Herrn und Landleüten das Geleit durch „ das Landt ist gegeben worden, und seind „ mit ihnen hinein gereiset Herr Adam von „ Dietrichstein als Hoffmeister, und Herr „ Wolff Rumpff auch aus Khärnten gebürtig. „

Ortelius Rediv. hoc anno. „ Darbey „ (*der Krönung*) unter andern Ritter-Spielen „ und Kurtzweil sich ein sonderlich Unglück „ zutruge, daß ein Schloß, das man stürmen „ solte, vor der Zeit angezündet wardt, und „ viel beschädigte. Dahero die Welschen „ und Ungarn allso aneinander geriethen, daß, „ wo der Kayser nicht seine Guardi hingeschickt, ein starckes Treffen würde erfolgt „ seyn. „

[3. & 4.] E literarum monumentis.
[5.] Ex decreto ipsius.
[6. & 7.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDLXIV. Monasterii CCCCXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius IV.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Martinus I.

Audito Concilii exitu supplicationes pro gratiarum actione Pius indixit, & die 7. Calendas Februarii omnia Synodi illius decreta obsignato publicatóque diplomate confirmavit. * [1.]

Mense Julio ipsis feriis D. Jacobi Apostoli diem suum obiît sanctissimus & omnibus modis Catholicus Princeps Ferdinandus Romanorum Imperator, de cujus integritate, pietate & in Catholica fide constantia multa dici possent, cujus ad omnem posteritatem sacrosancta & celeberrima erit memoria. Insistit ejus vestigiis Maximilianus II. Ferdinandi filius, qui defuncto patre, gratulante Ecclesia Dei, Romani Imperii habenas moderatur. [2.]

Jacobus Landsidl dictus Cæsari à secretis & à consiliis misit Martino Abbati in Zwetl reversales, utì vocant, literas super ipsi à Leisseris anno superiore venditis bonis, & unà rogat, ut ipso in vivis existente vendita bona saltem non redimantur sub dato Schaunstain 18. Martii, annô 1564. [3.] Cui 19. Martii Martinus affirmativè respondet. De quibus bonis anno superiore plura vide.

Commissionem etiam Abbas Martinus habuit cum collegis Ulrico de Lamberg, quem nominat Baronem de Schauenstain, Orteneg, Ottenstain, & Stockarn, Servacio Neudeccensi & Georgio Zinner in Gmünd Parocho, ratione alicujus prætensionis, quam Cyriacus Rutland vel Rulandus, frater defuncti Præpositi Clara-vallensis seu in Zwetl habuit cum moderno Præposito Joanne Zenoniano J. U. Doctore illius successore, quæ commissio indicta fuit 5. Aprilis hoc anno, & primùm executioni demandata 12. Decembris eodem anno. [4.] Ex parte Præpositi moderni fuerunt Commissarii Præpositus Canonicorum Viennensium Doctor dictus Schrantz. [5.] Quid autem effecerint, non invenitur.

De more illius ætatis Joachimus Lagelberger de Hermanstorf Martino Abbati

bati scribens, ab illo petit testamentum à se factum sigillo Abbatiali muniri sub dato Wiesenreith in Cæna Domini, annô 1564. [6.]

Austriaca Domus venationibus se delectans in diversis Austriæ partibus venatores instituit, quorum mentio habetur 7. & 9. Maji hoc anno, nimirum Balthasaris Winckler foresti-Magistri seu Forestarii, aut Magistri silvarum, & Martini Bschantzgow Cæsarei venatoris. [7.]

Conflagravit hoc anno Parochia in Waltenstain ad Monasterium Zwetlense spectans, ob quod incendium aliquot subditos Kirchpergenses Jacobus Franckfurter allodiorum Magister suspectos habens, ipsos apud Dominum eorum Sonderdorffer accusavit, similiter etiam scribit Erasmo Schaffer in Weitra Præfecto sub dato Monasterii in Zwetl 25. Maji, annô 1564. [8.]

Fit etiam mentio Marquardi Chünringii è Fundatorum nostrorum familia orti, qui de equis raptis lamentatur. Erant enim hoc tempore silvæ à latronibus occupatæ, in quibus passim in viatores rapiendo & mactando grassari solebant, quod anno sequenti pluribus referetur. [9.]

Superiùs retuli de venatoribus institutis, de quibus etiam mentionem facit Servacius Neudeccensis, cui Abbas miserat canem venaticum, petit etiam ille aliquot aves feras, & unà mittit Abbati mandatum Cæsaris ad se per fratrem suum Ottonem Neudeccensem, qui Cæsari à consiliis & Camera est, directum & lectum remittat, petens simul, quatenus Cæsari pro aucupio ejusmodi avibus gratum se faciat sub dato Rastenbergæ 26. Julii annô 1564. [10.] Cui Abbas sequenti die respondet, se petitis avibus pro tempore carere, quamprimum autem talis aliqua avis capietur, se eam missurum. [11.]

Nuntiat etiam Martino Abbati Leopoldus Altenburgensis, qui Viennâ redierat, quòd comitia provincialia decimâ proximâ Decembris futura sint, simul etiam à Prælatorum Statu petitum, ut equos & currus ad comeatum exercitui subvehendum subministrent: item se ejus offert comitem, si Viennam ad comitia descenderit. Scribit etiam Abbatem Cellæ-Mariæ & Præpositum Hertzogburgensem mortuos sub dato Altenburgi 2. Decembris, annô 1564. [12.] De bello Maximiliani Imperatoris anno sequenti scribam.

Hoc demum anno electio Abbatis novi in Geracensi Monasterio instituta fuit, ad quam etiam Martinus invitatur ab Ambrosio Heldt Cæsareo Commissario sub dato Drosendorf 28. Decembris, annô 1564. [13.]

ADDITIONES.

[1.] Ciaconius in Pio IV. „ Magnam „ in hac Concilii celebratione pecuniæ summam Pius insumpsit, qui Sedis Apostolicæ „ Legatis, indigentibus Episcopis, omnibúsque Ministris liberaliter menstrua ad vitæ „ sustentationem salaria tribuebat. - - - - „ & annô 1564. die 7. Calend. Februarii omnia „ Synodi illius decreta, obsignato, publicatóque diplomate confirmavit. Mores Ecclesiæ, & Sacerdotia ad Concilii formam „ institui, Episcopósque gravi pœna, ad Ecclesias redire suas præcepit. „

Onuphrius sub eodem Pont.

Spondanus hìc n. 1. & seqq. Et alii.

[2.] Surius hoc anno.

Megizerus in Annal. Carinth. lib. 11. c. 43.

Ortelius Rediv. in Histor. Rerum Ungaricarum hoc anno.

Piespordius sub Ferdinando I. & Maximiliano II.

Spondanus hìc n. 29. „ Quod autem diximus de obitu Ferdinandi Cæsaris, contigit is hoc eodem anno, ab obscura primùm „ febre; qua paulatim vehementiore facta oppressus, accedente aqua intercute, mortuus „ est demum placidissimè Viennæ Austriæ die „ 25. Julii, celebritati S. Jacobi dicato: ad „ quem se perventurum, eóque moriturum, „ multò antè prædixerat, ex revelatione divina sibi facta; ut quemadmodum Sanctus „ ille Apostolus peregrinus apud Hispanos „ fuerat, ita ipse Infans Hispaniarum extra „ solum

„ solum natale cum eo peregrinaretur. Dicebat lubenti animo se mundum deserere, nec „ mortem recusare: quòd si majores ipsius „ mortui non fuissent, per numerum tot superstitum successorum, se ruricolam aut pastorem fortè futurum fuisse: atque idcirco „ se suis locô cessurum, ut dignitatem obtinerent æquam, dum per Deum Domui Austriæ liceret. Vixit annos sexaginta, menses novem, & aliquot dies, imperavit annos „ septem: delatus ad sepulturam Pragam Boëmiæ, ad monumentum conjugis Annæ: ex „ qua quindecim liberos sustulit, mares quatuor, & feminas undecim. Princeps multis virtutibus ornatus, imprimísque pietate „ in Deum, & studio pacis Ecclesiæ & Imperii, clementia, mansuetudine, & liberalitate. „

[3.] Ex literis ejus.
[4.] E literarum monumentis.
[5.] Ex literis eorum.
[6.] Ex literis ejus.
[7. 8. 9.] E literarum monumentis.
[10. & 11.] Ex literis ejusdem.
[12. & 13.] Ex literis eorundem.

Annus Christi MDLXV. Monasterii CCCCXXVII.

Pont. Rom. Pius IV. *Imp. Rom.* Maximilianus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Martinus I.

Pontifex* Pius IV. febri correptus, postquam à Cardinali Carolo Borromæo Ecclesiæ Sacramenta susceperat, octavo morbi die, & quinto Idus Decembris, id est, nonâ Decembris hoc anno, ætatis verò suæ 66. mense octavo, die 9. animam Creatori suo reddidit. * [1.] De successore ejus anno sequenti, quo electus fuit, scribam.

Sub finem fermè anni præcedentis Joannes Sigismundus Waywoda Jazygum seu Transilvaniæ Princeps vasallus & subditus Solimanni malè fortunatus, pace violata Zatmarium (*Szathmar*) expugnavit, Melchiorem Balassi militiæ germanicæ ducem inde expulit, conjugem & liberos illius cum omni suppellectile, clenodiis etiam & promptâ pecuniâ abduxit. Verùm Maximilianus Imperator misso belli duce fortissimo & clarissimo Lazaro Schwendio cum exercitu Zatmarium recuperavit simul cum adjacentibus locis non paucis. Transilvanus autem Solimanni Turcæ fretus auxiliô promissô Regem se Ungariæ dictabat, & conventu suorum habito Martio mense proponebat illis, quòd ex patroni sui clementissimi Sultani Solimanni sententia & potestate plenaria omnibus Ungariæ Ordinibus edictô injunctum, ut sub potestate & sceptro sui Weywodæ esse teneantur. [2.] Hæc belli causa, anno sequenti plura.

Tanta hoc & præcedenti anno fuit hyemis asperitas & sævitia, ut multis locis vites planè interierint, & grandes quoque arbores exaruerint. Secuta est postmodum mira aquarum inundatio, quæ locis Danubio & Rheno propinquis incredibilem agris & ædificiis cladem intulit. Sævissima quoque pestis aliquot his annis continuis innumeram hominum multitudinem tulit è medio; etiam horrenda annonæ caritas dirè afflixit multas Europæ regiones, adeo ut non pauci homines ob famis immanitatem & sibi & aliis manus intulisse ferantur. Terræ motus in Liguria quoque aliquot vicos absorbuit. [3.]

Venio ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas Martinus mortuô Sigismundô Geroltingerô Magistrô curiæ in Weinzierl, qui Josepho quondam Abbati 400. florenos mutuò dederat, hæredibus illius solvit debitum, à quo ipsum liberum pronuntiant sub dato Crembsii 13. Februarii, annô 1565. [4.] Post Sigismundum defunctum constituit in eadem curia Magistrum Josephum Winter,

ter civem & Senatorem Crembsensem Martinus Abbas, cui ille 1100. florenos solvendos promiserat, curiam dictam pignoris locò interea possidens, hanc pecuniam Abbas scribit se Viennam secum ad comitia provincilia iturus, accepisset, nisi Crembsii lustratio militum tunc habita fuisset, sub dato Monasterii in Zwetl 14. Junii, annô 1565. [5.] Ex his patet ad bellum Transilvano inferendum, per totam Austriam milites conscriptos fuisse.

Maximilianus Imperator Martino quoque Abbati in Zwetl demandavit, quatenus suos venatores ad silvam juxta Gfell sitam missos ad tempus, ubi petierint, suscipiat, alat, & sustentet unà cum canibus venaticis sub dato Viennæ 1. Maji, annô 1565. [6.] Inde constat silvam dictam ad terræ Principem tunc pertinuisse.

Idem Abbas etiam ad lites sub jure pendentes attendit, cùm à Lucio Crajer J. U. Magistro & Viennæ Monasterii sui Advocato certior fieri, quid in causis contra Chünringium, Strunonem, & Graveneccenses agatur, petit, sub dato Monasterii in Zwetl, 10. Martii, annô 1565. [7.] Unde constat, lites Monasterium habuisse cum Chünringio in Seveld, qui tunc erat Marquardus, ratione advocatiæ in villis Haslach, Weickerstorf, & Terenberg, quam causam ille perdidit. Contra Strunonem ex Schwarzenaw, nonnisi propter unum aut alterum subditum Monasterii. Contra Graveneccenses autem lis magna erat etiam super advocatia in Weinzierl, Neustift &c. jam diu antè à multis Abbatibus ventilata, de qua inferiùs suis locis plura scribentur.

Porro Martinus Abbas decretum quoddam ab aulæ Camera, Præpositum Clara-vallensem concernens, acceperat, qui se excusat, quòd non ad se pertineat, cùm modernus Præpositus sit Joannes Zenonianus J. U. Doctor, & Præpositura sit Dominium à Monasterio separatum, sub dato Monasterii in Zwetl 15. Martii, annô 1565. [8.] Hoc per errorem sæpiùs contingere solet, dum nomen Abbatis & Præpositi confunduntur. Titulus enim Clara-Vallis, (quem ab origine tenuit Monasterium Zwetlense) etiam huic Præposituræ noviter fundatæ fortè ob vicinitatem, adjectus est, utì patet ex confirmatione Apostolica ✝ nobis in copia gratiosè communicata. Ceterùm hoc anno è vivis excesserat Præpositus Claræ-vallis dictus Rulandus, cui Joannes Zenonianus J. U. Doctor successit, qui antea in Putschin, Nabaw, & Altenpoëla Parochus fuerat, hic à Laurentio Zadesio Officiali Passaviensi catalogum rerum in Præpositura inventarum accepit 8. Octobris Annô MDLXV. [9.] Et vixit annós sedecim Præpositus, Annô verò MDLXXXI. mortuus, utì infrà refertur.

Relatum fuit Martino Abbati à Georgio Parocho in Teyia quendam Monasterii Zwetlensis colonum in Zwetlern in vincula, nescio quam ob causam, non adeo magnam conjectum esse, pro quo liberando Abbas mox petit resolutionem: insuper eidem minatur, nisi Sacellum in Zwetlern more antiquitùs consueto frequentârit, se ipsi inposterum decimas à colonis suis porrigi prohibere velle, sub dato Monasterii in Zwetl, ultimâ Aprilis, annô 1565. [10.] Ex his allatis conjicitur, ideo à Parochia in Teyia hoc Sacellum postea exemptum, & Parochiæ in Gässern quoad divinum officium inibi celebrandum commissum fuisse, quod adhuc hodie inde providetur.

Suprà scripseram, bellicum in Transilvanum hoc anno magna vi apparatum factum esse, unde etiam Monasterium Zwetlense sex milites & currum campestrem cum duobus aurigis mittere debuit, quos tam milites, quàm aurigas Abbas vestiri, & pro curru tegumentum fieri jussit à Leonardo sartore circa Pentecosten. [11.]

Pietatem in parentem suum Maximilia-

milianus Imperator demonstrare volens, solenni ritu & raro exemplo Ferdinandi corpus Pragam in Bohemiam sepeliendum deduci statuit, inde Martino Abbati in Zwetl (qui perperam Joannes per scribæ errorem nominatur) mandat, quatenus cum Pontificalibus suis, infulâ, baculô, & cruce Viennam veniat, se cum fratribus suis Ferdinando & Carolo Archi-Ducibus, quondam Imperatoris Ferdinandi I. defuncti piissimæ memoriæ funus in Pragensem arcem comitantem sequatur. Convocâsse autem se Prælatos Austriæ ad nonam Augusti, quæ in proximam feriam quintam incidet, unde cum pompa funebri & solennitate dictum funus usque ad Novam-Domum Bohemiæ comitarentur. A quo loco dimissis Austriacis, Prælatos Bohemiæ & Moraviæ citatos Pragam usque comitatum solennem præstare jussos esse; Episcopo Olomucense Magistro cæremoniarum utrumque dimidium iter dirigente sub dato Viennæ 2. Augusti, annô 1565. [12.] Insuper mandavit 11. Junii hoc anno, ut Austriaci commeatum liberum ad castra sua deferant, quæ circa Danubium in Ungaria contra Turcam, prout hostis postulabit, figenda venient, omnésque illum afferentes ab omni teloniorum genere liberos pronuntiat. [13.] Ejusdem planè tenoris aliud edictum promulgari fecit 1. Septembris, annô 1565. [14.] Hinc bellum totis viribus in putatitium Ungariæ Regem Transilvaniæ Principem & Turcas ejus (proh pudor!) patronos parabatur, Christiani nominis hostes in Christianos evocans Pseudo-Christianus ambitionis mancipium.

Fit porro mentio Josephi Winter Crembsensis civis, qui habuit curiam in Weinzierl à Monasterio pignoris locò sibi concessam, qui scribens Abbati Martino nuntiat, quòd Sigismundus Spacio murarius in dicta curia sibi laboraverit, & muros tam collapsos, quàm ruinam minitantes in equorum stallo, in cellario, in torculari, in horto, in vinea, aliísque ubique locis reparaverit, sub dato Crembsii 21. Octobris, annô 1565. [15.] Ex his constat, quod in initio anni de inundatione Danubii attuli, cùm hæc curia in Weinzierl planè ad littus ejus sita sit, aquarum vis muros totius curiæ ita concusserit, ut partim collapsi, partim ruinosi facti sint.

Latronibus & prædonibus silvæ scatebant, qui vias publicas obsidentes, viatores vel spoliabant vel occidebant, unde Maximilianus Imperator mandat omnibus Austriæ Inferioris Proceribus silvam aut saltum ad vias Regias habentibus, quatenus infra mensium duorum spatium ex utraque viarum parte ad duodecim orgyas arbores excidant, inobedientes non solùm eo in spatio contentis arboribus, sed etiam terræ jurisdictione puniendos pronuntiat, sub dato Viennæ 20. Augusti, annô 1565. [16.] Unde anno priori Chünringius de raptis equis lamentatur, eò quòd prædones eos vi abstulissent. Simul etiam, ut iter cum funere Imperatoris & euntibus & redeuntibus tutum foret. Vide etiam suprà (*Annô 1553.*) sub Ferdinando Imperatore.

Ad bellum cum Transilvano cuncta disponebantur, unde nomine Imperatoris Excelsum Regimen jubet omnibus & singulis braxandæ cerevisiæ usum habentibus, ut eo se abstineant, & hordeum pro commeatu belli servari possit, sub dato Viennæ 27. Aprilis, annô 1565. [17.]

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius & Onuphr. sub Pio IV. Spondanus hîc n. 19. „ Qui (*Pius Papa*) „ in morbum incidens, ex victûs intemperantia „ haustum; post suscepta pientissimè à sororis „ filio pientissimo Carolo Cardin. Borromæo „ (rarô felicitatis exemplô, quod vix cuiquam „ alii Romano Pontifici contigisse reperiatur) „ cuncta Ecclesiæ Sacramenta in verborum „ sancti senis Simeonis, *Nunc dimittis servum* „ *tuum Domine secundùm verbum tuum in pace*, „ prolatione, integris sensibus, placidéque „ mortuus est 5. Idus Decembris, ætatis annô „ 66.

„ 66. mense 8. die 9. Pontificatûs verò annô „ 5. mense 11. die 15. Corpus Basilicæ Vaticanæ illatum, latetitiô ad tempus exstructô soliô conditum est. Unde post multos annos translatum fuit ad Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis apud Carthusianos, quos maximis beneficiis auxerat, & ante aram maximam in pavimento sub marmore collocatum. Cùm autem vacaverit Sedes dies 29. ejus successoris electio ad annum sequentem pertinet. „

[2.] Histor. rerum Ungaric. An. 1564. & 65.

Surius hoc anno.

Neugebauerus Histor. Polon. lib. 8. hoc anno.

Megizerus Annalib. Carinth. lib. 12. cap. 3.

Ortelius Redivivus hoc & præcedenti anno.

Petrus Bizarus de bello Pannonico.

[3.] Surius hoc anno.

Megizerus lib. 12. cap. 5. & 7. & lib. 11. cap. 42. sub Archi-Episcopo Salisburgensi.

[4.] Ex Apocha illorum.

[5.] Ex literis ejusdem.

[6.] Ex Edicto ejusdem.

[7.] Ex literarum ejus copia.

[8.] Ex copia literarum.

✝ Confirmatio Apostolica super Præposituram Zwetlensem noviter fundatam ita habet.

„ Bartholomæus de Marachis Episcopus civitatis Castelli ad Almanam ac universa & singula, provincias, civitates, terras, & loca Germaniæ Sacro Romano Imperio illiúsque Electoribus subjecta, nec non Hungariæ, Poloniæ, Bohemiæ & Datiæ Regna Apostolicæ Sedis cum plena potestate Legati de latere Nuncius & Orator ad perpetuam rei memoriam.

„ Quoniam Sacrosanctæ ac Universalis Ecclesiæ Summus Pontifex humani generis Clementissimi Salvatoris Domini nostri Jesu Christi supremum locum tenens in terris Beatissimi ejus Apostoli Petri Jerarchiæ Janitoris successor, plenissimâ sibi desuper concessâ potentiâ decoratus propensa deliberatione singula moderatur & ordinat, per quem Sancta Christiana Religio votivis incrementis queat uberrimè insigniri, proptérea nos, qui ejusdem Summi Pontificis legationis munere fungimur, perpendentes, quantopere nobis incumbat, ut circa illa, quæ ad Altissimi gloriam & laudem ac ejus venerabilem cultum augendum, propagandámque latiùs fidelium salutem attineant, favores gratiosos, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impendamus. Sanè cùm Invictissimus ac Gloriosissimus Princeps & Dominus Dominus Fridericus Romanorum semper Augustus plurimùm exoptet, quòd Parochialis Ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ extra muros oppidi Zwettel Pataviens. Diœcesis in Archi-Ducatu Austriæ situati, & ditionibus regni Bohemiæ finitimi, ac in loco devoti populi fecundo, & omnium bonorum humano usui commodorum referto, in Collegiatam Ecclesiam erigatur, & in ea Præpositus, qui caput primarium existat & ceteris præsit, ac ad quem pertineat personas hujusmodi erigendæ Ecclesiæ, si quando eas excedere contingat, corrigere, ipsiúsque Ecclesiæ curam gerere, & post eundem Præpositum unus Decanus, ac in honorem duodecim Apostolorum duodecim Canonici Sæculares instituantur, totidem inibi præbendas obtinentes, ex quibus sint ad minùs duo, si commodè haberi possint, in sacra pagina aut altera Jurium Doctores tamquam pugiles adversùs infandas errorum labes, quibus illarum regionum incolæ, multifariam infecti censentur existere, communi mensa, habitatione & ceteris ad ipsorum usum opportunis utentes, & gaudentes, ac Deo devotè & perpetuò fideliter famulantes, Sua Cæsarea Majestas, quæ pro opulentiori dotatione dictæ erigendæ Ecclesiæ, & ipsorum Præpositi, Decani & Canonicorum instituendorum sustentatione decentiori, ut Parochialis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis in Altenpölan præfatæ Diœcesis, quæ dicto oppido contigua, & ratione Ducatûs Austriæ de Jure Patronatûs ejusdem Suæ Majestatis existit, cum annexis omnibus juribus & pertinentiis suis, hujusmodi erigendæ Ecclesiæ perpetuò juvetur & incorporetur, consentire statuit; Dilectus verò nobis in Christo Andreas Kunigstainer modernus dictæ Ecclesiæ Sancti Joannis Rector, & in jure Pontificio Licentiatus, ac Artium Liberalium Magister, qui sinceræ devotionis ardore inflammatus, fructus dictæ erigendæ Ecclesiæ quàm pluribus possessionibus, prædiis, decimis, reditibus & proventibus, & quàm pluribus aliis bonis tam mobilibus quàm immobilibus ad eum jure hæreditario spectantibus adauxit, fecerat nobis humiliter supplicari, ut dictam Ecclesiam Sancti Joannis in Collegiatam erigere, aliásque in præmissis votis annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

„ Nos igitur, qui ùt præmittitur, Apostolicæ Sedis fungimur Legati de latere facultate, & auctoritate, attendentes maximum

„ ex præmissis profectum Catholicæ fidei, ac „ paterna illis benignitate discussis, suadentibus nonnullis aliis rationabilibus causis „ ad id nostrum inducentibus animum præfatæ Cæsareæ Majestatis, & dicti Andreæ „ supplicationibus inclinati, ad honorem „ Omnipotentis DEI Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Beatæ sempérque Virginis Mariæ, & S. Joannis Evangelistæ, totiúsque „ Cœlestis Curiæ laudem, fidei orthodoxæ „ exaltationem, divini cultûs augmentum, „ atque salutem fidelium præfatam Ecclesiam Sancti Joannis Evangelistæ in Collegiatam Ecclesiam, facultatis nobis concessæ hujusmodi vigore Apostolica auctoritate erigimus, ac illam Collegiatæ Ecclesiæ dignitatis, honoris & decoris titulis, „ cum illis privilegiis, exemptionibus, libertatibus & immunitatibus, quibus aliæ Collegiatæ Ecclesiæ decoratæ existunt, eadem „ auctoritate insignimus, & decoramus, ac „ deinceps perpetuis futuris temporibus Collegiatam Ecclesiam, & ad Sanctum Salvatorem Claræ-vallis nuncupari debere „ decernimus, & insuper in eadem erecta Ecclesia Præposituram Principalem, & post illam Decanatum secundam inibi dignitatem, „ & in honorem duodecim Apostolorum duodecim Canonicatus pro duodecim personis „ totidem inibi præbendas obtinentibus præfata authoritate instituimus, erigimus, & „ creamus &c. - - In quorum fidem præsentes litteras fieri fecimus, & nostri sigilli appensione communiri. Datum in Gretz Salisburg. Diœcef. Annô Incarnationis Dominicæ millesimô quadringentesimô octuagesimô tertiô duodecimô Cal. Februarii, „ Pontificatûs præfati Sanctissimi Domini nostri annô tertiô decimô. „

[9.] E literarum monumentis.
[10.] E literarum ejus copia.
[11.] E literarum monumentis.
[12.] Ex mandato Imp. proprio.
[13. & 14.] Ex Edicto in Consilio.
[15.] Ex literis illius.
[16.] Ex mandato ipsius in Consilio.
[17.] Ex Edicto in Consilio.

Annus Christi MDLXVI. Monasterii CCCCXXVIII.

Pont. Rom. Pius V. *Imp. Rom.* Maximilianus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Martinus I.

PIô IV. Pont. Max. anno priore defunctô, hoc anno septimô Idus Januarii, id est, 7. Januarii die in Romanum Pontificem electus est Michaël Gisclerius Ordinis S. Dominici, Cardinalis Alexandrinus, & dictus est Pius V. *[1.] De cujus laudibus copiosiùs tractat Surius & Cicarella. Eundem prædixit fermè ante quatuor sæcula B. Malachias Hibernus tali sub nomine: Angelus nemorosus. Antea Michaël vocatus, qui natus fuit in oppido Boschi, quod latinè sonat ex germanico, nemus.

„ Maximilianus Imperator cùm „ non obscurè cognovisset Turcarum „ Tyrannum Solimannum ingentem „ belli apparatum instituisse, atque tum „ Ungariæ, tum Germaniæ atrociter „ imminere, in comitiis Augustanis egit „ cum Imperii Ordinibus de conscribendo milite adversùs sævissimi hostis impendentem vim & tyrannidem. „ Itaque tum peditum, tum equitum „ instructissimus coactus est exercitus. „ Porro Solimannus Turca cum maximis copiis venit ad oppugnandum Sigetum, locum sanè & naturâ & arte „ valde munitum, cui etiam fortium „ virorum impositum erat non contemnendum præsidium, quibus præfuit immortali laude dignus Nicolaus „ Serinius Illustris Comes. Fertur in „ suo exercitu habuisse Solimannus ad „ centum quinquaginta hominum millia. Expugnatô primô & secundô „ oppidô coactus Serinius cum milite „ in interiorem arcem sese proripuit; „ verùm à Turcis incensa arce, ut violentiam ignis evaderet, & furorem „ hostium ingentem sua cæde satiaret, „ à quibus arcem conservare impossibile „ erat,

„ erat, ille vexillô inauratô Laurentio „ Juranitio traditô, qui sibi id præferret, Jesuque nomine ter inclamato, „ portas reserari jubet, ac machinas in „ hostes exonerari, cujus fumo aspectum hosti adimente defensus strictô „ gladiô exigua cum parma ante suos „ exit, per confertissimos hostium ordines ferrô obvia quæque sternens, „ in ponte terribile spectaculum sui edit. „ Ibi enim circumfusus ab hostibus ac „ telorum multitudine obrutus, tandem geminô globô trajectus concidit. Mortuo caput amputatum, triumphi specie per castra circumlatum, „ pòst holoserico involutum ad Cæsarem missum est. Solimannus interea „ durante adhuc oppugnatione Sigeti „ in castris mortuus quoque fuit. Maximilianus etiam Cæsar sub exitum „ Maji omnibus cum copiis Viennâ Jaurinum contendit, cum Turcis marte „ aperto decertaturus, verùm tum alia „ Turca consilia agitabat: inde nihil „ actum, quàm aliquot munita loca tum „ tentata, tum Turcis erepta fuêre. „ Tyrannô mortuô exercitus ejus mox „ diffugerat. „ [2.] Hæc de hujus anni bello & rara fide Nicolai Serinii ac constantia ejus pauca sufficiant.

Carolus Archi-Dux jussu Cæsaris non tantùm Posonii, sed etiam Viennæ comitia Procerum celebravit, in Viennensibus 23. Aprilis celebratis hæc erant petita: „ Ut de qualibet domo florenus „ solvatur; ut nobilis, qui centum florenorum reditus possidet, equum pabulô suô in usum belli alat; ut opifices Viennam ad perficiendas munitiones mittantur; ut nemo famulum „ sinè testimonio vitæ à suo priori Domino dato suscipiat; quòd ex singulis domibus quintus-decimus & trigesimus ad bellum vocatus ire teneatur. Præterea per Austriam, Moraviam, per Stiriam, Carinthiam, Carniolam & per alios Ungariæ fines „ mandatum publicatum fuit, ut nemo „ famulorum Dominum suum relinquat, aut ab eo dimittatur; simul „ etiam Viennæ civibus omnibus injunctum, ut quilibet ad annum sibi „ de victu provideat, qui verò inops „ hoc facere nequit, urbe excedat. „ [3.] Hæc in comitiis provinciæ hoc anno sunt conclusa. Hinc florenus ille usque hodie semper durat porrigendus, qui vocatur vulgò Hauß- vel Ruck-Gulden in usum belli Turcici impositus.

Circa Monasterium hæc annotanda veniunt, cùm rursum propter Martini Abbatis vel resignationem vel depositionem temporis ratio habenda sit, & nihil certi inveniatur, ideo videndum, quamdiu ille in publicis literis Abbas adhuc nominetur, aut actus jurisdictionis suæ exercuerit. In ordine ad quod habentur diversæ sub diverso Dato ad dictum Martinum Abbatem directæ literæ. Omissis aliis, 19. Martii hoc anno Servatius Neudeccensis in Rastenberg ratione cujusdam coloni sui Martino Abbati scribit. [4.] Item Abbas Altenburgensis se apud Martinum Abbatem excusat, quòd ad Dedicationem invitatus non venerit, Monasterii sui subditis, quibus diem illam dixit, occupatus, sub Dato Altenburgi ultimâ Maji, annô 1566. [5.] Invenitur & quædam relatio, in qua fit mentio post Pentecosten hoc anno depositionis Martini Abbatis in Zwetl, & alterius successionis; nulla tamen causa, non certa dies, neque visitatoris, aliorúmque Abbatum comitum adventus memoratur. [6.]

Maximilianus Imp. porro ante procinctum suum in Ungariam Proceribus Austriæ Inferioris mandat, quatenus ad loca illa, in quibus lustrationes exercitûs instituentur, vinum, frumentum, & avenam afferant, quos ad talem allatum comeatum vendendum ac solvendum securos reddit sub dato Viennæ 21. Aprilis, annô 1566. [7.] Hoc mandatum Martinus Abbas adhuc accepit. Et hæc dependent à supradictis anni hujus actis belli.

Superioribus annis etiam mentio fa-

cta fuit de venationibus per Austriam constitutis, unde canes & venatores à dominiis circumsitis ali injungebantur Statibus, novum quidem hoc erat in silva Nortica, quare Martinus Abbas in Zwetl canes venaticos sibi transmissos non accepit: Carolus Archi-Dux Austriæ &c. Comes Tyrolis &c. autem ei ad delationem Erasmi Scherffenbergii supremi venatorum per Austriam Magistri demandavit, ut canes venaticos ab isto Magistro missos ad Imperatorem fratrem suum spectantes & antea non admissos absque excusatione ulla suscipiat alendos sub dato Viennæ 17. Maji, annô 1566. [8.] Quod ad hodiernam usque diem, ceteris dominiis vel recusantibus, vel gratiosè liberatis, apud Monasterium Zwetlense & quidem in notabili numero cum non levi gravamine continuatur.

Imperatore tunc temporis in Ungaria in castris existente, Excelsum Regimen rursum per Austriam admonitoria decreta divulgari fecit, cuilibet Statui mandans, ut improvisas Turcarum irruptiones præcaveant, præsertim fugâ incolæ ejusmodi truculentum hostem præveniant, modo eo, quo Ferdinandus Imperator piissimæ memoriæ suo sub regimine illis præscripserat. Insuper monet quàm diligentissimè ad exonerationem tormentorum, ad ignium & fumorum signa, ad campanarum sonum omnes & singulos attendere, & fugam inire; modum demum præscribit in locis munitis, quò se fugâ proripuerunt, durante Turcica devastatione, & vivendi & commorandi. Sub dato Viennæ 14. Septembris, annô 1566. [9.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius sub Pio V.

Cicarella in eodem. „ Inter hos (*sanctissimos & prudentissimos Pontifices*) sinè du„ bio Pius V. non infimô locô est constitu„ endus, qui tam sapienter rexit alios, & tam „ sanctè seipsum moderatus est, ut multis ad„ mirandi occasionem præbuerit, quomodo „ tantum temporis orationibus, meditationi„ bus, aliísque vitæ sanctæ operibus dare po„ tuerit &c. Quibus etiam accedebant variæ „ curæ & occupationes de propriis populis, „ pænis & præmiis propositis in virtutum offi„ cio conservandis.

„ Hic itaque Pontifex XVI. Kalend. Febr. „ annô à partu Virgineo M.D.IIII. in oppido „ Boscho, è familia Chisleriorum natus est. „ Pater illius Paulus, mater Dominica Auge„ ria vocabatur. In lavacro regenerationis „ nomen Michaëlis illi impositum fuit, quod „ ipsum nomen etiam cùm Religionem profi„ teretur, sibi reservavit. Factus est autem „ Religiosus annô ætatis suæ decimô quartô, „ in Conventu di Voghera, congregationis „ reformatæ Fratrum S. Dominici de Lom„ bardia. Frequenter audivi, ídque à viris „ fide dignis, quod idem nomen etiam in Pon„ tificatu retinere voluisset, si quis ante ipsum „ illius nominis Pontifex fuisset, quódque à „ Cardinale Borromæo vix multis precibus „ induci potuerit, ut nomen Pii sibi sumeret: „ cujus tamen precibus tandem acquiescens, „ tale potiùs nomen elegit, quàm aliud, quod „ ante illum nemo habuisset. - - - - - Tan„ dem Piô IV. rebus humanis exemptô, Mi„ chaël noster annô 1566. post Christum na„ tum, die verò septima Januarii, quinqua„ ginta duorum Cardinalium suffragiis Sum„ mus Pontifex renunciatus est. „

Spondanus hìc n. 1.

Surius hoc anno. „ Extant præclara de „ eo testimonia, quòd ita se prorsus compa„ ret vita illius ut quandam referat imaginem „ priscorum illorum Pontificum, quorum san„ ctitatem veneramur. Familiam se dixit „ ejusmodi habere velle, quæ & vitâ & ha„ bitu ceteris exemplo sit: nec tam ministro„ rum numerum aut cultum corporis, quàm „ virtutem & integritatem sibi spectandam „ constituit. „

[2.] Surius hoc anno.

Octavius de Strada sub Maximiliano II.

Neugebauerus Histor. Polon. lib. 8. hoc anno.

Megizerus Annalium Carinthiæ lib. 8. cap. 4. per totum.

Cicarella sub Pio V.

Spondanus hìc n. 9. „ Solimanus - - „ initiô Junii Constantinopoli profectus, cùm „ Belgradum (seu Albam Græcam, olim Taurunum dictum, Pannoniæ Inferioris urbem „ ad confluentem Danubii & Savi) pervenis„ set, Joannem Sigismundum Transilvaniæ „ Prin-

„ Principem, ipsum ibi convenientem, benignè „ excepit, & splendidis muneribus donavit. „ Eóque ad sua redeunte, Solimanus Sigethum, seu ùt multi scribunt Zygethum, ad „ Pannoniæ & Croatiæ confinia in lacu spatioso situm, atque undique circumfusis paludibus cinctum, & ab una tantùm parte „ continenti conjunctum, denique totius Pannoniæ firmissimum oppidum, in duas partes duplicémque arcem distinctum, aliásque oppugnatum nec expugnatum, jam „ secundò obsidere deliberans; cùm Dravus „ fluvius superandus esset, præmissô ad Hamsam Quinqueecclesiarum Præfectum mandatô, ut pontem superinsterneret, ísque re variis locis tentata, ob inundationes „ aquarum operam perderet, ac Solimano se „ per nuncium excusaret: misit ad illum Solimanus linteum, seu mantile Turcicum, „ in cujus extremitate aureis literis scriptum „ erat, ut pontem quocunque in loco, & „ quacumque ratione confestim supra Dravum jungeret: qui nisi ad suum adventum „ extructus esset, ille ipso linteo in ripa fluminis suspendendus esset. Cujus rei timore perculsus Hamsa, celerrimè eo ipso „ momento manum operi omni diligentia admovens, incolis, militibus, nobilibus adhibitis, nec interdiu nec noctu conquievit, „ donec duodecim dierum spatiô admirandi „ operis pontem per fluvium, paludes, & stagna in longitudinem unius milliarii, latitudinem quatuordecim cubitorum, deduxit. „ Tantum potuit certitudo supplicii, quod ei „ imminebat. Superatô igitur Dravô, Solimanus sextô Augusti ad urbem castra metatus „ est; in quibus dicebantur esse ducenta armatorum millia, media parte equitum: cùm „ jam priùs initiô Julii Perthaus Bassa ipsius „ sororis filius, cum aliis copiis Giulam aliam „ munitissimam civitatem in Transilvaniæ finibus obsidione cinxisset.

N. 10. „ Maximilianus autem Cæsar, pius „ Princeps, probè sciens vires humanas citra „ divini Numinis gratiam debiles ac fluxas esse, „ ante omnia instituit, ut in urbibus & castris „ ad tintiñabuli sonitum omnes in genua procumbentes preces pro communi salute quotidie funderent: omniáque spectacula, lusus, tripudia, & hujusmodi lenocinia, quibus homines ad voluptatem alliciuntur, edictô prohibuit. Tum die 15. Augusti Assumptioni Beatissimæ Virginis sacra, Viennâ „ Austriæ egressus cum Ferdinando fratre, „ quem exercitui præfecerat, Javarinum se „ contulit, habens in castris, vel proximis locis, ampliùs viginti quinque millia equitum, „ & octoginta peditum, tam ex Germania, Bohemia, Hungaria, quàm ex Italia, cujus Principes aut ipsi valida subsidia duxerant, aut miserant. Nec deerant voluntarii ex urbe Roma, ceteráque Italia, aliisque provinciis, „ famâ præsentiæ Cæsaris in castris exciti. „

Petrus Bizarus de bello Pannonico. „ In „ ea obsidione (*Sigethina*) ab utrisque multum & fortiter dimicatum est, & varii conflictus habiti, - - - - gravissimam oppugnationem instituerunt 4. Calend. Septembr. qui dies D. Joannis memoriæ dedicatur, & ingentem spem conceperant fore, ut eo tempore victoriâ potirentur, cùm „ illo ipso die meminissent, Belgradum à Solymanno expugnatum & cæsum in acie Ludovicum Regem. Sciebant etiam, Rhodum „ & Budam eodem die occupatam. Nôrant „ insuper, eos dies, ac ferè totum Augusti „ mensem, occulto quodam auspicio, non „ tantùm Solymanno, sed etiam Selymo patri „ olim felicissimum extitisse. Nam eodem „ mense magnum Hismaëlem in Calderanis „ campis, & Campsonem Gaurium, Memphiticum Regem ad Singam devicerat. Quin „ adeo meminerant, eodem quoque à Bajazete Methonem expugnatam. Et postquam fusiùs eadem describit, quæ hìc ex Spondano compendiosè relata sunt, pergit.

„ Ceterùm, ut ad Mechmetum revertar, „ cùm is videret, suum Regem (*Solimannum*) „ obiisse, ac Sigethum adhuc frustrà obsideri „ animadverteret, operæ pretium fore censuit, si ejus mors quàm secretissimè occultaretur, non modò, ut ea ratione faciliùs „ expugnaretur, verùm etiam (quod multò „ pluris interesset) ut Regius thesaurus conservaretur, nullúsque (quod in magnorum „ Regum interitu persæpe accidit) militaris „ motus, ac defectio exoriretur, atque, ut „ interim novus Sultanus Selymus supremam „ paterni solii dignitatem quietè susciperet. „ Statim itaque Byzantium, certos ac fideles „ nuntios legavit, qui præsidem illius urbis, „ de rebus omnibus edocerent, quídque fieri „ oporteret, diligenter ac celerrimè indicarent. Cùm autem reliqui purpurati, & „ alarum centuriones, ac inprimis prætoriani, „ magna sui Principis videndi cupiditate incenderentur, nec parva suspicio illorum animis hæreret, illum è vita excessisse, jámque „ res propè ad seditionem spectare videretur, „ is protinus demortui cadaver solito habitu „ ornari jussit, eóque in sublimi sella posito, „ illud intra prætorium eis procul ostendit, „ atque ita callidè aptarat, ut omnes putarent, eum reverà superstitem atque adhuc

„ humanis esse. Hoc peracto, cùm inde„ egressus, prætorianos milites in concione „ (ut fit) excitare, atque adhortari vellet, „ ut oppidi oppugnationem acerrimè urge„ rent, omnémque lapidem moverent, ut eo „ tandem potirentur, inter loquendum acci„ dit, ut recens Solimanni obitus animo suc„ curreret, ac doloris magnitudine commo„ tus, vix à lachrymis ac mœrore contineri „ posset. Cùm verò animadverteret, non„ nullos submissa voce obmurmurare, ac ex „ ejus vultu, & oculis colligere, ac planè cre„ dere, Solymannum fatô defunctum esse, is „ confestim dolo atque astu, animi dolorem „ scitè ac prudenter dissimulans, his verbis ad„ modum opportunè usus est. Heu, inquit, „ haud sanè defleo nostri Cæsaris interitum „ (is enim Dei benignitate, adhuc vitali aura „ vescitur, jámque omni morbo ac ægritudine „ liberatus est) at potiùs miseram, atque acer„ bam omnium vestrûm conditionem deploro „ ac ingemisco. Is enim jurejurando affir„ mavit, se, nisi infra bidui vel tridui spatium „ hostem deviceritis, in vos omnes atroci, & „ inaudito mortis genere sæviturum. Hæc „ verba gravi, & composita oratione prolata, „ in prætorianorum & reliquorum militum „ animis, tantam prorsus vim habuêre, ut ite„ rum peracri impressione, utramque arcem „ invadere, ac tandem extremis conatibus „ expugnare decreverint, etiamsi toties an„ teà illorum cœptis Fortuna invidisset. „

M. Samuel Budina in Historia Sigethi.

Spondanus hic n. 13. „ Mortuus est au„ tem Solimanus annô ætatis suæ septuage„ simô sextô, Imperii 46., Princeps inter suos „ pietate, justitiâ, magnitudine animi, pru„ dentiâ, continentiâ, humanitate, ac fide „ in promissis servandis insignis: qui nisi pa„ ternas manus liberorum sanguine, calumniis „ inductus Roxolanæ conjugis, commaculâs„ set, vix omnino extaret, in quo, præter „ Christianam Religionem, jure merito re„ prehendi posset. Tria illi ad summam fe„ licitatem ac votorum cumulum defuisse me„ morant: nimirum, quòd Viennam Germa„ nici Imperii propugnaculum ac veluti cla„ vem, in potestatem redigere; Templum „ Constantinopoli à se stupendi operis inchoa„ tum; & Aquæductus æmulatione Romano„ rum inceptos, consummare non potuerit: „ quorum votorum si compotem fortuna ante „ mortem fecisset, omnium se Regum fortu„ natissimum existimâsset. Cujus juramen„ tum, (si quis & hoc scire aveat) hujusmodi „ fuisse reperimus: *Juro Deum cæli terræque au„ ctorem; juro Evangelicæ historiæ chronographos,* „ *viciès quater mille Prophetas lapsos è cælo, sum„ mùmque inter hos nostrum Mahometem; adoran„ dos item Manes avi patrisque, tum hoc sacrum „ augustùmque meum imperiale caput.* In suis „ autem literis & diplomatibus hujusmodi ti„ tulos præponebat; *Solimanus Tjaccus, Dei „ gratiâ Rex Regum, Dominus dominantium, ma„ ximus Imperator Byzantii & Trapezundarum: „ Rex præpotentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, & „ Ægypti: Dominus Asiæ & Europæ, Princeps „ Mechæ, Alepi, Jerosolymorum: dominatórque „ possessórque maris, &c.* „

[3.] Megizerus in Annalib. Carinthiæ lib. 12. cap. 4.

Petrus Bizarus de bello Pannonico. „ In„ terim indicta sunt comitia, ad quæ Nobiles „ Austriaci convocabantur, quo ibi ex com„ muni consilio decerneretur, quid proximô „ annô fieri oporteret, cùm in Pannonia, tum „ in finibus Transilvaniæ, in quibus subinde „ bellum inter Cæsarem & Vayvodam inter„ cedebat, in cujus auxilium remanserat Par„ taus Bassa cum magno Scytharum numero, „ qui, ùt frequentiâ & multitudine, sic etiam „ nefaria singularíque sævitia, reliquis omni„ bus anteibant. Nulli sexui, vel ætati par„ cebant. Infantulos (quod sanè dictu est „ horribile) dissecatos, & verubus attractos, „ ad ignem torrebant, & assatos devorabant. „ Plurimi eorum, carne duntaxat nostrorum, „ & muliebribus mammillis vescebantur. Ob „ has itaque plurésque alias causas, publicos „ Nobilium conventus agi oportebat, in qui„ bus Cæsar proponeret, quæ ad Reipublicæ „ salutem, & decus pertinerent. Conven„ tus autem Viennensis 4. Cal. Decembris „ initium habuit. Omnibus his, quos Eccle„ siasticos vocant, & regulis, ac nobilibus „ viris, qui colloquio intererant, hæc capita „ proponebantur, videlicet: ut darent subsi„ dium superioris anni, cujus quidem summa „ erant fermè 300000. florenorum, pro alen„ dis equitibus. Ut quicunque centum an„ nuos florenos haberet, equitem aleret, & „ ditior pro quovis numero centesimo flore„ num persolveret. Quoniam autem, etsi „ Cæsar huic bello interesset, Proceres ta„ men Austrianos interesse nolebat, ab eis „ mille equites, & quinque peditum cohor„ tes, sibi dari postulabat. Ad hæc volebat, „ ut quilibet colonus, sex annorum spatiô, „ per sex dies quotannis operæ Viennensi „ manus admoveret. Provinciales manserunt „ aliquamdiu pertinaces in his, quæ sibi pro„ ponebantur, priusquam aliquid responsi da„ rent, nec sanè quicquam horum concessuri „ videbantur, nisi priùs Confessionem Augu„ stanam

„ stanam, quam ipsi summopere expetebant, „ obtinuissent. Id autem Cæsari permole- „ stum erat, cúmque ipsi hoc sæpiùs urgerent, „ ab eo tandem responsum est, se nullum fidei „ ac religionis articulum proposuisse. Proinde „ his tantùm petitionibus responderent, nisi „ iram sui Principis experiri vellent. Quo- „ circa, ne ipsum graviùs ad iracundiam pro- „ vocarent, hos tandem articulos è communi „ omnium consensu decreverunt, se, videlicet „ belli tempore, 138000. florenorum quot- „ annis persoluturos. Item ut quisquis 100. „ annuos florenos haberet, per menses unum „ equitem aleret, & qui opulentior esset, plu- „ res etiam sumptus impenderet. Ad reliqua „ itidem postulata, se haudquaquam difficiles „ præbuêre. Quatenus verò ad novum dog- „ ma de religione spectat, cùm hanc repul- „ sam inviti audirent, ac denuo apud Cæsa- „ rem pro ea instarent, hoc illis ab eo respon- „ sum est, videlicet, ut quicunque aliam fidei „ rationem profiteri vellet, diversam ab ea, „ quam ipse profiteretur, statim venditis bo- „ nis, ex Provincia discederet, atque ita illo- „ rum postulatis tandem silentium indictum „ est. „

[4.] Ex literis ejusdem.
[5.] Ex Autographo ipsius.
[6.] E literarum monumentis.
[7.] Ex mandato ipsius Cæsaris.
[8.] Ex decreto Principis.
[9.] Ex decreto Imper. in Consilio.

Annus Christi MDLXVII. Monasterii CCCCXXIX.

Pont. Rom. Pius V. *Imp. Rom.* Maximilianus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Laurentius.

INterea dum Sigethum capitur, Selymus Constantinopolim profectus à Bostange Imperatoris Præfecto exceptus, omnibúsque Imperatori condecentibus officiorum generibus ornatus, solenni ritu Imperator renunciatus est. * [1.] Ad quem hoc anno Episcopus Agriensis & Christophorus Teuffenbacensis Liber Baro Constantinopolim missi sunt, ut de pace tractarent, quæ anno sequenti MDLXVIII. inter Imperatorem Maximilianum II. & Sultanum Selymum in octennium constituta est, una ex conditionibus hæc fuit, ut quisque sibi retineret, quæ modò in possessione sua haberet: [2.] quæ pacificatio annis posterioribus prolongata est.

Pius V. Pontifex Maximus primô statim annô sui Pontificatûs Romæ impudicas mulieres publicô edictô, populo reclamante, severè proscripsit, sicut & Concilium Tridentinum concubinarios antè gravibus pœnis adstrixit. [3.]

Udalricus Abbas S. Crucis memor officii sui nullum fortè in filia subjectum inveniens, Priorem suum P. Laurentium Hengenmüller promovit ad Abbatiam Clara-vallensem, patre natum Michaële Hengenmüllner Monasterii Salemitani in Suevia quondam famulo & ferræ Magistro: qua die autem installatus fuerit, non reperitur, quod tamen ante octavam Junii factum fuisse debuit: ùt eruitur ex literis D. Joannis Stephani Leotod Medicinæ Doctoris, D. Laurentio jam Abbati medicinas præscribentis sub dato Viennæ 8. Junii, annô 1567. [4.]

Qui mox alium sibi constituit advocatum Monasterii causarum, unde Jacobus Franckfurter allodiorum Magister nomine Abbatis sui cum Mag. Joanne Pampelio de causis in jure contra Monasterium ortis contractum fecit sub dato Viennæ 6. Junii, annô 1567. [5.]

ADDITIONES.

* [1.] Cicarella in Pio V. anno priori, & alii plures.

Ortelius Redivivus in Histor. rerum Hungaric. ad annum præcedentem. „ Es war „ Selymus mit starcken Tagreysen in grosser „ Eyl gen Griechisch-Weissenburg ankom-

„ men, und durch Schreiben von Mahomet, „ dem Vezier Bassa verständiget worden, „ weil es alles noch still im Läger, dörffte er „ sich nicht weiter mit Reisen bemühen, solte „ demnach nur zu Griechisch-Weissenburg „ still ligen, und allda seiner Ankunfft mit „ dem Kriegs-Volck erwarten. Brach dar- „ nach mit dem Läger auff, und nahm mit „ sich des Solimanni Leichnam, welchen „ noch jedermann lebendig zu seyn vermeyn- „ te, und machte solches auch glaubwürdig „ sein Alter und das Podagra, dann er als ein „ krancker Mann seine Reiß also anstellte, daß „ der Wagen überall zugemacht war, damit „ man ihn gar nicht sehen konte. Dem kam „ Selymus bis ans Stadt-Thor entgegen, und „ hatte einen kleinen Turbant auff, und „ schlechte Trauer-Kleyder an, seines Vatters „ Leichnam zu holen, welcher aber mit flie- „ genden Fahnen, und mit grossen Klang „ von Heerpaucken, Trommeten, und also „ mit grosser Freud daher geführt worden.

„ Als aber Selymus dem Wagen seines „ Vatters näher kommen, ist er vom Roß ab- „ gestiegen, hat den Wagen auffgethan, und „ über seines Vatters Leichnam geweinet. Es „ sind auch die andern Obersten zugleich von „ ihren Rossen abgestiegen, und haben kleine „ Turbänt auffgesetzt. Darauff hat man be- „ fohlen, daß man alle Fähnlein zur Anzei- „ gung des Leyds zur Erden wenden, und die „ Schäffte in der Hand behalten solte. Und „ das wohl zu verwundern, ist ein solches „ Stillschweigen von allen den jenigen, so „ gegenwärtig gewesen, erfolgt, daß unter „ so vil tausend Menschen von keinem kein „ Wort gehört worden.

„ Nach diesem Stillschweigen brachte „ man Selymo einen weissen Turbant mit köst- „ lichen edlen Steinen gezieret, welcher ih- „ me auffgesetzt ward, und herrliche Kley- „ der, die er anlegte, und verwechselte sol- „ chemnach das Roß, welches auch die an- „ dern thäten: Hierauff wurde der Wagen „ wiederumb zugemacht, auch neue Fähn- „ lein des Käysers mit grossen Frohlocken „ auffgericht.

„ Nachdem aber die Obersten Bassen den „ Selymum in Griechisch-Weissenburg be- „ gleittet hatten, haben sie nacheinander, „ wie einer in seinem Stand dem andern vor- „ gieng, dem neuen Käyser alle die Hand ge- „ küsset. Darauff bestellte er treffliche Per- „ sonen, so hin und wider sein Land guber- „ niren und richten solten, und befahl seines „ Vatters Leichnam gen Constantinopel zu „ führen, damit er in das Grab, das er selbst „ ihme bawen lassen, begraben wurde. Für- „ nemlich aber befahl er beyden Bassen, Ha- „ mat und Ferrat, denselben Leichnam mit „ allen Janitscharen und einem grossen Hauf- „ fen fürnehmer Kriegs-Leut, sampt dem „ Käyserlichen Fahnen dahin zu begleiten. „ Er aber verzog mit dem übrigen Kriegs- „ Volck, biß er mit besserer Gelegenheit wie- „ der nach Constantinopel verreisen möchte.

„ Als nun des Solymanni Leichnam gen „ Constantinopel kommen, hat man ihn vor „ der Stadt, weil die Bassæ nicht wolten zu- „ geben, daß man ihn bey der Nacht in die „ Stadt führete, ligen lassen, und wurd des „ Solymanni Töchtern, und des Selymi Wei- „ bern und andern Befreundten erlaubt, den „ Leichnam, ihrem Gebrauch nach zu bewei- „ nen, welcher den andern Tag hernach „ stattlich und mit grosser Solennität auff den „ Händen zum Grab getragen, und in einer „ Krufft, seines Alters 76. Jahr, zur Erden „ bestättiget ward. „

Petrus Bizarus de bello Pannonico pag. 504.

[2.] Ortelius ubi suprà hoc anno.
Item Petrus Bizarus de bello Pannonico locô cit.

[3.] Ciaconius sub Pio V.
Surius annô 1566. in ejus laudibus.

[4. & 5.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDLXVIII. Monasterii CCCCXXX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius V.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

CÆsar Maximilianus hoc eodem anno mense Augusti Proceribus & nobilitati Austriacæ concessisse dicitur, quod olim denegâsse vidimus, liberum exercitium Confessionis Augustanæ in oppidis, arcibus & pagis eorum; in præmium obtentæ ab Ordinibus Austriæ liberationis ingentis æris alieni, quod ad bellum

bellum Turcicum contraxerat: ea tamen conditione, ut seni utrimque ab ipso Cæsare & Ordinibus delecti, & in his duo ex vetustis Confessionistis è Saxonia evocati, de singulis doctrinæ articulis & Ecclesiasticis ritibus inter se conferrent, ac convenirent. Unde concessionis effectus partim retardatus est, partim labefactatus. Quippe cùm audîsset Pius Pontifex Maximilianum in eo esse, ut ejusmodi concessionem elargiretur, confestim Cardinalem Commendonum ad eum legavit, ut si in tempore fieri posset id impediret. Scribénsque itidem ad Regem Hispaniæ, hortatus est, ut Maximilianum patruelem & sororium suum ab eo facinore, adeo Religioni Catholicæ detrimentoso, & familiæ Austriacæ ignominioso deterreret. Quod & Rex pro sua pietate præstitit, scriptis eo argumento pluribus ad Maximilianum literis. Apud quem denique Legatus adeo suasionibus, minísque & terroribus egit, ut is haud se eam Confessionem vel permisisse, vel permissurum, professus sit: ac Provinciales Austrios, qui ob eam rem frequentes convenerant, vacuos dimiserit: promiséritque se concionatores quosdam hæreticos vicinis è villis expulsurum. Ita námque rem gestam esse, narratur in vita Pii: illúmque ea de re humanissimis literis Cæsarem laudâsse. * [1.]

Legati Cæsaris Maximiliani præcedenti anno ad Selymum missi, recedendi copiâ ab eo impetratâ, eandem postea à purpuratis obtinuerunt, brevique mora interjecta, in Pannoniam reversi sunt, indéque Viennam pridie Calendas Junii pervenerunt. His etiam se comitem adjunxit Ebrainus, qui Orator ad Cæsarem mittebatur. [2.]

Laurentio Abbati in Zwetl tunc erant vicini, quorum mentio 7. Aprilis hoc anno habetur, Christophorus de Greiss ad silvas, Cæsareus Consiliarius, & dominii in Gmünd locò pignoris possessor: Christophorus Sonderdorfius de Kirchperg ad silvas; Andreas Buechaimius in Hainrichstain: Leonardus Newhofer in Poppen: & Casparus Krafft in Meyres, cum quibus undique præfatus Abbas habuit aut lites, raras tamen, aut commissiones. Inter quos etiam numerandus est Joannes Casparus Struno de Schwarzenawe, Hirspach, & Freydeck. [3.]

Dominium in Cisterstorf tunc possedit Conradus de Pappenheim S. Romani Imperii hæreditarius Marschallus & stipatorum hastiferorum Cæsareus Capitaneus, qui multas cum Monasterio Zwetlensi lites habuit, quarum mentionem inprimis facit Leonardus Stainer Vicarius ibidem sub 3. Aprilis hoc anno: unde Laurentius Abbas ipsi Pappenheimio de rumore inter suos & illius subditos exorto scripsit sub dato 5. Junii, rogans, ut tempestivè remedium afferat, ne majus inde damnum emergat. Vicarius nihilominus rursum Abbati nuntiat subditos Monasterii à Pappenheimio vim passos esse, & petit auxilium sub dato Cisterstorf 28. Octobris, annô 1568. [4.] Propter has lites postmodum coram judice competenti comparendum erat utrique parti, quæ per commissionem tandem sublatæ fuerunt.

Sigismundus Eberwein Præfectus curiæ nostræ in Weinzierl per literas rogat, sibi suæque uxori vineam unam conferri ad usum respectu damnorum, quæ ex inundatione Danubii anno elapso & præsenti pertulerunt, sub dato Stain 26. Junii, annô 1568. [5.] Ex his colligendum, Danubium jam duobus annis curiæ in Weinzierl damnum attulisse.

Contributio Prælatorum Statûs annua jam initium acceperat, unde Abbas Mellicensis Urbanus Laurentio Zwetlensi Abbati scribit, quòd illa sit à Prælatis Cæsari promissa. Eundem etiam certiorem facit, quatenus Imp. de Parochiis, beneficiis & feudis suis liberè permiserit Prælatis, absq; tamen animarum curæ diminutione aut detrimento, salva insuper Cæsarea sua contributione prædicta

dicta manente, ut valeant censum pro majori subsidio & auxilio suæ promissæ contributionis persolvendæ accipere, eóque uti, modô memoratô. Sub dato Mellicii 2. Novembris, annô 1568. [6.]

Hyems hujus anni lupis fertilis fuit, unde Christophorus Sonderdorfius Laurentio Abbati scribit, se venationem propterea instituere, & omnes silvas saltúsque suos pervagari velle, ideóque rogare, quatenus unà conjunctis viribus in eam intendere velit, cùm præsertim luporum copia & rapacitas eousque excreverit, ut non tam jumenta, quàm homines invadant, plurimáque partim suis, partim Monasterii subditis damna jam intulerint. Paratum etiam se offert Abbati, si petierit, ad venationem ipsius retia, canes, venatorem, & homines se submittere velle, ut saltem luporum infestatione hic silvestris tractus purgetur, sub dato Kirchpergæ ad silvas 29. Novembris, annô 1568. [7.]

ADDITIONES.

* [1.] Spondanus ad hunc ann. n. 25.

[2.] Petrus Bizarus locô sæpè cit. ubi ita prosequitur: „ Induciæ fuerunt initæ, & „ peractæ ad spatium octo annorum. Con„ ditiones erant, ut quivis eorum possideret, „ quod sibi postremô bellô acquisiverat. Ut „ in hujusmodi induciis contineretur Vayvo„ da. Item, ut agricolæ, qui annuum cen„ sum Turcis juxta, & Cæsarianis annumerare „ consueverant, solis Turcis imposterum sol„ verent, eísque solis posthac inservirent. „ Causæ, quæ tunc Selymum ad pacem in„ eundam cum Cæsare, commoverunt, plu„ rimæ, ac variæ omnino esse possunt: At pro„ cul dubio, ea vel præcipua videri potest, „ ut se videlicet, in suo Imperio, ad quod qui„ dem nuper successerat, commodiùs, ac tu„ tiùs præmuniret. Nam omnis ferè Arabia, „ & populi finitimi, ab eo desciscere incepe„ rant, & propterea magnam classem delectis „ militibus, omníque bellico apparatu instru„ ctam exornârat, eámque paulò antè in Sy„ riam legârat, omnibúsque Proceribus, ea„ rum regionum, injunxerat, ut exorta dissi„ dia cohiberent, omniáque ad priorem sta„ tum reducerent. „

Ortelius Redivivus hoc anno. „ Unter andern Conditionen waren auch diese: daß „ ein jeglicher, was er im vergangenen Krieg „ erobert, für sich behalten solte, solches „ war Kayser Maximilian ein guter Vortheil, „ dann er hatte durch den Herrn von Schwen„ di seine Gräntzen dermassen erweitert, daß „ sein Gebiet diß und jenseits der Teiß in die „ 40. Meilen weit und breit sich erstreckete, „ in welchem Kreiß der eroberten Landschaff„ ten, viel Schlösser und gewaltige Vestungen „ waren, welche Herr Lazarus von Schwendi „ zum Theil dem Feind abgedrungen und ein„ genommen, zum Theil gebauet, oder zu „ bauen angefangen hatte. Er hatte auch „ daselbst ein neue Kammer auffgericht, dar„ aus nicht ein geringe Hülff dem gemeinen „ Weesen erfolgte. Deßgleichen Teutsche „ Befelchs-Leut über gedachte Vestungen und „ Gräntz-Häuser auß beweglichen Ursachen „ gesetzet und verordnet, in Summa das gan„ tze Kriegsweesen an den Gräntzen in Un„ ter- und Ober-Ungarn in diesem und folgen„ den Jahr mit gutem Rath fürsichtiglich be„ stellet und versehen. „

[3. & 4.] E literarum monumentis.

[5. & 6.] Ex Autographo ipsorum.

[7.] Ex literis ejusdem.

Annus Christi MDLXIX. Monasterii CCCCXXXI.

Pont. Rom. Pius V. *Imp. Rom.* Maximilianus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Laurentius.

POntifex Pius cetera quoque religionem spectantia curans, hoc ipso anno constitutione 4. Cal. Martii publicata, Judæos, cùm ob eorum in Religionem Christianam odium, & insidias in ejus cultores strui solitas; tum verò ob multa usurarum genera, quibus egentium substantiam usquequaque exinaniebant,

niebant, & quòd furum ac latronum receptores atque participes essent; speciéque tractandæ rei proprio exercitio convenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimis lenociniis præcipitarent; quódque omnium perniciosissimum esset, sortilegiis, incantationibus, magicísque superstitionibus & maleficiis quamplurimos incautos inducerent ad credendum eventura prænuntiari, furta, thesauros, res abditas revelari, multáque præterea cognosci posse, quorum ne investigandorum quidem facultas ulli omnino mortalium esset permissa: his aliísque gravissimis de causis, ab omnibus terris & locis ditionis temporalis Ecclesiæ Romanæ, ejúsque subditorum, intra trium mensium spatium penitùs excedere jussit; pœnâ amissionis omnium bonorum, & perpetuæ servitutis, iis qui elapso eo tempore alicubi reperirentur, inflictâ: Urbe Roma & civitate Ancona duntaxat exceptis, ad memoriam Passionis Dominicæ in fidelium animis eorum intuitu ampliùs excitandam; persequendásque cum orientalibus negotiationes, ex quibus nonnulla commoda Reipublicæ oriebantur: cum spe quoque fore ut illi ob proximitatem & noxæ metu à maleficiis temperarent, & Christianorum conversatione ad fidem converterentur. Eodémque anno aliam severissimam constitutionem idem Pontifex contra quoscunque offendentes statum, res & personas officii Inquisitionis, eorúmque fautores conscios & complices promulgavit. Pœnitentiariæ officium reformavit. Casus ac præsumptiones in causis confidentiæ beneficialis, contra quoscunque, etiámque Cardinales declaravit. Aliáque plura ejusmodi valde utilia edixit, quæ videntur in ejus Constitutionibus. * [1.]

Novum annum lætô epithalamiô Achatius de Landaw Baro inchoavit, qui Laurentium Abbatem in Zwetl ad eam solennitatem perquam familiariter invitavit, scribens nuptias suas Crembsii 13. Februarii futuras, qui cum nobili virgine Sophia, nata patre nobili viro Leopoldo Grabnero de Rosenburg & Pottenprunn, Austriæ Inferioris Deputato, ac matre Ehrentrude de Künigsberg in Sebenstain & Schönberg matrimonii contractum se inisse significat, sub dato Rapottenstain 6. Januarii, annô 1569. [2.]

Otto Neudeccius misit etiam unum Presbyterum ad Laurentium Abbatem & Joannem Zenonianum Præpositum, Clara-vallenses, de vera & orthodoxa fide examinandum pro Parochia sua in Prandt, cujus collatorem se nominat, applicandum. Sub dato Rastenberg 22. Maji hoc anno. [3.] Ex quibus literis elucet Domini hujus fidei Catholicæ integritas, quæ tunc inter Austriæ nonnullos Proceres labefactata, carnalem doctrinam sequebantur, dum hoc tempore inter Sacerdotes uxoratos ejusmodi puri putíque scil. verbi ministri latebant, foris ùt oves apparentes, intus lupi rapaces latentes.

Rursum hoc anno in Weinzierl curiæ ibidem sitæ Danubius inundans damno fuit, quod tulit & pertulit, sicut Abbati Laurentio Georgius Bayr scribit, sub dato Crembsii 21. Junii, annô 1569. [4.] Inundationes tales tunc fermè annis singulis contigêre. Meminit quoque ejusdem inundationis Georgius Sondorfer Præfectus in Leuben sub 6. Julii, 1569. [5.]

Petierat Laurentius Abbas à vidua Sebastiani Woppingeri Margaretha curiam Rasingensem sibi tradi, vel jus omne suum Monasterio resignare; quæ literis datis id negat, cùm non tam marito suo quàm sibi dicta curia ad dies vitæ utriusque à Jacobo Grienwald quondam Abbate ad usumfructuum concessa sit, de qua sine causa expelli non possit, nec de ea ipsa cedere spontè velit, sub dato Rasing 28. Junii, annô 1569. [6.] Abbas autem illum contractum per mandatum Cæsaris rescindere voluit, dum adhuc ipsius viduæ maritus viveret, illa

tamen se semper post obitum ejus, qui hoc anno contigit, opposuit: Quæ vidua nobilis erat, sicut se vocat, natam de Lampoding, & se honestè excusat, quòd post tam brevem ex hac vita mariti sui discessum & obitum ejus recentem de secundis nuptiis cogitârit. Sub dato Rafing 22. Julii, annô 1569. [7.] Quæ cum Matthæo Heibel in Pilgrumhof Præfecto solennem matrimonii contractum inire 11. Septembris decrevit, ad quem dictum Abbatem invitat, unàque scribit, quòd novum fundi librum super curiam conscriptum invenerit, sub dato Rafing 6. Septembris hoc anno. [8.]

De Monasterio Monialium ad S. Bernardum scribit Ulricus Abbas S. Crucis Laurentio Abbati, quòd ab Abbatissa dicti Monasterii acceperit scribente, se esse nimis debilem & infirmam, ac proinde etiam viventem se cogitare alteri virgini tradere curam Abbatialem; quare rogare illum, ut aliam submittat. Qui, ait, se Abbatissæ Ypsensi pro virgine Ursula scripturum, ut quamprimum illam ad S. Bernardum dirigat, sub dato Viennæ 21. Octobris, annô 1569. [9.]

ADDITIONES.

*[1.] Spondanus hoc anno n. 10.
[2.] Ex Autographo & literis ejusdem.
[3.4.5.] Ex literis eorum.
[6.] E literarum monumentis.
[7.&8.] Ex literis eorum.
[9.] Ex literis Abbatis S. Crucis.

Annus Christi MDLXX. Monasterii CCCCXXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius V.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

Maximilianus Imperator à Pio V. Papa & Senatu Veneto, (cui Selymus Turcarum Tyrannus bellum indixerat ob requisitam ab illo Cyprum & denegatam) sollicitatus ad arma capessenda, speciosô titulô recusat, quia cum Selymo in induciis esset, & Germania à Turcis lacessendis maximè abhorreret, armáque tantùm inferentibus resistere parata esset. *[1.] Eodem hoc anno Maximilianus ad Imperialem conventum perficiendum Spiram se confert. Hinc alteram Philippo Hispaniarum, alteram Carolo IX. Galliarum Regibus filias nuptui confert. [2.]

Ad initium anni Danubius aquis auctus tantam glaciei copiam juxta Corneoburgum civitatem ejecit, ut equi aut currus tutò ibi transire non possint. Ita Laurentio Abbati nuntiatur Viennâ 22. Januarii, annô 1570. [3.] Ex quo patet frequens his annis Danubii inundatio.

Præerat tunc Parochiæ Edelbacensi Sigismundus Kraus scribens Laurentio Abbati rogat pro conferenda sibi Parochia Schoënaw juxta promissum, cùm audiërit Hectorem ob tumultus suos excitatos, & ideo à Sacellano suo accusatum dimittendum, pro Edelbacensi procuranda alius jam se offert Christophorus Herman dictus, pro quo & ipse intercedit sub dato Edelbach 24. Februarii, annô 1570. [4.]

Ulricus Abbas S. Crucis admonet Laurentium Abbatem de installatione in Abbatissam apud S. Bernardum Ursulæ Ypsensis, & certior petit fieri, an usque ad obitum Abbatissæ illi expectandum sit; quod si ita, nulla erit installatio, quia ipsa non vult expectare, sub dato Viennæ 10. Martii, annô 1570. [5.]

Incepit jam Casparus Krafft in Meyres cum Monasterio litigare ratione Sacelli Rafingensis & cum Parocho in Windigsteig, sub dato Meyres 29. Martii, annô

annô 1570. [6.] Cujus posteri, hæretici facti, Sacellum dictum planè sui juris facere sibíque appropriare contenderunt, quorum successores Strunones de Schwarzenawe imitatores illorum fuêre, quæ lis ultra octuaginta annos duravit, sicut infrà referetur.

Cæsarei Consiliarii Cameræ Aulicæ à Laurentio Abbate sibi significari petunt, advocatiam quis habeat super colonos in pago Terenberg, ubi pagus hic situs, an Monasterium super advocatia censum acceperit, necne? sub dato Viennæ 17. Aprilis, annô 1570. [7.]

Super hac advocatia Chünringius in Seveld de Familia Fundatorum Monasterio postmodum excitavit lites, cum quo Abbates jure contendere coacti fuêre.

Hoc anno Laurentius Abbas Ulrico Abbati S. Crucis vendidit Monasterii sui grangiam dictam & sitam in Gundramstorf juxta Träskirchen, quod patet ex quadam copia, qua liberat habitantem in eadem subditum suum ab obedientia, qua sibi tenebatur, & tradit illum Abbati S. Crucis, cui imposterum obediat, cui dicit dictam suam curiam vendidisse. [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Spondanus hoc anno n. 7.

[2.] Octavius de Strada in Maximiliano II.

Piespordius sub eodem. „ Elisabetha X. „ Austriaca. Nata Viennæ, anno 1554. V. „ Junii. Eodem anno 1570. quo Anna soror „ Philippo II., ipsa Carolo IX. Francorum „ Regi nupsit. Illô anno 1574. defunctô in „ Austriam reversa Pragæ Templum Omnium „ Sanctorum: Viennæ Templum & Cœnobium S. Claræ condidit, ubi & reliquum „ vitæ in summa sanctitate transegit, sic ut „ etiam in vita miraculô claruerit. Obiit Vi„ ennæ 22. Januarii, annô 1592. Sepulta in „ dicta æde nova D. Claræ. „

Spondanus ubi suprà n.19. „ Ut adstrictiori „ fœdere (*Carolus IX. Rex Galliæ*) cum Maximi„ liano Cæsare (à quo & consilia pacis, Ger„ maniæ exemplô, ut erat ipse quietis amans, „ acceperat) & Philippo Rege conjungere„ tur; post pacem initam, uxorem jam sibi „ antea desponsam accepit ad finem anni Eli„ sabetham juniorem filiam Cæsaris, sedecim „ annorum virginem, vigesimum primum ipse „ agens. Cujus major soror Anna paulò an„ tè hoc ipso anno ducta fuerat à Philippo „ quartis nuptiis, non sinè plurimorum in„ dignatione, quòd nulla necessitate urgente, „ nullô manifestô pacis bonô, nulla propa„ gandi Imperii spe, sororis suæ filiam (quam„ quam non sinè dispensatione Apostolica) „ in matrimonium acceperit; malô exemplô, „ à Rege ad nobilitatem, & ab hac ad ple„ bem sensim delabente. „

[3.] Ex literis.

[4.] Ex literis Vicarii hujus.

[5.] Ex literis Abbatis S. Crucis.

[6.] Ex literarum monumentis.

[7.] Ex Autographo ipsorum.

[8.] Ex copia ejusdem.

Annus Christi MDLXXI. Monasterii CCCCXXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Pius V.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

HOc anno demum summo labore & studio Pontificis, contentionibus omnibus superatis fœdus (*inter illum, Philippum Regem Hispaniarum, & Venetam Rempublicam adversùs Turcam & omnes ejus ditiones*) conclusum est decimô tertiô Cal. Junii; & quinto pòst die in Consistorio publico, & solemnis jurisjurandi religione confirmatum, et ac subinde in Basilica S. Petri Missarum sacris ritu solemni celebratis promulgatum ingenti omnium lætitia: & tum ad gratias Deo agendas, tum ad cœlestem opem implorandam in urbe Pius triduanas supplicationes, quibus ipse de more pedes interfuit, & amplissimum

mum per orbem Jubilæum indixit. * [1.]

Vigesimâ sextâ Augusti Carolus Archi-Dux Austriæ (germanus regnantis Augusti Maximiliani) cum Serenissimi Principis Alberti Bavariæ Ducis filia Maria Viennæ nuptias celebrat: [2.] Septimâ verò Octobris fœderis Christiani classis juxta Naupactum Turcarum exercitum navali prælio delevit, & inauditam victoriam reportavit: [3.] Item Joannes Waywoda Transilvaniæ, qui multorum malorum & turbarum causa in Ungaria extitit, sinè prole diem suum obiit. [4.]

Petit Dominus Ulricus Abbas S. Crucis à Laurentio Abbate Zwetlensi sibi significari, an suos subditos in Haslach unà cum villæ judicio sibi vendere velit, sub dato in Molendino ad Wülfersdorf 12. Junii, annô 1571. [5.] Ex his literis colligitur, judicium villæ seu pagi in Haslach ad Monasterium spectâsse & spectare.

In Parochiis Monasterii hoc anno Vicarii nominantur sequentes, nimirum in Cisterstorf Leonardus Stainer; in Windigsteig Michaël Knab; in Schweickers Josephus; in Waltenstain Bartholomæus; in Schoënaw Sigismundus Kraus, & in Edelbach Christophorus Herman, qui suas Abbati Laurentio pro hoc anno pensiones solverunt. [6.]

ADDITIONES.

* [1.] Spondanus hìc n. 2. ad finem.

[2.] Continuatio Catalogi Ederiani ad hunc annum.

Piespordius sub Ferdinando I. „ Carolus „ IX. Austriacus, Dux Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Goritziæ Comes, natus Viennæ annô 1540. 3. Julii. Uxorem ducit Mariam „ ex sorore Anna neptem, Alberti Bavariæ „ Ducis filiam, Guillielmi, & Ernesti Coloniensis sororem Viennæ - - Septembris, „ annô 1571. „

Octavius de Strada sub Ferdinando I. „ Maria uxor Caroli Archi-Ducis Austriæ, „ filia Alberti Ducis Bavariæ. - - Nuptiæ „ Viennæ Austriæ celebratæ sunt, annô Domini - mense Septembri. „

[3.] Catalogus suprà relatus.

Surius hoc anno.

Cicarella in Pio V.

Ciaconius sub eodem. „ Solimano ac „ deinde Selimo ejus filio, Turcarum Imperatoribus Cyprum expugnare tentantibus „ (quam Selimus victor occupavit) cum Hispaniæ Rege & Veneto Senatu fœdus inire „ Pius inceperat, quo peracto, & promulgato „ annô 1571. (summo pugnæ Navalis Duce Joanne de Austria, Philippi 2. fratre creato) Pontificiæ classi Marcus Antonius Columna à Pio V. præficitur. Hanc navalem expeditionem solemni ritu, navibus, ac militibus lustratis, Pontifex sacris benedictionibus est prosecutus, militibúsque pecuniam „ distribuens, hísce verbis eos alacriter hortatus est: *Ite victoriam relaturi, si spem in Christo habueritis.* Ergo nonis Octobris ejusdem anni, commissis utrinque viribus, incredibili pertinacia, per horas quinque ad „ Naupactum pugnatum fuit, & faventibus „ Superis, victoria Christianis cessit. In hoc prælio triginta duo millia Turcarum, multi Duces, provinciarúmque Præsides occubuerunt. Ex nostris autem supra sexcentos „ quinquaginta homines, septem millia desiderata, & captivorum 15. millia redempta „ sunt. Post hæc, in urbem M. Antonium „ redeuntem magnâ lætitiâ & triumphi pompâ „ Romanus populus excepit. „

Spondanus cit. locô n. 15. & 18. „ De „ prælii porro utrimque ordine & dispositione, acerrimáque ipsa pugna, facta Nonis „ Octobris, quæ dies in Dominicam incidebat; ac bellicis facinoribus hinc inde editis, quæ ubertim auctores tractant, (ac „ præter ceteros quos olim recensuimus, etiam „ Hieronymus Diedus, qui interfuit, Italicè „ scribens è Corcyra post victoriam ad M. „ Ant. Barbarum Bajulum Venetorum Constantinopoli) longúmque nimis esset hìc „ recensere, ut sileamus, illud non tacendum, „ affulsisse Christianis non obscurè præsentis „ auxilii divini indicia; cùm cœpto certamine horâ circiter meridianâ, ventus qui „ eousque Christianis adversus fuerat, momentô quievit penitus: subindéque exurgens aura lenis ab occasu fumum tormentorum in Turcos detulit: jam quoque sole, „ transmissa media cœli regione, radiis suis „ eorum offendente obtutum, qui priùs in „ Christianorum incurrebat oculos. Pugnatum est quatuor tantummodo horis: qua-

„ rum

„ rum spatiô Christiani maximam omnium „ quæ in mari post conditum Imperium Romanum extiterint victoriam divinitùs consecuti sunt. Ad quam consequendam præcipuum momentum sex galeatiæ Venetæ, „ à quibus initium pugnæ factum est, attulêre, „ dum ingenti immanium tormentorum vi à „ fronte, à tergo, à latere, in hostem globos „ contorquerent. Ut etiam non omittamus „ quod à nonnullis relatum reperimus, Turcos „ captivos testatos esse in ipso pugnæ conflictu „ visos à se fuisse Christum Dominum & SS. „ Apostolos Petrum & Paulum Angelorum „ agmine stipatos, strictis gladiis Turcis minitantes in sublimi aëre stare. Quod etiam „ expressum cernitur in pictura prælii delineata in Aula Regia Palatii Vaticani. Denique sunt qui scribant, visas eodem tempore fuisse cruces Constantinopoli super „ Turcorum Templa in aëre; quibus significaretur, Deum Christianorum solum esse „ verum Deum exercituum & victoriarum, „ excelsâmque suam Sedem super omnes alios „ collocâsse.

N. 20. „ Cæsorum verò hostium numerum triginta millium fuisse, multi, ceteri „ viginti quinque tantùm affirmant: captivorum trium millium & quingentorum, atque „ in iis insignes viri viginti quinque. Cuncti „ ferè duces certamine periêrunt; imprimísque Halis Bassa Præfectus maris. Perthaus, „ expugnata ejus navi, in lembum desiliens „ fugâ Naupactum tenuit. Uluzzalis apostata Calaber insignis pirata Algeriæ Prosultanus, (quem Ucchialem vulgò nominant) post fortissimum certamen, quo & „ prætoriam Melitensium cepit, mox tamen „ à ceteris receptam, cùm in eo esset ut re „ penitùs prostrata undique circumcingeretur, „ cum triginta navigiis per mediam fœderatorum classem impunè evasit; frustrà eum „ insequente Auria, cui parùm toto prælio „ fortuna arrisisse dicitur, adeo ut non multum abfuerit quin ejus culpâ res perdita sit. „ Captæ fuerunt hostium centum septemdecim triremes, biremes tredecim: quinquaginta circiter evaserunt; reliquæ cum navigiis partim litoribus illisæ, partim undis absorptæ, aut flammis absumptæ: Christianorum verò captivorum, qui in classe Turcorum detinebantur, quindecim millia in libertatem vindicata. Qui verò in prælio „ desiderati sunt ex fœderatis, numerati fuêre „ septem mille ac sexcenti: quorum pars magna „ Veneti, atque in iis multi Patricii; & qui „ ceteris eminebat classis Legatus sub Venetio summo duce Augustinus Barbadicus, „ prudentiâ, fortitudine, ac ceteris animi & „ corporis dotibus imperatore dignis præstans.

N. 21. „ Ipso pugnæ die, noctéque præcedenti, Romæ Pius Pontifex cùm jam classes propè esse, ut congrederentur existimaret, multò ardentiùs in preces ad implorandam Dei opem se dedit, ídque ipsum per „ singula collegia ac cœnobia faciendum curavit. Cùm verò tempore pugnæ in cubiculo suo cum suis de quibusdam negotiis „ ageret, illis ex improviso relictis, fenestram „ aperuit, oculísque in cœlum sublatis paulisper fixus ita perstitit; ac subinde fenestram claudens adstantibus significavit, non „ jam tempus negotiandi esse, sed gratias Deo „ agendi pro victoria à Christianis obtenta. „ Ubi autem certum ejus nuncium accepit, „ gratiis solemnibus peractis, ut tantum divinæ clementiæ beneficium Christianus populus perpetuò coleret, ad honorem Dei „ ejúsque Sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ, cujus potissimùm auxiliô tantam victoriam partam esse profitebatur, instituit ut „ deinceps in perpetuum Nonis Octobris *Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria* in Ecclesia „ Catholica piè recoleretur: Atque in Litaniis ejusdem Virginis inseri voluit: *Auxilium Christianorum, ora pro nobis*: & ut die octavo ejusdem commemorationis celebraretur „ officium divinum pro omnibus iis qui præliô defuncti fuissent. Quibus & postea „ Gregorius XIII. ejus successor addidit, ut in „ ejusdem victoriæ memoriam, in singulis Ecclesiis vel Capellis Rosarii, qualibet prima „ Dominica mensis Octobris, qua parta est „ victoria, celebretur solemnis festivitas sub „ nuncupatione *Rosarii Beatæ Virginis Mariæ* duplici majori officio. „

Surius ubi suprà.

[4.] Historia rerum Ungaricarum evulgata per Theodorum de Bry Leodiensem civem, edita Francforti ad Mœnum annô 1596. „ Annô 1571. Joannes Sigismundus Vaywoda Jazygum, obiît absque sobole, nec abfuit suspicio veneni. Illi successit Stephanus „ Bathori annexa tamen servitute, qua annuatim tributum Sultano penderet. Hic ipsus „ est Bathori ille, qui annô 1575. ex commendatione Sultani in Regem Poloniæ suffectus „ est. „

Ortelius Redivivus. „ Annô 1571. In „ diesem Jahr starb König Johann, der erstlich Steffan genennt war, welcher, wie „ vor gemeldt, vil Zwitracht zwischen der „ Röm. Kayserl. Majestät und dem Türcken „ erweckt und gestifft hatte. Diesem hat

 „ Steffan

„ Steffan Bathori Iſtwan auf des Türckiſchen „ Kayſers Fürſchlag im Reich ſuccedirt, wie „ er auch hernach durch den Türcken zu einem Polniſchen König eingeſetzt worden. „ Dieſer wurde dem Caſpar Bekeſtz, obwol „ der König Johann ihne zu einem Succeſſorn „ verordnet, vorgezogen, aus Urſach, daß „ er ſich in Siebenbürgen unterſtanden, Neuerung zu machen, derhalben er von Stephan „ Bathori außgetrieben, und hernach, als er „ wieder hinein ſtrebte, mit Hülff der Röm. „ Kayſerl. Majeſtät abermals daraus geſchlagen, und in die Flucht gebracht ward. „

Spondanus hìc n. 30. „ Hoc item anno „ Joannes Sigismundus Princeps Tranſilvaniæ, „ ſive Turcicæ ſocietatis, quæ ùt plurimùm „ noxia atque infida eſſe conſuevit, pertæſus, „ ſive rerum ſuarum ſecuritati ſe proſpecturum ratus; cum Maximiliano Cæſare pacis „ & amicitiæ fœdera renovare conſtituens, „ id per Legatos hac inter ceteras conditione peregit, ut ipſe nomini Regio & titulis, „ pro quibus & pater ejus & ipſe per annos „ ferme quinquaginta funeſtis bellis acerrimè „ dimicâſſent, impoſterum cederet, & quodcunque aliud præter Regium uſurparet: & „ econtra Maximilianus eum ut Regibus ortum „ Sereniſſimi Principis titulô cohoneſtaret. „ Cùm verò in eo eſſet ut etiam per affinitatis vinculum ductâ aliquâ ex propinquis Cæſaris fœdus confirmaret, poſt longos & acerbiſſimos inteſtinorum cruciatus, mortuus eſt „ Albæ poſtridie Iduum Martiarum, in perfidia Ariana, quam amplexus fuerat &c.

Item N. 31. „ Periit autem Joannes in „ primo flore juventæ, cùm alterum & trigeſimum annum ætatis nondum expleviſſet; „ Chriſto Deo impium peſtiferi dogmatis aſſertorem, divinæque ſuæ gloriæ nefarium „ obtrectatorem, immaturâ morte ſublatum, „ ad æternas inferorum pœnas haud dubiè „ detrudente. Cujus cadaver Ariano funeris honore, hoc eſt tumultuario & enormi, „ nec ulla in parte ad morem priſtinum & „ Chriſtianum, in Templo compoſitum eſt „ marmoreô ſepulchrô. Ita námque ejus „ finem deſcripſit Nicolaus Iſthuanfy nobilis „ Pannonius in ſua de rebus Hungar. Hiſtoria. „ Subdítque, poſt varias de ſucceſſore Joanni „ eligendo, cùm prole careret, conſultationes & diſceptationes, publicis ſuffragiis, & „ Selimi commendatione, magnáque populorum acclamatione, ſuffectum eſſe *Stephanum Bathorium* Somlianum, formæ ac ſtaturæ dignitate, rebúſque domi foríſque geſtis inſignem, fide Catholica conſpicuum: „ excluſo Gaſpare Beckeſſio æquè Ariano, „ provinciæ regulo, qui ſub Joanne potentiſſimus Principatum ambiebat. Stephanus „ mox de ſua electione Maximilianum ſimul „ & Selimum certiores reddens, ab iis confeſtim confirmationem electionis accepit: à „ Turco quidem ſub conditione tributi conſueti, & nè cum exteris Principibus ſe inconſulto ullum fœdus iceret: à Cæſare verò ſub ſecretis pactis cum Joanne nuperrimè „ initis, ut qui ei ſucceſſurus eſſet, ita Cæſari „ fide clientelæ obſtringeretur, ut tamen ipſe „ rerum omnium poteſtate fungeretur, quem „ poſtea viſuri ſumus Regem Poloniæ. „

[5.] Ex Autographo ipſius.
[6.] Ex Indice Abbatis.

Annus Chriſti MDLXXII. Monaſterii CCCCXXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Gregorius XIII.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Urbanus.	Laurentius.

OBiît hoc anno Pius V. Calend. Maji Romæ, & ad D. Petrum ſepultus fuit. * [1.] Cui ſucceſſit Hugo Cardinalis è Boncampagnorum familia oriundus, nominari voluit Gregorius XIII. [2.] De quo S. Malachias: Medium corpus pilarum. Ipſius enim inſignia erant medius draco, Cardinalis creatus à Pio IV. qui pilas in armis geſtabat.

Maximilianus Imperator hoc anno Poſonium cum Imperatrice Maria, Rudolpho, Matthia, Maximiliano Juniore & Erneſto filiis deſcendit, & Rudolphum in Regem Ungariæ 24. Septembris coronari fecit. [3.]

Curiæ in Rafing Abbas præfecit unum cellerarium nomine Joannem Stainwendter, qui familiam dirigebat quaſi Præfectus domûs, qui ſcribit Abbati, quòd panem & vinum diligenter conſervârit, cellariúmque Abbatis ſeris muni è-

muniêrit, nè è superiori parte in illud pateret ingressus, ait de vini propinatione sub hædera venalis, mittítque in Monasterium aliquot oves, & etiam post aliquantulum solutos vinitores reliquam, si petatur, pecuniam Abbati vult transmittere. Sub dato Rafing 28. Aprilis, annô 1572. [4.]

Porro Abbas de vitæ testimonio Georgii Sondorfer inquisîerat, unde ipsi respondent Domini Joannes David, Wolfgangus, Ditricus, & Job Harmannus fratres de Trautmanstorf in Tozenberg ad literas ejus 22. hujus datas, quòd ipsi pro Georgio Sondorfer se vades interponere nolint, qui etiam illis inservierat, nec tamen adhuc de officio suo rationes posuerit, quem ajunt curiam in Rafing accepisse, sub dato Tozenberg 27. Junii, annô 1572. [5.] Hoc notatur ob nomina familiæ de Trautmanstorf.

ADDITIONES.

* [1.] Ciaconius in Pio V. „ Vix dici „ potest, quantô gaudiô ex hac victoria (*prio-* „ *ri anno relata*) Pius fuerit cumulatus, qui „ animô majora concipiens, ut præclara cæ- „ pta perficeret, victoriáque prudenter, ac „ fortiter usus, hostem omnino deprimeret; „ dum novum & majus fœdus percutere ten- „ tat, dolore renum & calculi molestiâ op- „ pressus decubuit. Qui morbô afflictatus „ dicere patienter solebat: *Domine adde ad do-* „ *lorem, dummodo addas ad patientiam.* Ergo „ incredibili omnium mœrore Kal. Maji horâ „ XXII. annô 1572. ætatis suæ LXVIII. & „ Pontificatûs VII. summus, atque optimus „ Pontifex, virtutum omnium exemplar, vitæ „ mortali, non tamen immortali memoriæ „ ereptus fuit. Qui in Vaticano sepultus, „ postea à Sisto V. ad sacram ædem S. Mariæ „ Majoris in Sacellum ad Præsepe constru- „ ctum translatus fuit. „

Cicarella sub eodem, cujus laudes ita concludit: „ Fuerunt & variæ fabricæ in Palatio „ Vaticano, alíisque locis, tam in urbe, quàm „ extra urbem à Pio V. aut novæ constructæ, „ aut collapsæ reparatæ. In Bosco patria sua „ insigne Monasterium Fratribus Ordinis S. „ Dominici ædificari jussit, ac necessariis pro- „ ventibus dotavit. In cujus Templo sibi ipsi „ honestam sepulturam cum modesto Epita- „ phio condidit.

„ Quamvis in his magnificis structuris, in „ expeditione Turcica in Ungariam, in rebus „ Gallicis & Avenionensibus, in fœdere de- „ nique contra Turcas inæstimabilem auri vim „ expenderit, tamen post mortem illius in „ castro reperta sunt sexcenta ducatorum mil- „ lia, vel (ùt alii dicunt) myrias auri cum „ dimidia. Non tantùm à suis Pontifex hic „ laudatus est, sed & ab inimicis Turcis, & „ à sceleratis Hæreticis, quod irrefragabile „ bonitatis illius argumentum est. *Bonum* „ *enim est* (inquit Aristoteles) *quod inimici &* „ *mali homines laudant: videntur siquidem ferè* „ *omnes fateri, quod fatentur vel hostes, vel qui* „ *ob aliquam offensionem à nobis alieni esse viden-* „ *tur. Quia res ea usque adeo fit evidens, & ex-* „ *posita oculis, ut illi diffiteri non possint.* „

Spondanus hìc n. 5.

[2.] Iidem nuper relati sub Gregorio XIII. inter quos Ciaconius ita: „ Piô V. „ mortuô, altera die post Conclavis ingres- „ sum, quæ fuit 3. Idus Martii, annô 1572. „ Cardinalium 52. accessu, quæ Spiritûs San- „ cti dicitur electio, magnâ omnium lætitiâ, „ & ingenti suarum virtutum expectatione, „ Maximiliano Secundo Imperatore, Ponti- „ fex Maximus (*Gregorius XIII.*) successit. „ - - - - - - - - - - In ipsa igitur Penteco- „ stes festivitate, Gregorius, supra gradus Ba- „ silicæ Vaticanæ, Cardinalibus, Clero, & „ populo præsentibus, coronatus, pecunias, „ quæ in Pontificia coronatione adstanti ple- „ bi spargi consueverant, piis locis dari præ- „ cepit; quæ summa ad quindecim millia au- „ reorum adscendit. Quibus etiam viginti „ millia adjecit, pauperibus destribuenda; „ quæ Conclavistis, ùt vocant, dari noluit, „ quòd tam brevi Pontificiæ electionis tem- „ pore, parum molestiæ, aut laboris tulissent. „

[3.] Piespordius sub Rudolpho.

Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. cap. 11. fusè ferè per totum.

Ortelius Rediviv. sub hoc anno. „ Dem- „ nach nun das Land Ungarn durch den ge- „ machten Friedstand zu guter Ruh gebracht „ worden, erwählten die Ungarn, mit Kay- „ sers Maximiliani Bewilligung und Uberge- „ bung des Königreichs Ungarn, Rudolphum „ seinen ältesten Sohn, zu einem Ungarischen „ König, welcher hernach zu Preßburg mit „ herrlicher Solennität ist gekrönt worden; „ zu welcher Krönung, der Vatter, Kayser „ Maximilianus, mit seinem Gemahl und „ zweyen Söhnen, Matthia und Maximiliano,

„ auff der Donaw hinab gefahren. Und obwol ein schöner Raisiger Zeug von den Ungarn Ehren halben ihnen entgegen geschickt war, wurde er doch wiederumb zuruck geschafft, und seynd sie bey der Nacht, vier Tag vor der Krönung erstlich mit Windlichtern in die Stadt Preßburg ankommen. Den andern Tag ist der Bischoff zu Erlaw, Antonius Verancius mit vielen Fürsten und Bischöffen, sampt dem Raisigen Zeug und der Ungarischen Spanschafft Rudolpho, bey welchem Ertz-Hertzog Ernst sein Bruder und andere Fürsten gewesen, entgegen gezogen, welchen er mit einer schönen, jedoch kurtzen Oration in aller Ehrerbietung empfangen, und im Nahmen des gantzen Königreichs Ihme, als ihrem König gehorsam zu seyn, zugesagt. Rudolphus versprach wiederumb, er wolte sich also verhalten, daß es die Ungarn nicht reuen solte, daß sie Ihn zum König gewählt hätten, sintemal er ihme der Unterthanen Wolfahrt und des gantzen Reichs Erweiterung wolte treulich befohlen seyn, und männiglich bey ihren Freyheiten bleiben lassen. Darnach reyseten sie zu der Stadt, und vorher in die 3000. wol geputzter Reuter, unter welchen etliche über die Harnisch guldene Ketten und andere Zierden, etliche auch Bären- und Tiegerthier-Häute über hätten. Als sie nun zur Stadt kommen, ist alles Geschütz loß gebrennt worden. Die Krönung ist in Gegenwart des Kaysers, der Kayserin, seiner dreyen Brüder, Ernesti, Matthiæ und Maximiliani, Ertz-Hertzogen Ferdinandi und Caroli seiner Vettern, und eines jungen Hertzogen von Cleve, den 25. Septemb. mit grosser Solennität und Freuden geschehen, darauff etliche zu Rittern geschlagen, und andere Ritterspiel, ob es gleich denselben Tag zimlich geregnet, seyn geübt worden. „

[4.] Ex litteris ejusdem Cellerarii.
[5.] Ex literis horum Dominorum.

Annus Christi MDLXXIII. Monasterii CCCCXXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XIII.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

MAxima hujus anni Danubii fuit inundatio, cujus damna in sola curia Weinzierl Magister ejusdem Engelhardus Kornstockh eam expertus Laurentio Abbati describit, quam curiam ait maximè destructam, & quasi in desertum redditam esse &c. enarrantur fusè res destructæ & pessumdatæ. Responsum ergo petit, quid sibi in hoc vel illo sit agendum sub dato in aquosa curia Gneigsendorf 28. Januarii, annô 1573. *[1.] Contigit hæc magna Danubii inundatio 13. Januarii, & duravit decem diebus continuis, quod patet ex inscriptionibus Crembsensis civitatis, in tribus enim locis sunt laminæ ferreæ literis altitudinem aquarum, annum & diem indicantibus affixæ, una in porta civitatis, quæ Viennensis; altera in porta, quæ infernus nominatur; & tertia in domo cujusdam nautæ angulari non procul ab ista porta sita, & tunc in illa civitatis parte navigiis utendum erat. Et cùm dicta inundatio decem diebus duraverit, verè scribit Magister curiæ in Weinzierl, quòd 28. Januarii ad illam sibi nec equo, nec curru adhuc detur accessus. Quale ergo damnum hæc aquarum copia curiæ dictæ intulerit, præter alia, testes sunt muri destructi & Sacellum desolatum.

Porro Viennæ Abbas Laurentius alium constituit procuratorem ad causas Monasterii agendas Martinum Aigner sub 1. Februarii, cujus sicut & Magistri allodiorum Wilhelmi Sondorfer 18. Decembris hoc anno adhuc fit mentio. [2.]

*[1.] Ex Autographo ipsius Præfecti curiæ.
[2.] E literarum monumentis.

Annus

Ann. Christi MDLXXIV. Monasterii CCCCXXXVI.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Maximilianus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Laurentius.

HEnricus Rex Poloniæ ex familia Ducum Andegavensium, mortuo fratre Carolo Rege Galliarum hoc anno, insciis Polonis noctu summa cum celeritate, ne à Polonis detineretur, aut ex itinere retraheretur, Poloniâ excessit, & citatis equis Venetias venerat, ut deinceps in Galliam rediret, quod regnum illi hæreditario jure post obitum fratris debebatur. Quem Maximilianus Imperator datâ per provincias suas hæreditarias transeundi licentiâ Viennæ Austriæ regaliter tractavit, & per easdem liberaliter perduci curavit. *[1.]

Selymus Turcarum Imperator durante adhuc pace, hoc anno propè lacum Balathonem Ungariam adortus, ultra mille Christianos trucidavit, & opimam admodum prædam avexit, qui circa finem hujus anni Constantinopoli obiît, in cujus locum filius ejus Amurathes successit. [2.] Alius quoque anno præcedenti refert Turcas pacem rupisse primùm, nam cùm Maximilianus quandam munitionem inter Jaurinum & Albam-Regalem contra perpetuas Turcarum irruptiones impediendas exstrui curâsset, Turcæ finitimi nimirum Bassæ cum viginti quatuor millibus armatorum illam inopinatè invadentes expugnant, laboratores & milites miserè trucidant, molémque terræ funditùs destruxerunt. [3.] Hæc erant præludia sub Selymo adhuc vivo belli futuri. Sed cum Amurathe ejus successore rursum in annos octo pax conclusa fuit.

Laurentius Abbas valdè erat valetudinarius, de quo scribitur, quòd ad valetudinem suam curandam 25. Augusti fuerit ad Salubrem-Fontem non procul à Rosenberg Bohemiæ castro in thermis constitutus, cui de Monasterio victualia illuc mittebantur, [4.] 6. Septembris adhuc ibi hæsit, unde domum scribit, ut F. Joannes Planck ad Ordines suscipiendos mittatur. Supremus Austriæ Inferioris tunc Venator erat Erasmus de Scharfenberg, qui in curia Venatorum (vulgo Giaid- oder Jagd-Hof) ad Gfell oppidum sita, suam habuit residentiam, cujus mentio fit 14. Junii, annô 1574. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Neugebauerus Histor. Polonic. lib. 9. hoc anno. „Dum Rex Henricus regnum Poloniæ quadrimestre ferè pacificè „administrat, moritur interim Carolus nonus Galliæ Rex frater: de cujus morte certior factus literis à Regina matre, consilia „de regno avito repetendo agitavit: non „enim parvæ res hæc erat difficultatis, eò quòd „non nesciret, Polonos in abitum ejus non „facilè consensuros. Primùm itaque ad 15. „Junii Cracoviæ Proceres convocat, quibus „fratris obitum exponit, caussásque addit, „cur sua in Gallia præsentia sit necessaria: „interea se nihil sinè Procerum & Ordinum „consensu acturum simulans, comitia mense „Augusto indici cupit, in quibus ea de re tra„ctaretur. Respondet Senatus, Regi tunc „præsens, dolere sibi fratris obitum, cete„rùm se sinè regni totius approbatione de „Regis discessu nil decernere posse. Orare „igitur se, Rex comitiorum sententiam haud „ægrè expectet, nec interea novi quid mo„liatur. Interim Rex clanculum mittit, qui „fidem publicam à Maximiliano Imperatore „peteret, quam haud difficulter obtinuit. „Paulò pòst Belleræus, cui omnis de profe„ctione cura erat à matre demandata, Sena„tui valedicit, sibi in Galliam necessariam „ob causam eundum, qui magnam Regiæ „supellectilis partem secum asportâsse dice„batur. Postridie Rex adversam causatus „valetudinem solitô maturiùs se somno com-

„ ponit, & nocte intempesta mandatô Regis „ porta arcis aperitur, ipséque peregrini Nobilis habitu egressus, paucis comitatus, citatis equis magnísque itineribus Plezinam primùm Silesiæ oppidum pervenit. Manè summus in urbe tumultus: undique Poloni concurrêre ad Regem insequendum. Ac quamvis ab una turma, quam Tencinius Castellanus Voinicensis regni Succamerarius ducebat, anteversus esset: tamen quia Austriæ fines ingressus erat, ex itinere retrahi non potuit. Plezinâ itaque statim post siceræ atque aquæ haustum dispositis equis Vescovium defertur, atque inde Viennam, ubi perhumaniter à Maximiliano Cæsare exceptus. Ex Austria statim literas dat ad Senatum Venetum, Ferrariensem, Sabaudum, aliquótque Italiæ Principes, quibus significat, se in Galliam redeuntem cupere per ipsorum ditiones iter instituere. Placuit Principibus, paratúrque statim ad eum excipiendum certatim universa Italia ad omnem magnificentiam effusa. „

Cicarella in vita Gregorii XIII. Papæ.

Megizerus lib. 12. cap. 13. „ Zu Wienn ward König Heinrich von Kays. Maj. gar herrlich empfangen, und demnach allenthalben durch gantz Oesterreich kostfrey gehalten, welches darumb beschehen, dan der verstorbene König Carl in Franckreich hette das Durchleuchtigste Fräulein Elisabeth des Keysers Maximiliani II. Tochter zu einem Ehegemahl gehabt &c. „

Catalogus Rectorum Viennensium suprà ad ann. 71. relatus, anno præcedenti.

Spondanus hîc n. 6. & 7.

[2.] Historia Pannoniæ hoc anno sub Amurathe.

Ortelius Redivivus ad hunc ann.

[3.] Megizerus lib. 12. cap. 12.

Ortelius ad annum 1572. inibi à nobis sub n. 3. relatus ita prosequitur: „ Da nun dises alles geschehen, und der Friedstand, den Kayser Maximilian mit dem Türcken geschlossen, zu halber Zeit verloffen, haben die Türcken mit Streiffen umb grosse Beut zu holen sich nicht lang gesäumet, mit dem Fürwenden, daß der gemachte Anstand, weil K. Maximilian das Königreich einem andern hätte übergeben, nunmehr durch solches krafftlos und auffgehoben wäre, darumb König Rudolphus zwischen Raab und Stuhlweissenburg eine Vestung zu bawen anfienge, dem Feind das Streiffen zu wehren, welche aber von den Türcken widerumb zerschleifft, und das Geschütz daselbst abgenommen und hinweg geführt ward. Da nun König Rudolphus sich dessen bey Sultan Selymo beklagte, auch mit Fürwendung, daß solches unter dem Friedstand, und ehe dann ein rechtmässiger Krieg angekündet worden, geschähe, darneben auch sein geraubtes Gut ihm wieder zuzustellen begehrte: ward ihme solches nicht allein abgeschlagen, sondern wo er weiter darumb wurde ansuchen, noch darzu getrohet. Darauff K. Rudolphus eine Legation gen Constantinopel mit Sultan Selymo einen Stillstand zu werben abfertigte. Welche aber lang allda auffgehalten wurde, und zu keiner rechten Audientz komen konnte. „

[4.] Ex Indice quodam.

[5.] E literarum monumentis.

Ann. Christi MDLXXV. Monasterii CCCCXXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XIII.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

SUmmus Pontifex hoc anno Jubilæum Romæ generale celebravit, unde magnus hominum concursus Romam factus est, in quo Gregorius suam in peregrinos liberalitatem demonstravit. *[1.]

Regnô Poloniæ Rege suo destitutô, Ordines ejusdem in electione alterius non poterant convenire, nam ejusdem regni multi competitores erant, affectabat enim hoc Maximilianus II. Imp. Ernestus ejus filius, Ferdinandus frater Archi-Dux Austriæ Tirolensis, Joannes III. Rex Sueciæ, Sigismundus ejus filius, Stephanus Batthoræus Transilvaniæ Princeps, Alphonsus Dux Ferrariæ, & Joannes Basilides magnus Dux Moscoviæ. Tandem post longam disceptationem Jacobus Archi-Episcopus Gnesnensis cum multis Senatoribus in loco pu-

publico consueto 12. Decembris hoc anno Maximilianum Rom. Imp. Poloniæ Regem renuntiavit. Altera Senatûs pars hoc indignè ferens post biduum elegit infantem Annam è Regali & antiqua Jagellonum familia oriundam, ut ipsa esset Regina Poloniæ ea conditione, ut nuberet Stephano Batthoræo Transilvaniæ Principi; qui cùm illam duxisset, confestim pro Rege Poloniæ electo & confirmato haberetur. Hinc graves tumultus exorti, sed mox sopiti. [2.] Maximilianus autem Stephano bellum movisset, nisi anno sequenti ipsum mors rapuisset. Post cujus obitum corona Poloniæ mansit Stephano præmemorato. [3.]

Interea Maximilianus Imp. cum variis morbis conflictans, nè Imperii negotiis deesse videretur, comitia Ratisbonæ hoc anno indixit, in quibus de mediis Turcæ resistendi, si Ungariam invaderet, actum, atque etiam de adjutore Imperii sibi semper infirmo asciscendo, in quod ultimum petitum Electores Imperii protinus consenserunt, & in Romanorum Regem Rudolphum ejus nominis II. Ungariæ & Bohemiæ Regem elegerunt, addiderúntque, ut Imperatore defuncto patre ille mox Imperator confirmatus esse debeat, quod & postmodum factum. [4.]

Venio ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas Laurentius scribit Wolfgango Tonrädl de Terenberg & Rechberg, exprobrans illi quandam violentiam sibi exhibitam, dum nimirum in fundo Monasterii sui, qui ante Crembsium situs, campus latè patens Zwetlensis dicitur, agrum unum excoli conetur, aliósque dicto in campo in cultura tam vinearum quàm agrorum, quibus à se concessum esse ait, impediat: neque tamen se in libro fundi, sicut Engelhardo Kornstock Magistro curiæ in Weinzierl ipsum propterea alloquenti promiserat, hactenus inscribi de more provinciæ hujus postulâsset &c. Sub dato in Monasterio Zwetl 23. Februarii, annô 1575. [5.] Sciendum, quòd ille latè patens campus ante Crembsium situs vulgò vocetur Zwetler-Haidt / & olim silva fuerat, ab Hadmaro II. Chünringio Fundatore Secundo Monasterio Zwetlensi cum aliis multis fundata, nunc autem excisâ silvâ ibidem & agri & vineæ de novo construuntur, de quibus utique servitia in nummis, decimæ de agris, sicut & de vineis cum jure montis Monasterium inde capere valet, quod ille Tonrädl denegavit, & ad se illam jurisdictionem attrahere studebat.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius & Cicarella in Gregorio XIII.

Spondanus hoc anno n. 1. „ Roma occasione Jubilæi, cujus initium posuimus in fine „ anni superioris, tanta exterorum multitudine ex omnibus Europæ provinciis fre„ quentata extitit, ut centena millia toto „ penè ejus tempore fuerint numerata: in qui„ bus etiam multi Æthiopes, Arabes, Armeni, „ Græci, aliíque Orientales populi. Grego„ rius ipse Pontifex quatuor Basilicas visita„ tioni destinatas sæpius lustravit: Scalam san„ ctam de geniculis, ùt moris est, conscen„ dit, providit ut urbs annonâ abundaret, „ ædes Pontificiæ exteris paterent, egen„ tes largitionibus juvarentur. - - - „ - - - Quæ verò præterea circa Jubi„ læum contigerint hoc anno in urbe, describit singillatim Victorellus in commentario, „ quem omnium novissimè conscripsit de Ju„ bilæis. Ubi etiam præclara religionis & „ hospitalitatis opera à plurimis Magnatibus, „ & diversis Congregationibus exhibita repe„ riuntur: adeo ut in uno Xenodochio San„ ctissimæ Trinitatis, à die Natalis vigesimô „ quintô Decembris superioris anni ad Pen„ tecosten præsentis 22. Maji, quinque men„ sium spatiô excepti hospitiô fuerint, & „ honestè aliquot diebus refecti, 96848. „ peregrini, præter reliquum anni tempus. „ Illúdque insuper notatione dignissimum „ contigit, ut quamvis per multas Italiæ ci„ vitates, totáque Siciliâ, sævissima pesti„ lentia grassaretur, nec deessent qui ex iis „ in urbem ad Jubilæum accederent; nul„ la tamen ejus morbi infectio in urbe, di„ vinâ providentiâ eam protegente, cognita „ fuerit. „

[2. & 3.] Neugebauerus lib. 9. Hist. Polon. hoc anno.

Cicarella ubi suprà.

Octavius de Strada in Maximiliano II.

Spondanus cit. locô n. VIII. „ In Polonia inter hæc convenientibus Stenziciæ regni Ordinibus, sicut anno superiori deliberatum vidimus; cùm Rex Henricus ad diem ei significatum non adfuisset, & Pibracius ab eo ad jus suum sustinendum missus, variis impedimentis in itinere detentus, adesse tempori non potuisset; denique ipsi Poloni præmissis à Pibracio literis, parum, utpote ad Regis abdicationem proniores, moti fuissent: die decimo quinto Julii decretô publicô declaratum fuit, Henricum regnô excidisse; jámque interregnum esse, non aliter quàm si is vitâ functus esset. Indictísque ad Calendas Decembris Varsaviæ comitiis novo Regi creando; rejectis ceteris competitoribus, qui multi erant (videlicet Maximilianus Cæsar, Joannes Rex Suetiæ, Alfonsus Dux Ferrariensis, Joannes Basilii Magnus Moscorum Dux) à maxima Senatorum parte *Maximilianus* electus fuit, & per Archi-Episcopum Gnesnensem proclamatus decimô quintô Decembris. Sed huic proclamationi, ùt loco & more non factæ, reclamantes multi præcipui Proceres cum maxima parte nobilitatis, & Regem ex genere ac sanguine Polono deligendum censentes, nec tamen de certo ob æmulationes convenientes; mediâ initâ viâ, *Annam* Sigismundi Augusti sororem virginem circiter quadragenariam, pietate, religione, alíisque virtutibus ornatam, Reginam constituerunt; eíque Stephanum Bathorium Transilvaniæ Principem (ab Amurate Turcorum Imperatore, cum absoluta ceterorum omnium exterorum exclusione, etiam commendatum) maritum destinârunt, ac proclamârunt. Missísque ab utraque parte ad alterius electum, qui dehortarentur à regno alteri legitimè collato adeundo; paritérque Legatis aliis ab unaquaque ad suum electum, ad ejus adventum accelerandum priusquam adversarius adveniret, cùm in eo res esse videretur ut regnum primo occupanti cederet: dum Maximilianus cunctaretur conditiones electioni appositas confirmare, nováque consilia pro electione Ernesti filii proponeret; ac propterea multis hinc inde stationibus & scriptionibus tempore inutiliter pertracto, *Stephanus* conditionibus omnibus facilè admissis, relictâ Transilvaniâ fratri suo Christophoro, ipse sese confestim itineri tradens, in Poloniam pervenit: & Anna uxore ducta, Cracoviæ Calendis Maji anni proximi Rex Poloniæ inauguratus est. Ad quam injuriam ulciscendam, suámque electionem tuendam Maximilianus, seriùs suæ tarditatis pœnitens, arma parare cœpit. „

[4.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. c. 15.

Octavius de Strada sub Maximiliano II. & Rudolpho II.

Piespordius in utroque Imp. & alii.

Ortelius Redivivus hoc anno.

Continuatio Catalogi Rectorum Viennensium hoc anno. „ 17. Julii Rudolphus II. vivo parente electus Rom. Imp. comitatu Procerum aulicorum & Provincialium stipatus, unà cum fratribus Matthiâ & Maximiliano Archid. eques Viennam ingressus est, cui strictum ensem prætulit Conradus Baro de Pappenheim Imperii hæredit: Mareschallus, arcus triumphalis ad rubeam urbis portam erectus, & ibidem à Senatu Vien. exceptus, sub umbella usque ad portam Cæmiterii D. Stephani deductus, ubi equo descendens Imperator à Rectore Universitatis sub alia umbella in Templum introducitur. Joannes Marbius mirabili quadam inventione Aquilæ automaton confecerat, quod certis organis intus latentibus instructum de turri S. Stephani avolando in umbella supra caput D. Rudolphi Imp. ad stuporem omnium conquievit. „

[5.] E literarum monumentis.

An. Christi MDLXXVI. Monasterii CCCCXXXVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XIII.	Maximilianus II.	Idem Maximilianus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

HOc anno dum Maximilianus II. Imp. exercitum ad bellum Polonis inferendum, ejiciendúmque Batthoræum parat, 12. Octobris in conventu Ratisbonensi, præmissa Rudolphi II. coronatione, cùm supervixisset annum quin-

quinquagesimum, vitam cum morte commutavit, cujus corpus post aliquot menses solenni cum pompa Pragam translatum, prope parentem sepultum fuit. Cui protinus Rudolphus II. in Imperio successit, qui cum Amurathe Turcarum Imperatore à Persarum Rege bellô impetito pacem per octo annos temporariam confecit. *[1.]

Pro Monasterio suo Zwetlensi sollicitus Laurentius Abbas fieri curavit ex ferro loricas sex cum manicis suis pro equitibus, quos Imperator Maximilianus contra Stephanum Batthoræum conscripserat, muniendis, quas ipsi faber loricarum civis in Bavaria Landshuttanus, quamlibet pro 12. florenis æstimatam miserat sub dato Landshuttæ 19. Martii, annô 1576. [2.] Quæ loricæ ex parte adhuc supersunt, nam obitus Imperatoris bellum illud sopivit.

ADDITIONES.

*[1.] Piespordius in Maximiliano II. & Rudolpho II.

Octavius de Strada in iisdem.

Megizerus in Annal. Carinth. lib. 12. c. 15.

Neugebauerus lib. 9. hoc anno.

[2.] E literarum monumentis.

An. Christi MDLXXVII. Monasterii CCCCXXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XIII.	Rudolphus II.	Ernestus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Laurentius.

RUdolphus II. ab obitu patris in Imperio confirmatus suam in Regia arce Pragensi residentiam posuit, atque fratri suo Ernesto Archi-Duci Ungariam & Austriam vicario nomine regendam commisit, usque dum ab Hispaniarum Rege in Belgarum Principem declaratus esset, qui Austriam eousque fermè per septemdecim annos rexit. *[1.]

Demum Laurentius Abbas in Zwetl post multos exantlatos labores & continuum cum morbis conflictum decimô quintô Calendas Decembris, id est, 17. Novembris ex hac vita migravit, sepultus vigesimâ tertiâ Novembris, funus ducente Præposito de S. Dorothea, & illud comitantibus quodam Doctore de Vienna cum quinque famulis eorum, item Plebanis vicinis, Præposito Clara-Vallensi, qui suos adduxerat cantores cum aliis plurimis civibus & subditis. [2.] Bonus Pater ætatis annos habebat quadraginta duos, semper valetudinarius ad finem usque, ut sæpe thermis uti cogebatur: decem annis Abbas fuit, mense Junio Annô MDLXVII. installatus, atque hoc anno 17. Novembris mortuus. [3.] De cujus obitu ita ad ejus genuinam pictam imaginem versus sonant:

„ Præfuit hic Claustro decem Laurentius annis,
„ Tunc Superis cessit terris populísque relictis,
„ Plurima quem pietas, & claris inclyta factis
„ Gloria, quem laudat pariter nunc vivida virtus,
„ Iste etenim reliquos memores, oculísque reliquit,
„ Qui minùs ut mitram peteret, mors causa retardans. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Piespordius in Ernesto II.

[2.] E literarum monumentis & Cellerarii rationibus & Indice.

[3.] Recentior Abbatum Zwetlensium Catalogus.

[4.] Ex prototypo ejusdem.

INCIDENS.

Histor. Rerum Ungaricar. „ Annô 1577. „ in Novembri Begus Villacensis urbem Sixo, „ quæ in Superiori Pannonia est, dum mercatus annuus celebraretur, improvisò obruebat, & inermes illos cimerterris dissecans bona eorum diripiebat, bis mille ex „ iis copulatos, equorum instar secum abducens dum ad suos retrocederet, nostri eum „ persecuti sunt, & ope Ungarorum rusticanorum captivos ipsi eripuerunt; multos etiam „ primarios Turcarum partim occiderunt, partim captivos abduxerunt, domum reversi „ sunt prædâ onusti. „

Item Ortelius ad hunc annum addens sequentia: „ Eben dis Jahr schickte der Bassa „ von Ofen, aus Geheis und Befelch des Tyrannen Amurathis, 100. Centner Pulver gen „ Temeswar, als nun solches der Beglerbeeg „ daselbst auff das Schlos tragen lassen, ist „ unversehens Fewer in das Pulver kommen, „ so das Schlos, Stadt, und Mauren in Grund „ verderbt, zersprengt und zerrissen. Ein „ gleiches Unglück betraff auch die Stadt Canischa, als der Donner vom Himmel herab „ in den Pulver-Thurn geschlagen, und sampt „ demselben bey 300. Menschen unter denen „ auch den Obersten sampt Weib und Kind „ auch seinen Eyden zerschmettert, und jämmerlich durchs Fewer hingerichtet. Wie „ auch gleiches falls dieser Zeit die Ungarische Hauptstadt Ofen grossen Schaden vom „ Wetter erlitten. „

Continuatio Catalogi Ederiani hoc anno. „ 9. Julii nascitur Græcii Tauriscorum „ Ferdinandus Caroli primus filius, postea „ dictus hujus nominis Secundus Romanorum Imperator, cujus memoria ob literatorum amorem sit in perpetua Dei benedictione. „

Annus Christi MDLXXVIII. Monasterii CCCCXL.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbatia Zwetlensis* Vacat.

HOc anno mortuus est Joannes Austrius ætatis suæ trigesimô secundô annô, eo ipso die, quem ille ob Lepantinam & Tunetanam victorias, festum agere consueverat. Cui exequiæ ingenti pompa celebratæ fuêre; & corpus in majus Namurci Templum deportatum; atque inde post sacra peracta in Hispaniam delatum, & juxta Caroli V. patris ejus monumentum in Scuriali Monasterio postea conditum. * [1.]

Dum Zwetlensis vacaret Abbatia, fermè etiam nihil ex literis memorabile erui potest, hoc invenitur, quòd 15. Martii Commissarii Cæsarei in Monasterium venerint, qui nominantur Dominus Oexel & Proy. [2.] Quòd autem alterius Abbatis electio tam diu prorogabatur, nullam aliam causam intervenisse existimo, quàm Cæsaris absentiam, qui Pragæ residebat.

* [1.] Spondanus n. 1. hoc anno.

[2.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDLXXIX. Monasterii CCCCXLI.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbatia Zwetlensis* Vacat.

MEntio adhuc habetur P. Marci tanquam Monasterii Zwetlensis Administratoris, inprimis 30. Martii, deinde 25. Aprilis. * [1.] Item à Josaphat Isperer de Gerestorf curiæ Campi-lilienfis inter vinitores ante Crembsium Præfecto ratione colonorum in Kiebach Campi-lilienfium sub dato Weinzierl 5. Maji,

5. Maji, annô 1579. [2.] Tandem Joannes Jacobus à Greiss in Wald scribit Marco Priori & Administratori propter quandam lustrationem in Schweickers suscipiendam in causa injuriarum coloni sui ibidem habitantis sub dato Gmünd 23. Julii, annô 1579. [3.] Ex his allatis testimoniis patet, P. Marcum Priorem adhuc Monasterii administrationem habuisse. Quamdiu autem illam habuerit, brevì patebit.

ADDITIONES.

*[1.] E literarum monumentis.

[2. & 3.] Ex Autographis ipsorum, Ortelius. „ Annô 1579. Ertz-Hertzog „ Carl von Oesterreich, bauete in diesem Jahr „ die neue Vestung Carlstadt, da vorhin der „ Fleck Dabratz gelegen, dem Türcken das „ Streiffen dardurch zu benehmen. „

Annus Christi MDLXXX. Monasterii CCCCXLII.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Joannes V.

TUrcæ Superiorem Pannoniam Scepusii usque depopulabantur, vicos complures diripiebant & flammis prorsus exurebant, multos etiam Christianorum secum abripiebant, sed dum retrò ad suos vergerent, à nostris propè Agriam fusi sunt, & ita captivi & præda recuperata est. *[1.]

Joannes Rüoff Ordinis S. Benedicti Professus in Monasterio Mellicensi à Cæsare Rudolpho II. per diploma in Abbatem Zwetlensem confirmatus, hoc anno installatur, [2.] cujus installationem nemo meliùs describere valet, quàm coævus Scriptor, qui postmodum ejus Professus extitit, cujus placet verbotenus textum referre: „ Annô Salutis humanæ 1580. in solenni festo Assumptionis B. V. Mariæ Matris Dei facta est „ præter ordinem quidem, constitutio „ novi Abbatis in hoc Monasterio „ Zwetl Ordinis Cisterciensis: sed quasi „ necessitate fiebat, ex mandato Imperatoris Rudolphi II. & dispositione „ Consiliariorum Ecclesiasticorum, per „ quos adductus est Reverendus Dominus Joannes Rüoff, qui erat ex Ordine S. Benedicti, & ex Monasterio „ Melck Professus. „ [3.] Hucusque ille, qui Joannes Zehetner vocabatur sæcularis Sacerdos, postea Religiosus Zwetlensis.

ADDITIONES.

*[1.] Histor. rerum Hungaric. hoc anno sub Rudolpho II.

[2.] E literarum monumentis.

[3.] Ex Autographo ipsius.

Annus Christi MDLXXXI. Monasterii CCCCXLIII.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Joannes V.

LOngo tempore disceptatum erat de infulatione Prælatorum, quia Ordinarii locorum aliquem infulâ inaugurandi Prælatum sui muneris esse prætenderunt, quod quidem in suos sibi immediatè subjectos verum erat, sed in ex-

emptos & privilegiis gaudentes difficultabatur; unde factum, ut multi Abbates præsertim Ordinis Cisterciensis sinè infula diu vixerint, utì etiam in Monasterio Zwetlensi, Laurentius, Martinus, Josephus, & Jacobus infulati non fuerunt. *[1.] Laboravit itaque Joannes Rüoff, ut infulâ insigniri possit, quam & obtinuit, sicut coævus scribit: „ Annô 1581. 2. die Februarii in festo „ Purificationis B. Mariæ prædictus D. „ Abbas Joannes Rüoff inauguratus est „ sacrâ infulâ in hoc Monasterio suo à „ Reverendissimo Domino Episcopo & „ Suffraganeo Pataviensi, cui nomen „ proprium erat Hector Wegmon, S. „ Theologiæ Licentiato. „ [2.] Hæc ille. De infula à se obtenta ipsemet Rüoff carmine notari curavit taliter:

„ Mitram virtutis loco, fideíque ministram
„ Suscipiens; has picturas fieríque curavit.

Sciendum tamen est, Abbati Joanni III. de Aegra in Zwetl & ejus successoribus Nicolaum Papam V. ante 131. annos, nimirum Annô MCCCCL. infulam concessisse, sic ad infulam quidem hujus Monasterii Abbates habiles fuerunt, sed deinceps non erat, qui eos infularet, cùm Generali ea potestas donata sit, qui quandoque raró ad has partes venit, & ad eum extra provinciam proficiscendi licentia difficulter dabatur. Modò tamen eandem potestatem suis Vicariis, Commissariis, & Visitatoribus ex privilegio subdelegare potest.

Porro non prætermittendum est enarrare, quod in vicinitate geritur, Præposituræ enim Zwetlensi seu Claravallensi vacanti rursum hoc anno alius substituebatur, nam Melchior Kleselius Philosophiæ Doctor & Theologiæ Licentiatus, Præpositus Viennensis, Archi-Gymnasii Cancellarius, Wratislaviensis Canonicus, Episcopi Pataviensis Urbani Consiliarius, ejusdem infra Onasum Vicarius & Officialis, ad præsentationem Ernesti Archi-Ducis Austriæ loco & nomine fratris sui Sac. Cæs. Majestatis Rudolphi II. præficit Præposituræ S. Salvatoris Claræ-vallensi extra muros oppidi Zwetl sitæ, tunc per obitum D. Joannis Zenoniani J. U. Doctoris ultimi ejusdem possessoris vacanti, Dominum Udalricum Häckel Presbyterum & Canonicum ad S. Stephanum Viennæ, & eundem investivit per libri, clavium, & annuli traditionem, nec non & stolæ Sacerdotalis impositionem. Datum & actum in Præpositura Claravallensi extra muros oppidi Zwetl sita 3. Octobris, annô 1581. [3.] Non quidem hac die, sed in festo Michaëlis installatus fuit, quod ipse propria sua manu fatetur, unde tantùm hæc dies Datum est literarum desuper factarum. Hic postmodum Abbas Zwetlensis constitutus fuit, cujus sæpiùs inferiùs fiet mentio.

Demum etiam hoc anno Joannes Zehetner Ordinem Cisterciensem in Monasterio Zwetl amplexus est, sicut ipse de se hoc annotat, ait enim: „ Annô 1581. 21. die Maji, in qua erat „ vigilia SS. Trinitatis ex instinctu di„ vino & deliberatione sufficienti con„ tulit se ultrò, & venit ad Monaste„ rium Zwetl Joannes Zehetner, na„ tione Austriacus ex oppido Mödling, „ qui erat Catholicus Sacerdos, cujus „ pia intentio & sanctum propositum „ fuit ingrediendi Ordinem Cistercien„ sem, qui Ordo sibi præ ceteris placuit, „ quasi esset suô arbitriô medius Ordo, „ non adeo strictus, nec adeo remissus „ &c. „ [4.] Hæc ille.

ADDITIONES.

*[1.] E literarum monumentis.
[2.] Joannes Zehetner in sua annotatione.
[3.] Ex Originali ejusdem.
[4.] P. Joannes Zehetner in sua mp. scripta annotatione.

Annus

Annus Christi MDLXXXII. Monasterii CCCCXLIV.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Patavienfis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Joannes V.

CAlendarium Romanum Gregorius Pont.Max. variis mutationibus obnoxium, insignium Mathematicorum operâ correxit, opus sanè utile & memorabile, quod à pluribus antecessoribus frustrà cœptum ipse persolvit, de qua re diploma Pontificium edidit. *[1.] In anno non omnes conveniunt. Vocatur ab ipso Calendarium Gregorianum.

Cum Joanne Abbate cives Zwetlenses vicinitatis bonæ immemores lites incœperunt, unde ipse permotus subditis suis prohibuit, ne quicquam vendibile in civitatem afferrent, quare ipsi Cæsari supplices facti obtinuerunt contra Abbatem mandatum. Unde Rudolphus II. Imperator quærit ex Abbate, rationem dicat, cur in civitatem Zwetlensem ad ejus septimanale forum à suis subditis necessaria ad victum afferri prohibeat. Sub dato Viennæ 23. Junii, annô 1582. [2.] Excusatione dein data & acceptata, lis quoque mota finem habuit. Cum pannificibus ibidem Abbas etiam litigabat, qui ita perfrictæ frontis erant, ut ipsius personam, cùm in domo sua fuisset recenter ædificata, detinere voluerunt, jam Lutherizantes. [3.] Imperator tunc Viennæ erat, & inde Posonium descendit res Ungariæ constituens. [4.]

Porro Joannes Wilhelmus Liber Baro de Rogendorf & Mollenburg, Summus & hæreditarius Domûs Provincialis Præfectus, Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Mareschallus Austriæ scribit Joanni Abbati, & testimonium dare petit tanquam citatus testis à Nobili Viro Sigismundo Leisser de Idoltsperg & Cammern, propter decimas quasdam in dominio Kobolspurg sitas, in causa illarum contra Michaëlem Ehamb Doctorem ac Episcopatûs Pataviensis generalem Curatorem. Sub dato Viennæ 13. Julii, annô 1582. [5.]

De bello Turcico hæc habet Historia Pannoniæ: Pace adhuc vigente, sexaginta millia Turcarum coïerunt, qui duce Sanzaco Superiorem Pannoniam incursârunt, Zapoliam devastantes, vicos aliquot flammis absumentes, multos in captivitatem ducentes, & ingentem prædam avehentes. Verùm in reditu à militibus Cæsareanis prope Agriam magna ex parte cæsi sunt, & bona ab ipsis recuperata. [6.]

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Gregorio XIII. annô 1581., quem sequitur Neugebauerus Histor. Polon. lib. 10. eodem anno.

Cicarella in eodem Pontifice annô 1582. Spondanus hoc anno n. 14. 15. 16.

N. 17. „ Adversùs hanc tamen tanto labore, tótque rationibus & argumentis fundatissimam emendationem, erupêre ex castris hæreticorum, tympanum illud orbis Josephus Scaliger Commentariis de Emendatione temporum, & Elencho anni Juliani; ac Michaël Mæstlinus, Tubingensem Mathematicum profitens, ventosô ingeniô homo, in Examine Calendarii Gregoriani; quo in ipsa inscriptione omnes provocat ad respondendum, nisi velint haberi impostores. Verùm utriusque inanes conatus, simúlque alias undiquaque allatas objectiones, plenissimè diluit ac confutavit celeberrimus è Societate JESU earum scientiarum & Theologiæ Professor Christophorus Clavius Germanus: pleniúsque etiam postea eumdem Scaligerum exagitavit ejusdem Societatis Professor, omnis literaturæ, Matheseos & historiæ peritissimus, Dionysius Petavius Aurelianensis. In eamdémque rem Hugolinus

„ Martellus Episcopus Glandatensis Assertionem sacrorum temporum scripsit, & Clavem Calendarii Gregoriani etiam edidit. Qui verò huic Calendario contradixerunt hæretici, non id quidem præcipuè præstiterunt, quòd errorem in eo esse animadverterent, aut non antiquum correctione indigere scirent; sed vel ob invidiam, quòd ipsi universales omnium rerum atque scientiarum reformatores, non id quoque reformâssent; vel nè in ejus comprobatione viderentur auctoritatem agnoscere Romani Pontificis. Quo factum est ut in comitiis à Rudolpho Cæsare mense Julii Augustæ Vindelicorum celebratis, cùm nemo Principum aut Civitatum Protestantium illud admittere vellet, Cæsar negotium differre habuerit. In regno autem Galliæ Christianissimo, Regiô edictô ad principium Novembris conditô, & in Senatu Parisiensi promulgatô, receptum fuit: sicuti & in Catholico Hispaniarum, & Polonico, alisque Catholicis ditionibus Principum, atque etiam non paucis hæreticis in ipsa Germania, & Belgio, & alibi. Adeo ut etiam in eadem Germania inter Protestantes Bartholomæus Scultetus Gorliciensis Senator & clarus Mathematicus, cùm primùm prodiisset, illud omnino approbans curaverit per universam Lusatiam recipi, scriptúmque ediderit contra ejus obtrectatores: quos in clarissima luce cæcutire ait, & stupidissimos ac prorsus alienos à mente esse, qui non perciperent quantum hoc perfectiùs existeret antiquô. Et inter rationes, quas adversarii objiciebant, & ipse confutat, primô locô eam ponit, qua dicerent non quid, sed quis diceret spectandum esse: quasi scilicet, inquit, res ipsa per se optima ob malevolentiam jactam in personam, non sit procuranda, sed simul cum eadem rejicienda. „

[2.] Ex mandato Cæsaris proprio.

[3.] Hæc ex Relatione Seniorum.

[4.] Historia Pannoniæ sub Rudolpho II.

[5.] Ex Autographo ipsius.

[6.] Historia Pannoniæ ubi suprà.

Ortelius Rediviv. hoc anno. „ Der Sangiack von Solnock streiffete mit 6000. Türcken auff Zips, plünderte und verbrannte Onod, führete viel gefangene Christen mit sich hinweg, aber die Kayserischen, so auff den Gräntzen lagen, haben den, als sie bey Erlaw fürüber musten, auf den Dienst gewartet, sie überfallen, und ein Treffen mit ihnen gethan, wiewol ihnen die Türcken an der Zahl oblagen. Den Kayserischen kamen zu Hülff 2000. Ungarische Raisigen, so man Hussaren pflegt zu nennen. Indem nun diese mit den Türcken schlugen, kamen auch 150. Archibusier, die setzten auf der Seithen in die Türcken, trennten dardurch ihre Ordnung, also, daß die Türcken die Flucht nehmen musten, die Gefangene aber erlöst, und ihnen die eroberte Beuten wieder abgejagt wurden. „

Annus Christi MDLXXXIII. Monasterii CCCCXLV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XIII.	Rudolphus II.	Ernestus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Joannes V.

LItem hoc anno Monasterio Zwetlensi movit Christophorus de Praga Liber Baro in Engelstain, qui à Parochia Monasterii Schœnauiensi Sacellum seu Filiale ipsius ad S. Wolfgangum dictum in pago Pfaffenschlag situm violenter abstulit, asserens illud ad dominium suum Engelstain pertinere: hinc Joannes Abbas coactus est dictum Baronem apud Cæsarem Rudolphum II. Pragæ residentem atque Archi-Ducem Austriæ Ernestum ejus provinciæ Gubernatorem accusare, & injustè abalienati S. Wolfgangi Sacelli restitutionem petere; verùm ille de Prag Lutheranæ sectæ addictus mandatis præfatorum Principum non obtemperavit. De qua lite sequentibus annis plura scribentur.

Annus

Ann. Christi MDLXXXIV. Monasterii CCCCXLVI.

Pont. Rom. Gregorius XIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Joannes V.

TUrcarum Imperator præcedentis anni suorum clade valde commotus erat, ast ubi intellexit, Turcas nullâ provocatos injuriâ priores petulanter Christianos incursâsse, paulatim detumuit, atque ultro expetivit pacis conditiones posthac illibatas continuari. Ea ratione inter Romanorum Imperatorem Rudolphum II. & Sultanum Amurathem III. pax denuo constituta fuit in octennium integrum, quæ Annô MDLXXXIV. ipsis Calendis Januarii cœpit. *[1.]

Ernestus Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis &c. nomine Cæsaris mandat Abbati Joanni in Zwetl, quatenus aliquot canes venaticos cum eorum curatore alere faciat. Sub dato Viennæ 29. Januarii, annô 1584. [2.] Vid. etiam suprà Annô MDLXVI.

Porro Urbanus Pataviensis Episcopus Concilio Tridentino inhærens matrimonia Sacerdotum in sua Diœcesi vetuit, unde eos etiam à quocunque Parocho copulari noluit. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Historia Pannoniæ hoc anno. Ortelius suprà ad annum 1582. sub n. 6. relatus.

[2.] Ex Decreto ipsius proprio.

[3.] E literarum monumentis.

Ann. Christi MDLXXXV. Monasterii CCCCXLVII.

Pont. Rom. Sixtus V. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

GRegorius Papa XIII. hoc anno febre correptus 10. Aprilis Romæ in Palatio Vaticano Annô ætatis 84. de vita migravit. *[1.] Cui in Pontificatu successit electus F. Felix Perettus Cardinalis de Monte-Alto Ordinis S. Francisci Conventualium seu Minorita, vocatus Sixtus V. [2.] De quo B. Malachias Hiberniæ Primas ita vaticinatus est: Axis in medietate signi. Sixtus V. enim axem in medio leonis in armis gestabat.

Joannes Rüoff jam per Melchiorem Kleselium à Cæsare Rudolpho Abbatiam S. Crucis obtinuerat, & per ejusdem sui conterranei auxilium Udalricus Hackelius Præpositus & Decanus Clara-Vallensis Abbatiam Zwetlensem per cessionem Joannis Rüoff tunc vacantem; unde Udalricus Hackel, qui jam se electum Abbatem in Zwetl nominat, Archi-Episcopo Salisburgensi Joanni Jacobo scribit rogans nomine Laurentii Abbatis nuper in Christo defuncti ac totius Conventûs pro salis fundatione hactenus consueta. Sub dato in Monasterio Zwetl 4. Februarii, annô 1585. [3.] Nihilominus Joannes Rüoff talis adhuc 19. Octobris hoc anno vocatur, quia Udalricus primùm anno sequenti installatus fuit.

ADDITIONES.

* [1.& 2.] Cicarella in Gregorio XIII. & Sixto V.

Ciaconius in iisdem. „ Gregorius aggres-„ sus Religionis Catholicæ propagationem, „ & Ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem „ sedulò curavit. Magno enim ære Maximi-„ lianum Imperatorem, Hispaniæ & Galliæ Re-„ ges, qui adversùs hæreticos præliabantur, „ adjuvit: tria & viginti Collegia in diversis „ orbis partibus extruxit & annuo reditu lo-„ cupletavit. Ex quibus, Romæ sunt Ger-„ manicum, Britannicum, Neophytorum, „ Græcorum, Marronitarum, & quod Roma-„ num vocamus, ubi à Societatis JESU Pa-„ tribus non minùs scientiarum, quàm virtu-„ tum ornamentis Romana juventus institui-„ tur &c. „

Spondanus in hunc ann. n.13. „ Con-„ tigit Gregorium repentina infirmitate ex „ hac vita migrare. Qui cùm die Aprilis octa-„ va Consistorium de more habuisset, decimâ „ post meridiem pituita fauces obstruente ex-„ tinctus est; haud quidem sacrâ sumptâ Eu-„ charistiâ, sed Extrema Unctione ritè cura-„ tus: annô ætatis octogesimô tertiô, mense „ tertio; Sedis decimô tertiô minus duobus „ & triginta diebus; quem defunctum Ste-„ phanus Tuccius è Societate JESU oratione „ funebri laudavit.

N. 14. „ Post Novemdialia, cùm Patres „ ingredi debuerunt Conclave, M. Antonius „ Muretus Gallus Lemovix Orator clarissimus, „ gravem ad eos orationem habuit; qua eos „ hortatus est eum Pontificem deligere, in „ quo nec Pii V. pietatem, nec Gregorii XIII. „ cum pietate conjunctam prudentiam Orbis „ Christianus desideraret. Ingressi autem „ Conclave ipso die Paschatis, vigesimô pri-„ mô Aprilis, duo & quadraginta Cardina-„ les; tertio pôst die, nempe vigesimô quartô „ ejusdem mensis, creârunt communi consen-„ su, Felicem Perettum, Italum Picentem, hu-„ millimo vico Cryptis, (vulgò Grotas vo-„ cant,) qui Montisalti castro Ripanæ dioe-„ cesis subjectus est, natum annô Christi „ 1521. 13. Decembris, pauperrimis parenti-„ bus Perreto de Monte-Alto, qui manuum „ labore agro serendo vitam ducebat, & Ma-„ rianâ de Camerino. Quam ortûs humili-„ tatem non solùm ipse numquam postea eru-„ buit, verùm etiam de ea frequenter gloriari „ solitus fuit. Qui annô ætatis 12. Asculi „ in Ordinem Fratrum Conventualium S. „ Francisci admissus, adeo in literis & disci-„ plinis profecit, ut doctissimus, & Verbi Dei „ præco insignis habitus fuerit. - - - - - - - „ Cepit verò nomen Sixti V. in memoriam „ Sixti IV. qui ex eadem Familia Franciscana „ centum antè annis Sedem Apostolicam re-„ xerat: & Symbolum, *De ventre matris meæ tu es Deus protector meus.* „

[3.] E literarum monumentis.

An. Christi MDLXXXVI. Monasterii CCCCXLVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus V.	Rudolphus II.	Ernestus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

SCripsi anno priori Joannem Rüoff Abbatiam in Sancta-Cruce obtinuisse, cui de Abbatia obtenta Casparus Abbas Altenburgensis gratulatur sub dato Altenburgi 11. Januarii, annô 1586. *[1.] Successit enim Udalrico S. Crucis Abbati defuncto. [2.]

Ut autem ordine procedam de Hackelii installatione, fuit ille, sicut propria manu fatetur, [3.] in festo S. Georgii in Abbatia per Visitatorem & Cæsareos Commissarios installatus, reclamante & contra hunc actum protestante Conventu. Visitator nihilominus Cæsaris mandatum executioni dedit, & super installatione ipsi designato Abbati Udalrico Hackl contulit confirmationis literas, quarum initium tale est: „ In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritûs „ Sancti, Amen. Nos F. Joannes Abbas Monasterii S. Crucis, Regulæ S. „ Benedicti, Ordinis Fratrum Cisterciensium in Austria Inferiori, necnon „ Monasterii Zwetlensis ejusdem Ordinis ac Provinciæ Visitator, Venera-„ bili

„ bili nobis in Christo sincerè Dilecto „ Domino Udalrico Hackelio quon- „ dam Præposito Zwetlensi in Clara- „ Valle, & postulato Abbati Monaste- „ rii Zwetlensis Ordinis Fratrum Cister- „ ciensium, Passaviensis Diœcesis, Sa- „ lutem in Domino sempiternam & „ omne bonum, &c. Datum in Cœ- „ nobio Zwetlensi 24. Aprilis, annô „ Salutis 1586. „ [4.]

F. Joannes Abbas S. Crucis & Visitator. (L.S.) F. Christophorus Secretarius.

Ceterùm Abbas Hackelius natus Viennæ honestis parentibus, & coævus Melchiori Kleselio conterraneo suo, cui admodum familiaris & intimè conjunctus, in omnibus ipsum promovere studuit, bonis literis ibidem operam dedit, ad quas non deerat ipsi ingenium, pietate & virtute comite ad Sacerdotium aspiravit. Quando verò illud acceperit & quando promotus fuerit ad dignitates, nemò veriùs quàm ille ipse scribere potuit, ejus enim manus propria in primo suo novo Breviario exarata sic invenitur: „ Nota, die 3. Octobris anni „ 1577. incepi orare Officium hoc, po- „ stea 22. Decembris anni ejusdem fa- „ ctus Presbyter. Annô 1578. in die „ Epiphaniæ celebravi primum Sacrum „ in Templo Jesuitarum Viennæ. Udal- „ ricus Hackelius Canonicus Viennen- „ sis. Annô 1579. ante festum Bartho- „ lomæi factus sum Parochus in Xeno- „ dochio Viennensi, & fui Parochus „ per annum & medium. Annô 1581. „ in festo Michaëlis installatus ad Præ- „ posituram Zwetlensium. Annô 1586. „ in die Georgii installatus in Abbatia „ Zwetlensi. „ [5.] Hæc ille propria manu de se testatur.

ADDITIONES.

* [1.] Ex literis ejus Abbatis.
[2.] Ex Catalogo Abbatum S. Crucis.
[3.] Ad Breviarium ejus novum.
[4.] E literarum monumentis.
[5.] Ex Breviario ejus novo ubi hæc propria manu scripsit.

An. Christi MDLXXXVII. Monasterii CCCCXLIX.

Pont. Rom. Sixtus V. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.
Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

STephanus Batthoræus vel Bathorius (utroque nomine appellatus invenitur) Rex Poloniæ & Transilvaniæ Princeps hoc anno diem suum obiit, post cujus obitum multi Regni Poloniæ competitores erant, nimirum Rudolphus II. Imperator, Dux Parmensis ex Italia, Cardinalis & simul Transilvaniæ Princeps Batthoræus defuncti Regis consobrinus, Dux Ferrariensis Polonicæ gentis præsertim peregrinorum fautor, Joannes Samoscius magnus Regni Cancellarius, aliique ejusdem Regni Proceres, Sigismundus Princeps Sueciæ, & Maximilianus Archi-Dux Austriæ. Aliis omnibus supranominatis non acceptis, duæ factiones electorum pertinaciter duos pronuntiârunt Reges Poloniæ, nimirum Maximilianum Austriacum, cui etiam Pontifex favebat, & Sigismundum Suecum. Hi de sua electione certiores facti in Poloniam ad capessendum regnum properârunt, sed Maximilianus à factione alterius partis Cracoviâ exclusus, in Silesiæ fines cum aliquali exercitu se recepit, & ibi à Cancellario regni in deditionem acceptus, operâ Cardinalis Aldobrandini à Sixto Papa V. eum

in finem illuc missi anno sequenti libertati restitutus est, & pax inter Sigismundum III. pro Rege Poloniæ denunciatum, & Domum Austriacam stabilita fuit. * [1.]

Redeo ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas Udalricus Hackelius à Deputatis Austriæ Inferioris Viennam citatur, quem ex Prælatorum Statu delectum vulgò Außschuß eligunt & constituunt sub 1. Januarii, annô 1587. [2.]

Memor Abbas Udalricus juramenti sui ablata à Monasterio suo studuit recuperare, unde ab Ernesto Archi-Duce supplex petiit eum in finem sibi facultatem dari pro redimendo prædio in Cammern, quatenus 4000. florenos mutuò accipere, & locò pignoris aliquot Monasterii bona immobilia exponere possit. Cui Archi-Dux consensum dedit ad dictam pecuniæ summam requirendam cum hoc additamento, ut annis quatuor finitis ea bona impignorata suo Monasterio redimeret sub dato Viennæ 24. Aprilis, annô 1587. [3.] Erat autem, sicut hoc diploma sonat, prædium illud in Cammern ab Erasmo Leisser quondam Abbate in Zwetl fratribus suis germanis ad successorum suorum redemptionem perpetuam venditum, cujus tunc Sigismundus Leisser ex eadem familia possessor erat. Cujus prædii ipsemet Abbas in suarum ædificationum libro mentionem facit, quod, ait, ultra sexaginta annos Leisseros possedisse, cùm Annô MDXLII. ab Erasmo Abbate illud venditum fuerat, ad quod pertinent 38. quartalia vinearum, 38. subditi, & 40. jugera agrorum. Redemit autem illud per 2200. florenos. Hoc etiam anno Monasterio restituit sedecim subditos in Obernhof ante 48. annos venditos, quos à Jona Bschenig per 748. florenos recuperavit. Præmissa verò non tantùm redemit, sed etiam alia pro Monasterii necessitate & commodo reparavit & reædificavit, utì fuit molendinum in villa Monasterio adjacente unà cum serra, quod destructô antiquô ruinæ proximô ex fundamentis excitari, rivíque fundum stratis asseribus & repagulis ligneis muniri fecit. Renovavit etiam hoc eodem anno Claustrum cum Altaribus & Sacellis in Templo. [4.]

Nota jam erat Hackelii in rebus agendis dexteritas, unde à Deputatis Provinciæ Ordinariis Viennam citatur, quatenus 23. Novembris ibidem compareat, in Collegio Rationum Domûs Provincialis Præsidem acturus sub dato Viennæ 6. Octobris, annô 1587. [5.] An hoc officium Hackelius susceperit me latet, non enim ille hujus mentionem facit, & cùm ob illud continuò Viennæ hærere deberet, in suo Novitiatu progredi non potuisset.

ADDITIONES.

* [1.] Cicarella sub Sixto V.

Neugebauerus, quoad diem obitûs anno præcedenti, quo finit historiam suam, quem Spondanus sequitur dictô annô N. 15. Ad hunc verò annum de electione novi Regis ita prosequitur:

N. 9. „ Tertius (*Competitor*) erat Theo„ dorus Magnus Moscoviæ Dux, qui uni„ versam ditionem suam à finibus Livoniæ ad „ mare Caspium usque pertinentem adjunctu„ rum se regno Poloniæ promittebat: eám„ que conditionem Lituana nobilitas, quæ „ Moscorum finitima maximè ab iis vexaba„ tur, multíque alii amplectendam censebant; „ quamvis plerique prudentiores seriò hæc à „ Mosco offerri vix sibi persuaderent. Quartô „ locô numerabantur qui *Piastum*, hoc est ex „ Proceribus Polonicis aliquem virtute cla„ rum eligendum volebant; quòd expedire „ dicerent ut is Rex designaretur, qui linguam, „ mores, ac jura gentis perspecta haberet, „ potiùs quàm extraneus, qui ea ignoraret „ magnô Reipublicæ detrimentô. Denique „ & Amurates Turcorum Imperator per Ve„ zirum suum Polonis significari mandavit, „ cupere se ut is Rex designaretur, qui ami„ citiam & cultum Turcico nomini exhiberi „ solitum tueretur: ac liberam quidem relin„ quens omnino electionem, unum tamen ex „ filiis fratris Stephani defuncti Regis, vel

„ ipsum

„ ipsum Transilvaniæ Principem commen-
„ davit.

N. 10. „ Auditis omnium Legatis, scissa
„ fuerunt in varias partes electorum studia:
„ sed post multas demum altercationes, &
„ secessiones, duo prævaluerunt; Maximilia-
„ nus videlicet Austrius, quem electus Epi-
„ scopus Kiovensis, cum nonnullis Proceri-
„ bus, è familiis præcipuè Sboroviorum & Ra-
„ devilliorum, Regem proclamavit duodeci-
„ mô Augusti: & Sigismundus Suecus, jam
„ triduo antè, nempe nonô ejusdem mensis
„ Augusti, ab Archi-Episcopo Gnesnensi, ce-
„ terisque omnibus regni Episcopis, Zamo-
„ scio magno Cancellario, & summo exer-
„ cituum regni duce, Vice-Cancellario, Ma-
„ rescallo, Thesaurario, aliisque præcipuis
„ regni Ministris, ac Senatoribus & Palatinis,
„ plurimáque nobilitate, renunciatus; cùm
„ ob prærogativas quas superiùs diximus; tum
„ quòd indoles in eo præclara eluceret, ac-
„ cederétque linguæ Polonicæ peritia; ac spes
„ esset sic compositum iri multas controver-
„ sias, quæ inter Suecos & Polonos interce-
„ debant. Propositis deinde singulis electis
„ à suis electoribus certis conditionibus, ab
„ iis subscribendis & jurandis; Maximilianus
„ quidem oblatas sibi ratas habuit Olomuciæ
„ decimô septimô Septembris, & solemni ju-
„ rejurando confirmavit. At Sigismundus,
„ ceteris sibi propositis facilè admissis, unam
„ numquam induci potuit ut reciperet, qua
„ cavebatur ut Livoniæ pars Succiæ Regi eo
„ tempore subjecta, ceteræ Livoniæ atque
„ adeo Poloniæ coronæ restitueretur atque
„ uniretur. Id enim neque Joannes Sigis-
„ mundi pater, qui tot ac tantis laboribus,
„ curis & sumptibus, tótque hominum san-
„ guine, illam veluti è Moscorum faucibus
„ eripuerat, audire sustinuit: & Sigismundus
„ externô se & electitiô regnô carere malle
„ apertè declaravit, quàm ut avito & hære-
„ ditario partem quantumvis exiguam detrahi
„ pateretur. Qua in re illud medium exco-
„ gitatum est, ut totius negotii determinatio
„ in id tempus differretur, cùm regnum Sue-
„ ciæ legitima successione ad Sigismundum
„ devolutum esset. Sícque ille repetitis lite-
„ ris evocatus, ad finem anni, videlicet vige-
„ simô septimô Decembris, in festo S. Joan-
„ nis Apostoli & Evangelistæ, solemni titu
„ coronatus est more Majorum Cracoviæ ab
„ Archi-Episcopo Gnesnensi Poloniæ Prima-
„ te, Rex Sigismundi nominis Tertius, annô
„ ætatis suæ vigesimô primô: cùm jam anteà
„ Maximilianus, qui cum nonnullis copiis
„ Cracoviam appropinquaverat, à Zamoscio
„ magna clade repulsus fuisset. Post coro-
„ nationem verò Sigismundi, cùm idem Ma-
„ ximilianus novas copias colligeret, ab eo-
„ dem Zamoscio 22. Januarii sequentis ad
„ Bitsinum vicinæ Silesiæ oppidum extra fines
„ Poloniæ longè majori cæde præliô victus;
„ postridie eodem oppido ad deditionem
„ compulsus est, unà cum Proceribus Polo-
„ nis ejus partis. In quos omnes Zamoscius
„ summa moderatione ac clementiâ, sinè ulla
„ insultatione aut verborum asperitate, usus
„ est. Quemadmodum & ipse Sigismundus
„ tantæ victoriæ nunciô acceptô, eamdem
„ moderationem servans, vetuit ne Maximi-
„ lianus Cracoviam adduceretur; ne scilicet
„ potiùs in triumphum quàm in custodiam
„ duci videretur. Qui inde in arcem Russiæ
„ Crasnistavam haud longè à Lublino extre-
„ mo majoris Poloniæ oppido cum valido
„ præsidio ablegatus est: ubi primùm, deinde
„ Rodlone, honestissimâ custodiâ sesquianno
„ detentus fuit. De cujus liberatione dice-
„ tur suô locô. Quomodo verò hæc omnia
„ se habuerint, accuratè descripsit Chytræus
„ in sua Saxonia, ea apprimè callens: ex quo
„ alii exscripserunt. „ Vid. infrà annô 1589. in Addition.

[2.] Ex citatione illorum.
[3.] Ex diplomate Archi-Ducis ipsius.
[4.] Ex Indice ædificiorum Monasterii.
[5.] Ex citatione illorum.

Annus Christi MDLXXXVIII. Monasterii CCCCL.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus V.	Rudolphus II.	Ernestus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

HActenus Abbas Udalricus egerat Novitium, & infulæ usum nondum habebat: cùm ergo annus probationis ejus expirâsset, profiteri voluit, quam professionem suam coram Visitatore Abbate S. Crucis deposuit, de qua, sicut & de infulatione ac nova confirmatione coævus ejus Prior ita scripsit:

 „ Pro-

„ Professionem Dominus Abbas fecit „ annô Domini 1588. die 21. Februarii, „ qua die Dominica Septuagesimæ ab „ Ecclesia celebrabatur, ea die habitum „ induit juxta Ordinem Cisterciensem „ in Monasterio S. Crucis sub Sacrificio „ Missæ, quod celebrabat ibi in summo „ Altari Reverendus Admodum Domi- „ nus Abbas S. Crucis Joannes Rüoff, „ qui Visitatoris officio tunc fungeba- „ tur. Qui tunc etiam supradictum „ Dominum Udalricum Hackel in Ab- „ batem Zwetlensem confirmavit. Et „ eadem die 21. Februarii in Monaste- „ rio S. Crucis idem Reverendus Do- „ minus Abbas Udalricus sacrâ infulâ „ inauguratus fuit, & consecratus à „ Reverendissimo Domino Hectore „ Wegmon Suffraganeo Pataviense, & „ ibi læta ac clara voce cantavit, *Ad „ multos annos, quod concedat Omnipo- „ tens & misericors Dominus.* „ * [1.] Hucusque ille, qui utì Magister ejus Novitiatûs maximè interfuit.

Demum hoc anno de se Udalricus Abbas scribit sequentia: „ Annô 1588. „ à Statu Prælatorum deputatus fui in „ Ordinarium Provincialium Austriæ, „ habui hoc officium usque ad annum „ 1595. per septem annos. „ [2.] Hæc ille.

Præpositi novi Claræ-vallensis, qui Udalrico Hackelio substitutus fuerat, fit jam aliquoties mentio, & D. Georgius vocatur, nimirum anno præcedenti 10. Novembris, hoc anno verò 7. Januarii, 7. Septembris, & 19. Novembris, præsertim ratione Religionis adversæ Nobilium vicinorum, ad quos decreta Cæsarea se accepisse fatetur. [3.] Quo autem cognomine sit Præpositus dictus, me latet.

ADDITIONES.

* [1.] Joannes Zehetner in Annotat. suis pms.

[2.] Ex pms. Breviarii sui.

[3.] E literarum monumentis.

INCIDENS.

Historia Rer. Ungaric. hoc anno. „ Annô „ 1588. sub finem Septembris, Beglerbegus, „ vel secundùm alios Sinan Bassa Budensis „ 11000. Turcarum prope Fillecam collegit, „ ea intentione ut totam Superiorem Pan- „ noniam devastaret. Sexto Octobris die „ imperiosè sibi dedi postulavit Putnock ca- „ stellum, sed frustrà. Transmisso ergo flu- „ mine Schayo, Sixo vicum petens ejúsque „ Templum ipsum & turrim continuò tor- „ mentis impetens, Templum ipsum & vicum „ universum, qui plusquam ex quingentis „ ædificiis constabat, planè exussit. Tan- „ dem copias collegit generalis militiæ per „ Ungariam Præfectus Dominus Claudius „ à Russel, qui hostem adoriens prœliô cum „ eo decertavit, in quo ultra 2500. Tur- „ cæ cæsi & 300. in Schayo fluvio submersi „ periêrunt. Nostri postmodum in Tur- „ carum fines irruptionem facientes Blauen- „ stain Gestes & castra quædam alia occu- „ pârunt, „

Item Ortelius Redivivus, hoc anno.

Annus Christi MDLXXXIX. Monasterii CCCCLI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Sixtus V.	Rudolphus II.	Ernestus.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

CLaram-vallem hoc anno clariorem reddidit præsentia Serenissimi Archi-Ducis Matthiæ, quem Abbas Udalricus cum Conventu suo oratiunculâ & cum reverentia excepit, qui, ùt loquitur P. Joannes præsens, 14. Julii, Annô MDLXXXIX. equester & casu venit in Monasterium Zwetlense vesperi, & hìc pernoctavit. * [1.] Unde tamen venerit, vel quò iverit, non addit, forsan Provinciam istam supra Mainhardi-Montem perlustravit.

Do-

Donavit hoc anno Abbas Udalricus Franciscanis Viennensibus ad S. Hieronymum habitantibus pro ædificatione Monasterii ibidem centum florenos, quos F. Valentinus Fricius ipsorum Commissarius se recepisse testatur sub 1. Septembris, annô 1589. [2.] Unde conjicitur, quòd hoc tempore illi Patres suum hoc ædificârint Monasterium.

Scribit porro Udalrico Abbati Georgius Leonardus de Künigsperg Baro in Pernstain, quòd subditis Monasterii sedecim in pago Weissen-Albern à Monasterii Zwetlensis Præfecto census sub nomine advocatiæ suæ sibi ab ipsis porrigendus sit prohibitus, quare petit sibi causam talis prohibitionis significari sub dato Schönperg 14. Novembris, annô 1589. [3.] Cui Abbas respondit, neque Monasterium, neque ejusdem colonos alium agnoscere Advocatum, quàm terræ Principem, prout confirmationum literæ super Monasterium ab iis datæ demonstrant.

Eodem hoc anno idem Abbas in curia Cammern antiquum Sacellum in honorem S. Mariæ Magdalenæ renovari fecit, illud novo Altari sculpto & picto ornavit, fenestris novis illustravit, tectô novô contra pluvias & nives munivit, & turriculâ laminis splendidis vestitâ perspicuum reddidit. [4.]

Demum hoc item anno Abbas Udalricus Viennæ domum Zwetlensem in strata Monetariorum (Müntzerstraß) uti antiquitùs vocatur, sitam, à vidua Schweinhämblin, quæ illam ad dies vitæ suæ ex contractu facto habuit, pro certa pecuniæ summa redemit, unà cum duabus vineis ad Ottokrin sitis. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] P. Joannes Zehetner in Annotat. suis.

[2.] Ex Recepisse ipsius.

[3.] Ex literis ejusdem Domini.

[4.] Ex lib. ædif. Z. sub rubrica de eadem curia.

[5.] Ex lib. ædif. Z. sub rubrica de redempt. bon. M. alienat.

INCIDENS.

Catalogus Rectorum Viennensium, hoc anno. „ 2. Julii Carolus Archi-Dux, Ferdi„nandi I. filius, Maximiliani II. frater, Fer„dinandi II. parens moritur. - - - - - - 15. „Septembris, vesperi circa horam 5. & iterum „16. rursus media nocte post horam 12. terræ „motus Templa, turres & sublimia ædificio„rum fastigia quatiens, partim dejiciens, par„tim frangens cum fissura vel ruina multo„rum factus. 18. Septembris manè statim „horâ 7. & ultimò 1. Octobris manè ante „horam nonam reversus. „

Spondanus n. 31. hoc anno. „ Detine„batur adhuc in custodia Polonorum Maxi„milianus Rudolphi Cæsaris frater, quem de „regno Poloniæ cum Sigismundo Sueco de„certantem sub principium superioris anni „captum vidimus. Cùm Poloni non aliter „eum dimissuri viderentur, nisi juri, quod in „regnum sibi arrogabat, expressè renuncia„ret; ísque Sboroviorum Procerum, qui ejus „electionem foverant, vanis promissionibus „malè persuasus, nulla ratione ad id adduci „hactenus potuisset, demum interventu Hip„polyti Aldobrandini Cardinalis à Sixto „Pontifice in Poloniam legati, viri ingenii „moderatione & æquitate insignis, longó„que usu rerum maximis quibúsque negotiis „paris, (qui postea Clemens fuit Papa VIII.) „& Philippi Vespasiani Gonzagæ Sabionetæ „Ducis à Philippo Hispaniæ Rege missi, unà „cum delegatis Rudolphi Cæsaris, Hun„gariæ, Poloniæ, Boëmiæ, Austriæ, conven„tum est, ut Maximilianus sinè pretio liber „mense Julio ex Polonia dimitteretur, & ti„tulô Regis Poloniæ deinceps abstineret; „pacta antiqua & fœdera inter Poloniæ, „Hungariæ, & Boëmiæ regna, atque adeo Do„mum Austriacam instaurarentur: Maximi„lianus postquam ditiones Cæsaris attigisset, „transactionem hanc jurejurando, & instru„mentô confectô firmaret. Quæ conditio„nes in comitiis Varsaviensibus Poloniæ men„se Martio approbatæ, à Sigismundo Rege „Lublini mense Majo, ac Junio Pragæ à Ru„dolpho Cæsare jurejurando firmatæ sunt. „Earúmque vigore Maximilianus dimissus. „Qui tamen ubi ad fines Cæsareos pervenit, „exceptus ibi à copioso equitatu Cæsareo; „cùm de pactis firmandis, sicuti convenerat, „interpellaretur; causas se justas habere cur „iis non subscriberet causatus, recusavit, sé„que ex Polonorum manibus extricavit. Quæ „res animis Polonorum non parvum suspi„cionis scrupulum injecit: sed ei non multò

„ pòst Cæsar ita occurrit, ut interpositô etiam „ propinquitatis vinculô omnis ea suspicio „ aut controversia tolleretur: factô scilicet „ matrimoniô inter eumdem Sigismundum „ Regem, & Annam Caroli Archi-Ducis „ filiam. „

Annus Christi MDXC. Monasterii CCCCLII.

Pont. Rom. Urbanus VII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

Sixtus V. Pontifex hoc anno utì Ciaconius 6. Cal. Septembris, ùt Cicarella 5. Cal. Septembris obiit. * [1.] Cui in Pontificatu electus successit Joannes Bapt. Castanea Cardinalis tit. S. Marcelli eodem hoc anno 17. Cal. Octobris, & Urbanus VII. vocari voluit. [2.] De quo S. Malachias: De rore Cœli. Fuerat enim anteà Archi-Episcopus Rosanensis in Calabria, ubi manna colligitur. Hic autem Urbanus VII. tantùm duodecim dierum Pontifex rursum obiit 5. Cal. Octobris, hoc eodem anno. [3.] Quo defuncto, Cardinales Nicolaum Sfondratum, Italum Mediolanensem, Cardinalem tit. S. Cæciliæ Nonis Decembris, Annô MDXC. eligunt, qui Gregorius XIV. nominari voluit. [4.] De quo rursum B. Malachias supradictus: Ex antiquitate Urbis. Erat enim Mediolanensis. Vidit itaque hic annus tres Pontifices, Sixtum V. morientem, Urbanum VII. duodecim dies viventem, & Gregorium XIV. succedentem.

Abbas Udalricus porro intentus ad redimenda Monasterii bona, ab Archi-Duce Austriæ Ernesto consensum super impignorandis aliquibus Monasterii bonis pro curia in Cammern recuperanda impetravit annô adhuc MDLXXXVII. [5.] ùt suprà scripsi. Quare ille Joanni Ligsaltz Magistro curiæ Dominorum de Berchtesgaden curiam in Weinzierl Zwetlensem ad biennium impignoravit, qui ipsi mille ducentos florenos concesserat, quibus curiam in Cammern redemit. Elapsis verò duobus annis Christophorus Hackel frater germanus tunc Magister curiæ in Cammern Abbati mutuò dedit sexcentos florenos, quibus curiam in Weinzierl redemit, unde dicto Hackel curia in Cammern cum curiæ in Weinzierl administratione oppignorata fuit eo modo, quo Leisserii illam possederunt. Neque inde amovendum ipsum, donec mutuum ex integro solvatur cum fœnore consueto, cui defuncto proximi ejusdem consanguinei sunt successuri, eandémque usque ad solutionem debiti possessuri, vineis tantum Monasterio in usum reservatis, sub dato Monasterii in Zwetl 1. Januarii, annô 1590. Hujus Christophori Hackelii fit etiam mentio anno adhuc sequenti, qui in antiquo Monasterii Templo ante Altare S. Crucis lapidem ex marmore rubro sepulchralem habet cum inscriptione, quòd ipse tunc Magister curiæ in Cammern in festo S. Pauli Conversi Annô MDLXXXVII. obiérit, quæ inscriptio subsistere non poterit, cùm adhuc hoc & sequenti anno vixerit, sed ego existimo ipsum eodem anno dictum sepulchri locum sibi elegisse, ac lapidem eo anno tantùm notari curâsse.

Porro ex Chünringiis ultimus familiæ supererat Joannes Ladislaus de Chünring, novæ sectæ Lutheri addictus, qui Udalrico Abbati scribit, quòd Deus filiolum suum ex hac vita evocârit, Majorum autem suorum sepulturam in Monasterio Zwetlensi esse, hinc illum ibidem sepulturæ tradere se cogitare: quare petit desuper Abbatis consensum, sub dato ad Fontem-Salutarem, 17. Junii, annô 1590. [6.] Cui Abbas respon-

ſpondet, quòd optimè ſciat Dominorum de Chünring Majorum ejus ſepulturam in ſuo Monaſterio fuiſſe, & quia omnes orthodoxæ & Catholicæ fidei addictiſſimi, abſque dubio à ſuis Anteceſſoribus Abbatibus protinus admiſſos eſſe ad ſepulturam. Quare ſe ait ad intercesſionem Præpoſiti vicini ſui petitioni ejus ita conſentire velle, ut ſi puerum ſuum ſepeliri petit, abſque præſentia Paſtoris Acatholici hoc faciat, & vel à Conventu proceſſionaliter, vel certè ſine cæremoniis ſepeliatur, alioquin ſi cantum germanicum adhiberi voluerit, aut funus per Paſtorem ejusmodi deduci curaverit, ſibi Templum clauſum fore ſciat, ſub dato Zwetl 18. Junii, annô 1590. Ad has Chünringius reſpondet, ſe 22. Junii horâ 2. vel 3. pomeridianâ cum funere in Monaſterio affuturum, & ſi habuerit hanc gratiam, ut funus cum pueris ſcholæ & cantu, ad ſepulchrum deducatur, ſibi valde gratum fore, ſub dato ad Fontem-Sacrum vel Salutarem 19. Junii, annô 1590. Credo ipſum, vel ſolum filium ſuum in thermis eisdem valetudinis ſuæ curandæ gratiâ balneâſſe, ubi filius ejus mortuus fuerat. Manifeſtum irati Numinis judicium, ut qui ab avita Majorum ſuorum religione & fide exciderant, falce mortis ſtirps eorum penitus excideretur, nam iſte Joannes Ladislaus Chünringius filius Marquardi ultimus familiæ ſuæ Annô MDXCIV. quoque in hæreſi ſua expiravit.

Idem Abbas hoc etiam anno curiam in Weinzierl mille ducentis florenis recuperavit, & à germano P. Joannis Zehetneri vineam duorum quartalium, unam ad Medling ſitam & Weglerin vocatam, emit. [7.]

ADDITIONES.

*[1.& 2.] Ciaconius ſub Sixto V. & Cicarella in Sixto V. & Urbano VII.

[3. & 4.] Iidem ſub Urbano VII. & Gregorio XIV.

[5.] E literarum monumentis, & P. Joannes Zehetner in Annotat. ſuis.

[6.] Ex Autographo ipſius.

[7.] Ex lib. ædific. Z. ſub rubrica de redemp. bon. Monaſterii Z. ſub hoc anno.

Annus Chriſti MDXCI. Monaſterii CCCCLIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Gregor. XIV. Innocent. IX.	Rudolphus II.	Erneſtus.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Urbanus.	Ulricus II.

TAndem Gregorius XIV. Pontifex poſt tantos & tam longos cruciatus 15. Octobris hoc anno ex hujus miſeræ vitæ incolatu digreſſus eſt. Pontifex fuit decem menſium & totidem dierum. *[1.] Succeſſit ipſi legitimè electus Joannes Antonius Fachinettus, Bononienſis, SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis, qui Innocentius IX. vocari voluit 29. Octobris hoc anno. [2.] Hunc B. Malachias prædixit: Pia civitas in bello. Erat enim natus Bononienſis. Sed etiam hic annus ipſi Pontifici fatalis erat, nam rurſum 29. Decembris ex hoc ſæculo placidus migravit, duravit ejus Pontificatus in duos menſes integros. Ita etiam hoc anno duo Pontifices Gregorius XIV. & Innocentius IX. demortui fuêre.

Venio ad D. Abbatem Hackelium, qui hoc anno domum Viennæ Zwetlenſem antiquam in ſtrata Monetariorum ſitam cum conſenſu Principis commutavit cum Prämero inſtitore & cive Viennenſi pro Domo ad Templum B. Virginis ad Gradus dictum ſita, & jus unà vini ſub hædera propinandi transferens in uſum deduxit, quam domum exteriùs

 inte-

interiúsque refecit, in ea Sacellum S. Margarethæ fieri, fenestris, stratô lapidibus marmoreis pavimentô, Altare novum sculpi, deaurari & pingi fecit: [3.] De hac commutatione pluribus differit Prior Zwetlensis aliàs sæpè citatus præsens huic actui, ita scribens: „ Cùm autem quàm plurimis annis Monasterium Zwetl aulâ suâ (Zwetler Hof) juxta Cœmeterium S. Stephani annô 1361. traditâ, Viennæ Austriæ propriam domum habuisset liberam & privilegiatam, quæ sita erat in loco planè inquieto & pro Religioso homine inconvenienti, quæ platea vulgari modo Müntzerstraß aliàs vocatur, Admodum Reverendus Dominus Abbas Zwetlensis Udalricus Häckel eam cum alia commodiori domo etiam in civitate sitam prope Templum B. Mariæ ad Gradus dictum commutavit accedente consensu Archi-Ducis Austriæ Ernesti tunc Viennæ regnantis, nec non cum notitia Conventûs Zwetlensis, quacum commutatione ædium translata sunt etiam antiqua privilegia. Pro hujus transmutationis ratificatione literæ conscriptæ sunt, & tam ab Abbate, quàm Conventu Z. obsignatæ utriusque sigillô ad perpetuam confirmationem, quæ literæ datæ sunt Senatui Viennensi, & ille Monasterio Zwetlensi vicissim suas contradidit. Actum annô 1591. 17. Aprilis. „ [4.] Hucusque ille. Quæ commutatio quantùm constat ab Hackelio maximè facta fuit, ut conterraneus suus, frater suus, intimus consiliorum suorum, Melchior Kleselius ad ipsum sub tecto transire, & ille rursum aulam Passaviensem domicilium tunc Kleselii frequentare possit, januis temporariis per domum Notarii & Templum adjacens factis, sicut adhuc apparent: hujus domûs cellarium bonum est, cetera loca & angusta & obscura.

ADDITIONES.

*[1.] Cicarella & Ciaconius sub Gregorio XIV. & Innocentio IX.

Spondanus hoc anno n. 11. - - - -

N. 12. „ Instante Fratre Michaële Bonello Cardinale Alexandrino Dominicano, Pii V. ex sorore pronepote, Cardinales Regulares, qui priùs non nisi pileis ejusdem coloris, cujus erat habitus religionis, quam professi fuerant, utebantur, rubris uti concessit; factô ea de re decretô vigesimô sextô Aprilis. Et die Dominica nonô Junii festô Sanctissimæ Trinitatis, quo Sacrum celebrandum erat in Ecclesia SS. XII. Apostolorum, manu propria imposuit capitibus præsentium tunc in curia Cardinalium, videlicet prædicti Alexandrini, Hieronymi, Bernerii de Corrigio, Asculani, ejusdem Ordinis Dominicani; Constantii Sarnani, Ordinis Minorum Conventualium; & Gregorii Petrochini de Montelparo, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini. „

[2.] Cicarella & Ciaconius sub Innocentio IX.

Spondanus suprà n. 14. „ Celebratis de more Gregorii novemdialibus precibus, Cardinales quinquaginta sex Conclave sextô Calendas Novembris ingressi; biduò pòst, nempe quartô Calendas Novembris, renunciârunt Joannem Antonium Fachinetum ex Presbytero Cardinale tit. SS. Quatuor Coronatorum, natione Italum, patriâ Bononiensem, ætatis ejus annô septuagesimô tertiô: quippe nati decimô tertiô Calendas Augusti anni Christi millesimi quingentesimi decimi noni, honestis & religiosis parentibus Antonio Fachineto à Nuce & Franciscâ Titâ de Cinis. Qui Juris utriusque lauream adeptus, Romam adiens, per varios gradus, administratáque cum laude diversa munera, à Pio IV. factus Episcopus Neocastrensis in Calabria, Concilio Tridentino interfuit; ac deinde à Gregorio Decimo tertio factus Patriarcha Jerosolymitanus, demum ab eo celebri illa novemdecim Cardinalium creatione anni millesimi quingentesimi octogesimi tertii, ad eam dignitatem promotus; post varia obita prudentissimè magni momenti negotia, in locum demortui Gregorii Decimi quarti, magna omnium consensione suffectus est Pontifex; assumpto nomine Innocentii IX. ac Dominicâ proximâ, tertiô Nonas Novembris, coronationis insignia suscepit: & sextô Idus in Octava Omnium Sanctorum ad Lateranensem Basilicam de more processit. Traduntur fuisse duo futuri ejus Pontificatûs

„ tûs indicia; unum; quòd cùm aliquando „ obedientiam Gregorio decessori, ut fit in „ publicis Sacris, præstaret, mota è capite „ Gregorii infula in caput ejus deciderit: al- „ terum, quòd in partitione cellarum Con- „ clavis, forte ei illa obvenerit, quæ eo loco, „ quo Pontifices in consistoriis solium collo- „ care solebant, extructa erat. „

[3.] Ex libro ædificiorum Z. sub rubrica Bonorum Monasterii alienatorum redemptor. sub hoc anno.

[4.] P. Joannes Zehetner in Annotationibus suis.

INCIDENS.

Histor. Rerum Ungaric. sub hoc anno. „ Postquam jam aliquoties Turcæ contra „ ictum fœdus varia per Ungariam & Craba- „ tiam hostiliter tentârant. Imperatoria Ma- „ jestas in Septembri Constantinopolim Le- „ gatos misit, qui Amurathis damna à suis „ data exponerent requirentes simul num id „ jussu Amurathis hactenus accidisset, sin mi- „ nus, ut suos cohiberet. Quo facto Turcæ „ ad tempus ab incursionibus abstinuerunt, & „ pax satis rata interea constitit: Siquidem „ Amurathes pacis illas conditiones in octen- „ nium susceptas inviolatas utique esse voluit. „ Postquam verò Sultanus cum Rege Persa- „ rum fœdus pepigisset, Bassæ quidam ipsi „ suggesserunt, ut fines Ungariæ & Crabatiæ „ tentaret, siquidem Christiani mutuis vulne- „ ribus & bellis intestinis passim sibi ipsis in- „ festi essent. „

Continuatio Catalogi Ederiani sub hoc anno. „ 4. Maji, Anna Archi-Ducissa Caroli „ filia desponsatur Sigismundo III. Polonorum Regi & Suecorum hæredi. „

Annus Christi MDXCII. Monasterii CCCCLIV.

Pont. Rom. Clemens VIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

DEfuncto adhuc anno præcedenti Innocentio IX. Pont. hoc anno trigesimâ Januarii Hippolytus Aldobrandinus Cardinalis tit. S. Pangratii, Florentinus, in Pontificem eligitur, qui se nominavit Clementem VIII. * [1.] Quem S. Malachias indigitavit hoc elogio: Crux Romulea. Fuit Florentinus dictus Aldobrandinus, cujus Insigne Crux triplex Papalis obliqua.

Per Austriam, Moraviam, Bohemiam itinera ob prædonum & latronum insidias non adeo tuta fuêre, unde Rudolphus II. Imperator per eas provincias & regnum edictum publicari fecit, ut omnes banditæ, mendici suspecti & nocentes, atque famuli Dominos suos deserentes, qui arma prohibita secum circumferunt, capiantur, & capite seu pœnis in jure præscriptis, à Dominis, Judicibus, & Magistratibus severè puniantur, sub dato 1. Februarii hoc anno. [2.]

Rudolphus II. Imperator pro Austria sua & tota Christianitate sollicitus, omnibus & singulis tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, nemine excepto, mandat, quatenus omnes audito campanæ pulsu, tam manè, quàm meridie & vesperi Dominum Deum ubique locorum supplices orent, ut ab interitu nostro Turcam Tyrannum avertat; & precibus præsertim iis utantur, quas Joannes Casparus Episcopus Viennensis edi curavit, & jam antea contra terræ motus & Christiani nominis hostem è cathedris proclamari & recitari fecit, quæ jam sub prælo à cunctis emi possunt sub dato 14. Augusti, annô 1592. [3.] Harum precum causa fuit, quia Turcarum Imperator, facta cum Persarum Rege pace, mense Junio hoc anno in Croatiam per Bassas suos irruerat, & infandis calamitatibus eam affecit, passim enim superior impunè per fines eorum vagabatur: ad hæc Bassa Budensis magno apparatu bellum etiam moliebatur. Eam ob causam Imperator ad Electores, Principes, & Ordines Imperii Legatis missis illorum opem rebus ita constitutis requirebat;

qui se promptos & benevolos omnes obtulerunt. Cùm verò victoria omnis à divino nutu pendeat, Principes & Ordines Christianorum subditos suos ad preces Deo pro patria fundendas piè exhortati fuêre. Quæ preces adhuc præsertim apud Catholicos suis temporibus observantur.

Abbas Zwetlensis hoc anno recuperavit per redemptionem à D. Lagelberger subditos in Inferiori Neundorf & Wietzen Monasterio, qui annô MDXLII. à Leissero Abbate locò pignoris ipsi dati fuerant. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Cicarella & Ciaconius sub Clemente VIII.

Spondanus hìc n. 1. „ Quartô Idus Januarii quinquaginta duo Cardinales tunc „ Romæ præsentes Conclave ingressi sunt; „ &, ùt ferè consuevit, in partes distracti; „ Hispanis & Montaltinis pro Julio Sanctorio „ Sanseverino vehementissimo nisu prensantibus, ac tantùm non obtinentibus. Prævalente verò demum intercedentium factione, is omnino exclusus est; ac post alios atque alios hinc inde propositos, & rejectos; derepente tandem consensum ab omnibus est in Hippolytum Aldobrandinum Presbyterum Cardinalem tituli S. Pancratii, Majorem Pœnitentiarium, & ipsum non solùm Montaltinæ factionis, putà Cardinalem à Sixto V. creatum, verùm etiam Philippo Regi non ingratum: ceterùm virum, qui omni ætate, ac variis quæ obivit muneribus, egregium prudentiæ, probitatis, justitiæque specimen dederat, adeóque singulari apud omnes existimatione præstantem. Qui nihilominus, ùt erat vir summè pius, non priùs suæ electioni, quàm nec cogitaverat quidem, assensum præbere voluit, quàm de geniculis ante Altare Deum intentissimè precatus esset, ut nisi res ad ejus gloriam & rei Christianæ bonum futura esset, potiùs ipse linguâ faucibus adhærescente obmutesceret, quàm in suam electionem consentiret. Fuit is origine Florentinus, sed Fani natus, quæ urbs est ditionis Ecclesiasticæ in littore Adriatico, parentibus nobilibus ac piis, patre Silvestro insigni consistorialis aulæ Advocato, & tam rebus gestis, quàm etiam nonnullis scriptis claro, matre Lesâ Detâ &c. - - - In locum Innocentii IX. renunciatus est Pontifex 3. Calendas Februarii præsentis anni, ætatis suæ quinquagesimi sexti; & 4. Nonas ab Alfonso Gesualdo Cardinale Episcopo Ostiensi Sacri Collegii Decano, pro ejus munere, Episcopus consecratus: octavóque pòst die coronationis insignia à Francisco Sfortia primo Diacono Cardinali suscepit; assumpto sibi nomine Clementis VIII. & symbolô: *Protector noster aspice Deus*: ac pridie Nonas Aprilis ad Lateranensem Basilicam, possessionem ex more initurus processit. „

[2.] Ex Edicto Cæsareo in Consilio.

[3.] Historia Hungariæ hoc anno.

Megizerus in Annalibus Carinthiæ lib. 12. cap. 25.

Ortelius Redivivus hoc annô.

Continuatio Catalogi Edetiani sub hoc anno. „ 22. Junii apud castrum Sisseck, 12. „ millia Turcarum unà cum Bassa Bosnensi & „ V. Begis in Colapo periêrunt. 28. tamen „ Augusti castrum à Turcis expugnatur. - - „ - - - - 3. Novembris ad Albam-Regalem 24. „ millia Turcarum à nostris equitibus cæduntur, 27. Dominus Christophorus de Teuffenbach castrum Filleck deditione capit. „

[4.] Ex libro ædific. Z. sub rubric. Bonorum Monasterii alienat. redemp. sub hoc anno.

Annus Christi MDXCIII. Monasterii CCCCLV.

Pont. Rom. Clemens VIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ.* Ernestus.

Episcopus Pataviensis Urbanus. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

Anno priori Rudolphus Imperator preces populo imponi mandaverat, cujus edictum hoc anno publicari fecit per Decanatum Zwetlensem Udalricus Abbas, obierat enim Georgius Præpositus & Decanus Clara-vallensis, & ita Præpositura vacabat, unde ab Officiali Passaviensi Abbas rogatus fuerat,

rat, ut edicta ejusmodi ad Parochos dicti Decanatûs transmitteret, quod & fecit 6. Martii, annô 1593. * [1.]

Scribit Abbati Udalrico Wolfgangus Sigismundus Baro de Auersperg hæreditarius Cæsareus supremus venator, & quærit, cur Rupertum Wagnerum canum venaticorum curam habentem de Monasterio suo abire jusserit sinè ejus ullo scitu, petítque hujus amandationis causam sibi significari sub dato Laxenburgi 29. Aprilis, annô 1593. [2.] Cui Abbas 8. Maji respondet, inter cetera ejus vitia esse quoque illud, quòd Paschali tempore sub utraque specie communicari voluerit, & sic tanquam refractarium ipsum è Monasterio cedere jussisse, tanquam membrum officialium ceterorum inutile, & fortassis etiam cum tempore damnosum, sub dato Zwetl in Monasterio 8. Maji, annô 1593. [3.]

* [1.] Ex Originali ipsius copia.
[2.] Ex literis ejusdem Baronis.
[3.] E literarum monumentis.

Annus Christi MDXCIV. Monasterii CCCCLVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

ARchi-Dux Ernestus priori annô ab Hispaniarum Rege Belgicarum Provinciarum gubernamentum accepit, atque hoc anno descendit in Belgium, Antverpiæ solennissimè exceptus. Cui cedenti, Rudolphus Imperator Matthiæ fratri tam Ungariæ regnum, quàm Austriam vicario nomine regendam tradidit. * [1.]

Invenitur Udalricus Hackelius Abbas hoc anno Ratisbonam ascendisse, & à prima Junii usque ad trigesimam Julii ibi commoratus fuisse; quid autem ibi egerit, sequentia dicunt: Proceres enim utriusque Austriæ ad Comitia Ratisbonæ Imperialia indicta ab Imperatore, ut illuc legationem mittere possent, licentiam petiêrunt, & impetrárunt; ad quam petitionem ab Imperatore resolutio talis data fuit: Inprimis Ducem Bavariæ portorium vini Schardingæ auxisse in damnum utriusque Austriæ, qui quidem ea de re interpellatus respondit, se ad ejus remissionem non teneri; inde Proceres ut in dictis comitiis suum gravamen Imperii Principibus exponant, & relevamen expetant, ipsis se adjumento fore, Cæsar promisit. 2dò. Ad Comitia Legatos mittendi habere eos hisce facultatem, ita tamen, ut mittendas idoneas personas inprimis sibi nominent, nec illi audeant in comitiis quenquam Electorum Imperii aut Principum adire, aut quicquam cum illis se inscio agere vel transigere. Quod tertium attinet tatione defensionis utriusque Provinciæ Austriacæ, ipsis interdicere talem actionem ibidem instituendi, jam enim sibi curæ fore, ut in comitiis Provinciarum eadem in bonum suum suorúmque transigantur, sub dato in Regia arce Pragensi 23. Aprilis, annô 1594. [2.] Denominârunt autem Imperatori sequentes: Udalricum Hackelium Abbatem Zwetlensem, tunc Inferioris Austriæ Statuum Deputatum; Sigismundum Comitem Hardeccensem de Glatz & Machland, Supremum Pincernam Austriæ & Dapiferum Stiriæ; atque Maximilianum de Mäming & Kirchberg ad Bilach, utrumq; Cæsareæ Majestatis Consiliarios. Quibus etiam Proceres litteras honorarias non tam ad Imperatorem, quàm Imperii Electores & Principes dederunt. Sub dato Viennæ 28. Maji, annô 1594. [3.] Hi tantùm ex Austria Inferiori Legati

gati nominati, ex Austria Superiore alii, quorum nomina me latent, missi fuêre. Atque ita ex his & causa itineris & negotium Provinciæ publicum peractum Abbatis Udalrici in Zwetl constat.

Interea in Ungaria bellum inter Christianos & Turcas recrudescebat, Matthias Archi-Dux ipse in persona obsidebat Strigonium, præclari aderant ipsi militiæ duces Nicolaus Palfius, Christophorus Teuffenbachius, Carolus Mansfeldius: Maximilianus verò Archi-Dux, qui Stiriam cum Carinthia & Carniola tenebat, ex Stiria in Ungariam descendens Turcas molestabat & oppugnabat, erat enim Prorex Inferioris Ungariæ constitutus, sicut Matthias Archi-Dux Ungariæ Superioris. Tandem Sinon Bassa mense Julio adhuc anno priori magnis copiis adductis, quæ ad centena millia virorum computatæ sunt, in Ungariam venit, capit deditione Dotin munitissimam, montémque Pannonium. Hinc Jaurinum obsidet, in Schütta insula Danubii Christianos imparatos fundit, Weiselburgum exuritur, Jaurinum fortiùs à Turca oppugnatur, cujus Præfectus Comes Hardeccensis simul cum reliquis centurionibus inprimis inducias paciscuntur, ac tandem 29. Septembris Annô MDXCIV. illud Turcis cum maximo Christianæ Reipublicæ damno tradiderunt. Ob quam deditionem Comes Hardeccensis capitali supplicio cum Perlino Viennæ affectus fuit 5. Junii, Annô MDXCV. [4.] Ad hoc bellum Rudolphum Imperatorem non tam pax à Bassis fracta, quàm Pontificis literæ, suscipiendum commoverunt, cujus Brevis initium est: „ Clemens Papa VIII. Charissime in Christo Fili noster, Salutem „ & Apostolicam Benedictionem. Quòd „ Majestati Tuæ gratus & acceptus fuerit adventus &c. „ Miserat enim antè Imperator suum ad Pontificem Legatum Baronem Harrachium, Pontifex autem Cardinalem Madrucium, per quos de auxiliis in bellum Turcis inferendum submittendis transegerant, quare hocce Brevi Pontifex laudans summopere ejus studium, Imperatorem ad aggrediendum bellum, quod sacrum vocat, valde excitat, sub dato Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, 12. Decembris, annô 1593. [5.] Quod Breve primùm hoc anno præsentatum fuerat. Pontifex autem non tantùm pecuniam, sed etiam Italiæ Principes partim pecunias, partim milites submiserunt. Electores quoque Imperii & Principes idem præstiterunt: Moscus item pecuniarum ingentem vim subministravit: Persarum etiam Legati nomine Regis sui, tunc apud Moscum præsentes, Imperatori nostro auxilium promiserunt. Hispanus præterea cum Pontifice classem in Adriatico mari non contemnendam sub duce Doria in paratis habebat. Atque ita tota Christianitas sese ad bellum Turcis inferendum jam paraverat, sed Sultani mors illud generale solvit, atque inter Bassas in Ungaria vario Marte bellum gestum fuit.

ADDITIONES.

*[1.] Piespordius. „ Ernestus II. Austriacus natus Viennæ XV. Junii aut Julii „ Annô 1553. - - cum Rudolpho fratre in „ Hispaniam profectus, unà cum eodem annô 1571. in Austriam revertitur. An. 1587. „ à Sixto V. Pont. Max. Ecclesiæ propugnatoris insignia Viennæ accepit. Regnum „ Ungariæ & Austriam ad annos XVII. pro „ Cæsare fratre gubernavit, cujus tandem „ consensu à Philippo II. avunculo Belgarum „ Gubernator constitutus Bruxellam annô „ 1594., - - mensis - - ingreditur, & animum „ statim ad provinciam pacificandam convertit; sed in illo ipso sanctissimo conatu X. Cal. „ Martii, annô 1595. obiit, & æternùm absque dubio victurus abiit. Ad Divæ Gudilæ communi Ducum Brabantiæ sepulchro „ ab Alberto fratre ab ipso Belgarum Gubernatore & Principe illatus.

„ Matthias I. Rom. Imp. Hungariæ & Boemiæ Rex, Archi-Dux Austriæ, &c. natus „ Viennæ annô 1557. 24. Feb., ipsâ Vigiliâ „ S. Matthiæ Apostoli, eodem quo quondam Matthias Ungariæ Rex, & patruus „ magnus

„ magnus Carolus V. (eodem utinam fato & „ omine) nati sunt die. Ernesto fratre ad „ Belgicarum provinciarum gubernacula pro- „ fecto, à Rudolpho fratre in Ungariæ, Au- „ striæque pro-regno surrogatur. „

Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. cap. 23. Spondanus hìc n. 24. „ Diximus supe- „ riùs (annô præcedent. n. 26.) Ernestum „ Austrium fratrem Rudolphi Cæsaris in Bel- „ gium venisse, ad illud nomine Philippi Hi- „ spaniæ Regis gentilis sui administrandum. „ Is mense Majo literas ad Ordines fœderatos „ scripsit; quibus egregiam suam erga eas pro- „ vincias voluntatem, cujus causâ fratres, ac „ patriam, & amplissimarum provinciarum „ administrationem reliquisset, contestatus, „ ob oculos ponebat, à quo invidendæ feli- „ citatis, qua olim fruebantur, fastigio per „ hæc dissidia excidissent: hortabatúrque, „ ut amota omni diffidentia in id seriò incum- „ berent, ut pacis constituendæ, ac per eam „ pristinæ felicitatis recuperandæ rationes „ inirent; sicque sibi persuaderent, æqua si „ peterent, ab æquissimo causæ suæ Principe „ impetrari posse. „

[2.] E literarum monumentis.

[3.] Ex copiis eorundem.

[4.] Histor. Rerum Ungaric. sub annis 1593. & 1594.

Megizerus Annal Carinth. lib. 12. cap. 27.

[5.] Ex citatis Authoribus suprà.

Annus Christi MDXCV. Monasterii CCCCLVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

STrigonium in Superiori Ungaria à nostris per deditionem hoc anno 2. Septembris captum fuit, quod Don Joannes de Medices protinus per cursorem equestrem Summo Pontifici nunciavit, qui in visitatione Septem Ecclesiarum constitutus mox ante Altare in genua flexus, Te Deum laudamus intonare cœpit, ex castro Angeli tormenta explodi jussit, & cursorem centum aureis donavit cum una Cavalleria 400. aureorum redituum. * [1.]

Porro de Abbate suo Udalrico Hackelio scribit sequentia P. Joannes sæpe memoratus: „ Dominus Udalricus „ Abbas plurimùm pollebat prudentiâ, „ ingeniô & intellectu, unde ad varias „ dignitates fuit promotus, fuerat enim „ per aliquot annos Ordinarius Pro- „ vincialium in Statu Prælatorum, de- „ inde factus est annô Domini 1595. „ Visitator Ordinis nostri per utram- „ que Austriam. Nam eodem anno „ 1595. venit Reverendissimus Domi- „ nus & Pater Generalis Ordinis nostri, „ nomine Edmundus in Provinciam „ hanc Austriacam, & Viennæ tribus „ septimanis moratus propter Prælatos, „ & propter privilegia Ordinis defen- „ denda, aliaque necessaria in Mona- „ steriis Ordinis nostri Cisterciensis or- „ dinanda & reformanda, negotia tra- „ ctavit. Hinc ascendit in Bavariam „ ad Monasterium Campi-Principum, „ vulgo Fürstenfeldt / in quo Capitulum „ generale (potiùs Provinciale seu Con- „ ventum Abbatum) celebravit men- „ se Septembri. In quo Capitulo D. „ Udalricum Abbatem Zwetlensem in „ Visitatorem Provinciæ Austriacæ or- „ dinavit & constituit, &c. Accepit „ etiam idem Dominus Zwetlensis à P. „ Generali potestatem consecrandi & „ benedicendi Abbates nostri Ordinis, „ &c. „ [2.] Hucusque ille. In illô autem Conventu seu Capitulo Provinciali Bavariæ idem Reverendissimus D. Edmundus à Cruce, SS. Theologiæ Doctor, Abbas Cistercii, & Generalis Ordinis Cisterciensis Monachii in domô Campi-Principum constitutus instrumenta publica per Notarium fieri jussit super expositione Concilii Tridentini in iis capitibus, quæ de visitandis ab Epi-

ſcopo Ordinario locorum Monaſteriis loquuntur, ſub dato Monachii 11. Septemb. annô 1595. [3.] Commiſit præterea idem Generalis Abbati Zwetlenſi charitativum, utì vocatur, ſubſidium à quolibet Abbate in Diœceſi Paſſavienſi & in utraque Bavaria morante colligendum, ad Monaſterii ſui Ciſtercienſis præſentibus Galliæ tumultibus ab hæreticis Hugonottis miſerrimè direpti, penitúſque ſpoliati reſtaurationem, & ad ſuam, ſuorúmque Religioſorum ſuſtentationem, ac debitorum neceſſariò contractorum ſolutionem. Pecuniarum verò ſummas piè & liberaliter matri ſuæ affictiſſimæ oblatas petit conſcribi à dantibus & ſubſignari, eóſque bonis & validis apochis reddere ſecuros, quas autem apochas accipit, mandat ſibi transmitti Summo Pontifici oſtendendas. Pecuniam verò Romam ad Fratrem Xanctium Colonquanum Monaſterii Fontis-Frigidi Priorem & Ordinis noſtri Procuratorem Generalem dirigi præcipit, qui de recepta illa apocham dabit. Actum in Monaſterio Campi-Principum in Bavaria 21. Septembris, annô 1595. [4.] Breve autem Apoſtolicum exhortatorium ſic Monaſterii Ciſtercienſis deſtructionem deſcribit:
„ Nobiliſſimum Ciſtercii Monaſterium,
„ ùt nuper accepimus, in Cabilonenſi
„ Diœceſi ſitum, & univerſi Ciſtercienſis
„ Ordinis Caput, præſentium Galliæ tu-
„ multuum & inteſtinorum bellorum in-
„ juriâ miſerè direptum fuit, ejus Tem-
„ plum ſacris omnibus ornamentis ſpo-
„ liatum, quicquid in eo ſacræ ſuppel-
„ lectilis ad rem divinam ſervabatur,
„ ad prophanos uſus impiè translatum,
„ vaſtati agri, caſtrum Gilliacenſe mu-
„ nitiſſimum per proditionem captum,
„ dirutum, & igne conſumptum: ex
„ Officialibus & Religioſis Viris non-
„ nulli interfecti, alii percuſſi, alii ca-
„ pti, reliqui per fugam incolumes, exi-
„ lii incommodis vexati, ipſius Mona-
„ ſterii reditus per triennium & eò am-
„ pliùs ita occupati, ut nihil prorſus
„ reliquum ſit, ex quo dilecti Filii Ed-
„ mundus à Cruce Generalis & Mona-
„ chi poſthac ali ac ſuſtentari poſſint.
„ Ad hæc agri etiam deſerti & inculti
„ jacent, potiſſima bonorum pars, quæ
„ in ipſo Monaſterio & in illius prædiis
„ erant, tota in hæreticorum venit po-
„ teſtatem. Tot denique alia detri-
„ menta idem ipſum Monaſterium ſu-
„ ſtinuit, ut centum millium aureorum
„ ſummæ jacturam feciſſe exiſtimatum
„ fuerit, præterquam quòd caſtrum
„ Gilliacenſe vix ſexaginta millibus au-
„ reorum inſtaurari poſſe, fide digno-
„ rum teſtimoniô cognoſcimus, &c.
„ Nos pro ſingulari dilectione, qua an-
„ tiquiſſimum iſtum Ordinem meritò
„ complectimur, tum quòd plurimo-
„ rum Sanctorum famâ ac veneratione
„ eſt illuſtris, tum quòd perpetuò præ-
„ ſtantiſſimos Viros de Catholica Reli-
„ gione & Apoſtolica progenuit, &c.
„ Datum Romæ apud S. Petrum ſub an-
„ nulo Piſcatoris 17. Octobris, annô
„ 1592. Pontificatûs Clementis Papæ
„ VIII. annô primô. „ [5.] Contigit autem Ciſtercienſis Monaſterii direptio & ſpoliatio annô nonageſimô ſupra mille quingentos, utì ex Brevi Apoſtolico patet, hoc tantùm anno contributio à Monaſteriis ſeu charitativum ſubſidium petitum fuit.

Idem Generalis Ordinis Ciſtercienſis commiſit quoque vices ſuas Udalrico Abbati Zwetlenſi & Alexandro Hilarienſi in convocandis Auſtriæ utriusque Abbatibus ad Capitulum provinciale in Campo-Principum Diœceſis Friſingenſis celebrandum: qualia Provincialia Capitula, ùt ipſe ait, Pontifex Clemens VIII. ipſi celebranda injunxerat, ſicut etiam Inferioris Germaniæ Abbatum Provinciale Capitulum in Monaſterio Salemitano jam celebraverat, Brevi Apoſtolico deſuper conceſſo, cujus Datum eſt Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris 24. Maji, annô 1594. Pontificatûs ejusdem annô tertiô. Hujus autem Commiſſionis Datum 21. Auguſti,

gusti, annô 1595. [6.] Unde Austriæ Abbates in Campum-Principum ascenderunt, si non omnes, saltem plerique, inter quos etiam Abbas Hackelius fuit, qui ab eodem Generali Ordinis Edmundo à Cruce in Campo-Principum Vicarius per utramque Austriam Generalis ejus creatus est, omniáque ejusdem Monasteria visitare possit, præterquam Monasteria Campi-liliorum, & S. Trinitatis in Nova-Civitate, quæ Laurentio Runensi visitanda reservat, de quorum filiatione hic disputat, sub dato in Campo-Principum Bavariæ 20. Septembris, annô 1595. Atque ita magis superiora patent ex P. Joanne allata.

Ædificavit demum hoc anno Abbas Udalricus in pago vulgò Obernhof tabernam vinariam destructâ domo priori angustâ; extruxit quoque arcum & portam ibidem versùs civitatem Zwetlensem, sicut ab antiquo distinguebatur pagus iste in exteriorem & interiorem; pars interior usque ad viam publicam prope civitatem pertingit, ubi ante ruinam Hussiticam triginta sex domunculæ visebantur, quarum situm & servitia annuatim à singulis præstanda Registrum Bursariæ Zwetlensis An. MCCCXLVI. sub D. Abbate Ottone II. conscriptum notanter specificat. [7.]

ADDITIONES.

*[1.] Ex literis scriptis Strigoniô 2. Septemb. & Româ 16. Septembris annô 1595.

Ortelius Redivivus hoc anno.

Historia Rerum Hungaric. sub Illustrissimô Joanne de Medice hoc anno. „ Die 15. Augusti Serenissimus Archi-Dux Austriæ Matthias Viennâ oram solvens secundo flumine ad Christianorum castra descendit. „

„ Die vigesimo secundo Augusti idem Serenissimus non tantùm oppugnationem munitionis ejus seriò decernit, sed & præcipuos, & maximè exercitatos milites in id deligit. At quoniam eo ipso die Italorum & Valonum copiæ, adhæc Rhenensium equitatus in castra adventârunt, consultiùs judicârunt, rem conjunctis copiis aggredi, siquidem muri arcis adeo tormentis conquassati essent, ut ultra canibus per eos aditus pateret, sin minùs propositum succederet, ut tum demum subversione, per pulverem in cuniculis succensum, omnia subruerentur funditus.

„ Ultimô Augusti, octo circiter millia equitum Germanorum, Italorum, Valonum & Ungarorum ad Turcarum castra populabundi noctu excurrerunt, & summô diluculô levi prælio commissô sexaginta circiter Turcas partim prostraverunt, partim ceperunt; inter quos Begus Copanensis vivus sub terram defossus & sepultus est.

„ Eodem die Archi-Dux Matthias in Gokarensem munitionem, tormentum vastæ magnitudinis, quod nostri per Antiphrasin ab horrendo boatu, Modulatricem eine Sängerin / vocant, deduci curat. Hujus violentiâ hostis undique in tantas angustias intra arcem redigebatur, ut nullibi in ea tutò vel latitare vel consistere posset, quin omnes pariter cujuscunque ætatis essent, qui in arce erant, damnum ex eo tulerunt.

„ Postero itaque die, quæ prima Septembris erat, summo mane, signo ex arce dato, & tantum globorum grandinem deprecati colloquium institui petierunt; mittunt ergo ad nos Legatos suos, & obsides in vicem recipiunt, qui licèt peterent, ut omnibus sublatis quæ possent, per flumen Budam versus à nostris deducti incolumes dimitterentur, tamen adscriptis solùm hisce conditionibus salvum conductum acceperunt: nimirum ut latera gladiis accincti, & quantum quisque ferre posset humeris sublatis, unà cum liberis & uxoribus ex arce dimissi, & secundo flumine avecti descenderent Budam versùs, relictis equis & aliis quæ haberent in arce: ipsi quoque vice versa incolumes restituerent eos, quos fortè captivos ex Christianis haberent, quorum jam tum vel viginti emissi essent, ad hæc transfugæ Christiani, si qui penes se essent, similiter traderent eos: atque ita conventum hinc inde fuit, in cujus rei fidem Serenissimus Archi-Dux Matthias diplomate à Turcis accepto sibi solenniter cavit.

„ At verò quoniam eodem adhuc die non omnes se ad abitum repentinum parare poterant, ea nocte victi cum victoribus ad id deputatis in arce unà pernoctârunt: postridie accincti gladiis, & quantum quisque ferre posset, via quæ per Neustadium ducit, progressi triginta navibus completis Budam descenderunt. „

„ Erant ex illis mille septingenti viri armis habiles; uxores, liberi, ægroti, saucii

 „ erant

„ erant circiter mille ducenti. Cibariorum „ & apparatus non tanta, quanta putabatur, „ erat penuria. Tormenta bellica omnis generis aderant triginta, quæ tamen ob crebras displosiones admodum contusa & nullius ferè usûs erant.

„ Hoc itaque modo nostri Strigonium munitissimum, Regiam olim, & Archi-Episcopalem Ungariæ Sedem, nunc recuperatam possident, quam Turcæ duos & quinquaginta annos continuos hactenus obtinuerant; pro qua ineffabili gratia & beneficio Dei Opt. Max. nos in æternum illi gratias agentes, precabimur, ut huic Christianorum expeditioni porro suis auspiciis præsens adesse dignetur. „

Spondanus hoc anno n. 18. „ Comitia - - Posonii in Pannonia ab Archi-Duce Matthia Rudolphi Cæsaris fratre, ab ipso Cæsare Pragæ in Boëmia, & à Sigismundo Poloniæ Rege Cracoviæ, mense Februario celebrata sunt: in quibus de belli contra Turcos gerendi rationibus actum. Et Posonii quidem decretum, ut nemo à pecunia ad id conferenda immunis esset; qui autem conferre recusaret, suis sumptibus militare teneretur: præscriptæque militares leges, de removendis meretricibus à castris, de commeatûs libertate, de domibus Ecclesiasticorum ac nobilium à militum hospitiis eximendis &c. . . . . .

N. 19. „ Cùm autem Cæsar ad tantum bellum duce rei militaris admodùm perito & exercitato opus esse censeret, cujus penuriâ hactenus se haud parùm laborâsse comperiebat; Carolum Comitem Mansfeldium, à primo ætatis flore in Belgicis ac Gallicis bellis exercitatum, multísque rebus præclarè gestis insignem, ac disciplinæ militaris eximium observatorem, è Belgio, ubi Regi Philippo militabat, de ejus permissu evocavit. Qui mense Martio Pragam appellens, summo honore à Cæsare exceptus, & ut major ejus esset eo bello sub Matthia Archi-Duce authoritas, Princeps Imperii solemni ritu creatus, inde Viennam concessit: Rebúsque cum Matthia deliberatis, & copiis collectis ad sexaginta amplius pugnatorum millia ex Germania, Hungaria & Italia, (adfuit enim Joan. Medices frater Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis cum tribus peditum millibus, & præclarissimè rem gessit, rei tormentariæ Præfectus, advenítque etiam postmodum à Pontifice missus cum duobus equitum, octo peditum millibus Joannes Franciscus Aldobrandinus, gentilis ejus, qui neptem ex fratre in matrimonium habebat) omnia hostium loca tantâ solertiâ perlustrans, ut eos anxios teneret in quam partem versurus esset, ac nihilominus Javarinum magìs cogitare videretur; dum ipsi ea credulitate ex vicinis Strigonii, Vesprinii, aliorúmque oppidorum præsidiis eductam magnam militum partem eò immisissent; ipse mox, quòd ab initio in mente habuerat, ad Strigonium Hungariæ metroplim Calendis Julii castrametatus est, eámque arcta obsidione cinxit: nec tamen ita potuit omnibus cavere, quin aliquæ suppetiæ intromissæ ab hostibus fuerint, cum non parvo Christianorum occurrentium damno. Cùm verò majores introducturi præfecti Turcorum cum triginta millibus armatorum advenissent; die quarta Augusti factô præliô, à Christianis cæsi sunt magna clade; qua perempta aut capta quatuordecim hostium millia, signa & tormenta capta, castráque direpta cum ingenti præda. Hymnô *Te Deum* postera die in gratiarum actionem decantatô, Mansfeldius ex continuis laboribus, ac præcipuè eâ pugnâ sumptis, ægrotare incipiens, decimô quartô Augusti pridie Assumptionis Beatissimæ Virginis, ex dysenteria obiit; vir fortissimus, longiorísque vita dignus, qui annum quinquagesimum secundum ætatis agebat: patrem superstitem relinquens Petrum Ernestum Mansfeldium, & ipsum egregium bello ducem, Lucemburgensis provinciæ præsidem, octogenariô majorem, sed vegetum senem.

N. 20. „ Carolô mortuô Matthias Archi-Dux in castra venit, & obsidionem eodem ordine, quo Carolus instituerat, prosequendam mandavit. Paulóque pòst Vincentius Gonzaga Mantuæ Dux, decoris avidus, quamquam nullum in exercitu imperium haberet, eodem appulit, ductis secum tam suæ ditionis, quàm aliarum Italiæ provinciarum viris primariis & bellicæ rei expertis, cum quingentis circiter equitibus, totidémque peditibus egregiè instructis. Denique post quædam alia dubia certamina, cùm obsessi omni spe aliorum auxiliorum decidissent, alisque duræ necessitatis angustiis oppressi essent; deditionem fecêre die secunda Septembris æquis conditionibus, & Budam sese recepêre, post quinquagesimum secundum annum quàm à Solimano urbs dedentibus Hispanis capta fuerat &c. „

[2.] P. Joan. Zehetner in Annot. suis.
[3.] E literarum monumentis.
[4.] Ex Autographo ipsius Generalis.
[5.] Ex Transsumpto Brevis Apostolici.

[6.]

[6.] Ex Autographo ipsius Generalis Cisterc.

Hoc anno D. Clemens Papa non vulgari prærogativa, cujus suprà ad annum 1581. sub N. 2. textus noster meminit, insignivit Sac. Ordinem nostrum, cujus tenor sequens:

CLEMENS OCTAVUS.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ COmmoditati Monasteriorum utriusque „ sexûs, tui Ordinis Cisterciensis, quorum benedicente Domino maximus est numerus, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, cùm sicut accepimus; tu, cui soli, ex Privilegio Apostolico, munus benedictionis, Abbatibus & Abbatissis tribuendi facultas competit, omnibus Abbatibus & Abbatissis hujusmodi benedictionis munus impendere nequeas, tibi, ac pro tempore existenti Generali Abbati ejusdem Ordinis, quandocunque opus fuerit Principalibus Vicariis tuis, qui etiam Abbates existunt, munus benedictionis aliis Abbatibus & Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi, Authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuam concedimus potestatem, non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus constitutionibus, ceterísque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 24. Julii M.D.XCV. Pontificatûs nostri annô quartô. „

M. Vestrius Barbianus.

Superscriptio.

Dilecto Filio Abbati Generali Ordinis Cisterciensis &c.

„ ITa transsumptum in Capitulo Provinciali Præside Reverendissimo D. Edmundo à Cruce, Cisterciensi Abbate, Superiore totius Ordinis Generali, in Monasterio Fürstenfeldensi in Bavaria prope Monachium die festo Exaltationis Sanctæ Crucis, decimo quarto die Septembris; annô Domini MDLXXXXV. „

[7.] Ex lib. ædific. Z. sub hoc annô. P. Joannes Zehetner in annotat. suis. Item Registrum citatum Autographum.

Annus Christi MDXCVI. Monasterii CCCCLVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

FErdinandus Caroli Archi-Ducis Austriæ & Stiriæ filius hoc anno 12. Decembris, Græcii fidelitatis juramentum seu homagium à Stiriæ Proceribus accipit, qui etiam anno sequenti Archi-Ducatûs Carinthiæ actus in ejusmodi Provinciæ suscipienda administratione 20. Januarii exercuit. * [1.]

Conventus Dei-Vallensis Udalrico Abbati in Zwetl significat obitum sui Abbatis D. Matthiæ, qui 11. Januarii horâ noctis octavâ hoc anno contigit. [2.] Udalricus igitur, uti Vicarius Generalis per Austriam, rescribit Conventui dicto, quòd defuncti corpus Joannes Abbas S. Crucis sepulturæ tradet in illo Sacello, quod ille ante suum obitum noviter consecrari fecit: deinde Administratorem in Spiritualibus Conventui nominat P. Georgium Priorem illorum sub dato Viennæ 15. Januarii, annô 1596. [3.]

Porro Abbas Udalricus de se ipso scribens ait: „ Annô 1596. fui per annum „ ordinariis in rebus bellicis adjun„ ctus. „ [4.] Quod declarant tot literarum fasciculi de rebus bellicis agentes, qui adhuc supersunt.

Eodem tempore fuit in Zwetlensi Præpositura installatus Zachæus Greil post obitum Georgii quondam Præpositi, hic Parochus ad S. Michaëlem antè Viennæ extitit, & quoque Confessarius Monialium ad S. Jacobum ibi fuerat, qui scribit Abbati de sua confirmatione, & facit mentionem de sub utraque spe-

cie in Communione Zwetlensibus porrigenda, sub dato 17. Maji, annô 1596. [5.] Unde patet, Zwetlenses cives ad Lutheranismum declinâsse.

Tumultus hoc anno rusticorum oritur, nam pagani de Lauterbach, Harbach, & Harmanschlag Præfectum dominii Weitracensis Georgium Schwarzman accusant apud Georgium Winter Supremum in silvestri hac Austriæ plaga Capitaneum constitutum de certis quibusdam gravaminibus contra antiqua sua indulta illatis, auxiliúmque contra eundem petunt, sub dato Weitra in festo S. Stephani, annô 1596. [6.] Non soli verò Weitracenses subditi rebellaverant, sed etiam infra Mainhardi montem vinitores, & ultra Danubium illi, qui supra saltum Viennensem habitabant. De quorum tumultu annô sequenti plura scribentur, quo rursum erat idem extinctus & sopitus.

ADDITIONES.

*[1.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. cap. 28.

Piespordius sub Ferdinando.

[2.] Ex literis ejusdem Conventûs intimatoriis.

[3.] E literarum monumentis.

[4.] Ex Libro suo. P. Joannes Zehetner in Annotat. suis hoc anno.

[5. & 6.] E literarum monumentis.

Continuatio Catalogi Ederiani hoc anno. „ Rustici Austriæ Inferioris Campum-liliorum „ invadunt, omnia in suam prædam convertunt, præfectos arcium captivos ducunt, S. „ Hippolytum obsident. Sed cùm ad festum „ Paschatis celebrandum ductores illorum „ Guilielmiopolim (Wilhelmspurg) intrâssent, inibi à septem civibus partim necati, „ partim capti Viennam ad pœnas rebellibus „ debitas ablegantur, ceteri præcisis auriculis „ ad tuguria sua redierunt. „

Annus Christi MDXCVII. Monasterii CCCCLIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Urbanus.	Ulricus II.

DUm adhuc bellum in Ungaria Turcicum duraret, Clemens Papa VIII. pro pace inter Christianos Principes obtinenda Romæ Jubilæum publicari fecit, ut arma sua ad Turcas debellandos converterent, sub dato Romæ 3. Nonas Julii, annô 1597. Pontificatûs sui annô sextô. *[1.] Hoc Jubilæum Melchior Kleselius Officialis Passaviensis nomine Urbani Episcopi sui Viennæ 27. Octobris hoc anno publicari fecit.

Udalricus Abbas Zwetlensis de se hæc scribit: : Annô 1597. 4. Januarii „ feci juramentum in Excelso Regimine, eadémque die installatus, & data „ erat mihi ab Imperatore Rudolpho „ Sessio Baronum „ [2.] Hæc ille de se: alius addit: „ Eodémque anno „ etiam præfuit urbi, ac Prætor urbis „ Viennensis factus, decem annis hoc „ officium continuavit. „ [3.] Huic scribit P. Joannes Neuner pro tunc adhuc Prior Zwetlensis, quatenus cum promotione sua ratione vacantis Abbatiæ in Seisenstain non properet, cùm adhuc tempus sit. Deinde mentionem facit tumultûs & rebellionis in hac silva rusticorum, quid hinc de ornatu Templi faciendum sit, consilium petit; addit, quòd omnes in Monasterio & vivere & mori constituerint, sub dato Monasterii in Zwetl 4. Februarii, annô 1597. [4.]

Porro de tumultu rusticorum in Austria tam supra quàm infra Mainhardi montem, & supra Viennensem silvam exorto pluribus agendum erit, quia Monasterii subditos, & hunc Zwetlensem tractum concernit, tum etiam quia Udal-

Udalricus Abbas ad hunc tumultum sedandum Commissarius Cæsareus fuerat, tum vel maximè, quia ejus commissionis Acta hìc habentur, [5.] quare benevolus Lector parcet prolixitati. Inprimis igitur videndum, quæ causa fuerit hujus excitati tumultûs, cujus articuli sequuntur cum tali inscriptione:

Articuli Rusticorum, quibus moti conspirare ausi fuerint, & Dominis suis rebellionem movere.

„ Nobiles, Honesti, Sapientes, Benevoli admodùm Domini, „ Amici, & Vicini; Quid nos omnes „ ad motus excitandos coëgerit, ut „ conveniremus in unum, fœdúsque „ inter nos usque ad ultimum spiritum „ & extremam inopiam jecerimus, causæ sunt, quæ sequuntur:

Causa 1ma. „ Quandoquidem hactenus ad Turcam Christiani nominis hostem debellandum trigesimum „ & decimum virum miserimus, & stipendia militaria ipsis dederimus, nos „ opifices & agricolæ multùm exposuerimus, nec ampliùs habeamus, unde „ dare possimus: proinde à Dominis nostris è domibus nostris & pagis ejicimur. Quare nos iidem opifices & „ agricolæ modò virum quintum, si „ etiam peteretur, nec mittere; nec „ ullum militare stipendium porrigere „ cogitamus, sed ad Sac. Cæs. Majestatis Clementissimi Domini ac Principis nostri honorem & patriæ defensionem quilibet bello seipsum tradere „ constituimus, ita tamen, ut unà Domini quoque in hostes arma ferant.

2da. „ Quia Domini nos subditos „ suos nimiis laboribus contra indulta „ antiqua gravant, ita ut neque clementia aut misericordia circa miserè gravatos locum ullum habeat, neque „ finis ullus appareat in dies novorum „ laborum excogitandorum.

3tia. „ Jam à quatuor annis juxta „ Danubium deductio & descensus militum continuatur, quorum talis est „ insolentia, ut non tantùm quidquid „ ipsis de victu apponitur, contenti „ non sint, sed etiam cistas omnes perfringant, & quicquid inveniunt, rapiant; insuper etiam miserrimè nos „ pauperes percutiant, ad quam superbiam & insolentiam amovendam hæc „ conjuratio facta est, ut si quid tale „ rursum contingeret, non tantùm „ subditi per edictum publicum concurrerent, sed etiam illorum Domini, „ quorum pauperes vexarentur, sumptis „ armis suos defendere juvarent.

4ta. „ Deinde ad conspirationem „ istam Domini nostri nos subditos suos „ cogunt, nam ubi Dominus Deus per „ mortem parentum pupillos facit, qui „ à parentibus suis aliquid habent, quod „ hæreditare possint; tunc aliqui sunt „ Domini, qui pupillorum hæreditatem vel in claustra, vel in castra unà „ cum pupillis condunt: qui ubi pubertatis annos attingunt; tunc illos in „ villis & prædiis ad servitia sua applicant, eósque pessimè tractant, ita ut „ aufugere debeant, quo facto Domini hæreditatem talium in pœnam illorum ad se rapiunt; & si antea illam „ non acceperint, mox à curatoribus „ eorum sub gravissimis mulctis & pœnis extorquere solent. Hoc ferre „ ampliùs non possumus, quia contra „ Dei præcepta & contra omnem justitiam peccatum grande est.

5ta. „ Iterum à Dominis nostris „ ad hæc causamur; nam ubi parentes „ filiis aut filiabus ad laborem aptis à „ Deo donati sunt, quos multo sudore „ & labore longo enutrierunt, ac ipsi „ parentes jam laboribus exhausti & seniò confecti sunt, ita ut liberorum „ labore juvari possent & sublevari: „ tunc illos ad Dominorum suorum servitia sistere coguntur, à quibus quandoque ita tractantur, ut fugæ se dare „ debeant: quos parentes quærere & „ ad servitia sua priora restituere jubentur, si non inveniunt, parentes sæpe à Dominis talibus tyrannis in bo-

„ nis & in corpore gravissimè puniuntur. Quod ampliùs nullô modô ferendum est.

6ta. „ Ratione mulctarum immensarum & indiscretarum à Dominis suis indictarum. Olim, ubi aliquis deliquit, ad Judicem vel Senatum pagi ab adversario suo deferebatur, reus citatus audiebatur, ac tandem pagi Officialis cum suis assessoribus sententiam aut pœnam pronuntiavit, hic erat mos laudabilis. Modò verò Domini tyrannorum more delinquentes secundùm voluntatis suæ beneplacitum puniunt, ut sæpe peccans, qui unum, vel alterum florenum pro mulcta dare debuisset, triginta aut quadraginta, aut plures florenos pendere teneatur; nec ullum respondere, ne dicam, ad officium pagi dirigere sinunt. Quod etiam diutiùs ferendum non est.

7ma. „ Et licèt aliquando pauperes de hac injustitia Dominorum suorum apud Summum Magistratum libenter querelas deponere vellent, non tamen in causa sua expediuntur, sed magìs suspenduntur & negliguntur.

8va. „ Causam etiam nobis dant Præfecti castrorum, arcium & dominiorum, qui pauperes colonos ita aggravant, & graviter puniunt, ac si eos excoriare velle viderentur. Manifestum hoc est, cùm aliquis interdum Præfectus ad Præfecturam suam venit, vix decem florenis tota illius æstimatur substantia, post duos verò annos duo millia florenorum in banco sunt, unde solùm amæniores sibi emunt domos, molendina, dominia, & castra: profectò sole clariùs apparet, illos has opes nonnisi à pauperibus habere extortas.

9na. „ Gravis nobis est census ille, qui vulgo Ruckgeld vel Haußgulden vocatur, de qualibet nimirum domo florenus, qui census ab antiquo non fuit.

10ma. „ Gravamen etiam nostrum est, qui nuptias in tabernis Monasteriorum & arcium celebrare debemus, cùm aliàs commodiùs alibi illas haberemus, in quibus tabernis plures sumptus adhibere tenemur.

11ma. „ Quia pecora nostra primùm Domino ad emendum offerre cogimur, ipsique minori pretio dare, cùm alibi cariori illa vendere possemus.

12ma. „ Cùm nobis nuntiatur, ut ad Monasteria vel arces custodiæ causâ veniamus, etiam de nocte venire cogimur, quicquid interea cum domibus nostris agatur, quod etiam nostrum gravamen est.

13tia. „ Grave insuper nobis est, quia Dominis nostris majorem metretam dare debemus, illi autem tantùm dant nobis minorem.

14ta. „ Molestamur etiam in messe siliginis aut tritici, & in avena metenda, olim enim vel pro mercede vel pro cibo & potu laboravimus, nunc quidem nec gratias referimus, multò minùs mercedem, cibum aut potum.

15ta. „ Injusta planè res est, quòd ubi nostrûm aliquis moritur, tunc Domini multam inde capiunt pecuniam etiam violenter, ita ut tantùm triginta vel quadraginta florenos accipiant, ubi verò pecunia deest, ad pecora mox oculos conjiciunt, & inde pulchrius par boum sibi rapiunt.

16ta. „ Hoc etiam abusus esse videtur, quòd cùm aliquis domum emit, tunc Dominus numerans pecuniam, de quolibet floreno unum accipit cruciferum, qui vulgo Zehlgeld vocatur, quam tamen pecuniam etiam nos numerare sciremus, si modò multam haberemus.

17ma. „ Molestum rursum nobis est, quòd ubi aliquis domum emit, semper decem solidos ob inscriptionem dare tenetur, vocatur vulgo Schreibgeld / qui mos olim non erat.

18va.

18va. „ Gravamen etiam est, „ quòd olim pro arbore una dabantur „ quatuor cruciferi, modò verò octo- „ decim cruciferos dare tenemur, quos „ ampliùs dare absolutè nolumus.

19na. „ Onus etiam novum est, „ quòd canes aulicos seu curiales Do- „ minorum nostrorum ad venationem „ aptos ducere debeamus.

20ma. „ Neque cogitamus ampliùs „ de puerperarum vino, sicut etiam de „ vino in nuptiis consumpto censum „ ullum dare, qui Tätz vulgo vocatur. „ Et proinde omnibus nostris manda- „ mus, ne ullus pro tali vino vel obu- „ lum exponat.

21ma. „ Quod censum, qui Steu- „ ra dicitur, attinet, quilibet nostrûm „ tam Cæsareæ Majestati, quàm terræ „ Principi atque Proceribus ad eum „ solvendum tenetur; si autem novus „ à Cæsarea Majestate imponeretur, „ cùm hactenus eidem Majestati talis „ census parum utilitatis attulerit, om- „ nino dari vetatur.

22da. „ Demum, si Domini sub- „ ditos suos, vel ob has, vel ob alias „ causas carceribus, ergastulis, aut ecu- „ leis punirent, aut punire vellent: tunc „ omnes conjurati vitam, bona, cor- „ pus & sanguinem ad tales redimen- „ dos & cum suis defendendos ex pa- „ cto tenentur. „ [6.] Atque hi sunt articuli conjuratorum, quorum Capitaneus supremus nominatur Haselgrueber.

Jam semel edictô Cæsareô rebelles admoniti fuerant, ut alio modo jus suum quærerent, non armis, verùm illi à suis antesignanis rursum excitati, magis magísque confirmati, jam etiam plurium aliorum rusticorum conjunctiones quærebant, unde Rudolphus II. Imperator contra illos tale mandatum dedit:

„ Nos Rudolphus II. Dei Gratiâ „ Electus Romanorum Imperator sem- „ per Augustus &c. Posteaquam per- „ duelles rustici atque etiam alii subditi „ cum suis complicibus & adjutoribus, „ qui se illis adjunxerunt, vel adhuc „ juncturi sunt, in partibus Austriæ „ duabus, nimirum supra Viennensem „ silvam & Mainhardi montem, non „ reputantes priorem ipsis ultro obla- „ tam clementiam, paternam admoni- „ tionem, gratiam nostram, & indul- „ gentiam commissorum, adhibita me- „ dia & remedia ex gravaminibus libe- „ randi respuentes, in sua pervicacia & „ insolentia punienda perdurant, arma „ capessunt, & pansis vexillis vagantur, „ jam aliquot castra & oppida ceperint, „ Provincialium Dominorum bona di- „ ripienda dederint, ad has duas Au- „ striæ partes sibi juramentô subjicien- „ das, ad Nobiles Dominósque elimi- „ nandos, supprimendos, ac delendos „ de novo conjurârint. Ita necessitas „ postulat, tali ingruenti malo seriò „ obviandum esse, inde clementer de- „ crevimus, quantocyus ad illas par- „ tes pedites equitésque dirigere. Ut „ autem istis militibus sufficiens auxili- „ um præstetur, ità mandamus clemen- „ ter vobis in dictis Austriæ partibus „ habitantibus, ut equos vestros cen- „ suales his visis quamprimum detis, „ vos secundùm posse vestrum equitatû „ peditatúque ad resistendum parati „ sitis, deinde Monasteria, castra, do- „ mus & civitates vestras præsidiis mu- „ niatis, vicinitatis gratiâ fœdus inea- „ tis, obedientes subditos vobis adjun- „ gatis, & ubi necesse fuerit, aut unâ „ manu rebelles involare, aut cum Ge- „ nerali Capitaneo suísque militibus „ vos conjungere, dictis perduellibus „ subditis eorúmque complicibus, quàm „ optimè poteritis, corpora, vitam, „ bona eorum igne & gladiô absumatis, „ uxores & liberos eorum abducatis, „ commeatum, armaturam, pulveres „ rapiatis, nec ulli perduellium & ino- „ bedientium parcatis. Præsertim ve- „ ro omnis Magistratus, Dominus, ci- „ vitas, pagus, aut oppidum in Danu- „ bii utraque ripa, omnes naves ex „ aquis sine mora deponant in loca mu- „ nita, ripas custodiant & muniant,

„ neque ullum per fluvium deferant. „ Quæ supraſcripta etiam alias partes „ Auſtriæ non tantùm quoad cenſuales „ equos, ſed etiam quoad milites ubi- „ cunque, ſi caſus feret, adhibendos, „ præſtare volumus. „ [7.] Deinde admonet Imperator Dominos, ut ſtudeant obedientes ſuos ſubditos fovere, errantes revocare, eos à gravaminibus veris liberare, omnem gratiam & indulgentiam transgreſſis, ſi ad obedientiam rediêrint, polliceri & exhibere, pertinaces verò perduelles igne & gladiô perdere. Præterea hortatur Capitaneos partium Auſtriæ ſupradictarum, ut officium ſuum fideliter expleant, in militum delectu de loco cum Provincialibus conveniant, decuriones atque alios militiæ Præfectos aptos legant, eorum nomina conſignent, eos ſub ſalario certo conducant, ac denique ad hanc inſolentiam extinguendam cum Auſtriæ Proceribus correſpondere contendant, ſub dato Viennæ 6. Februarii, annô 1597. Ex quo Edicto Cæſareo apparet, quid hic ruſticorum tumultus voluerat, quò collimârat. Erit autem neceſſarium ob oculos ponere perduellium egregia peracta facinora, quæ talia ſunt: Udalrico Hackl Abbati Zwetlenſi, & in cauſa rebellionis hujus Commiſſario facit relationem quidam Eques præſens ubique ſpectator & ſocius talem: „ Acta „ in hac parte Danubii. Vigeſimâ ſeptimâ Februarii ruſtici Equites Maratskianos in pago Straſs invaſerunt, quorum equitum numerus centenarium „ non ſuperavit, ad hos delendos ruſtica turba undique convolavit, ipſis „ quadraginta & octo equos, arma, aliáque ad militiam ſpectantia rapuerunt, „ manè enim circa horam nonam & decimam in eos irruerunt, quindecim „ illorum, inter quos tres pueros & „ unam mulierem, crudeliter mactârunt, „ eos diſſecantes in partes absque miſericordia. Verùm & ruſtici paulò „ pòſt equitum manus ſenſerunt, Straſs „ enim pagum incenderunt, in quo ad „ quadringentos illorum occiderunt; „ & ab ipſis multa tam in pecunia, quàm „ aliis in rebus ſpolia obtinuerunt. His „ peractis nobis nuntiatum fuit, octo „ ferme millia ruſticorum ad nos invadendos cum ſpe pugnæ ineundæ ad „ Kirchbergam in Wagran conveniſſe, „ contra quos primâ Martii ordine militari ſimul omnes egreſſi ſumus, qui „ nos ita ordinatè inſtructos videntes „ mox diſperſi omnes fugerunt. Fugientes inſecuti quotquot deprehendimus, partim naſô & auribus mutilati, „ partim miſerè confoſſi, globis trajecti, tum ceſtris, ſecuribus, fuſtibúſque mactati fuêre. Deinde ad Kirchbergam properantes, cùm Direntalium & Ottentalium attigiſſemus, „ neminem ruſticorum domi invenimus, utrumque pagum exſpoliatum „ incendimus, damnum in eo computatum fuit ultra quadraginta millia „ florenorum, unicus enim lanio ibidem Thomas nomine quatuor millia „ amiſit. Perduellium etiam aliquot „ ad arborum ramos ſuſpenſi, plures „ Officiales pagorum bene opulenti, ac „ ruſtici ditiores capti ſunt, qui aliquot „ millibus florenorum vitam redemerunt. Septimâ porro Martii rurſum „ triginta millia ruſticorum nos invadendi gratiâ in Loïo ſeu Langen-Loys „ convenerunt, quos non timentes „ octavâ Martii acceſſimus, ſed etiam „ iſti noſtrum conſpectum ferre non valentes, in ſilvam Gſellenſem fugâ ſe „ proripuerunt, ex qua in propria evanuerunt: incenderunt quidem in fuga oppidum Loiſium, ſed tantùm „ quindecim domus, potiores tamen „ flamma devoravit & perdidit. Eadem die in Steffansbach adhuc venimus, in quo pago ejúsque viciniori„ bus multi nequam ſunt deprehenſi, „ qui ſecundùm regulam ruſticanam „ tractantur, hìc enim unus, ibi alter „ ſuſpenditur, qui vitâ donantur, naribus & auribus abſciſſis notantur. „ Cras iter noſtrum Hornam versùs in„ ſtitue-

„ stituetur, ubi triginta millia rustico-
„ rum quæremus, mens mea magnam
„ sanguinis illorum mihi præsagit effu-
„ sionem. Hostes hodie à Domino
„ Beuer Capitaneo salvum conductum
„ petiêrunt, sed nequiter, unde ipsis
„ sic concedendus non est. Cæsa-
„ rea Majestas & Serenissimus Archi-
„ Dux milites conscribunt, nobísque
„ jam trecentos equites & quingentos
„ pedites submiserunt. Si rusticorum
„ sexaginta millia adessent, cum ipsis
„ pugnaremus, & illos Dei cum adju-
„ torio vinceremus. „ [8.] Hæc ex relatione dicti Equitis Ducalis, ùt se ipsum nominat. Atque ita rustici in parte infra Mainhardi montem suam mercedem rebellione dignam receperunt.

Ascendo ad partem supra Mainhardi montem, in qua etiam Monasterium Zwetlense situm est cum suis subditis, antequam verò alia proferamus, de Commissariorum ad perduelles legatorum actis videamus, qui in oppido Gfell constituti literas ad eorum antesignanos tales dederunt: „ Salutem & prompta
„ studia nostra, Honesti Amici, cùm he-
„ rì in Gfell vesperi venissemus, intelle-
„ ximus, quòd à vobis nova convoca-
„ tio facta sit, & rustici omnes circum-
„ quaque in Alentgschwent venire
„ jussi fuerint, qui vester motus, quod
„ vestrum propositum non tantùm per-
„ sonis vestris, liberis & uxoribus, sed
„ etiam universæ parti huic seu territo-
„ rio ultimam ruinam & præcipitium
„ extremum causabit. Nam planè ve-
„ ster iste motus Principis vestri cle-
„ mentiæ & universitati vestræ obla-
„ tæ gratiæ contrariatur: si verò vos
„ quieti reddideritis, salvum condu-
„ ctum ad nos venientes accipietis, gra-
„ vamina vestra audientur, & quantò
„ citiùs ea offeretis, eò citiùs ab iis li-
„ berabimini: sicut ex copiis salvi con-
„ ductûs à Capitaneo Gfellensi, ùt ipse
„ asserit, herì vobis transmissis, clarè
„ conspicere poteritis. Deinde etiam
„ iste motus vester Commissioni nostræ
„ à Clementissimo vestro Principe ema-
„ nanti, ùt percipietis, maximè con-
„ trariatur. Quapropter quid in hoc
„ casu vobis faciendum sit, bene pon-
„ derate, & sincerum ac fidele consi-
„ lium nostrum accipite, ut nimirum
„ quamprimum selectos aliquot ex vo-
„ bis ad nos huc in Gfell mittatis, pro-
„ mittimus autem vobis salvum Prin-
„ cipis conductum, si tamen à pericu-
„ loso vestro proposito declinare vo-
„ lueritis, ut interea ab omni violenta
„ irruptione satìs supérque securi ma-
„ neatis: quemadmodum etiam D. Ma-
„ ratsky supremus militum Capitaneus
„ hoc in mandatis tantùm habet, ut er-
„ ga eos, qui quietem colunt, & futu-
„ ræ Commissioni, qua omnium gra-
„ vamina tollentur, adesse volunt, ni-
„ hil omnino tentet, sed solùm in pacis
„ turbatores & inquietos executionem
„ militarem intentet, prout in vestro
„ ad nos adventu per legatos plura au-
„ dituri estis; simul hanc in nos fidu-
„ ciam habeatis, quòd nos utì Viri ho-
„ nesti & fide digni, animô sincerô &
„ corde fideli erga vos afficiamur, mo-
„ dò agnoscere, & salutem vestram di-
„ ligentiùs considerare volueritis. Ce-
„ terùm nos vestrum adventum vel re-
„ sponsum per hunc nostrum tabella-
„ rium hìc præstolabimur, ut sciamus,
„ quid Principi referre debeamus, Deo
„ nos invicem commendantes. Datum
„ in Gfell 21. Martii, annô 1597. „ [9.] Harum subscriptio talis erat: „ N. & N.
„ ablegati ad eos de Cæsareis Civitati-
„ bus, oppidis & pagis in Inferiori Au-
„ stria excitatos cives & rusticos Com-
„ missarii Stephanus Mayr & Silvester
„ Pacher. „ Superscriptio literarum harum ita sonabat: „ Honestis N. & N.
„ pro tempore denuo in Alentgschwent
„ excitatis civibus & rusticis ad proprias
„ manus. „ Hanc autem Commissionem institutam fuisse in Emmerstorf, sequentes literæ declarant: „ Nos N.
„ & N. dominii Arbesbach coloni præ-

„ sentibus fatemur, quòd hodie ab Honorabili ac Prudenti Viro N. Judice „ & Senatu in Emmerstorf ad manus „ nostras receperimus, nostra colonorum nimirum dominii Arbesbacensis „ conscripta gravamina, quæ eo tempore, quo Commissio Cæsarea in dicto Emmerstorf oppido haberi debuisset, Georgio Prunner tunc supremo „ rusticorum Capitaneo existenti tradidimus. Ab ulteriori itaque gravaminum nostrorum petitione prædictum oppidum & Capitaneum liberos pronuntiamus, harum testimonio literarum. Actum 3. Martii, „ annô 1597. „ [10.] Commissio verò supradicta hæc in se continebat: Matthias Archi-Dux Austriæ &c. hortatur seriò rusticos perduelles partis Austriæ supra Mainhardi montem, ut arma sua tradant receptâ apochâ vel Dominis suis vel Commissariis; de qualibet Parochia vel officio pagi cujuslibet vades offerant, & gravamina sua in civitate Zwetlensi deputatis suis Commissariis explicent, exprobrans ipsis, quòd Capitaneos suos nondum licentiâssent, sed novos insuper creâssent, evocationes occultas & conventicula in variis locis procurâssent, etiam tympanis & armis sub vexillo publicè vagarentur, &c. Quare ut sibi, liberis, uxoribus, & bonis suis parcant, seriò adhortatur, nè, si admonitionem suam acceptare noluerint, graviora experiantur, sub dato Viennæ 21. Martii, annô 1597. [11.] Ex Commissariis istis unus fuit Udalricus Hackl Abbas Zwetlensis, qui unà cum Domino Landavio collega gravamina rusticorum accepit.

Supremus rusticorum Capitaneus tunc erat Georgius Prunner, cui subditi Poësenpeugenses scribunt, qui arcem Poësenpeug in rupe ad Danubium sitam occupaverant, quam arcem suam primariam vocant, in quam Cæsareanos milites suscipere noluerunt, penes quos ajunt se debere vigilare; petunt igitur à dicto suo Capitaneo consilium, quidnam agere debeant: existimant, eandem arcem rusticorum nomine incolendam & sibi defendendam esse, cameris omnibus sigillô occlusis, vinô frumentóque annotatis, usque dum redeat Dominus Hoïensis, qui Viennæ morari dicitur, & secum potiorem suam substantiam tulit, sub dato Poësenpeug 3. Februarii, annô 1597. [12.] Auxilium etiam petiêrunt ab eodem Georgio Prunner rustici ad Prunn spectantes, quorum literarum tenor sequens est: „ Nos subditi, officiales & jurati assessores optamus omnia bona Clementissimo ac Clarissimo „ Domino Domino Supremo Consilii „ bellici Capitaneo & militiæ Generali. „ Vestram Clementiam accedimus nos „ pauperes supplices, quatenus nostra „ gravamina & præsentem necessitatem „ in magnis censibus, quibus ad solvendum obstringimur, & magnis laboribus, quibus onerati sumus, à nobis „ aufferri juvaret, ut paupertatem nostram sublevare possemus, & non talem duram miserámque vitam ducere „ cogamur; rogabimus nos Deum, ut „ sit auxiliator noster, neque à nobis „ cedat, & ita nos, qui hìc in Prunn „ pauci sumus, etiam vobis auxilio erimus, quamdiu vita nostra subsistet, „ Deo nos omnes commendantes. Actum in Prunn Sabbatô post Purificationem, annô 1597. Nos Judex Laurentius Keckh & Christophorus Sontagprüegel hasce nostris sigillis munivimus. „ [13.] Hi rustici insurrexerunt contra Nobilem Dominam Christinam Woytichin viduam de Ybawitz & Taxen, contra quam articulos quadraginta & unum attulerunt.

Sæpefatus Capitaneus Prunner etiam Zwetlæ conspirationem suam texuit, quod declarant literæ Officialis de Walthausen ad Ottenschlag spectantis, & aliæ plures.

Transeamus jam ad gravamina pagorum, atque inprimis pagos Monasterii Zwetlensis enumeremus, qui à dicto Prunnero Capitaneo ejúsque asseclis excitati

citati fuerunt: Subditi de Geschwendt aliud nihil afferebant, quàm novos labores, quòd nimirum quatuor diebus ad grangiam Kobel recenter constructam agros colere teneantur. Subditi quoque in Ruedmans, Zwetlern, Geroten, Kaltenbrun & alii quidam concitati resistere tentârunt: Eorum querelæ quia in punctis suprà allatis rusticorum consistunt, supersedeo singillatim perscribere. Non minùs aliorum Dominorum subditi Commissariis Zwetlæ existentibus querimonias plurimas attulerunt, quorum nomina fortè ob possessores illius temporis Lectori non displicebunt. Sic Rapotonis lapis vulgo Rapotenstain oppidum contra D. Achatium Baronem de Landaw conquestum fuit. Waingensis pagus contra Dominum in Kirchperg. Pagi & villæ de Rieckers, Windhag, Sibenlinden, Prünnhöfen, Parvum Gundoltz & Molitor in Rotfarn contra Dominum Præpositum in Zwetl. Langenschlag in der Graßgegend contra dictum Landavium. Sequentes ad Grienawhoff spectantes, nimirum, Eschenaw, Gäntz, Jauding, Stoyas, Hainrichs, Edlaprintz, Wiederfeld contra Nobilem Dominam Ameleïam Römerin viduam in Grienawhof. Pagus Sälingstat contra Nobilem Virum Dominum Martinum Span de Limbach. Omnes subditi totius dominii præter supradictos contra Landavium Dominum suum gravamina plurima Commissariis Cæsareis obtulerunt. Christophorus Hergot Molitor ad Nadaïam in Schrembs contra Nobilem D. Wolfgangum Ditricum de Greifs Baronem ad Silvas & Rosenaw. Subditi in pagis superioribus contra Dominum suum Gabrielem Strein in Hirspach & Haugstorf, Consiliarium Cæsareum bellicum. Pagus Hörbart contra D. Sondorfium in Kirchberg. Pagi Jaggenbach, Rosenaw & Stralbach contra D. de Greifs in Schrembs & Rosenaw Baronem. Pagi Ulrichschlag, Metzles, & Götzles contra Dominum Abbatem Altenburgensem. Pagus Immenschlag contra Dominum Præpositum Perneccensem. Pagi Haslaw, Rueprechts, Gräfenschlag, Mieslas & Kaltenbach, contra D. Wolfgangum Strein de Schwartzenaw, item pagus Schwarbach. Pagi circum oppidum Gräfenschlag ad dominium in Weitra spectantes contra D. Wolfgangum Rumphium & Georgium Schwartzman Præfectum de Weitra: Similiter oppidum Gräfenschlag contra Schwartzman. Pagi Neusidel & Sitzmans contra D. Præpositum de Bulgarn ex Austria Superiore, atque contra Priorissam de Imbach. Pagi rursum Jaggenbach, Rosenau, Neusidel, Bernharts & Rieckers contra dominium Weitra. Pagus Moydrams contra Dominam Bschönickin. Subditi ad Parochiam in Rapotenstain oppido sitam pertinentes contra Parochum suum. Subditi dominii in Hirspach contra D. Gabrielem Strein. Subditi ex oppido Tellershaim & pago Zierings contra D. Sigismundum de Lamberg Baronem, Consiliarium Cæsareum, Mareschalcum Austriæ, Dominum in Ottenegg & Ottenstain. Pagi Majus Haselbach, Stegerspach, Scheiteldorf, & Pernschlag contra D. Gabrielem Strein de Hirspach. Pagus Walthausen sub monte Loschberg situs, contra Dominum de Polhaimb in Ottenschlag. Pagi Obern-Nondorf, Reutern & Losch contra D. Abrahamum Pfandler de Loschberg. Pagus Wietzen contra D. Maximilianum Saurer in Stain, cui Hackelius Abbas in Zwetl dictum pagum à Leone Lagelberger redemptum vendidit, qui subditi dicto Saurer ad prædium in Inferiori Waltenreith situm laborare debuerant. Atque hæc sunt nomina potiora pagorum in hac parte Austriæ supra Mainhardi montem turbatorum.

Videamus porro, quid de ea parte Austriæ, quæ supra silvam seu nemus Viennense sita est, circa rusticorum tumultum inveniatur. Matthias Archi-Dux mandatum hujus partis rebellibus transmisit, quo seriò perduelles istos

hortatur, ut arma tradant, vades offerant, cautionis literas, quæ Revers vulgò vocantur, observent, nè ad alia remedia ipsis gravissima descendere cogatur. Dicit hactenus ipsos inobedientes cautionis suæ literas sibi datas non servâsse, simul exprobrans ipsis, quòd Capitaneos suos nondum licentiâssent, sed novos insuper creâssent, evocationes occultas, & conventicula clandestina variis in locis procurâssent, tympanis etiamnum & armis publicè vagarentur, Gamingensem Priorem leves ob causas invasissent, & sub custodia tenuissent; Monasterium insuper Campum-liliorum vi expugnâssent, aliáque vetita iisdem in locis peregissent. Quare sibi, liberísque suis, uxoribus & bonis parcant, eos seriò adhortatur, nè si admonitionem suam admittere contempserint, graviora experiantur. Dicit eam ob causam militem ex parte illa Austriæ ad partem alteram Danubii traductum fuisse, nè ipsi quicquam adversi paterentur. Neque ullum rusticorum adhuc læsum esse, nisi quod in Strass contigerit, qui rustici suæ perditionis causam dederunt, cùm milites sinè causa invadere ipsi ausi fuerint. Datum Viennæ 21. Martii, annô 1597. [14.] Ex hoc mandato constat, maximè circa Alpes Stiriæ rusticos ea in parte Austriæ rebellâsse, cùm utrumque Monasterium & Gamingense & Campi-liliorum invaserint, sicut etiam quidam Catalogus conscriptorum rusticorum inventus, in quo viginti armati nominantur, aliqui ex Schwatz & Gösting, alii ex Scheibs & Seitenstetten, plurimi ex Gamingensi oppido, partim cum ensibus, partim cum hastis, reliqui cum sclopetis vocati. Inventæ etiam sunt literæ ad Capitaneum in Spitz scriptæ talis tenoris: „ Salutem nostram „ dilecte Domine Capitanee, scire vos „ volumus, quòd cum aliquot millibus „ silvanis (vulgariter ab ipsis nominantur Holtz-Knecht) in expeditione „ simus: mandamus igitur seriò, ut „ quamprimum sub pœna capitis & „ amissione bonorum tam Spitzenses, „ quàm Weisenkirchenses aliásque circum Parochias & oppida evocetis, „ ut vos nobiscum, ubiubi commodè „ poteritis, conjungatis; hæc vobis „ breviter significare voluimus, à nostro nuntio plura percipietis. Si verò „ hæc surda aure pertransire permiseritis, nostrámque tam fidelem monitionem spreveritis: scitote pro certo, „ quòd nos cum toto exercitu vos invasuri simus, nulli parcentes, neque „ vobis, nèque liberis, neque uxoribus „ vestris, unáque omnes vos fortunis & „ bonis vestris omnibus spoliabimus. „ Quare facietis ita prudenter, ut damna vobis imminentia evitetis. Datum in Ulmerfelden 2. Aprilis, annô „ 1597. „ [15.]

Demum operâ & diligentiâ Commissariorum eousque res deducta fuit, ut turba incondita rusticorum sedaretur, opus tantùm erat apprehendendi capita seditiosorum, qui tales motus excitare solebant, in quo Udalricus Abbas in Zwetl tanquam Commissarius suam industriam declaravit, supplicem enim libellum Archi-Duci Matthiæ porrexit hujus tenoris: „ Serenissime Archi-„ Dux, Clementissime Domine, Serenitati Vestræ humiliter significo, quòd „ sub tumultu rusticorum duo ex subditis meis inventi sint, quorum unus „ nomine Joannes Auperger Officialis „ in pago Gschwend, alter Sebastianus „ Scherkl opificiô molitor, qui duo à „ rusticis tumultuantibus ab Emmerstorf & Peckstal Zwetlam venientibus „ Capitanei constituti, libenter officium istud susceperunt, & ùt intellexi, „ mala multa causârunt & perpetrârunt. „ Horum alterum protinus post militum „ discessum capi curavi, & in Monasterio meo in vincula conjici mandavi; „ alter autem, nimirum molitor adhuc „ fugitivus oberrat, neque in domo sua „ inveniri potest, quem nihilominus ad „ capiendum quæri curo. Cùm autem „ intelligam, quia ad mandatum Sere-

„ nitatis

„ Vestræ Maratskius omnes Capitaneos „ aliósque tumultûs hujus Officiales huc „ Viennam detulerit, itâ & ego volun- „ tatem Serenitatis Vestræ submisè scire „ velim, an Aupergerum etiam huc du- „ ci, vel in ipsum per arbitros diversos „ inquiri, & per judicem sanguinis in lo- „ co, in quo peccavit, & quem ego lo- „ cum Judici designarem, ipsum secun- „ dùm justitiam puniri me oporteat &c.

[16.] Ex his patet Joannem Aupergerum & Sebastianum Scherckl Capitaneos fuisse constitutos rusticorum, de quibus plura inferiùs; modò congruum magìs videtur Archi-Ducis Matthiæ mandatum de puniendis illis, qui tumultuantium antesignani & capita extiterunt, proferre, quod taliter sonat: „ Matthias &c. Accepimus 21. Aprilis „ literas vestras, ad quas ex gratia hæc „ vobis respondemus. Concedimus „ vobis, ut quilibet possidens judicium „ sanguinis, vel dominus fundi, ergà „ illos rebellium Capitaneos vel modò „ captos & in vincula vestra conjectos, „ vel adhuc capiendos, procedere possi- „ tis, aut leni cum verbis bonis aut gravi „ cum pœna examine & debita secun- „ dùm justitiam condemnatione, itâ ta- „ men, ut talium reorum exameń scri- „ ptum, & sententiam vestram latam „ ante omnem executionem Regimini „ nostro unà cum vestro tam judicium „ sanguinis possidentium, quàm fundi- „ dominorum judicio, nimirum quis in- „ dulgentiâ dignus, & qua via indul- „ gendum, transmittatis, priùs verò ad „ nullam executionem descendatis. Et „ itâ quoque in puniendis talibus reis & „ hoc in tumultu malefactoribus, item „ in confiscatione horum bonorum vos „ agatis, ut absque dicti Regiminis sci- „ tu nihil faciatis, quia hæc crimina & „ supplicia præsertim Sacram Cæsaream „ Majestatem utì terræ Principem pro- „ priè concernunt. Ad horum pro- „ cessum cuncti dominium aut judicium „ sanguinis habentes cautè & attentè „ procedant, nè in affligendis suppliciis, „ in bonorum confiscatione, eorúm- „ que usuum fructu ad alterius delatio- „ nem, vel ex inimicitia præsertim Præ- „ fectorum, Judicum, aliorúmque in- „ juria fiat. Hoc etiam volumus, ut „ omnes Proceres & domini-fundi ca- „ ptorum & puniendorum subditorum „ bona tam mobilia quàm immobilia ex „ integro sub inventario conscribant, „ eorúmque indicem Regimini & Ca- „ meræ transmittant, ut inprimis Sac. „ Cæs. Majestati, Reipublicæ, Provin- „ ciæ, dominis-fundi, alíisque læsis ex- „ pensæ inde solvantur. Casæ ad mor- „ tem condemnatorum vel condem- „ nandorum hujus tumultûs rusticani „ capitum jubemus per dominos, ad „ quos jure fundi spectant, omnino, ut „ ad perpetuam criminis puniti memo- „ riam solotenus destruantur, patibu- „ lum desuper erigatur, erectum con- „ servetur; & eædem domus nunquam „ reædificari permittantur. Et quoniam „ ad conservandam quietem unicum & „ necessarium medium supersit, ut sub- „ diti ad dominorum manus in arces & „ castella arma sua deponant, itâ cura- „ bitis, ut in effectum hoc deducatur; „ neque in potestate domini sit, ut uni „ vel alteri pago aut colono in hoc par- „ catur, sed potiùs ut nullius aut pagi „ aut personæ fiat acceptio, volumus, „ nullum enim ipsis inde oritur dam- „ num, & simul videre erit, quibus obe- „ dientia curæ est. Primos hujus tu- „ multûs antesignanos hìc habemus, „ erga quos secundùm regulam justitiæ „ ob meritas suas pœnas procedemus, „ si itaque ex ipsis aliqui fuerint, qui „ apud vos supplicia sua sustinere con- „ gruum esset, postmodum fieri jubebi- „ mus, quemadmodum jam Crembsensi „ civitati duos ejusmodi reos ultimô „ suppliciô afficiendos tradidimus. Si „ autem Generalis noster Maratskius „ plures captivos teneret, qui ad hanc „ Austriæ supra Mainhardi montem par- „ tem spectarent, mortísque obnoxii „ essent, eidem dabimus in mandatis,

„ ut eos vobis ad exequendam mortis „ sententiam pro aliorum exemplo & „ terrore tradat morte afficiendos, de „ bonis tamen eorum, ùt suprà Nos re- „ solvimus, Regimen Austriæ Inferioris „ certius fiat, nihílque interea auffera- „ tur. Audimus etiam interea, quòd ali- „ qui domini subditos suos rusticorum „ quondam antesignanos, Capitaneos, „ eorúmque edicta circumferentes, & „ alios similes pecuniâ & bonis suis mul- „ ctent, quod de jure facere nequeunt, „ unde Cæs. Sua Majestas & Nos in tali „ casu erga tales, ubi veriùs informabi- „ mur, procedemus, & ipsos impunitos „ non relinquemus. Ex Indice vestro „ Nobis transmisso intelligimus quos- „ dam quidem equites & pedites suos, utì „ debebant, misisse, quorum obedien- „ tiam laudamus, reliquorum autem „ catalogum libenter habere deside ra- „ mus, qui suos non miserunt, ipsis pro „ certo inobedientiam suam in proximis „ provinciæ comitiis exprobrare non „ omittemus. Ubi igitur vobis videtur „ rusticorum tumultus sopitus, & timor „ nullus emergat alterius rumoris talis, „ concedimus, ut quilibet vestrum in „ domum suam redire valeat: nam intel- „ leximus etiam, quòd equi vestri gratìs „ hìc sustententur, & cum gravamine „ pauperum subditorum simul manea- „ tis. Antequam verò abeatis, priùs in- „ ter vos convenite, siquando resusci- „ tari contingeret flamma furoris hujus, „ quomodo initiô statim sopiri & deleri „ posset, ut quantocyus datô signô aut „ certâ tesserâ equi ad locum rebellanti- „ bus proximum deduci valerent. Siqui- „ dem per edictum generale omnibus & „ singulis mandabimus, ut parati sint, „ & arma capessant; addemúsque simul, „ ut quilibet subditus infra trium die- „ rum spatium post promulgatum no- „ strum mandatum omnia sua arma do- „ mino suo tradat. Inobedientes au- „ tem Dominus protinus capi curet, „ Nósque de talibus certiores redda- „ mur, vel certè Capitaneus talium in „ vincula conjiciatur, &c. Sub datò „ Viennæ 29. Aprilis, annô 1597. „ [17.] Hæ literæ Archi-Ducis scriptæ fuerunt ad Ordines Procerum Austriæ supra Mainhardi montem congregatos, qui utique antea scripserant Principi, quomodo sopito rusticorum tumultu erga capita rebellionis hujus sese in puniendo gerere debeant. Hæc resolutio Archi-Ducis altera die publicari demandata fuit per modum edicti, sicut literæ circa finem sonant. Sub dato 30. Aprilis, annô 1597.

Redeo ad rebellem Auperger captum & in Monasterii Zwetlensis vinculis constitutum, qui tandem per sententiam Excelsi Regiminis latam & à Rudolpho II. Imp. confirmatam, sub dato Viennæ 26. Julii, annô 1597. morte damnatus est. Executio autem ipsius habita fuit mense Augusto, diem nondum ejusdem reperi, qui in nemore Monasterii Zwetlensis Rastbang dicto penes viam, qua in civitatem itur, in prato angusto vulgo Jungfrauwiesel, capite plexus, & inferiùs paululùm in quercu grandi tres alii rebelles rustici laqueô suspensi fuêre, ad quot spectaculum aliquot millia rusticorum præsertim juvenes & pueri eorum vocati comparuerunt. Parcet Lector prolixitati meæ, volui consultum antiquitati, cùm non in aliis Authoribus eadem inveniantur.

Recipio reliqua Monasterii Zwetlensis acta, quæ ita sonant: „ Conventus „ Dei-Vallensis P. Jacobus Subprior, „ P. Joannes Marquart, & P. Felix per compromissionem D. Udalrici Abbatis Zwetlensis Visitatoris eligunt & postulant in suum Abbatem P. Joannem Neuner pro tempore Zwetlensem Priorem, eíque obedientiam promittunt, sub dato in Valle-Dei, 18. Maji annô 1597. „ [18.] Ex his patet, Neunerum præfatum hoc adhuc anno electum & installatum fuisse Abbatem Vallis-Dei.

Porro Edmundus à Cruce Generalis totius Ordinis concessit Udalrico Abbati in Zwetl Vicario suo Generali, ut in Austriâ

ſtria Inferiore duo illa Monaſteria per triennium viſitare poſſet, nimirum Campum-liliorum & S. Trinitatem in Nova-Civitate, quæ anteà per exemptionem, cùm Viennæ Auſtriæ moraretur, Abbati Runenſi tanquam Ordinario Viſitatori viſitanda ſubjecerat. [19.] Quod hoc anno factum 17. Julii. Anno autem ſequenti, nimirum MDXCVIII. Georgius Abbas Runenſis negavit Zwetlenſi utriusque Monaſterii viſitationem, imò etiam ipſi exprobravit novi apud S. Trinitatem Abbatis inſtitutionem, ſe tanquam Ordinario minimè ad hoc requiſito. Udalricus autem Zwetlenſis utì Vicarius Generalis præfato Runenſi in utroque Monaſterio omnem jurisdictionem negavit. Hinc deinde factum, ut bifariam in partes abierint, D. Georgius Abbas Novæ-Civitatis enim cùm à Conventu Monaſterii Victoriæ in Stiria in Abbatem eſſet poſtulatus, eandémque Abbatiam obtinuiſſet, Udalricus Zwetlenſis Priorem S. Crucis P. Paulum Schönebner, Auſtriacum, Philoſophiæ Baccalaureum; Abbas verò Runenſis quendam P. Matthiam à Generali Ciſterctenſi commendatum, in Abbatem Novæ-Civitatis inſtituere contenderunt. Ex his duobus P. Paulus dictam apud S. Trinitatem Abbatiam obtinuit, qui poſtmodum Joanne Rüoff Anno MDXCIX. mortuo Abbas in ſancta Cruce inſtallatus fuit. [20.]

Demùm D. Edmundus à Cruce Generalis Udalrico Hackel Abbati in Zwetl Vicario & Commiſſario ſuo per Auſtriam utramque Generali confert licentiam ad nutum ſuum duraturam benedicendi Abbates vel Abbatiſſas de novo electos ſolenniter poteſtate ſibi ſubdelegandi facta per Clementem Papam VIII. Anno MDXCV. [21.] annô verò ſui Pontificatûs quartô ſub Apoſtolico Brevi dato. Licentia verò eadem data eſt Lugduni à Generali 3. Octobris, Anno MDXCVII.

ADDITIONES.

[1.] E literarum monumentis.

[2.] Ex Breviario ſuo.

[3.] Ex quadam actione.

[4.] Ex literis Electi in Seiſenſtain.

[5.] E literarum monumentis.

[6.] Ex Caniſtro ſub Rubrica: Tumultus ruſticorum.

[7.] Ex Edicto Cæſareo.

[8.] Ex actis ejusdem in caniſtro de tumultu ruſticorum.

[9.] Ex eodem caniſtro ſub tumultu ruſticorum.

[10.] Ex Reverſalibus eorum in caniſtro citato.

[11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.] Ex caniſtro ſub tumultu ruſticorum.

[19.] Ex Autographo ipſorum.

[20.] Ex actis Ordinis Ciſtercienſis.

[21.] Ex Catalogo Abbatum S. Crucis.

Ex Autographo ipſius.

Ortelius Redivivus hoc anno „ Den 14. „ Januarii iſt der außgeſchriebene Land-Tag „ zu Wienn in Oeſterreich angangen, in „ welchem die Propoſition - Artickul den „ Land-Ständen, wie vor dieſem, eröffnet „ und fürgehalten, beneben auch ſie umb „ Rath und Gutachten, wie die neue angefangene Bauern Aufruhr, welche ſie in Oeſterreich und deren Orthen erweckt, jetzt „ und künfftig abzuſtellen, erſucht wurden, „ dadurch ihnen von ihren andern Beſchwerden auch möchte abgeholffen werden.

„ Den 17. Februarii iſt der Fürſt auß Siebenbürgen, ſambt deß Wallachiſchen Woywoden Geſandten, mit 40. Gutſchen, darob in 140. Perſonen, und alſo viel ſtattlicher, denn vor einem Jahr gen Prag bey Ihro „ Kayſerlichen Majeſtät ankommen, welcher „ herrlich und ſtattlich einbegleitet ward. „ Derſelben Tractation und Handlung wurde „ damahln gar ſtill und in geheim gehalten, „ allein gieng die gemeine Sag, daß ſie anſehnliche Fürſchläg groſſer Verrichtung unter „ Handen hätten, neben dieſer Verttöſtung, „ wofern man ihnen darzu mit Geld behülfflich wäre, daß der Fürſt in Bulgarien auch „ mit in Verbündnuß ſich einlaſſen wolte.

Spondanus hoc anno n. 14. „ Tradunt omnes auctores eundem Sigismundum „ (*Bathorium*) principiô hujus anni ſplendido apparatu Pragam contendiſſe, ut promiſſum

„ sum sibi aurei Velleris torquem, mittente „ eum Philippo Rege Hispaniæ, à Cæsare acci- „ peret. Sicuti & fecit solitâ pompâ. Sed ex- „ pressiùs habent Pannonici, Domûs Austriæ „ studiosissimi, eum ad id quoque illud iter „ suscepisse, ut cæptum anno superiori, ut „ vidimus, tractatum de tradenda Cæsari „ Transilvania, aliquo fine terminaret: Cæ- „ sarem ab his indecoris, nec tutis consiliis, „ eum gravissimis rationibus dehortari tam per „ se ipsum conatum esse, quàm per Pontifi- „ cium & Hispanicum legatos: At pertinacem „ adeò ipsum in suo proposito permansisse, ut „ se vel dispari, etiam & iniquà permutatio- „ ne contentum fore; & si Cæsar nollet, vel „ cum Polonis, atque adeò cum ipso Turco- „ rum Principe, se transacturum affirmaret; „ dummodo gravissima & difficillima impaca- „ tæ provinciæ administratione excedere, vi- „ támque privatam & tranquillam in otio & „ libertate transigere liceret. Cui & proposi- „ tum esse dicebatur, ut abdicata conjuge, „ Romam concederet, vitam ibi transacturus; „ & suscepto sacro habitu, ope & studio Cæ- „ saris in Cardinalium Collegium adoptare- „ tur. Itaque cùm nullis rationibus expu- „ gnari posse videretur, Cæsarem, ne insignis „ regni Hungariæ portio, in exterorum aut „ barbarorum potestatem deveniret, ad neces- „ sarias conditiones cum eo transigendas de- „ scendere coactum, in hunc modum cum eo „ convenisse; ut Cæsar ei principatum Oppo- „ litanum in Silesia traderet; ac quinqua- „ ginta aureorum millia superadderet, dua- „ bus pensionibus Venetiis, aut Romæ, aut „ Genuæ quotannis ei exsolvenda. Si verò „ animum ad sacris initiandum applicaret, tan- „ tumdem ei redituum ex bonis ecclesiasti- „ cis designaret, & apud summum Pontifi- „ cem pro consequenda purpuræ dignitate „ operam suam interponeret. De divortio „ matrimonii nihil tunc in publicum prodi- „ tum: Cæsarem tamen summa offensi animi „ dissimulatione, omnem ejus facti contu- „ meliam patienter tulisse, ac conjugem ad „ matrem reducendam assensisse; quod jam „ pridem ab eo intactam, ac geniali thoro „ exclusam, ac in intimos alpium recessus, „ nullis ejus demeritis, Cuvarium relegatam „ comperisset: nec illa alienum à separatione „ animum habere videretur.

Commentarius de bello Ungarico in Historia rerum Ungaricarum sæpe relata sub Anno 1595. „ Nuptiæ Sigismundi Principis „ Transylvaniæ & Annæ Christinæ Austriacæ „ factæ 22. Febr.

Piespordius in progenie Caroli II. Austriaci, Ducis Stiriæ, Carinthiæ &c. Patrui Rudolphi II. Imp. „ Maria Christierna VI. „ Austriaca. Nata Grætii 10. Novemb. Anno „ 1574. Nupta Sigismundo Bathoreo Prin- „ cipi Transylvaniæ.

Joan. Palatius in Aquila Austriac. p. 2. sub „ Rudolpho II. Anno 1595. Num. 107. & 108. „ Bathoreus Daciæ Princeps Moldavos, ac „ Valachos ad belli societatem sollicitaverat. „ Ejus Legatus Stephanus Boskaius Græcii „ Stiriæ fiduciarias Sigismundi nomine cum „ Maria Christiana coram Maximiliano Cæ- „ saris fratre nuptias contraxerat, solemni in- „ ter principes ritu in communem lectum ad- „ missus; cùm in deducenda domum uxore „ novæ moræ necterentur, & in Octobrem „ mensem rejiceretur, instítit ille, ut ante- „ quam contra Turcas magno cum exercitu „ venientes proficisceretur, nuptiæ consuma- „ rentur, missisque legatis demum obtinuit, „ ut sponsa Græciò valedictô Viennam veni- „ ret, ubi magnâ pompâ excepta est IV. Id. „ Jun. & à Matthia Archiduce in Maximiliani „ fratris manus consignata, qui eam cum vi- „ ginti bellatorum millibus Cassoviam, Julio „ exeunte, ad virum deduxit, ac postremò „ Albæ Juliæ in ipsa Transylvania nuptiæ ce- „ lebratæ, omine infelici, alienatione animo- „ rum statim inter sponsos secuta, &c.

Annus Christi MDXCVIII. Monasterii CCCCLX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Ulricus II.

JAurinum Ungariæ fortissimum munimentum Christianorum, quod Comes Hardeccensis 29. Septembris, Anno MDXCIV. pecuniâ corruptus Turcis tradiderat, hoc año 29. Martii per stratagema militare à Barone Schwarzenburgensi Adolpho Turcis rursum eripitur, cum singulari gaudio Christianitatis. *[1.]

Tan-

Tandem Urbanus Episcopus Pataviensis jam seniô confectus (ætatis enim suæ annos habuit 73. menses 2. dies 8.) Serenissimum Austriæ Archiducem Leopoldum, Caroli filium, & Ferdinandi II. postea Imperatoris fratrem in Coadjutorem Episcopatûs accivit, Rudolpho II. Cæsare opitulante, & Clemente Papa VIII. confirmante Annò isto MDXCVIII. Quô etiam 5. Idus Augusti obiit. [2.] Cui in Episcopatu successit Archidux Leopoldus.

Installato porrò in Abbatem Vallis DEI, vulgò Seisenstain, P. Joanne Neuner, Abbas Udalricus Hackel Zwetlensis ipsum consecravit; de quo ità loquitur P. Joannes Senior præsens: ,, Accepit etiam idem D. Abbas Zwetlensis à P. Generali potestatem consecrandi & benedicendi Abbates nostri Ordinis, utì & solenniter consecravit & infulavit Reverendum Patrem & Dominum Joannem Neuner Abbatem in Monasterio Vallis DEI. Quæ solennitas celebrata est in Monasterio Zwetl in festo Epiphaniæ, Anno Salutis 1598. in præsentia Abbatis de S. Cruce, & aliis Dominis. [3.]

Ornavit quoque D. Edmundus à Cruce Generalis Udalricum Abbatem in Zwetl eâ potestate, qua possit Monasterii sui altaria tam fixa, quàm portatilia, cœmiteria, & campanas benedicere: Ecclesias autem, capellas, altaria, & cœmiteria sanguinis aut seminis effusione vel aliàs quomodolibet polluta reconciliare. [4.] sub dato Parisiis in D. Bernardi Collegio 27. Novembris, Anno MDXCVIII.

Demum priori & hoc anno Abbas Udalricus Hackelius nova mœnia ad hortum Conventûs ædificari curavit; non autem ex fundamentis, sed tantùm supra antiquum murum, unáque turrim rotundam excitavit. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. cap. 27.

Spondanus hoc anno n. 19.

Ortelius Redivivus fusè & enucleatè hoc anô.

Joan. Palatius in Aquila Austriaca part. 2. sub Rudolpho II. hoc anno. ,, Adolphus Schwarzembergius Baro laude bellica celeberrimus; viris rei militaris peritissimis assumptis, pulcherrimum aggreditur facinus. Comorrâ profectus, cùm haud procul à Jaurino abesset, consilium de castro aperit repetendo. Tum Vobecurtio mandat, ut crepitaculô, cujusmodi machinarum usus nondum Turcis cognitus erat, admotô, portam effringeret. Caniaco negotium datum, ut majorem machinam, quàm occultissimè admoveret, ejúsque vi disjectis foribus, aditus pateret. Inde locus cuique assignatus, ad quem se, occupatô oppidô, reciperet; severè inhibita præda, nam partâ victoriâ, communem eam fore pro meritis inter milites distribuendam. Tum astus adhibitus. Ex Hussaris quinque Turcici idiomatis periti subornantur; quibus Turcarum res satìs cognitæ erant. Eos Turcæ incubitores, *cujates essent*? inclamant. *Budâ se venire* respondent; *literas ad Aaronis Aga Budensis sponsam afferre, & nuntium commeatûs à purpurato summissi, & jam propinquantis. Insuper importato commeatu, sponsam ad sponsum deducere in mandatis habeant. Sed metum subesse, nè Christianis huc illud sparsis, auxiliares damnum ab iis patiantur. Pontem ergò ad commeatum accipiendum ante lucem dimitterent.* Fidem Hussaris habuêre Turcæ, pontémque dimisêre. Sed cum venientibus nostris ingens fragor fieret, ut à vigiliis exaudiri posset, & appetente luce, ac Cœlô aliàs serenô cuncta ex superiore loco speculantibus paterent; exortus statim vehemens ventus, & nubes à Danubio ascendens ità Cœlum texit, ut aurium & oculorum sensum hostibus ademerit. Inde in spem nostri erecti mœnia subeunt, repertóque ponte demisso, machinas admovent. Conatus ex voto successit. Ibi demum vigiles, quid ageretur, animadvertentes, clamorem edunt, & sclopetorum ictibus tres Christianos conficiunt. Cùm enim ingenti fragore porta dissiluisset, aditúmque præbuisset, mox effusi nostri in urbem milites, obvios quosque contrucidant: loca munita & tormenta capiunt: reliquas obsident portas. Hinc Turcæ subito tumultu lectulis suis exciti, trepidare, discurrere, inermes, seminudi arma capere; illinc nostri perti-

„ nacissimè pugnantes cædere, fugientibus in„ stare, non sexui, non ætati parcere. Quin„ que horis duravit conflictus, in quo tanta „ contentione à nostris pugnatum, ut arma „ frustrà experti Turcæ, ultro nostris se ma„ ctandos objicerent. Urbi præfectus utra„ que manu acinacem vibrans, vitam cum ar„ mis projecit, cujus caput abscissum, in lo„ co maximè conspicuo defixum fuit. Ter„ centi Janizeri in munimentum recepti, ubi „ pulvis tormentarius asservabatur, cùm in„ de extrahi non possent, & nostri ad eos „ conficiendos confestim accurrerent, pul„ vere incenso, se cum hostibus flammâ in„ volverunt. Sic Jaurinum recuperatum, cùm „ Turcæ nostros irriderent; & Gallum æneum „ ex turri tintinnabularia evulsum in porta, „ quæ Danubium respicit, collocâssent, sub „ lemmate: *Cum is Gallus cantabit, Jaurinum* „ *Christicola recuperabit.*

[2.] Ex Epitaphio dicti Episcopi per P. Constantinum Ulmanninger Ord. S. Francisci Strictioris Observantiæ nobis transmisso.

[3.] P. Joannes Zehetner in Annotat. suis.

[4.] Ex Autographo Generalis.

[5.] Ex Lib. ædific. Z. sub hoc & præcedenti anno.

Annus Christi MDXCIX. Monasterii CCCCLXI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Ulricus II.

Anno isto decimô quartô Calendas Junii, Anno sæculari MDC. adventante Clemens VIII. Jubilæi celebritatem indixit, & Romæ in pervigilio Dominicæ Circumcisionis Portam sanctam aperuit. *[1.]

Porrò sequentia leguntur: „ Anno „ Domini 1599. Admodum Reverendus „ Dominus & P. Joannes Rüoff apud „ S. Crucem in Austria Abbas in Chri„ sto defunctus est, dum iter ageret & „ legatione fungeretur locô Prælato„ rum Austriæ apud Cæsaream Maje„ statem Pragæ. Qui eousque non per„ veniens nimiâ aquarum inundatio„ ne impeditus, divertere coactus est „ in Monasterio Pruck juxta Znoymam „ Præmonstratensium, ubi paulò pòst „ morbo crescente obiît, & inde per „ Viennam in Monasterium S. Crucis „ perductus, 14. Aprilis ibidem sepul„ tus fuit. [2.]

„ Hoc item anno obiît quoque Re„ verendus Dominus & P. Matthias „ Bendel Administrator Monasterii „ Montis-Pomerii per triennium, qui „ Monasterii Zwetlensis Professus fue„ rat, & in Monte-Pomerio corpus „ ejus tumulatum est. [3.]

Udalricus Abbas Zwetlensis tanquam Vicarius & Commissarius Generalis de Ordine suo sollicitus fuit, ideo Viennæ constitutus cum voluntate & assensu Abbatum S. Crucis, Campi-Liliorum, Hilariensis, & Vallis-DEI, mittunt quendam P. Vincentium Procuratoris nomine cum articulis quibusdam super Ordine per Austriam Cisterciensi factis Cistercium, eundémque Generali commendant, rogántque articulos transmissos bene consultari, & sibi, quid faciendum sit, notum facere, &c. sub dato Viennæ 28. Februarii, Anno 1599. [4.] Accepit Udalricus Abbas novum rursus onus à Generali 29. Febr. Anno MDXCIX. nimirum visitare Monasteria per Stiriam, Carinthiam, Carniolam & Croatiam, atque adeò ipsum Runense Monasterium, si modernum Abbatem ibi vitâ fungi contingeret, ibidémque instituendi & eligendi novum Abbatem, omniáque faciendi, acsi ipse præsens adesset. Datum Parisiis in D. Bernardi Collegio 28. Novembris, Anno 1598. [5.]

AD-

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in eodem Clemente. Spondanus hoc anno n. 18.

[2. & 3.] P. Joannes Zehetner in Annotationibus suis.

[4. & 5.] Ex Autographo ipsius Generalis.

Annus Christi MDC. Monasterii CCCCLXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Ulricus II.

FErdinandus Archidux Austriæ &c. in Stiria aliisque incorporatis provinciis reformationem in Religione suscepit, Confessionem Augustanam, & Religionem Lutheranam in iis ferre nolens, unde Martinum Episcopum Secoviensem cum aliis collegis emisit in Carinthiam, qui 14. Novembris hoc anno Clagenfurthi omnes libros hæreticorum comburi mandavit, sicut etiam in Stiria templa & scholæ illorum vel solotenus eversa, aut Catholicis data fuêre. *[1.]

Dum hæc in Stiria geruntur, Turcæ sub Vezirio Ibrahimo Bassa & prætorianorum Aga cum 23000. armatis Ungariam invadunt, Laccium, Minorem Gomorram, & Babotium deditione capiunt, ac propugnaculum Stiriæ Canisiam obsident, & per deditionem à Georgio Paradeiser factam capiunt, qui propterea sequenti anno Viennæ 19. Octobris capitali supplicio affectus fuit. [2.]

Abbas Udalricus in Zwetl rursus organum templi majus reparari hoc anno curavit per Magistrum Joannem Thennerum Viennensem organorum fabrum, cujus pro labore merces fuit centum viginti floreni, sub dato 1. Novembris, Anno 1600. qua die ab opere cessârat. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Megizerus lib. 12. c. 30.

Continuatio Catalogi Ederiani, sub Anno sequenti. „ Ferdinandus Archidux, „ qui posteà dictus fuit Secundus hujus nomi- „ nis Imperator, anno præcedenti ductâ in „ Uxorem Mariâ Annâ Guilielmi Bavariæ „ Ducis filiâ. Posteaquam diu cum diversis „ mundi Monarchis super universali suarum „ Provinciarum atque Ducatuum conversio- „ ne deliberâsset, ab æde B. V. Lauretana in „ Styriam redux, non sinè manifestis divinæ „ voluntatis oraculis, auspicatò reformatio- „ nem illam exorsus, feliciter cum totius „ Orbis Christiani stupore confecit, atque „ tres sibi subjectos Ducatus, Styriam, Ca- „ rinthiam & Carnioliam expulsis novi verbi „ ministris, ad fidem Catholicam reduxit: „ Et ità sanctissimô sanè zelô dissipatæ sunt „ hæreticorum Synagogæ, templa, dicasteria, „ scholæ innovatæ, revulsa zizania, novita- „ tes antiquatæ, falsa dogmata eradicata, „ hæresis excisa, priscus & orthodoxus re- „ ligionis cultus revocatus, fides Majorum „ jure postliminii gloriosè restituta.

„ 19 Octobris Georgius Paradeiser, dextra „ manu priùs amputata, Viennæ in publico „ foro decollatur.

[2.] Megizerus ubi suprà.

Spondanus hoc anno n. 19.

Ortelius Redivivus, hoc & sequenti anno, ubi sic habet: „ Unter wärender Belägerung „ Canischa, als Herr Georg Paradeyser, ge- „ wesener Oberster der Vestung, gesehen, daß „ weder er, noch seine Hauß-Frau und Kin- „ der, so die Römisch-Kayserliche Majestät „ zu mehrmalen, umb Fristung seines Lebens, „ mit einem unterthänigen Fußfall gebetten, „ keine Gnade erlangen mögen, sondern „ dem Kriegs-Recht seinen Gang lassen müs- „ sen, darauß er, wie seine Sach einen bösen „ Außgang gewinnen wurde, spühren und „ abnehmen konte: Hat er den 9. Octobris „ seines Dieners Kleyder, welcher ein ein- „ fältiger Mensch gewesen, den er bey sich

„ gehabt, und die Speise ab- und zugetragen, „ angezogen, und darinnen in der Kayserli- „ chen Burg zu Wienn, auß der Gefängnuß „ biß an die dritte Stieg, herab kommen. „ Als aber die Wacht gesehen, daß er ange- „ fangen zu lauffen, und nicht der jenige „ einfältige Mensch, dafür sie ihn gehalten, „ seyn müste: Haben sie ihn ereilt, und in „ bessere Verwahrung genommen.

„ Bald darauff, und weil er die wohlver- „ wahrte Haupt-Vestung Canischa, die nach „ GOtt ein Auffenthaltung deß Feinds ge- „ wesen, ohne höchstdringende Noth dem „ Kichaia Bassa, zuwider seiner Eyds-Pflicht, „ auffgeben: Ist er sambt seinen Mit-Con- „ sorten den 19. Octobris, wiederumb für „ das Kriegs-Recht gestellet, und die Urtheil, „ so über ihn und andere 5. Befehlshaber von „ dem unpartheyischen Kriegs-Recht, zu „ Wienn unter freyem Himmel, vor der Kay- „ serlichen Burg geschöpfft, auß Befehl der „ Römisch-Kayserlichen Majestät in offenem „ sitzendem Kriegs-Recht verlesen, und als- „ bald die Execution derselben Männiglich „ zum Exempel und Abscheu, auch daß ein „ jeder sein Eyd besser bedencken solte, an „ die Hand genommen und exequirt worden.

„ Als erstlichen solte Herrn Georgen Para- „ deisern, als gewesenen Obersten zu Cani- „ scha, und deren incorporirten Gräntzen, „ sowohl dem Georg Kugler, Fendrichen „ und angesetzten Hauptmann zu Canischa, „ jedem die rechte Hand, wie das Urtheil „ vermöchte, abgehauen, folgends mit dem „ Schwerd vom Leben zum Todt hingericht, „ und darauff einer mit dem andern zur Er- „ den bestättiget und begraben werden, und „ solte die Execution alsbald in der Stadt „ Wienn, auff dem Platz, der Hof genannt, „ würcklichen vollzogen werden.

[3.] Ex Apocha organor. fabri.

Annus Christi MDCI. Monasterii CCCCLXIII.

Pont. Rom. Clemens VIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Matthias.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

MIles Christianus hoc anno in Ungaria DEO gratiam dante sub ducibus campestribus Domino Colonello de Kollonitsch, Domino Comite de Turri, Hodieski, Nadasti, Domino de Althaim, hic peditum legionem, alii equitum ex Husaris & Heidonibus constantes turmis duxerant, inprimis 20. Septembris cæpit obsessam Albam-Regalem, deinde per mensem Octobrem egregiam de Turcis victoriam reportavit, Turcis terga vertentibus, & lares suos cum ignominia repetentibus, minantibúsque anno sequenti majoribus cum viribus se redituros, & regnum Ungariæ in potestatem suam redacturos. *[1.] Hinc Provinciales Austriæ Matthiæ Archiduci promiserunt mille quingentos germanos equites cataphractos, & quatuor millia peditum contra Turcam ad sex menses & conscribere, & stipendiis providere. Baro de Kollonitsch equitum Colonellus erat delectus in annum sequentem. [2.] Expensæ ad sex menses utriusque armaturæ computatæ fuerunt ad 586155. florenos & quatuor solidos.

Ædificavit Udalricus Abbas apud S. Thomam Cantuariensem in Daxgraben fornicem in Sacelli parte superiore, & pavimentum lateribus coctis ex integro stravit, altaria ad suam voluntatem transposuit, quæ & consecravit, & integrum Sacellum ab intùs purgari & dealbari fecit per murarium Antonium Castner civem Zwetlensem. Quod factum fuit 19. Aprilis hoc anno [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Ex Castris Christianorum circa Albam Regalem.

Chronicon MS. Joann. Ludovic. Gottfridi Tom. I. part. 8. hoc anno.

Item

Item Impressum hoc anno. „ Mit den
„ Türcken gab es in diesem Iahr in Ungarn
„ auch zimlich zu thun, darbey das Glück
„ den Christen so wohl wolte, daß sie Stuhl-
„ weissenburg die Haupt-Stadt in Ungarn,
„ durch Tapfferkeit deß Obristen Mercurii zu
„ Anfang deß Herbst-Monaths in ihre Ge-
„ walt brachten. Die Türcken unterstun-
„ den sich zwar stracks darauff solches Orth,
„ weil ihnen nicht wenig daran gelegen, zu
„ recuperiren, und kamen zu solchem End
„ mit in 30000. Mann darfür: aber sie wur-
„ den von Mercurio, welcher doch kaum
„ 8000. Mann bey sich hatte, in die Flucht
„ geschlagen, und ihnen etliche Geschütz
„ und andere Sachen abgenommen. Bey
„ der Belägerung Canischa in Steyermarck,
„ welche auch zu Anfang deß Herbst-Mo-
„ naths Ertz Herzog Ferdinand, mit Hülff deß
„ Papsts, und anderer Italiänischer Herrn vor-
„ genommen, gieng es mittlerweil nicht am
„ besten her. Dann die Türcken hielten sich
„ so lang darinn auff, biß die Christen durch
„ Kälte und andere Ungelegenheit gerrun-
„ gen wurden, unverrichter Dingen von der
„ Belägerung abzulassen, nachdem sie man-
„ chen tapfferen Mann darvor sitzen lassen.

Ortelius Redivivus. hoc anno.

Spondanus in Prolusion. ad Sæculum 17. hoc anno n. 16.

Joan. Palatius in Aquila Austriaca sub Rudolpho II. ad hunc annum.

[2.] Ex Annotat. Quæst. Provinc. in Originali.

[3.] P. Joann. Zehetner in Annotat. suis.

Annus Christi MDCII. Monasterii CCCCLXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Ulricus II.

PRiori anno relatum fuit, quod Austriæ proceres Imperatori promiserint contra Turcas quatuor millia peditum, idcirco à Monasterio Zwetlensi trigesimus vir petitus fuit, & 7. Octobris hoc anno missus. *[1.] Interea in Ungariam Turcarum Imperator Hassam Bassam suum misit cum forti manu, qui protinus Albam-Regalem obsedit & expugnavit. Colonellus à Kollonitsch & Comes Serinius cum milite suo per stratagema tentârunt Canisiam, sed miles eorum pecuniam clamans impedivit, cùm civitas incensa conflagraret, omnésque ad restinguendam flammam accurrissent, noluit ille ullum facere insultum, cùm facilè occupari potuisset. [2.]

Porrò Joannes Gulielmus de Zelcking in Rastenberg, ad quem pagus majoris Schoënaw pertinebat, accusatus fuit ab Udalrico Abbate in Zwetl, quòd parochianos subditos suos ibidem permitteret ad puri putíque verbi ministros Prædicantes, scilicet, Lutheranos in parochiis suis infeudatis in Germs, in Langenschlag & in Berchtolds exercitii sui gratiâ excurrere, quos & illi admitterent. Unde Matthias Archidux Austriæ mandat dicto Domino de Zelcking, quatenus hoc fieri non permittat, cùm contrarium publicè constet per edictum Cæsareum 19. Junii, Anno 1599. publicatum, sub dato Viennæ 19. Decembris, Anno 1602. [3.] Parochia enim in Schoënaw spectat ad Monasterium Zwetlense, subditi verò dicti pagi ad Zelckingerum, cum cura tamen animarum ad memoratam parochiam. Hinc jam videre est, in Austria Lutheranismum jam etiam pedem fixisse, cum dictus Dominus etiam eodem infectus fuerat, & in parochiis suis infeudatis Prædicantes aluerit.

Interea Ordo Cisterciensis in Austria florere cœpit, cùm alibi ab hæreticis persecutionem pateretur, utì in Saxonia, Misnia, Thuringia, Palatinatu, & Ducatu Wirtembergico, in quibus provinciis ejusdem Ordinis erant celeberrima & opulenta Monasteria. Hinc Viri egregii germani, qui Romæ studiis

diis operam dederant, Cistercium se contulerunt & Ordinis habitum petiêrunt, quos post medium annum probationis in Austriam Generalis Ordinis direxit, ex quorum numero unus erat Joannes Seifridus Silesius Wratislaviensis, qui cum Nobili Domino Wenceslao Petro Coslovio à F. Vincentio Lonquespre Procuratore Generali in Curia Romana Cisterciensi, D. Joanni Neüner Abbati in Valle-DEI Austriæ Inferioris commendatur, quem vocat CanonicumWratislaviensem, sub dato Romæ apud S. Hieronymum de Ripette, 18. Junii, Anno 1602. [4]

Hic postmodum Abbas Zwetlensis factus fuit, sed hoc anno nondum Cistercium ivit, verùm in Silesiam patriam suam cum dicto Domino Coslovio, qui postmodum etiam Wratislaviensis Canonicus factus est, se contulit.

Demum Abbas Udalricus in Zwetl Sacelli S. Thomæ in Daxgraben inferiorem partem etiam fornice munivit & ornavit, & cùm 11. Junii hoc anno prædium Kobel ex incuria uxoris villici incendiô funditus exustum fuisset, idem protinus cum novo horreo ædificari curavit. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Ex literis Magistri Allodiorum Zwetlensis Monasterii.

[2.] Chronicon Joan. Ludovici Gottfridi Tom. 1. part. 8. hoc anno.

Ortelius Redivivus hoc anno, ubi sic concludit referens commeatum & apparatum bellicum, quem nostri in Alba reliquêre. „ Ist „ alſo an obermeldten Tag (den 29. Tag Au„ gusti) diese Vestung, wiewohl nicht mit „ geringem Verlust der seinigen (dann wie „ die Sag gieng, solten der Feind über die „ 20000. umbkommen seyn) wiederumb in „ deß Türcken Gewalt gebracht worden, in „ welcher er noch zimliche Proviant und „ Munition gefunden: Als 12. neugegossene „ grosse Stuck Geschütz, ohne die alten, bey „ 400. Centner Pulvers, und an Kugeln, Bley „ und andern die Nothdurfft, 86. Faß Biscoten, über 200. Faß mit Meel, 500. Kübel „ Saltz, beneben auch 10000. Gulden an „ baaren Geld, so der Bau-Zahlmeister allein „ nur zur Bezahlung der Arbeiter inhändig „ gehabt, welches er alles bekommen. Darauff der Vezier den Pelleberg, so auch Bassa „ in Bosnia, mit 4000. Mann zur Besatzung „ hinein verordnete, und die Vestung, wo sie „ Schaden genommen, starck wiederumb zu „ bauen anfienge, und mit seinem Volck „ (welches er einstheils zu streiffen außgeschickt, und Pallotta berennt und aufgefordert hatte) zwischen Stuhlweissenburg „ und Ofen sich lägerte, zu sehen, was die „ Christen fürnehmen würden, und vornemblich darumb, darmit die eroberte Vestung, biß sie wiederumb erbauet, nicht von „ ihnen möchte belägert und wieder eingenommen werden.

Spondanus in Prolusione hoc anno n. 3.

[3.] Ex Copia mandati Archiducis.

[4.] Ex literis Procuratoris Generalis Cisterc. Originalibus.

[5.] Ex lib. ædific. Z. hoc anno.

Annus Christi MDCIII. Monasterii CCCCLXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Clemens VIII.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus. I.	Ulricus II.

PEstum è regione Budæ ad Danubium munita civitas à Christianis deseritur, Gubernatore Jagenreiter fugam cum suis ineunte, quia Turcarum irruptionem timuerat: quam civitatem protinus Turcæ Budenses occupârunt, & muniérunt. *[1.]

Interea Archidux Ferdinandus in Stiria sua reformationem Religionis inchoârat, qua Lutheranos omnes ex Ducatu suo ejecit. In Transsilvania quoque Generalis Cæsareus militiæ Basta eam introducere studebat, sed non successit, illa

illa potiùs causa fuit belli, quod Botschkaius hæreseos defensor suscepit, qui multa damna per varias victorias Cæsareanis intulit, quia ipsum Rudolphus Imperator proscripserat. [2.]

Hæc dum geruntur in Ungaria, legio, cui præerat Althaimius, in Austria tumultuare cœpit, unde milites pedites in Waidhofen ad Teyiam Commissarios Cæsareos detinebant, suos autem Capitaneos & Tribunos partim à se repulerunt, partim etiam in vincula conjecerunt. Quæ Joannes Zeilinger Allodiorum-Magister Abbati Hackelio scripsit sub dato 27. Octobris Anno 1603. addens, cùm civitas Zwetlensis suas clauserit portas, se quoque pro Monasterio velle vigiles suscipere & adhibere. Hi milites contra Turcam conscripti fuerant, qui tamen postea contra Botschkaium deducebantur. [3.]

Udalricus Abbas hoc anno in Zwetl Joanne Zeilingero Allodiorum-Magistro dimisso Joannem Becher Senatorem in Retz suscepit, qui promisit Monasterio & Abbati se fideliter servitùrum, sub dato Retz 23. Septembris, Anno 1603. [4] Hic tamen primùm anno sequenti in Purificatione B. V. officium hoc suscepit.

Interea præfatus Zeilinger Udalrico Abbati scribit, quòd milites adhuc sint in vicinis locis, quibus pauperes rustici stipendium solvere debent & alere, nam de singulis domibus Commissarius bellicus Abbas Altenburgensis decem solidos conquisivit, quam pecuniam Zwetlensibus dedit, ut milites diutiùs alerentur, sub dato Zwetl 14. Octobris, Anno 1603. [5.] Abbas erat hic Zienerus Altenbürgensis, quem tumultuantes in Waidhofen milites in arresto detinuerunt. Nuntiat idem etiam Zeilinger Abbati dicto, quòd tandem post sex septimanarum diversorium libertini illi de legione Althaimii abducentur, quos etiam Zwetlenses milites sequentur, qui jam Waidhofensium imitatores facti varias insolentias exercent, cistas civium perfringendo & pecora sclopetis suis petendo, sub dato 21. Octobris, Anno 1603. [6.]

Scribit rursum idem Zeilingerus, quod tumultum in Waidhofen causârit non solutum stipendium, quare undique subditi pecunias porrigere coguntur, ut milites illi solvantur, unde Dominus de Starenberg in Kirchberg à subditis medium de singulis domibus petiit florenum, sub dato 4. Novembris hoc anno. [7.]

Demum quid Abbas Udalricus præsenti anno ædificârit, ipsemet fatetur, quòd prædium in Camern à Leisseris redemerit, utì suprà An. MDLXXXVII. videre est, & in illo commodum locum neque pro se, neque pro famulis suis divertendi, ac habitandi habuerit, unde permotus ædificia in meliorem statum redigi curarit &c. [8.]

ADDITIONES.

[1.] Chronicon Gotfridi Tom. 1. parte 8. hoc anno.

Joan. Palatius in Aquila Austriaca part. 2. sub Rudolpho II. hoc anno.

Spondanus in Prolusione ad annum sequentem n. 5. „ Pesthum in Hungaria „ ante biennium à Christianis captum, ac „ deinde egregiè ab oppugnatione Turco- „ rum defensum; nunc sub initium Septem- „ bris à præfecto & præsidiariis vano metu „ territis desertum fuit, & in Turcorum po- „ testatem rediit. Idémque & de Hathuano, „ anno superiori à Christianis recepto per- „ actum. Sed Strigonium cùm Turci obses- „ dissent, repulsi sunt, & re infectâ recesse- „ runt. „

Item Ortelius Redivivus ad sequentem annum.

[2.] Gotfridus ubi suprà.

[3.] Ex literis Allodiorum Magistri.

[4.] Ex literis ejusdem Becher.

[5. 6. 7.] Ex literis Zeilingeri.

[8.] Ex literis ædific. Z. sub rubricâ Cammern.

Annus Christi MDCIV. Monasterii CCCCLXVI.

Pont: Rom. Clemens VIII. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Matthias.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

DUravit adhuc hoc anno Botschkaji iniqua suæ religionis defensio, ad quem plurimi bani seu reguli confluunt, quod Joanni Neuner DEI-Vallensi Abbati, qui vocatur Cæsareæ Majestatis Commissarius bellicus & ordinarius rationum provincialium Præses, Viennâ scribitur sub dato 27. Octobris, Anno 1604. *[1.] Contra quem hæreticum Imperator milites misit, qui hìc traducti in Ottenschlag, in Gräffenschlag, in Germs & Arbesbach diverterunt, quibus, utì Jacobus Franckh pater-familias Monasterii & granarius sub dato 20. Julii, Anno 1604. Abbati Viennam scripsit, [2.] subditi Zwetlenses ex Voitschlag, Weissenbach, Kaltenprun, Schosberg, Wurmprant, & plures alii victûs necessaria subministrare debebant.

Porro hoc anno D. Hartmannus de Landaw suam cœpit ædificare curiam, quæ vulgò Schickenhof dicitur (in libris autem Monasterii Zwetlensis antiquis vocatur curia Schickonis, qui Schicko eam quondam dicto Monasterio fundaverat) unde à Jacobo Franck petit decem millia coctorum lapidum & tegulas trecentas, sub dato Schickenhof 17. Martii hoc anno. [3.]

ADDITIONES.

[1.] E literarum monumentis.

Spondanus in Prolusione hoc anno n. 6. „ In Transilvania Stephanus Bostkajus vir inter Hungaros primarius, arcta cum Sigismundo Bathorio cognatione conjunctus, religione Zuinglianus seu Calvinista; consiliis cum Gabriele Bethlemo ejusdem sectæ homine, qui à clade Mosaica anni superioris supererat, & Transilvaniæ quoque Principatum ambiebat, communicatis, specie religionis tuendæ à Bastæ insectatione, arma exeruit, & profligatis nonnullis Cæsaris ducibus, magnam Transilvaniæ partem occupavit; à Cæsare postea publicè proscriptus.„

[2.] Ex literis Granarii Zwetlensis.

[3.] Ex literis Originalibus Landavii.

Annus Christi MDCV. Monasterii CCCCLXVII.

Pont. Rom. Leo XI. Paulus V. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Matthias.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

VIvere desiît hoc anno Clemens Papa VIII. 3tiâ Martii, sepultus in Vaticano. *[1.] Deinde 1ª Aprilis hoc anno in Pontificem eligitur Alexander Medices Florentinus, Episcopus Cardinalis Prænestinus de Florentia nuncupatus, patre Octaviano Mediceo natus, coronatus in Pontificem ipsa Resurrectionis Domini die, & octavâ ejusdem apertâ lecticâ vectus, Lateranensem pompam iniit, sub qua infirmatus, vix unius mensis Pontifex rursum 27. Aprilis eodem anno obiît, [2.] sepultus in Vaticano, dictus Leo XI. de quo ita B. Malachias: Undosus Vir. Erat Florentinus. Post Leonem XI. eligitur 16. Maii

16. Maji hoc anno Camillus Burghesius Romanus, Cardinalis tituli S. Chrysogoni Episcopus Atesinus, Vicarius Pontificis in urbe & Scotorum Patronus in Pontificem, vocatus Paulus V. & 29. Maji ipsa die S. Pentecostes coronatur, [3.] De quo S. Malachias ità vaticinatus fuit: Gens perversa. Nam ejus tempore gens perversa Bohemorum hæretica labe infecta contra Religionem Catholicam & Ecclesiæ columnam Domum Austriacam insurgens, totam Rempublicam Christianam turbavit.

In Ungaria Christianorum discordia Turcis erat optima occasio gerendarum rerum suarum, nam Serdanes Bassa Strigonium obsedit, & per deditionem perduellium militum, qui Comitem Tampier suum Capitaneum, eò quòd nolebat illis consentire, in vincula conjecerunt, illud occupavit. [4.] Scribit etiam quidam Viennensis Doctor sequentia D. Joanni Neuner Abbati DEI-Vallensi, quòd 25. Novembris Princeps Holstainius, frater Regis Daniæ quinque manipulis equitum, quorum mille fuerunt, Viennam pertransierit, qui Ducem Teschinensem ab Heidonibus seu Sclavis eum obsidentibus non absque damno suorum liberaverat, & descenderit in Ungariam, cis Danubium versùs Oedenburgam manens. Campi-Mareschallus noster Monsuor de Ly cum equitibus nostris ad Lacum in Ungaria fluvium transitum fecit, Sclavis & Turcis eidem se opponentibus & curribus campestribus illis insidiantibus, sed ipse illorum ultra quadringentos cecidit, & istorum Sclavorum principem Nemet-Georgium cœpit. Qua clade finitimis Turcis & Ungaris magnum terrorem incussit, undique damna multa ipsis intulit, sicut jam multa pecora Neapolim in Austriam misit, ubi bos unus Ungaricus pro quinque vel sex imperialibus venditur. Stiri se illi conjungere velle dicuntur. Quoad tractationem pacis, nostri Commissarii, jam Gomorræ, & Turcici Strigonii morantur, & literis colloquuntur, nostri pacis spem bonam concipiunt, quorum præcipuus his diebus Archiduci scripsit, ut sibi pro certo crederet, se priùs quieti dare nolle, donec Ungaros & Turcas nobiscum pacem inire fecerit. [5.]

Inter hæc Turcarum Imperator Botschkaium Transilvaniæ Ducem constituit, qui mox homagium à subditis petiit; Turca ipsi etiam promisit, si bellum in Rudolphum Imperatorem continuaret, quòd, sicuti quondam Joannem Zepusiensem Comitem in Regem Ungariæ creare vellet, sed Botschkaius suo novo Ducatu contentus pacem bello prætulit, & cum Imperatore illam conclusit. [6.]

Dum in Ungaria & Transilvania bellum multos milites devoraret, necesse fuit, alios submittere, sic Udalrico Abbati in Zwetl Joannes Becher Allodiorum-Magister scribit 25. Maji, hoc anno, quod virum decimum, seu unum ex decem viris armatum 23. Maji Mistelbachium mittere debuerit. Timebatur enim in Austriam per Moraviam hostium irruptio. [7.]

Fuit præterea hoc anno Cistercii in Burgundia octava Maji in Dominica Cantate post Pascha Generale Capitulum celebratum, quod indixit, & ad quod omnes Cisterciensis Ordinis Abbates convocavit Dominus Nicolaus Boucherat Abbas Monasterii Cisterciensis & ejusdem totius Ordinis Generalis, qui Edmundo à Cruce Generali nuper defuncto successerat, sub dato Cistercii 15. Septembris, Anno 1604. [8.]

Scribit deinde Joannes Abbas DEI-Vallensis D. Antonio Flamingo Abbati Aulæ-Regiæ in Bohemia Vicario & Commissario Generali, quòd ipse ad Capitulum Generale venire nequeat, quia corporis sui valetudo adversa, bellorúmque timores id non concedant. Deinde, ait, se suas ob causas suspicari, Abbatem Zwetlensem vicariatum suum resignare velle: Hortatur proinde Ab-

batem Aulæ-Regiæ, ut Generalem Cisterciensem informet, quatenus ejus resignationi nullatenus consentiat: „ Etenim, ait, nemini ignotum est, „ quantum Dominus Zwetlensis pro „ collapsi Ordinis restauratione laborârit, quantum in conservandis privilegiis fecerit, & quàm viriliter nocere volentibus se opposuerit, ita „ planè ut Ordinem cum privilegiis, „ DEO adjutore in pristinum & optimum statum ferè redegerit. Timendum igitur, ne mutatio tam repentina magnum malum sit allatura, „ sub dato in Monasterio Vallis-DEI, „ pridie Calendas Martii, Anno Domini 1605.„ [9.] Hinc apparet Udalrici Hackelii Abbatis in Zwetl Ordinis nostri Cisterciensis sub Vicariatu suo studium & labor indefessus.

Qualis autem status tunc fuerit Austriæ & DEI-Vallensis Monasterii, ejusdem Abbas Joannes Neüner Generali nostro Cistercium perscribit, excusans se, quòd ad Capitulum Generale vocatus non compareat, quia gravissima pedum genuùmque infirmitate doloréque arenæ laboret, ità ut neque ambulare, neque equitare possit, nec sumptus Monasterium suum inops subministrare sufficiat, ut currum conducere queat, cùm in parata pecunia Monasterium suum ultra centum & septuaginta florenos annuos proventus non habeat &c. Accedit, quòd Ungari Superioris Ungariæ Imperatori Regi suo rebelles facti magnam copiam Turcarum & Tartarorum secum trahentes, quotidie Austriæ nostræ irruptiones, devastationes, & incendia minentur &c. Demum ad proximum mensem Majum in Ipsensi civitate & circa Monasterium Vallis-DEI lustratio sex millium militum cum maximo tam Monasterii, quàm ejus subditorum detrimento est habenda. Hæ causæ sunt & hæc impedimenta, quibus ad Capitulum Generale venire impediatur. Petit ultimò Vicarium Generalem Abbatem Zwetlensem per Austriam confirmari Visitatorem, qui Ordinem defendere novit. Datum in Monasterio Vallis-DEI, pridie Calendas Martii, Anno 1605. [10.] In his literis rebelles Ungari illi dicuntur, qui partes Botschkaji sequebantur, & nisi pax cum illo transacta fuisset, timebatur Imperatoris ipsius Turcarum adventus, qui in Ungariæ regnum Botschkaium introduceret, sicut antea cum Joanne factum sub Ferdinando I. Rege suprà vidimus, & eundem suum firmaret Vasallum ac Clientem.

Demum hoc anno Udalricus Abbas Zwetlensis de se scribit sequentia: „ Posteaquam Annô MDCV. duo millia & quingentos florenos ego dare „ debueram, ad numerandam pecuniam aliquot legionum militibus tumultuantibus, & sese supra portam „ Viennæ Stubensem collocantibus, „ magnáque inde damna inferentibus, „ pro quorum stipendiis solvendis Prælatorum Austriæ status triginta millia „ florenorum dederat, mutuò mihi dedit Dominus Michaël Sämer ad tres „ annos quinque pro cento Interesse „ mille florenos cum consensu Principis, cui Curiam in Weinzierl oppignoravi.„ [11.] Hæc ille, non tantùm autem Viennæ milites præcedenti & hoc anno ob stipendiorum solutionem non habitam tumultuârunt, sed etiam legio Altheimii & Jagenreiteri in Austria supra Mainhardi Montem, utì in Waidhofen ad Teyiam factum suprà vidimus.

ADDITIONES.

*[1. 2. 3.] Ciaconius cum Additionibus Andreæ Victorelli & Ferdinandi Vahelli Abbat. Cisterc. Florentini sub Clemente VIII. Leone XI. & Paulo V.

Spondanus hoc anno, n. 1. & 2.

[4.] Chronicon Gotfridi Tom. 1. p. 8. hoc anno.

Ortelius Redivivus hoc anno.

Spondanus ad hunc annum, n. 4.

„ Strigonium à Turcis post triginta quinque dic-

„ dierum obsidionem, turpi Germanorum „ præsidiariorum, nequicquam obnitente „ Comite Dampetra præfecto, deditione re- „ cuperatum est tertiô Octobris, magnô Hun- „ gariæ damnô. Cujus deditionis auctores „ variis suppliciis postea affecti fuêre. „

[5.] Ex literis ejusdem Doctoris.

[6.] Gotfridus & Ortelius ubi suprà. Item Spondanus n. 3. „ In Transilvaniâ „ Bostkaius, quamquam nonnullis cladibus „ fractus, tamen ope Turcorum resurgens; „ rebus ex voto succedentibus, mense Aprili „ Comitia Ordinum habuit: Ubi ei princi- „ patus, quem priùs invaserat, ab omnibus „ confirmatus fuit: Et religionis professio li- „ bera cuilibet concessa; sic tamen, nè quæ „ præter Catholicam, Lutheranam, & Calvinia- „ nam, seu Helveticam (quam ipse sectaba- „ tur) admitteretur. Eidémque à Turco, qui- „ cum fœdus subjectionis inierat, regium no- „ men mense Novembri tributum; & cum „ aliis augustalibus ornamentis tradita Coro- „ na; quam Ladislai olim Hungariæ Regiâ „ fuisse dicebant. „

[7.] Ex literis Allodiorum-Magistri.

[8.] Ex literis impressis indictionis Capituli Generalis.

[9.] Ex literis DEI-Vallensis Abbatis.

[10.] Ex copia literarum ejusdem Abbatis.

[11.] Liber ædific. Z.

Annus Christi MDCVI. Monasterii CCCCLXVIII.

Pont. Rom. Paulus V. — *Imp. Rom.* Rudolphus II. — *Archi-Dux Austriæ* Matthias.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. — *Abbas Zwetlensis* Ulricus II.

CUm adhuc ageretur de pace inter partes hujus anni initiô, propterea legiones antiquæ in Austria Cæsareanæ hyemabant; sicut scribit Udalrico Abbati suo Magister-Allodiorum Joannes Becher sub dato 13. Januarii, Anno 1606. *[1.] Nam ait, legionem, cujus Capitaneus erat Georgius Andreas de Hofkirchen, trium millium peditum collocatam esse in Poëla, Waidhofen, Vitis, Weitra, Kotes, & modò vexilliferum cum suis militibus in civitatem Zwetlensem introductum, cui subditi Monasterii victûs necessaria subministrare tenentur.

Archidux Austriæ Matthias summopère laboravit pro pace componenda inter Cæsarem Rudolphum & Botschkaium cum suis adhærentibus Ungaris, inde nominavit Commissarios ex parte sua Comitem de Trautson, Seifridum Breinerum Cameræ Aulicæ Cæsareæ Præsidem, Gallum, Chaynum & unum de Krenberg: Ex parte rebellium Ungarorum erant Elias Eliäschi cum collega: Ex parte verò fidelium Ungarorum Episcopus Forgätsch cum fratre suo, uno Tursone, & aliis pluribus. [2.] Hæc scribit Joanni Abbati DEI-Vallensi Joannes Scheichenberger Viennâ sub dato 24. Januarii, Anno 1606. qui simul refert Abbatem Zwetlensem infirmatum ex calculo laborare.

Matthias, ùt suprà scripseram, nominârat Commissarios ad componendam pacem cum Botschkaio, qui convenientes mense Octobri, illam sub certis conditionibus concluserunt; inter quas præcipuæ erant: Ut Religio in Ungariæ regno libera maneret; ut Catholicis nulla templa auferrentur, & si quæ ablata hactenus fuissent, ipsis restituerentur; ùt cum Turcis æquis conditionibus pax statueretur, & ceteræ plures regnum Ungariæ concernentes conditiones positæ fuerant. Quia tamen etiam cum Turcis utraque pars convenire cupiebat, sic protinus cum ipsis de pace agi cœptum, & ad finem mensis Octobris articulis positis ea firmata fuit. [3.] Indè Viennâ nuntiatur DEI-Vallensi Abbati pro certo, quòd pax cum Turcis conclusa sit, Joannem de Molarth cum muneribus à Turca jam ascen-

 dere,

dere, Capitaneum de Kollonitsch à Bassa Budensi non pauca munera accepisse, Christophorum Teuffel Ambasciatorem Cæsareum cum muneribus, quæ ad ducenta millia florenorum æstimata & jam Budam præmissa sunt, brevì descensurum & Constantinopolim profecturum esse, sub dato 8. Decembris, anno præsenti. [4.]

Hæc dum geruntur cum Turcis, Botschkaius à suo Cancellario Ducatum ejus ambiente nomine Cattai venenô extinguitur, priùs & ipse cæde sua debita Principis sui manibus litans sublatus, Botschkaius autem primùm Medicis frustrà laborantibus 13. Decembris hoc anno ex hac vita discessit. [5.]

Ut etiam de me, qui hos Annales scribo, non sileam, hoc anno MDCVI. 13. Augusti, quæ erat dies Dominica, manè circa horam sextam natus sum, sequenti die in Vigilia B. V. Assumptæ vespere in Ecclesia Cathedrali Wratislaviæ in Silesia Superiore à D. Martino Schuppio curato baptizatus, patrini fuerunt Dominus Petrus Coslovius & Dominus Casparus Felckelius, ambo ibidem Canonici, & Domina Hedwigis Habichtin mater D. Georgii Abbatis ad S. Vincentium Ordinis Præmonstratensis & Cathedralis Ecclesiæ suffraganei, noménque mihi datum Joannes. Parens meus vocabatur Georgius Linck Civis Nissensis & Præfectus subditorum Dominorum fratrum de Dona Canonicorum, mater mea Anna nata Seifridin cujus frater D. Joannes Seifridus erat Abbas Zwetlensis, qui me ex patria in Austriam vocavit septennem, & studiis applicavit. Deinde superna vocatione Ordinem in Monasterio Zwetlensi Cisterciensem ingressus & nomen Malachiæ sortitus, non tam ab Abbate meo D. Martino jussus ex obedientia, quàm lubenti animo pro gratiarum actione hos Annales scribere, & his meum Monasterium illustrare volui; quamvis labor immensus videbatur, & post cœptum opus procella Suecica illi naufragium minabatur, Annales tamen mei & naufragium hoc evaserunt, & DEO sint laudes, hucusque meus labor improbus omnia vicit. Hæc de notitia scribentis.

Videamus etiam, quid de se scripserit D. Udalricus Hackelius Abbas Zwetlensis: „ Cùm, ait, adhuc an-
„ no 1531. ab Erasmo Abbate &
„ Conventu curia in Nusdorf ad Da-
„ nubium sita cum aliquot vineis ad
„ Grintzing, Töbling, Ottakrin adja-
„ centibus Joanni Ernnst civi Cremb-
„ sensi cum reservatione perpetuæ re-
„ demptionis & cum consensu vendi-
„ ta fuisset: Quia tamen neque Ante-
„ cessores mei, neque ego de ista ven-
„ ditione unquam quicquam sciveri-
„ mus, inquirendo reperi, quòd bona
„ ista perpetuò redimenda à Monaste-
„ rio distracta fuerint. Ideòque pos-
„ sessorem hujus curiæ apud Excelsum
„ Regimen de redemptione mihi de-
„ negata detuli, causâ ex utraque par-
„ te auditâ vi expeditæ sententiæ de-
„ cretum fuit, ut modernus possessor
„ Isaacus Ernnst civis Crembsensis te-
„ neatur curiam in Nusdorf unà cum
„ vineis ad eam pertinentibus mihi
„ data solutione cedere. Secundùm
„ hanc sententiam cum dicto Ernnst
„ præsentibus Honorabilibus viris, vi
„ desuper factæ inter nos compositio-
„ nis sigillis munitæ, conveni, quod
„ ipsi locò pretii quadringentos flore-
„ nos numerare, & ex benevolentia,
„ quia etiam mihi vindemiam reliquit,
„ centum florenos donare velim, cui
„ etiam Crembsii vineam dimidii juge-
„ ris in Laimb dictam, donô dedi. At-
„ que ità curia ista per me Monasterio
„ libera & sinè onere restituta fuit. „
[6.] Hæc ille.

ADDITIONES.

*[1.] Ex literis Allodiorum Magistri.
[2.] Ex literis Archiducis Matthiæ.
[3.] Gotfridus loco sæpe citat. hoc annò, Ortelius hoc anno prolixè & exactè.

Spon-

Spondanus hic n. 7. „ Bostkaius Transilvaniæ, Walachiæ & Moldaviæ occupator, morbô & rerum Turcicarum inclinatione commotus, (Bassa námque Alepiensis Gambolatus rebellans adversùs Cicalam summum imperium in Oriente gerentem, ac proinde contra Achmetem Turcorum Imperatorem; Tripoli & Damasco captis, atque exercitibus in se missis profligatis, Syriæ dominum se constituit: initóque cum Rege Persarum fœdere, sese ad majora parabat: sed tandem à Turcis fractus, atque à suis desertus, ab Achmete veniam petiit, & promissione militandi contra Persas obtinuit) pacem cum Rudolpho Cæsare iniit mense Septembri; concessâ ipsi ac liberis masculis Transilvaniâ, cum ea Hungariæ parte, quam Sigismundus Bathorius obtinuerat. Secutáque est pariter, ejus maximè operâ, mense Novembri pax inter prædictos Rudolphum & Achmetem, seu dixeris inducias, in viginti annos. „

Joan. Palatius sæpe laudatus, hoc anno, ubi conditiones pacis sic concludit: „ Bostkaio Transilvania cum arcibus annexis, Agnensibus decimis, cum titulis omnibus, qui Sigismundo Bathoreo fuerant concessi, jure cedat hæreditario, & liberis ejus masculinis. Quòd si linea másculina ejus deficiat; cuncta ei concessa ad Regem legitimum Hungariæ devolvantur, ità ut nullus consanguineus vel affinis jus illud sibi vendicare possit. Si filiam relinquat, jure quartæ, de qua cum Cæsare conveniet, contenta sit. Omnibus, qui Cæsari fidem servirunt, & propterea in Dacia proscripti sunt, bona restituantur. Corona à Turcis Bostkaio donata nullum dignitati, & juribus Hungarici Regni faciat præjudicium. Generalis Amnestia ab Anno 1604. publicetur. Ita ut nulla à quoquo judice possit fieri persecutio. „

[4.] Ex literis ea de re perscriptis.

[5.] Gotfridus ubi suprà. „ Den Anfang zu neuer Unruh gab der Todt deß Botschkay, welcher durch Gifft verursachet worden. Dann es hatte seinen Canzler Cattay ein solcher Ehrgeitz und Regiersucht angestossen, daß er ihm einbildete, wann Botschkay von dem Brod gethan wäre, so wurde er leichtlich das Regiment und Fürstliche Dignität in Siebenbürgen an sich bringen mögen, und in solchem seinem schädlichen Vorhaben vertieffte er sich also, daß er endlich seinem Herrn dem Botschkay Gifft beybrachte: Selbiger aber ward hierüber seiner Treulosigkeit gewahr, ließ ihn demnach alsobald nach seinem Verdienst abstraffen, und ihm den Kopff vor die Füß legen. Die Artzte legten zwar hierauff allen möglichen Fleiß an, die Würckung deß Giffts zu hintertreiben, aber es wolte nichts helffen, und ward die Kranckheit, so durch das Gifft verursachet worden, je länger je hefftiger, also daß er den 13. Decembris darüber mit der Haut bezahlen muste, welches groß Trauren und Wehklagen bey seinen neuen Unterthanen causirte. Wehrete also sein Fürstenthumb, welches ihn zu erlangen so viel Mühe und Arbeit gekostet, eine kleine Zeit. Als er jetzo sterben wolte, vermahnete er Joannem Janusium, welchen er an deß vorigen statt zum Cantzler verordnet hatte, daß er dem Römischen Kayser getreu verbleiben, und das Land nicht in neue Unruh setzen wolte. „

Item Ortelius citato loco. Et Spondanus ita prosequitur: „ Post quæ mortuô Bostkaiô vigesimô octavô Decembris, Transilvani Sigismundum Ragotzium virum primarium, & ab omni ambitione alienum, sed & ipsum hæreticum Calvinianum, in Principem evexerunt: Conniventibus magis, quàm approbantibus Austriacis; ad quos ex pactis ea provincia accedere debebat, quòd nullos Bostkaius liberos reliquisset. „

[6.] Liber ædific. Z.

Annus Christi MDCVII. Monasterii CCCCLXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Rudolphus II.	Matthias.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Ulricus II.

COmitia hoc anno Imperii Ratisbonæ ante annum indicta, sed ob pestem in hunc translata, necdum initium acceperunt, cùm primùm Ferdinandus Archidux Austriæ ex Stiria Ratisbonam advenerit 28. Novembris, qui à Ru-

à Rudolpho Cæsare Commissarius eò deputatus fuerat. [1.]

Annus iste Monasterio Zwetlensi Patrem suum optimum per falcem mortis rapuit Dominum Udalricum Hackelium, qui fuit Cæsari, Principi terræ, Sacro Cisterciensi Ordini, ac Monasterio suo usui, amori, utilitati, ac ornamento, præsertim Ordinis nostri ac statûs Prælatorum Austriæ maximus Zelator. Causa præcipua ejus obitûs erat casus sequens, quem ipsemet Hackelius fusè, hìc autem consultò brevibus refero. Invitatum ait se fuisse ad Festum S. Leopoldi à D. Præposito Claustro-Neoburgensi, ut ibidem sub Pontificali & solemni ritu Missæ Sacrificium præsente Archiducali Aulà celebraret, quod & opere complevit. Quâ solemnitate & prandiô finitô domum se conferre volentem in publica via non procul à Nusdorf duo è statu nobiliori ab eodem festo redeuntes equitando insequebantur. Qui primùm famulos, dein ipsum Abbatem è curru suo descendentem duris ac injuriosis dictis aggressi, tandem unus eorum ad præcipitium Danubii trudendo, imo & pistoletam applicando ipsi mortem minatus vix à sociò innocentiam Abbatis contestante dehortari & ad viam prosequendam moveri poterat. Abbas autem cum tremore ad proximam curiam suam in Nusdorf se contulit, ac injuriosum hoc factum per libellum supplicem ad Archiducem Matthiam tunc Austriacarum ditionum gubernatorem detulit, statímque desuper Archiducale decretum sub dato 17. Novembris Anno 1607. accepit: quo Archidux Abbatem hortatur, ut officium non tantùm suum, sed etiam Commissiones ipsi injunctas prosequatur, se nomine Cæsaris injurias, convitia, blasphemias ad sufficienter puniendum ad se receptuturum, ut agnoscat sibi abunde esse satisfactum. Post hanc verò tragœdiam Abbas non diu supervixit. [2.]

Ædificavit hoc anno, sicut ipsemet scribit antiquam curiam nostram in Nusdorf, quam anno præcedenti ab Isaaco Ernst cive Crembsensi redemerat & Monasterio suo recuperârat. [3.]

Porrò antequam ad ejus ex hac vitâ discessum veniamus, videamus inprimis, quis Udalricus Hackel à juventute fuerat, quod illo ipso nemo meliùs scire potest, qui hæc propria manu de se scribit: „ Ut autem omnibus manifestum fiat post mortem meam, cujus „ Professionis aut Religionis ego fuerim, quomodo corde in DEum crediderim ad justitiam, & ore confessus fuerim ad salutem. Sic horis „ omnibus & momentis Munificentissimo DEO meo nunc & semper gratias agere teneor, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, „ quòd etiam me ex diabolica & Babilonica Secta & errore Lutheri eripuerit, in quo usque ad annum ætatis meæ vigesimum quartum versatus fueram, & me per instructionem „ bonorum, piorum, doctorum Virorum ad sanctam Catholicam Romanam fidem & religionem deduxerit, in quâ in tantum fundatus sum, „ ut in fide hac DEI adjutoriô usque „ ad finem vitæ meæ permanere velim. In qua fide etiam spiritum meum „ in fine vitæ in abundantissima merita JEsu Christi mei Amantissimi Salvatoris, in quo solo animæ meæ salutem colloco, commendo & offero, „ ad quam Matrem ejus Amantissimam „ cum tota cœlesti curia mihi suis intercessionibus auxilio fore spero: Sicut „ etiam ego meam professionem fidei „ Domino Melchiori Kleselio Præposito Viennensi & Consiliario ac Officiali Passaviensi Anno 1580. tradidi, „ in qua maneo, &c. [4.] Hæc ex ejusdem testamento manu propria scripto, dum adhuc Præpositus Clara-Vallensis esset, Anno MDLXXXIV. facto, cujus executores nominavit præfatum D. Kleselium, D. Joannem Rüoff Abbatem Zwetlensem, & D. Michaëlem

Lydl-

Lyditium S. Theologiæ Doctorem & in Weitra Parochum, in quo reperitur ipsius Capellanus D. Christophorus vocari. Hæc de juventute sua sufficiant, jam veniamus ad ejus virilem & senilem ætatem, quam ille ipsemet egregiè descripsit cum talentis, quæ à Domino DEO acceperat; „ Posteaquam Anno „ 1577. Sacerdotiô insignitus essem, „ Canonicus apud S. Stephanum, & „ simul Parochus in civium Hospitali „ Viennæ factus fui, duo manualia be„ neficia habebam, à parentibus meis „ hæreditariè accepi duas vineas, & à „ Senatu Viennensi paternam meam „ portionem mille quingentorum flo„ renorum. Postmodum Anno 1581. „ Præpositus Zwetlensis factus, ibi per „ quinque annos non parvam acqui„ sivi pecuniam ; laboravi proinde, „ cùm Anno 1586. in Abbatem Zwet„ lensem constitutus essem, patrimo„ nium meum præfatum non solùm, „ sed etiam quæ ex dictis Beneficiis „ mihi accreverant, in summa 6000. „ florenorum, conservare integra, quæ „ cum Monasterii proventibus com„ miscere nolui, sed summam hanc, „ tanquam liberam pecuniam, cum „ ea liberè disponendi potestatem an„ te editam meam professionem pla„ nè mihi reservavi, nimirum ut in se„ quentes personas & loca eam post „ obitum meum transferri curare pos„ sim. „ [5.] Ex dicta hac & alia fat notabili pecuniæ summa, ab ipso post Professionem Religiosam, ex variis & publicis officiis strenuè administratis, utpote genuino Religioso Cisterciensi Monasterio nostro acquisita, cum consensu utique eorum, quorum intererat, sequentem Viennæ ante obitum suum fecit dispositionem (erat autem tota sumā quinque millia aureorum apud D. Resch civem Viennensem in deposito) „ Cùm in hoc civium Hospitale Vien„ næ (in quo aliquando parochus fue„ rat D. Udalricus Hackelius) undique „ magna copia pauperum confluat, „ nec locus sit ipsis manendi congruus; „ Viennensis autem Magistratus in lo„ cum aptum consenserit, duo ampla „ hypocausta, unum in inferiori, alte„ rum in superiori contignatione, mu„ ro utroque & tecto manentibus con„ strui poterunt, quorum in superiori „ centum lectisternia pro viris, sicut & „ in inferiori totidem pro fœminis col„ locanda sunt, deinde pro Hospitalis „ Magistro ædes, ubi modò braxator „ habitat, construenda erit, pro quo „ ædificio, sicut & pro lectisterniis pau„ perum mille quingenti aurei nume„ rabuntur. Secundò pro Nosocomio „ ad S. Marcum extra Urbem posito „ ducendi ducati porrigendi, in quo „ ædificium pro pauperibus commo„ dum construendum, inspector hujus „ ædificii nominatur D. Michaël Sau„ rer, & vult, ut in die S. Udalrici „ Superior loci singulis pauperibus me„ diam vini mensuram & tres panes in „ memoriam sui pro eleemosyna por„ rigat. Tertiò Societati Jesu Viennæ „ trecentos ducatos pro constructione „ Collegii, & ducentos ducatos pro „ Sacello S. Barbaræ ordinat. Quar„ tò, mandat Monasterio Monialium „ ad S. Jacobum ibidem quingentos „ ducatos, quos ad reparationem ædi„ ficiorum suorum applicent, D. autem „ Resch & Sämer singulis Monialibus, „ senioribus tamen plus quàm junio„ ribus jussit dari, centum ducatos ex „ illis ad manus distribui, ut sui me„ mores, præsertim in anniversario an„ tè fundato, in precibus suis devotis „ viverent & essent. Quintò, quia „ in Basilica S. Stephani plurimæ reli„ quiæ Sanctorum nudæ sunt, idcirco „ ducentos ducatos ordinat pro iis ex„ ornandis per Moniales & includen„ dis. Sextò, Franciscanis ad S. Hie„ ronymum pro ædificio, ut sui in pre„ cibus memores sint, ducentos duca„ tos quoque legat. Septimò, ad pau„ peres octo Virgines parentibus orba„ tas in matrimonium elocandas du-

„ centos ducatos constituit Octavò, „ Dominæ Salome D. Burckhardi uxori quadringentos ducatos in sui memoriam. Nonò, Jacobo Höhenberger propter fidelia sua officia, sicut „ & ejus filiis Benedicto & Zachariæ „ quadringentos ducatos. Decimò, „ item Dominæ Sämerin Affini suæ „ ducentos, & Wolffgango Höchenberger, ejusque Uxori, & liberis „ etiam ducentos ducatos. Undecimò, Dominæ de Hornberg filiæ Mariæ pro torque, aut post obitum ejus „ matri centum ducatos. Duodecimò, tribus Viris Dominis Vito Resch, „ Michaëli Sämer, & Joanni Scherer „ trecentos ducatos &c. Acta sunt hæc „ Viennæ, 12. Octobris, Anno 1607. „ [6.] „ Eadem die literas quoque petitorias conficit, quibus dictam pecuniam & ducatorum Summam apud D. Vitum Resch Senatorem Viennensem depositam esse scribit, & præfatæ suæ dispositionis Executores nominat præmemoratum D. Vitum, D. Michaëlem Sämer, & Joannem Scherer, utrumque civem & urbani Judicis Assessorem. [7.] His ità dispositis Optimus Pater ex terrore in festo S. Leopoldi, utì suprà hoc anno scriptum, accepto confectus 7. Calend. Decemb. nimirum 25. Novembris, in festo S. Catharinæ vesperi intra horam septimam & octavam spiritum suum DEO reddidit, omnibus Sacramentis antè ritè susceptis, [8.] præsentibus Patribus Societatis duobus P. Ferdinando Alber Rectore Collegii, & P. Abrahamo Khöberl Convictûs Regente. Fuit ætatis suæ, sicut ipsemet in Abbatia propria manu annotavit, annorum quinquaginta sex & 25. dierum, natalis ejus dies festum Omnium Sanctorum, reperitur ergo Anno Domini MDLI. natus fuisse. Quo dicta die defuncto, sequenti, id est, 26. Novembris anno præsenti ejus dispositio protinus fuit aperta & executioni demandata, prout suos Executores vivus oretenus & scriptò rogaverat. Cæterùm semper ferè Viennæ mansit ob officia sua gravia, nonnunquam in Monasterium ascendit sua ædificia, quæ construi jusserat, visurus, qui bonus œconomus & loculos habens Monasterium præsertim pro hospitum commoditate splendidè ædificavit. Hoc demonstrat nomen ipsius cum insignibus & apophtegmate *Festina lentè*, ubique in operibus suis præfixum, annô additô, & nonnunquam etiam die. Ordinem tamen suum tanquam Vicarius Generalis strenuè defendit, sicut hoc patet ex literis ejusdem post se relictis. Fecit item Relationem Cæsari ad ejus petitionem super libera Conventuum Ordinis ejusdem electione. [9.] Aliáque multa præstitit laude digna per Ordinem sub Vicariatu suo.

Demum Dominus Udalricus Hackel memor humanæ conditionis in Monasterio suo Zwetlensi sibi cryptam in medio templi fieri curavit anno adhuc MDC., cujus ori imposuit lapidem ex rubro marmore sepulchralem, & desuper suis insignibus cum inscriptione illum ornavit: simul etiam ad columnam templi propè sitam ex dicto lapide se in pontificiali habitu cum inscriptione suísque insignibus, sub Anno MDXC., sculpi fecit, quod epitaphium adhuc ejus prædicat dignitatem. Hic hoc anno Viennæ in extremis constitutus quoque ordinavit, ut corpus ejus exanime in Monasterium Zwetlense deportaretur, & in crypta à se constructa conderetur, quod etiam à morte ejus post octiduum factum, qui per Urbem solenni funebri pompa, resonantibus campanis, & magnis Viris loculum comitantibus, humeris fuit elatus usque ad portam Turris-Rubræ, ubi paratus currus & nigrô pannô vestitus cum aurigis, comitibus & equitibus suis stetit, cui loculus impositus in Monasterium deductus fuit, in itinere parochis ipsi funeri obviantibus, & per oppida sua deducen-

ducentibus campanarum sonitu adhibito. Tandem in Monasterio solenniter ab Abbate Altenburgensi secundùm pactum Missarum solenniis & cæremoniis Catholicis ritè adhibitis, fuit in sua crypta sepultus.

ADDITIONES.

[1.] Megizerus in Annalibus Carinthiæ lib. 12. c. 34.
[2.] Ex Autographo ipsius D. Abbatis Hackelii.
[3.] Lib. Ædific. Z.
[4.] Ex ultima voluntate ipsius inps. in Præpositura. Anno 1584.
[5. & 6.] Ex ultima dispositione ejus Viennæ facta Anno 1607.
[7.] Ex copia illarum literarum.
[8.] Omnes Recentiores Abbatum Catalogi.
[9.] Ex canistro Ordinem Cisterciensem concernentium.

Annus Christi MDCVIII. Monasterii CCCCLXX.

Pont. Rom. Paulus V. *Imp. Rom.* Rudolphus II. *Archi-Dux Austriæ* Matthias.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Joannes VI.

COmitia Imperialia hoc annò 12. Januarii locò Cæsaris præside Archiduce Austriæ & Stiriæ Ferdinandò suum initium habuerunt, sed propter disceptationes statuum & motus diversos in Imperio, præsertim in Austria, finem suum non sunt sortita. *[1.]

Interea Archidux Austriæ Matthias Confœderationem iniit cum regni Ungariæ proceribus, inter ipsos & Austriacos, & cum Turca de pace tractavit, quæ Rudolphus Cæsar frater ejus noluit habere rata, unde inter ipsum & Archiducem simultates exortæ fuerunt. Archidux protinus militem conscripsit, in Bohemiam cum viginti millibus Pragam versùs movit, & partem regnorum atque ditionum hæreditariarum à Cæsare petiit, quod etiam Legatis Pontificis & Electorum Principum intervenientibus impetravit, nimirum regnum Ungariæ, Austriam & Moraviam propriam accepit, & nomen designati Regis Bohemiæ obtinuit, [2.] Qui exercitu reducto & dimisso 19. Novembris hoc adhuc annò Posonii in Regem Ungariæ fuit coronatus. [3.] In Austria verò à proceribus homagium petiit, sed à Protestantibus Evangelicis ipsi fuit denegatum, quia liberum Religionis exercitium ipsis denegaverat, qui in Horn civitate convenientes de Religionis suæ defensione consultabant; insuper militem collegerunt; quibus tamen deinde Archidux illud, sed tantùm extra civitates suas, coactus permisit. [4.]

Antequàm porrò ad electionem novi Abbatis in Zwetl veniamus, expediamus priùs illa, quæ adhuc de Abbate Hackelio defuncto restant. Hic Ecclesiam suam ornamentis insignivit variis & plurimis, sicut ea in libro quodam conscribi curavit, præfigens causam, quia ferme nihil de ornatu repererit, [5.] In domo Viennensi etiam Sacellum ornavit picturâ, altari novo, calice, casulis, antipendio & imaginibus; item reliquiariis, aliisque ad celebrandum necessariis pretiô octingentorum florenorum. Præterea ad pias causas multa adhuc vivens exposuit, ut ipsemet fatetur, & per Ordinem enumerat. [6.] Ex his itaque liquet, quis & quantus fuerit Udalricus Hackelius Abbas Zwetlensis, cujus anima requiescat in pace.

Post obitum ipsius plurimi non de jure, sed de rapacitate erant hæredes, quod Matthias Archidux Austriæ percepit,

cepit, & per decretum Consiliariis Austrio-Monasticis præcepit, ut etiamnum hodie ex Corpore suo Commissarios eligerent, quatenus sinè mora in Abbatis Udalrici Zwetlensis substantiam, præsertim pecuniam relictam inquirerent, Reschium, qui argenteam Crucem habere dicitur, item Sämerum, Schererum, aliòsque complices, qui ejus obitui interfuerunt, citent, diligenter examinent, ut veritatem fateantur, quorsum argentea ejus utensilia, quò ipsius pecuniæ devenerint, quid unus vel alter acceperit, alioquin aliis mediis cum ipsis procedendum esset. [7.]

Procedo jam ad electionem novi Abbatis Monasterii Zwetlensis, quæ quando suscepta fuerit, nemo meliùs id nobis manifestare potest, quàm ipsemet Electus, qui fuit D. Joannes Neüner tunc Abbas Dei-Vallensis; (vulgò Geissenstain) hic in literis suis ad Abbatem S. Trinitatis in Neapoli Austriæ Dominum Paulum perscriptis & anno sequenti proferendis ipsemet scribit se quintô Idus, id est, undecimâ Maji, Anno MDCVIII. [8.] à Conventu Zwetlensi fuisse electum, & per decretum regium, ac Abbatem S. Crucis installatum. In Successione omnes Abbatum catalogi conveniunt, unus author etiam diem ipsam ponit & annum. Hic Joannes inter Abbates ejus nominis VI. in ordine viginti annos habebat, ante suam electionem professionem fecit in Monasterio Zwetlensi coram suo Antecessore Udalrico Hackel, qui eum mox subpriorem & deinde etiam Priorem creavit, postulatus in Abbatem Vallis-Dei Anno MDXCVIII. idem Monasterium hucusque rexit per decennium, podagrâ semper ferme afflictus & molestatus pius Pater.

ADDITIONES.

*[1.] Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. cap. 34.

Chronicon Gotfridi tom. 1. part. 8. hoc anno.

[2.] Megizerus ubi suprà.

Spondanus hic n. 8. „ Discordia inter „ Rudolphum Cæsarem & Matthiam Archi„ ducem fratrem ejus ortâ, ob fœdus à Mat„ thia cum Hungaris & Austriis ictum, & non„ nulla in Comitiis Posonii celebratis decreta, „ quæ in diminutionem auctoritatis Cæsa„ reæ facta Rudolphus interpretabatur: Col„ lecti sunt utrimque exercitus. Sed procu„ rante Summo Pontifice concordiam, (missô „ ad hoc Joanne Garzia Cardinale Millino „ Romano) Rudolphus Princeps quietis ma„ gìs quàm laboris studiosus, Matthiæ ela„ tiorum spirituum homini cessit Austriâ & „ Hungariâ; promissâ etiam Boëmiâ, si ipse „ absque prole mascula decederet. Idémque „ Matthias mense Novembri Posonii Rex „ Hungariæ solemni ritu coronatus est.

Ortelius hoc anno.

[3.] Iidem præced. n. relati.

Item Piespordius sub Matthia Imperat. „ Anno 1608. Ex cessione fratris Austriam „ cum Moravia accepit, Boëmiæ regno desti„ natus, & Posonii 19. Novembris ejusdem „ anni Rex Ungariæ à S. Stephano XLI.

Additiones ad Ciaconium sub Paulo V.

Joan. Palatius sub Anno sequenti. „ De„ cimô tertiô Kal. April. die S. Elisabethæ sa„ cro, Posonii Rex in æde S. Martini hoc ritu „ inauguratur. Diadema regium curru regio „ ex arce ad templum splendido procerum „ comitatu delatum, decem regnorum vexil„ la complicata deportata, quatuor Senato„ ribus Hungaris cistulam panno Attalicô „ aurô textô velatam in sacrarium templi cur„ ru deferentibus: Equô Matthias Rex, ha„ bitu Hungarico vectus, à duobus Episco„ pis ad altare productus est. Tum verò ve„ xilla decem totidem Hungari, diadema Pa„ latinus, sceptrum regium Endeodius, ma„ lum regni aureum Forgatsius, gladium Ste„ phani vaginâ holosericâ purpureâ inclusum „ Turso, Patellam auream, (quâ pacem in„ digitant) Tschius; Crucem auream Budia„ nus gestabant; Cardinalis Forgatsius sacris „ operabatur, ministrantibus Episcopis, à qui„ bus sub initium Sancti Missæ Sacrificii, Rex „ oleô inunctus est. Cùm Evangelium reci„ taretur, Cardinalis Regem coronâ induit: „ populô multos annos acclamante. Rex „ diademate fulgens à Colonitsio equitum „ magistro, Mareschallum vocant, gladium à „ acceptum ter in aëre expressâ crucis formâ, „ vibravit, & Sacrum Christi corpus Cardinalis

„ dinalis manu sumpsit. Peractô Sacrificiô „ Rex viâ pannô stratâ progressus ad S. Francisci Sodales excalceatos, in plebem aureos, argenteósque nummos tradito more „ sparsit, & in eo templo perlectô S. Joannis „ Evangeliô, viginti octo equites solemni „ ritu creavit: Inde diademate, & veste regia insignis; per S. Michaëlis portam urbe „ egressus, in pegma pannô sericô stratum „ equô vectus est, unde jusjurandum justi ac „ moderati Imperii Hungaris præstitit, ab iisdem devoti obsequii, fideíque accepit. Inde in colliculum eques insiliens, gladium „ expressâ crucis formâ ter vibravit, mox in „ arcem magno comitatu ad regias epulas „ reversus est, Germani omnes publicis muneribus, ac officiis dejecti, & exauctorati „ sunt, Fridericô Colonitsiô exceptô, quem „ virtus supra invidiam extulerat.

Spondanus ubi supra n. 10. „ Sigismundo Ragotzio, tranquillæ vitæ desideriô „ Transilvaniâ cedente, Gabriel Bathorius „ eam sibi vendicavit: Et neglectô Rudolphi „ Cæs. dominiô, Turcis se submisit. Qui „ olim Catholicè à patruo educatus, ad hæresim posteà defecit.

[4.] Gotfridus ubi suprà cit. locô. Item Ortelius ibidem.

[5.] Ex lib. ædific. sub Rubrica: Ornament. comparat.

[6.] Ibidem sub Rubrica: ad pias causas.

[7.] Ex Copia decreti ejusdem D. Archiducis.

[8.] Ex literis ejusdem D. Abbatis.

Annus Christi MDCIX. Monasterii CCCCLXXI.

Pont. Rom. Paulus V. — *Imp. Rom.* Rudolphus II. — *Archi-Dux Austriæ* Matthias Rex.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. — *Abbas Zwetlensis* Joannes VI.

Religionis gratiâ Protestantes tam in Bohemia Cæsari, quàm in Austria Regi Matthiæ negotium fecerunt; præludia quasi futuri belli; nam in Austria 25. Januarii hoc anno juxta Holobrunnam tam Regii, quàm Protestantium milites convenerunt, pro uno diversorio certantes, Regii hoc illis cesserunt, unde Rex Matthias permotus cum statibus Lutheranis convenit in aliquot articulos compositionis, ex quibus erant, ut Dominis & Nobilibus in suis arcibus, domibus, munitionibus, pagis, & etiam in civitatibus in privatis domibus suis exercitium Religionis liberum concederetur: Ut tria templa, unum in Intzerstorf, alterum in Tribanswinckl, tertium in Hernals pro suâ Religione exercenda relinquerentur; Ut Consiliarii ex utraque Religione legerentur, sicut alia etiam officia cum ejusmodi personis providerentur, hæreditariis in moderno statu manentibus &c. Protestantes in Bohemia non aliter faciebant convenientes in Curia Civitatis Veteris Pragensis contra inhibitionem Cæsaris, militibus pro sui custodia adhibitis, quibus etiam plebs incondita se conjunxit. His auditis majora timens Imperator Rudolphus dedit ipsis literas, quas Majestatis literas vocârunt, quibus ipsis concessit liberum exercitium Religionis suæ per totam Bohemiam: Archi-Episcopus eos in concionibus suis sive Bohemicis sive Germanicis nôn impediret: In Universitate Pragensi, sicut & in sepulturis cum Catholicis iisdem juribus gauderent: neuter alterum verbis proscinderet sub pœna denuntiationis, quòd talis transgressor sit habendus pro hoste Reipublicæ, sub dato in Pragensi Arce, 11. Julii Anno 1609. * [1.] Hæ literæ clypeus illorum Protestantium erat, quo tecti postmodum contra Matthiam & Ferdinandum in campum armati progredi ausi fuêre.

Jam ante annum Dominus Nicolaus Boucherat Generalis nostri Ordinis Capitulum Generale Cistercium sub dato ultimâ Octobris convocavit, & hoc anno 17. Maji diem denominavit, scribens simul Abbati S. Crucis Domino Paulo, ut cum Coabbatibus suis ad il-

lud quoque se conferret. [2.] His perceptis Dominus Joannes Neuner Abbas Zwetlensis & DEI-Vallensis se apud Generalem per literas excusat, quòd venire nequeat, tum mala valetudine præsertim pedum intolerabili ardore præpeditus, cùm etiam ob Monasterii sui periculum summum domi detentus: nam hæretici, Austriæ proceres, perduelles facti, in præsentissimum Regis Serenissimi Matthiæ, ac totius statûs Ecclesiastici exitium, aliquot millia peditum equitúmque conscripserunt, qui cum copiis suis non procul à Monasteriis Zwetl & Vallis-DEI, & circum locorum, non sinè magno subditorum damno consederunt, comminantes & hinc inde spargentes, quòd cuncta Monasteria cum impetu invadere, eadem omnino extirpare ac evertere velint. [3.]

ADDITIONES.

*[1.] Gotfridi Chronicon ad hunc annum.

Spondanus hìc n. 5. „ Tumultuantibus „ Boëmis & Austriacis hæreticis de religio- „ ne, (occasione præcipuè capta ex discor- „ dia, quam diximus, Rudolphi Cæsaris & „ Matthiæ fratris) & his & illis concessa „ fuit suæ quibusque opinionis libertas, & „ exercitium suæ religionis; nequicquam ob- „ nitentibus Nunciis Pontificiis, & Episco- „ pis Catholicis. Eò insolentiæ progres- „ sis Protestantibus, ut per Principem An- „ haltinum Cæsari renunciaverint, nisì aliam „ regendi Imperii formam servaret, se provi- „ suros. Fuerat enim ab iis Principibus & „ civitatibus Fœdus colligationis contra Cæ- „ sarem & Catholicos, & pro suæ partis am- „ plificatione, sancitum: cujus princeps Pa- „ latinus, Vicarius Anhaltinus constitutus „ erat. Qui *Correspondentes* vocati sunt. Si- „ cuti ex alia parte Catholici, ut se, maje- „ statémque Imperii tuerentur, arctius inter „ se Fœdus percusserunt, quod *Ligam Catholicam* appellârunt: Patienter hæc Rudol- „ pho pro sua facilitate ferente.

[2.] Ex literis Generalis ejusdem intimatoriis.

[3.] Ex literis ejusdem Abbatis excusatoriis.

Annus Christi MDCX. Monasterii CCCCLXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Rudolphus II.	Matthias Rex.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VI.

A Catholici hoc anno Hallæ in Suevia conventum celebrant, ad quem etiam Rex Galliæ Legatum suum direxit, ubi unionem inter se, utì illi vocârunt, instituunt & sanciunt, inter quos caput Elector Brandeburgicus cum fratre fuit, aliíque plures Imperii Principes & Comites; item Electoris Heidelbergensis, Landgrafii Hassiæ, & Marggrafii Brandenburgici Legati, sicut etiam quindecim Imperialium Civitatum Deputati convenerunt. Catholici ubi de hac unione certiores facti sunt, Herbipoli similiter conveniunt, & contra hanc unionem conspirant, Ligam hanc Catholicam vocantes, fuerunt autem illi sequentes: Electores Imperii Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, Dux Bavariæ Maximilianus, qui Generalis exercitûs Catholici nominatus erat, Episcopi Wormatiensis, Spirensis, Argentoratensis, Osnabrugensis, Salisburgensis, Bambergensis, Herbipolensis, Aichstetensis, Augustanus; Ordinis Teutonici Magister, Abbas Fuldensis, Præpositus dè Elwangen, Abbas Campensis aliíque permulti. Hanc tamen Ligam, sicut & illam Unionem utraque pars nullum in præjudicium aut contemptum Imperatoriæ Majestatis erexisse volebat. Sed hæ conjunctiones in Imperio diffiden-

dentiam auxerunt, cùm Catholici dicerent Unitos Principes velle suam orthodoxam Religionem è Germania tollere, econtra Uniti Catholicos in exterminium Evangelicæ Religionis conspirâsse proclamarent. *[1.]

Postmodum mense Aprili Pragæ convenerunt vocati ab Imperatore Rudolpho sequentes Electores Moguntinus, Coloniensis, & Saxoniæ, Archiduces Maximilianus & Ferdinandus, Dux Brunsvicensis Henricus Julius, Landgrafii Hassiæ Ludovicus & Philippus, in causa reconciliandorum fratrum Rudolphi Cæsaris & Matthiæ Regis: electionis item novi Romanorum Regis: restitutionis civitatis Donawerdæ & compositionis litium Ducatûs Juliacensis. In quo conventu reconciliatio dictorum Fratrum tantùm suum effectum habuit, cetera puncta non ita successerunt. [2.]

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi tom. I. p. 8.

[2.] Gotfridus ubi suprà.

Megizerus Annal. Carinth. lib. 12. c. 36.

Ortelius Redivivus hoc anno. „ Unterdessen wurden der Churfürst von Cölln, Ertz-Herzog Ferdinand und der Herzog von Braunschweig zu Kayserl. Herren Commissarien nach Wienn ernennt, welche 3. Julii daselbst anlangten, denen S. Majest. König Matthias selbst sambt seiner Hofstatt mit 50 Gutschen und einer schönen Reuterey, biß über den Thabor entgegen fuhr und sie empfienge, darauf erstlich zwo Compagnien in 300. starck von Handelsleuthen, alle in roth und weiß verbrämten langen Röcken den Vorzug nahmen, denen 500. Collonitschische teutsche Pferde, und 500. Buchheimische Reutter in ihrer Ordnung, und diesen die Räthe und Land-Stände mit den Gutschen, und letzlich S. Königl. Majestät mit den Chur- und Fürsten folgten, welcher Einzug schön zu sehen war. Deß folgenden Tages legten die Herren Commissarien ihr Gewerb bey S. Majestät ab. Worauf zu beyden Seiten viel Müh und Fleiß, umb Eintracht wieder zu stifften, angewendet, wie auch viel Briefe gewechslet und Rathschläge gestellt worden, biß endlich durch Göttliche Verleihung und höchst-ermeldter Herren Commissarien friedfertige beförderung ein gewisser Vertrag erfolgte, folgendes Innhalts:

„ 1. Solte König Matthias die Römisch-Kayserliche Majestät als einen Kayser und Oberhaupt, wie auch einen König in Böhmen und Oberhaupt deß Marggrafthumb Mährens erkennen.

„ 2. Ebener gestalt solte S. Kayserliche Majestät für das Oberhaupt deß Hauses Oesterreich erklärt werden.

„ 3. Sollen S. Kayserl. Majest. Jährlich vom König 2000. Eymer Wein, und 50000. Flor. gereicht werden.

„ 4. Sollen weder der König noch vorangeregte Provintzen, ohne Vorwissen und Bewilligung deß Kaysers, einigen Anhang oder Verbündnuß nicht machen.

„ 5. Solte der König, wegen vorgegangener Handlung vom Kayser Verzeihung bitten, solche aber von der Kayserl. Majestät mit gewissen Worten, und auf sondere maß ertheilet werden.

„ 6. Solte innerhalb Monats Frist beyderseits Kriegs Volck abgeschafft werden.

„ 7. Solte, so offt es sich zutragen wurde, daß es wider den Erb-Feind ins Feld zu ziehen die Nothdurfft erforderte, alsdann die Kayserliche Majestät Director und Führer deß Kriegs seyn.

„ 8. Solten die Ungarischen Vestungen auch mit teutschen Kriegs-Volck besetzt; hergegen aber vom Kayser, zum Behuf gemeldter Vestungen, die gewöhnliche Contribution von den Böhmen ertheilt werden.

9. „ Solten beyd Majest. Majest. einander die Hand bieten und Hülff leisten, da einer oder mehr ihrer Unterthanen sich ungehorsam oder rebellisch erzeigen wurden.

„ 10. Solte keiner von beyder Majest. Majest. Ministris und Dienern diese Vergleichs- und beschlossene Artickel in einen Zweiffel ziehen, und darwider handeln, widrigen Falls er gestrafft und abgeschafft werden solte.

„ 11. Solten die anwesende Chur- und Fürsten mit darob seyn, daß diese Artickel allerseits beständig gehalten wurden.

„ 12. Solten noch vor halbem September diese Artickel werckstellig gemacht, und von beyden Majest. Majest. unterschrieben werden.

„ 13. Solte der König sich in alleweg dahin bemühen, daß die sämbtlichen Herren Brüder und Vettern gantz Tyrol Sei-

„ ner Kayserlichen Majestät völlig möchten
„ abtretten.

„ 14.) Solte allen denjenigen, so es mit
„ beyden Ihro Ihro Majest. Majest. gehalten,
„ ein General-Pardon ertheilt werden.

„ Die Abbitt geschahe krafft eines Fuß-
„ falls durch Ertz-Herzog Maximilianum, im
„ Nahmen Königs Matthiæ, den 8. Octobr.
„ der demüthig umb Verzeihung bath; Aber
„ der Kayser unterbrach ihm seine Rede, und
„ sagte, er wäre zufrieden, wann nur der
„ getroffene Vergleich durch sie unterschrie-
„ ben und besigelt wurde.

Annus Christi MDCXI. Monasterii CCCCLXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Rudolphus II.	Matthias Rex.

Episcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leopoldus I.	Joannes VI.

LEopoldus Archidux &c. Episcopus Pataviensis sub suo generali Capitaneo Romæo novem millia peditum & quatuor millia equitum congregaverat, cum iis Juliacenses Principes oppugnaturus, sed Juliacum ab iisdem captum audiens à cæpto destitit. Milites igitur isti Passavienses dicti stipendia sua postulantes & missionem petentes, nihil obtinuerunt: Unde in Diœcesi grassari, spoliare, cædes quoque facere cæperunt, inde in Austriam Superiorem irruentes, & usque ad Lincium excurrentes prædas agebant, cum incolis more Turcarum procedebant, Romæo idem faciente: qui ad finem Decemb. in Bohemiam irrumpens, Budvicium stratagemate occupavit, Crumlovium etiam sub jugum suum misit, inde rectâ Pragam tetendit, Minorem partem per proditionem portarii intercepit, Nova & Veteri civitate se defendentibus. Matthias autem Rex videns è re suâ non fore, militem coëgit provincialem, & Pragam versùs movet. Quod illi prædones advertentes Pragâ se proripiunt clandestino gressu, civibus adversariis duarum civitatum non obsetvantibus. Inter has militum insolentias plebs Pragensis furiis agitata suis, in quatuor Monasteria impetum fecit, illa spoliavit, & Religiosos aliquot post varia adhibita probra mactavit, idem contigisset Collegio Societatis, nisi protinus se Regulis acatholicis protegendos commisissent. Passavienses ergo milites quatuor mensium stipendiis à Cæsare acceptis Beraunum properârunt, inde Budvicium repetierunt. *[1.] Interea Rex Matthias Pragam pacificè ingressus, egit cum Cæsare fratre de sibi Bohemiæ regno cedendo, quod postmodum pactis utrinque factis eidem cessit, qui 23. Maji hoc anno Pragæ solenniter à Cardinale de Dietrichstain præsente Cæsare in Regem Bohemiæ coronatus fuit. [2.] Romæus autem cum suis latronibus Budvicii se munierunt ad ferendam, si opus esset, obsidionem, donec tandem à Matthia Rege datâ ipsis pecuniâ è Bohemia dimissi fuêre, capitaneis tantùm ad puniendum reservatis. [3.]

Hoc bellum Passaviense etiam Monasterii Zwetlensis subditos oneravit, quatuor enim vexilla equitum sub Comite à Tampier hibernârunt in sequentibus ejusdem pagis, nimirum in Ruedmans, Schoënaw, Inferiori Nondorf, Wietzen, Spregnitz, Ratenreith, Reichers, Götfrits &c. Quæ hiberna à Februario usque ad mensem Majum durârunt. Causa deinde fuit, cur omnes milites apud Monasterii subditos collocarentur, quia hic miles à provincia erat lectus, & ad fines Bohemiæ in hiberna deductus, unde non procul Budvicium distat, quod Romæus hostis ille munierat, & circumquaque prædas agebat, nè etiam in Austriam Inferiorem

rem irrumperet, ſicut in Superiori jam perpetrârat. [4.]

Dominus Joannes Abbas hoc anno 4. Idus, id eſt, 10. Novembris ex hac vita diſceſſit, Vir plenus dolorum & maximè podagrâ laborans, quod ipſe, utì per annos ejus regiminis videre eſt, fatetur. Præfuit Monaſterio DEI-Vallenſi annis decem, & Zwetlenſi annis quinque & ſex menſibus. Optimus Religioſus & Ordini ſuo proficuus fuiſſet, ſi non ità cum morbo articulari continuum conflictum habuiſſet. In obitu ejus omnes Abbatum catalogi conveniunt, diem & annum habentes. [5.] Poſt cujus obitum Prior ejusdem P. Chriſtophorus Bendel in Adminiſtratorem Monaſterii vacantis fuit electus & conſtitutus, ſicut anno ſequenti videre erit.

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi tom. 1. p. 8. hoc anno.

Spondanus hìc n. 1.

Ortelius hoc anno.

[2.] Piespordius ſub Matthia & Octavius de Strada.

Item relati præcedenti n.

Continuatio Catalogi Ederiani, hoc anno. „ Ipſo die Bacchanaliorum per Sereniſſimi Archiducis Leopoldi à Ducatu Juliacenſi reducis milites, dictos Paſſavienſes, magna fit in Bohemiam irruptio, & ipſam etiam Pragam: Inde ſubditorum erga Rudolphum Imp. alienatio. Proinde 8. Martii Matthias Rex Ung. Archidux Auſtriæ Viennâ diſcedit in Bohemiam, ubi 23. Maji coronatur Pragæ Rex Bohemiæ, ea de cauſa 29. Maji Viennæ publica ſolennitate exploduntur omnia tormenta, & fit DEO gratiarum actio de concordia fratrum.

„ Primâ Dominicâ Adventûs Matthias Ung. & Boh. Rex, Archidux Auſtriæ, cum Anna Ferdinandi p. m. Arch. Auſtriæ filia, nuptias celebrat Viennæ.

Ortelius. „ Nachdem nun König Matthias mit den Böhmiſchen Ständen deß Reverſs halben den 23. Maji abkommen, nemlich alle und jede ihre Privilegien über die Religion und andere Politiſche Sachen, auch alle Freyheiten, Rechten, Lands-Ordnungen, löbliche gute alte Gebräuch, Satzungen, gleichwie auch die Landſchlüß, beſonders ſo in Jahren 1608. und 1609. geſchehen, zu billigen, zu erneuern, und mit einem Majeſtät-Brief zu beſtättigen, ward alsdann erſt Nachmittag zur Crönung gegriffen &c.

„ Nach dieſem nahm König Matthias den 23. Auguſti, von Prag ſeinen Weg durch Schleſien und Mähren, umb dieſe Landſchafften in Huldigung zu nehmen, wieder nach Wien, woſelbſt S. Majeſtät den 26. Octobr. glücklich anlangte, und den 4. Decembr. darauf mit einem Oeſterreichiſchen Fräulein von Tyrol ein überauß-prächtiges Beylager hielt.

[3.] Gotfridus ubi ſuprà.

[4. & 5.] E literarum monumentis.

Annus Chriſti MDCXII. Monaſterii CCCCLXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Paulus V.	Matthias.	Idem Matthias.

Epiſcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlenſis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

RUdolphus II. Imp. huic anno luctum ſuo funere indixit, nam adhuc anno præcedenti cùm 21. Decembris malè habere inciperet, morbus ejus indies in crure magìs magíſque invaleſcere cœpit, donec tandem 10. Januarii hoc anno MDCXII. omnis carnis ingreſſus viam placidè in Domino obdormierat, poſtquam vixiſſet annos 59. menſes ſex & dies duos, imperâſſet verò 36. & in Bohemia ac Ungaria 38. annos regnâſſet. *[1.] Cui ſicut antea in præfatis regnis, ità etiam nunc in Imperio ſucceſſit frater ejus Matthias Rex, qui hoc anno tertiâ decimâ Junii ab Electoribus Imperii unanimi conſenſu

ſenſu Francofordiæ eligitur in Regem Romanum, & magna acclamatione pompáque 24. Junii ibidem in ſummo templo coronatur. [2.]

Antequam porrò ad novam novi Abbatis in Monaſterio Zwetlenſi electionem veniamus, priùs indagandum nobis venit tempus illius, cùm Administrator fuiſſe legatur ab obitu præcedentis usque ad electionem ſequentis Abbatis. Inprimis ſciendum D. Joannem Neüner non in Monaſterio, ſed Viennæ in domo Zwetlenſi obiiſſe, quod patet ex annotatione expenſarum in funere illius factarum, quod per civitatem ſolenniter cum pompa funebri deductum, à ſedecim ſacerdotibus elatum fuit campanis undique reſonantibus & Religioſis illud comitantibus. [3.] Quo ſepulto die 12. Aprilis hoc anno habita fuit electio novi Abbatis, in qua F. Joannes Seifridus, S. Crucis Profeſſus, Sileſius Wratislavienſis, ejus nominis VII. inter Abbates Zwetlenſes conſtitutus erat. [4.] Hic à teneris annis ſtudiis applicatus, cùm in iis proficeret, canonicatus ei in Cathedrali Eccleſia Wratislaviæ promiſſus erat: eum in finem Romam ſe contulit, & in Collegio Germanico literis quoque operam dedit: inde cum aliquot egregiis & eruditis Adoleſcentibus ſpiritu ſuperno vocatus Ciſtercium petiît, & Ordinis habitum impetravit. Et quia omnes Germani hi Novitii eſſent, poſt medium probationis annum cum literis commendatitiis à Generali expediti, in Auſtriam ad S Crucem miſſi, ibidem omnes finitô alterô dimidiô annô profeſſionem fecerunt. Quorum pietas & doctrina poſtmodum ſingulos ad ſingulas vacantes Abbatias promovit. Quod hoc anno factum legimus de dicto D. Seifrido cum Abbatia Zwetlenſi: canonicatum autem ſuum protinùs reſignavit. Qui ejus comites fuerint, textus Annalium ſequens prodet & probabit. De inſtallatione ejusdem, an ſimul poſt poſtulationem celebrata fuerit, me latet. Fuit tamen hoc anno à Generali Ciſtercienſi D. Nicolao Boucherat ipſi miſſa confirmatio, privatim quaſi eum redarguens, quòd non more Ordinis conſueto confirmationem ſuam ante Abbatialem benedictionem petiîſſet, nihilominus illi ſe ad commendationem Salemitani Abbatis eandem mittere ſub dato Ciſtercii 21. Novembris, Anno 1612. [5.] Ex his colligo, hoc anno factam ejus infulationem, ex ſequentibus autem electioni præceſſiſſe Abbatem S. Crucis, quæ 12. Aprilis habita, 14. ejusdem in Monte-Pomerio Domino Stephanidi electo Abbati ſubditi ejus Monaſterii obedientiam promiſerunt coram Cæſareis Commiſſariis & Abbate S. Crucis Viſitatore, ſicut ea ſcribit D. Seifrido Abbati Zwetlenſi Georgius Kramer dictis Commiſſariis adjunctus. [6.] Unde patet, dictum Abbatem S. Crucis cum Commiſſariis ſe ex Zwetla in Montem-Pomerium protinus contuliſſe.

Generalis interea Ciſtercienſis D. Nicolaus Boucherat Abbati Salemitano ſuo per univerſam Sueviam & Alſatiam Vicario Generali commiſit viſitationem Monaſteriorum Bohemiæ, Moraviæ, Auſtriæ, Sileſiæ, & Luſatiæ ſuo nomine peragendam, datis deſuper ſuis patentibus Ciſtercii 23. Novembris, Anno 1612. [7.] Hæc ideo refero, quia in ſequentibus patebit, dictum D. Salemitanum in hac commiſſione D. Joannem Seifridum Zwetlenſem ſubdelegatum conſtituiſſe.

Demum Sereniſſimus Matthias Ungariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ &c. petiit à Statu Prælatorum ſolarium pro Aulæ ſuæ Muſicis, qui quater mille florenos dare conſenſit, unde D. Thomas Abbas Altenburgenſis, Lateranenſis Aulæ & ſacri Palatii Comes, Prothonotarius Apoſtolicus, & Ordinarius Statuum Auſtriæ Inferioris Deputatus portionem à D. Joanne Abba-

te

te Zwetlensi accepisse fatetur sub dato 1. Maji, Anno 1612. [8.] Hoc factum fuit adhuc ante Comitia Imperialia Francofurti celebrata.

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi. tom. 1. p. 8. hoc anno.

Piespordius sub eodem.

Spondanus hic n. 1.

Octavius Strada à Rosberg sub Matthia. „ Rudolphus Imperator natus est Viennæ in „ Austria Anno Domini 1552. die 28. Julii, „ Rex Hungariæ & Bohemiæ à patre Maxi- „ miliano appellatus, & Ratisbonæ in Ro- „ manorum Regem ab Electoribus electus, „ Anno Domini 1575. Hic fuit Imperatoris „ Maximiliani, & Reginæ Mariæ filius, Prin- „ ceps magnanimus, prudens, humanus, li- „ beralis, virtute præditorum & ingenioso- „ rum hominum, ùt & pacis amantissimus, „ qui plura togatus laudabiliter egit, quàm „ alii magno armorum apparatu instructi vix „ ausi sunt suscipere: linguarum, utpote „ Germanicæ, Latinæ, Italicæ, Hispanicæ, „ fuit admodum peritus. Die 21. Decem- „ bris, Anno 1611. cùm malè habere inci- „ peret, accedebat ad crus alterum ex gravi „ fluxu, inflammatio, unde morbus ejus in- „ valescere magìs magísque videbatur, do- „ nec 10. Januarii inter sextam & septimam „ horam matutinam, omnis carnis ingressus „ viam, placidè in Domino obdormivit, post- „ quam vixisset annos quinquaginta novem, „ & menses VI. dies 2. natus nimirum Annô „ post millesimum quingentesimum quinqua- „ gesimô secundô, die 18. Julii, in Regem „ verò Hungariæ Anno 1572. die 21. Sep- „ tembris, Bohemiæ Anno 1575. die 22. „ Septembris. Itémque paulò pòst 1. No- „ vembris ejusdem Anni, in Regem Romano- „ rum electus, ac tandem Imperator Roma- „ nus Anno 1576. salutatus. Uxorem non „ habuit. Corpus ejus statim à prandio, præ- „ sentibus Duce Brunsvicense, Principe An- „ haltino, Leuchtenbergico, Consiliariísque „ Cæsariis aliis, apertum fuit, córque in eo „ sanum adhuc & bene constitutum, reliqua „ verò membra nonnihil læsa deprehensa „ sunt, crure ferè adusto & atro colore infe- „ cto. Corpus defuncti Cæsaris tunica ta- „ lari damascena indutum, ínque Sarcopha- „ gum, holosericô rubrô ab interiore parte „ inductum, conditum est, cruce aurea in „ pectore, vellere aureo ad dextrum, gladió- „ que ejus inaurato ad sinistrum latus com- „ positis, & fenestra vitrea ad faciem, ut „ conspici ab adventantibus posset, constitu- „ ta, cujus obitus annum diémque hoc di- „ sticho quidam expressit:

„ DVX aC LVX gentIs, FabIanI heV LV- Ce roDoLphVs,
„ CæsarIo genItVs sangVIne, Cæsar obIt!

„ Sepultus fuit Heros hic 1. Octobris, Anno „ 1612. Pragæ in templo Arcis, cui San Vito „ nomen, Regali Pompa.

Joan. Palatius sub Rudolpho II. „ Ru- „ dolphi Imperatoris obitum Annus excepit „ 1612. Prodigium ominosum paulò ante „ mortem Rudolphi prædixit. Leo, nec non „ Aquilæ duæ, quæ in aula ejus Pragæ nu- „ triebantur, subitanea morte correptæ. - - - „ Ineunte Decembri Anni 1611. morbô cor- „ reptus Rudolphus, ipséque cùm sentiret „ non longè supremam vitæ suæ metam ab- „ esse, inter alios piissimos, & dulcissimos „ sermones ad eos, qui adstabant, habitos; „ hæc quoque suspiria emisit: *Mei charissimi,* „ inquiebat, *cùm in juventute mea à divo pa-* „ *rente meo ex Hispania in hanc patriam meam* „ *transitoriam per legatum revocarer, tantô gau-* „ *diô perfundebar, ut sequentem noctem totam* „ *insomnem traducerem. Quantò magis mihi nunc* „ *lætandum, quia pater meus cœlestis in æternam* „ *patriam me brevi avocaturus est; ubi nulla est* „ *temporis vicissitudo, aut mutatio, & ubi cala-* „ *mitas nulla est.* „

[2.] Iidem modò citati Authores.
[3.] E literarum monumentis.
[4.] In Catalogis Abbat. Z. de Success.
[5.] Ex Autographo ipsius Generalis.
[6.] Ex literis ejusdem.
[7.] Ex Autographo ipso.
[8.] Ex Apocha Altenburgensis.

Annus Christi MDCXIII. Monasterii CCCCLXXV.

Pont. Rom. Paulus V. *Imp. Rom.* Matthias. *Archi-Dux Austriæ* Idem.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Joannes VII.

COmitia rursum Imperialia Ratisbonæ hoc anno mense Augusto celebrata fuerunt, in quibus Matthias Imperator præsedit, varia petens pro Imperii pace stabilienda, sed Protestantes Principes suis gravaminibus oblatis & non sublatis multa impediêrunt, nec contra Turcam auxilium præstare voluerunt. Initium hæc comitia habuerunt 13. Augusti, cùm quartâ ejusdem mensis Imperator cum Imperatrice Ratisbonam venissent, quæ rursum 22. Octobris finem suum acceperunt. *[1.]

Archidux Leopoldus Romæum, qui Budvicii & Pragæ atque in aliis Bohemiæ locis tyrannidem exercuerat, capite plecti præcepit, talem mercedem tyrannis ejus consecuta est. [2.]

P. Damiano Professo in S. Cruce ejusdem Monasterii constituto Administratori ex Stiria Græcio P. Christophorus Schaffer scribit, Dominum Antonium Abbatem de Hilaria ad Prælaturam Cremiphanensem esse translatum, se ipsi in Hilaria successurum, & P. Damiano in S. Cruce successionem tribuit. Deinde, ait, Cæsarem agere cum Pontifice de dispensatione cum Hilariensi, ideo tam Runensem, quàm Generalem ob bonum commune Ordinis Cisterciensis ad hanc translationem consensum præbere debere, &c. Demum concludit, quòd Runensis Abbas à Kleselio Episcopo Viennensi consilium petierit, quid factô opus sit, nam in Ungaria est Monasterium Ordinis ad S. Gothardum dictum, quod tempore Imperatoris Ferdinandi ad familiam Popelianam devenit, cujus reditus (siquidem illud planè destructum est) vendi, atque Monasteriis tam S. Crucis, quàm S. Trinitatis applicari, & ità juvari possent: proinde operæ pretium esse, in cancellariis & prothocollis Viennæ quærendam esse copiam illius transmutationis. Quod Kleselio placuisse scribit sub dato Græcii 17. Julii, Anno 1613. [3.] Translationem Hilariensis Abbatis confirmat Decretum Imperatoris, quo Domino Wolffgango Wilhelmo de Volckerstorf Consiliario Cæsareo ac Capitaneo Superioris Austriæ, nec non Domino Joanni Adamo Giengero Vicedomino ibidem Commissio injungitur, quatenus Dominum Antonium Abbatem Hilariæ in Monasterio Cremiphanensi in temporalibus interea installent, donec à Summo Pontifice à strictiori ad laxiorem Ordinem dispensatio, & à Cisterciensi Generali ab Ordine dimissio obtineatur. Decretum hoc à Cæsare datum 24. Julii, Anno 1613. [4.] Qui Dominus Antonius dispensationem suam acquisivit hoc adhuc anno, inde Abbatem Zwetlensem D. Seifridum suum quondam comprofessum in S. Cruce, & Coabbatem ad installationem suam in Cremiphanum invitavit, ubi simul duorum ibi Professorum primitiæ celebrabuntur, vocat se adhuc Abbatem Hilariæ & Monasterii Cremiphanensis Administratorem, sub dato 6. Decembris, Anno 1613. [5.] Quis demum ipsi in Hilaria successerit, tempus dabit.

Pestis hoc anno sicut grassabatur in corporibus hominum, ità Lutherana hæresis in cordibus plurimorum, quod non obscurè perscribit D. Seifrido Abbati Zwetlensi Viennâ D. Doctor Schwab, &c. sub dato 1. Septembris, Anno 1613. [6.] Pestem etiam nuntiat

tiat P. Christophoro Bendel Priori Zwetlensi P. Andreas Simon Professus ibidem, qui tunc in Campo-liliorum hospes Magistrum Novitiorum agebat, quòd non tantùm in Austria, sed etiam in Stiria, Silesia, & Ratisbonæ contagio pestis grassetur, sub dato 3. Octobris, Anno 1613. [7.] Viennâ quoque perscribitur Zwetlam, quòd Consul civitatis omnes extra Septembrem peste mortuos computari fecerit, tunc septuaginta & novem personæ numeratæ fuerunt, sub dato Viennæ 26. Septembris, Anno 1613. [8.]

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi tom. 1. p. 8. Cujusdam MS. qui præsens fuit.
Continuatio Catalogi Ederiani hoc anno.
„ Matthias Imperator ad celebranda Imperii
„ comitia Ratisbonam proficiscitur. 6. Ja-
„ nuarii nascitur Neostadii Austriæ Leopol-
„ dus Guilielmus Archidux Austriæ, nunc
„ Ordinis Teutonici Magister, Passav. & Olo-
„ muc. Episcopus, &c. quem Supremum Nu-
„ men Austriæ & Ecclesiæ diu servet inco-
„ lumem. „

[2.] Chronicon ubi suprà.
[3.] Ex literis P. Christophori Schaffer.
[4.] Ex Copia Decreti.
[5.] Ex literis ejusdem Abbatis.
[6.] Ex literis ejusdem Schwab.
Item Catalogus suprà relatus. „ Incipit
„ grassari pestis, quæ aliquot millia hominum
„ abripuit.
[7.] Ex literis P. Andreæ.
[8.] Chronicon Gotfridi, ubi suprà.

Annus Christi MDCXIV. Monasterii CCCCLXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Matthias.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

IMperator Matthias finitis Lincii comitiis se Viennam contulit, ubi Domini Backlebii pastorem Lutheranum in suburbiis apud S. Udalricum prædicantem, qui magnum ex civitate plebis confluxum habuit, per decretum amandari jussit, quod & factum, licèt proceres Austriæ Inferioris ejusdem Religionis apud Cæsarem multùm laborârint pro dicti pastoris restitutione, allegantes, Ungaris quoque concessum, ut quilibet Banus in jurisdictione sua talem alere possit, sed Abbate Scotense, ad quem loci ad S. Udalricum dominium pertinebat impediente, nihil impetrarunt. *[1.]

Bohemiæ verò proceres Augustanæ Confessionis hoc anno templum suum Pragæ Annô Domini MDCXI. Rudolpho Cæs. concedente cæptum perfecerunt, quod quintâ Octobris hoc anno more suo consecrârunt, illud Salvatori Mundi dedicantes. [2.] Hoc magìs probat numisma quoddam ab ipsis cusum & publicatum cum tali inscriptione: ex una parte numismatis hæc verba legebantur: „ *Templum Salvatoris* „ *Gratiâ DEI & Rudolphi II. sub Bohemiæ* „ *Rege Matthia II. fundârunt Germani* „ *Evangelici Pragæ in urbe Veteri, die Caroli, Anno Salutis humanæ 1611.* „ In altera verò parte erat effigies Salvatoris Mundi cum tali subscriptione: „ *Ab* „ *hoc solo sempiterna Salus.* „ Sciendum, numisma hoc cusum fuisse dictô annô 1611. quando illi templum ædificare cæperunt, hoc verò anno illud perfecerunt.

Venio ad Monasterium Zwetlense, ad cujus Abbatem D. Seifridum ex Cistercio per Priorem de Spinea - Corona Paulus Rosenawer scribit, qui civis Zwetlensis filius erat, Generalem Ordinis tam citò in Germaniam ob malam suam valetudinem non venturum, sub dato 28. Augusti, Anno 1614. [3.]

Eodem item anno & die dicto Abbati F. Christophorus Bis, qui se post resignatam suam prælaturam Professum in Cistercio factum esse nuntiat, scribens rogat, quatenus, cùm adversa valetudine utatur, se ad Monasterium suum per annum admittere non dedignetur, omnia sua pro gratiarum actione offert obsequia & servitia. [4.] Fuit hic senex quondam Abbas Lucellensis in Alsatia.

Notus erat D.Seifridus Domino Petro Abbati Salemitano, qui eundem creat subdelegatum suum, Visitatorem nimirum Monasteriorum Cisterciensis Ordinis per Bohemiam,Moraviam, Austriam, Silesiam & Lusatiam sitorum, quam commissionem, ait, sibi à Generali cum potestate subdelegandi concessam, sub dato in Monasterio Salem 3. Septembris, Annô 1614. [5.] Causa fuit hujus commissionis infirmitas Generalis, qui in persona eandem visitationem suscipere voluerat, utì in superioribus literis videre est. Instrumentum subdelegationis Abbati Seifrido missum fuit sub dato Salem 13. Novembris Annô 1614.

Scribit sæpè memorato Abbati D. Casparus Abbas Mellicensis, & nuntiat, siquidem Imperator Linciô sit brevì discessurus & in Monasterio suo pernoctaturus, incertam autem esse diem, an unius vel binæ refectionis sit futura, nihilominus pro utraque die se præparatum esse debere: rogat ergo, pro pretio sibi mitti duas optimorum carpionum sexagenas & luciorum unam vel saltem dimidiam, unà cum avibus silvestribus, si quid haberet, aut brevi conquiri posset, sub dato Mellicii 19. Septembris, Anno 1614. [6.] Ex his literis colligitur Imperatorem primùm mense Septembri Linciô movisse, qui in comitiis ibidem de bello Transilvano, qui partes Turcæ sequebatur, inferendo cum proceribus tam regnorum Ungariæ & Bohemiæ, quàm provinciarum illuc convocatis tractabat. [7.]

Porrò D.Joannes Seifridus ante Abbatiam obtentam canonicatum Wratislaviæ habuit, quem resignavit, & pro eo commendavit germanum suum D.Sigismundum Seifridum, qui Ingolstadii studia sua absolverat, quem tandem hoc anno, non sinè labore quidem, impetravit; quod nuntiant literæ D. Ponzonii, qui ideò Abbati gratulatur sub dato Viennæ 30. Octobris, Anno 1614. [8.] Hic erat Doctor Viennensis dictus Fabius Ponzonus, qui multùm apud Archiducem Carolum Episcopum Wratislaviensem valebat: nuntiat autem Viennâ sub dato 18. Decembris, anno præsenti nova ex Ungaria pessima, quòd nimirum Bethlehem Gabor non modò Lippam & Genam, sed alias etiam duas civitates Turcis tradiderit: [9.] Propterea Lincii Imperator comitia præfata indixerat, utì suprà scripsimus.

Obtinuit etiam D. Seifridus Abbas Cæsaream parochiam in Häderstorf, in qua Vicarium suum habuit D. Georgium Christianum Thomæ, qui postea factus fuit parochus in civitate Stain juxta Crembsium, ubi & obiit, cujus mentio fit 23. Decembris hoc anno. [10.] Hic ob combustam parochialem domum, in prædio Cammern non tam victum, quàm diversorium suum habuit, & certum solarium, reditibus parochiæ Monasterio Zwetlensi cedentibus.

Demum in Monasterio S. Crucis Administrator adhuc erat P. Damianus, qui scribit Abbati Zwetlensi, quòd 28. Decembris ibi sit futura novi Abbatis electio & installatio, unde ipsi tanquam Commissario per Austriam Generali diem denuntiat. Sed Abbas se apud Principem D. Melchiorem Kleselium Episcopum Viennensem & Novæ-Civitatis excusat ob temporis terminum nimis angustum, & quòd dictam diem citiùs non intellexerit, lamentatur. Deinde ait se Commissionem Judicum eligendorum in civitatibus Zwetl & Waidhofen eam ob rem distulisse, cùm tamen jam utrique diem indixerat sub dato in Monasterio Zwetl 26. Decembris,

bris, Anno 1614. [11.] Verùm ista electio in sequentem annum fuit dilata, sicut & installatio D. Christophori Schaffer, qui in Dominica Jubilate, Anno MDCXV. installatus fuisse legitur. [12.]

ADDITIONES.

* [1. & 2.] Chronic. Gotfridi. p.8. tom.1. hoc anno.

Continuatio Catalogi Ederiani, hoc anno. „ Matthias Imperator Viennam redit cum „ thori consorte ac tota aula, atque à Civi- „ bus honorificè excipitur.

[3.] Ex literis Pauli Rosenawer.

[4.] Ex literis P. Christophori.

[5.] Ex Autographo ipsius Salemitani Abbatis.

[6.] Ex literis Abbatis Mellicensis.

[7.] Chronicon Gotfridi, ubi suprà.

[8.] Ex literis ejusdem Doctoris.

[9.] Ex aliis ejusdem Doctoris literis.

[10.] Ex ejusdem Parochi literis.

[11.] Ex literis Administratoris.

[12.] Ex Catalogo Abbatum S. Crucis.

Annus Christi MDCXV. Monasterii CCCCLXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Matthias.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

PAx hoc anno vel potiùs armorum suspensio inter Imperatorem Matthiam & Turcarum Imperatorem certis articulis positis ad annos viginti conclusa fuit. *[1.]

Mense Februario in Ungaria, Bohemia, & Austria terræ motus observabatur, præsertim Viennæ & Pragæ, visúmque in aëre portentum, nimirum leo cum dracone pugnans. [2.]

Superiori anno feci mentionem de subdelegata Commissione Visitationis factâ à D. Salemitano Seifrido Abbati, cum in finem ab Imperatore D. Seifridus supplex petiît per Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, & Lusatiam Monasteria Ordinis Cisterciensis visitandi cum assistentia tam generali quàm speciali facultatem sub dato 6. Januarii, Anno 1615. [3.] „ Cui pro resolutio- „ ne datum, cùm Comitia provincia- „ lia non permittant ullum abesse Præ- „ latum, quorum frequentia necessaria „ est; simul etiam Abbatem à suo sibi „ commisso Monasterio tam diu & pro- „ cul absentem vices agere alterius „ externi Commissarii, ipsi suo Mona- „ sterio non conducat, ideo se per „ dictas suas provincias visitandi Or- „ dinis ipsius Monasteria licentiam ipsi „ denegare, sub dato 19. Januarii, An- „ no 1615. „ [4.] Unde D. Salemitano Abbas Zwetlensis scribit, se ab Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Viennensi ac Intimi Consilii Cæsarei Directore Domino Kleselio dictam suprà resolutionem accepisse. Nuntiat quoque, se F. Jacobum Algeyr, Alderspacensem Professum, tunc autem Priorem in Sancta-Corona Bohemiæ, in Secretarium suum assumpsisse, cujus operâ in visitandis Monasteriis uti constituit. Numerat etiam in dictis suis literis aliquot Generalis Cisterciensis privilegia, quæ sunt: Benedicere Abbates; conferre Minores Ordines & Subdiaconatum; Monialium Monasteria in virorum transmutare, si utile visum fuerit; cum Officio B. Virginis & Defunctorum dispensare; Monasterium aliquod & Abbatem ejusdem ex causis rationabilibus intervenientibus à subjectione & obedientia Patris sui Abbatis absolvere, & alia plura. &c. [5.] Demum, ait, Imperatorem Matthiam per Zwetlam iter Linciô suscepturum, cui in-

servire tenebitur, sub dato in Monasterio Zwetl 22. Januarii, Annô 1615. [6.] Idem Abbas Zwetlensis etiam Commissionem unà cum D. Joanne Hüttendorfer J.U. Doctore & Cæsareo Monasteriorum per Austriam Consiliario Deputato perfecit, installando D. Casparum Quorckium in Aniso Parochum in Præpositura Zwetlensi vacante, quod factum hoc anno 17. Februarii. [7.] Hic postea factus fuit Decanus in Aniso & per patronos, quia Silesius, Canonicus Wratislaviensis.

Præterea D. Seifrido Abbati scribit Benedictus Höhenberger Præfectus in Cammern, quòd in præsentia Allodiorum-Magistri Joachimi Welzii Religionis reformationem jussus cum subditis in Cammern susceperit, sub dato Cammern 6. Martii Anno 1615. [8.] Hanc reformationem cum subditis suis Abbas ideo suscepit, quia anno præcedenti præcones novi Evangelii, sicut suprà scripsi, ex provincia abire jussi fuerunt.

Porrò D. Seifridus Abbas tanquam Generalis Ordinis Cisterciensis per Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam & Lusatiam Commissarius P. Christophorum Schaffer in S. Cruce Professum, in Abbatem ejusdem Monasterii à Conventu regulariter & canonicè electum & nominatum præsentibus Commissariis Cæsareis installavit ac benedixit, [9.] datis desuper literis Viennæ, quæ installatio & benedictio in Dominica Jubilate hoc anno contigit. [10.]

Eadem quoque die D. Seifridus literas à Magistratu in Waidhofen ad Teyiam accepit invitatorias ad Judicis ejúsque assessorum electionem novam suscipiendam, cujus super electione jam anno priori decretum ab Excelso Regimine ipsi transmissum fuerat. Quam primùm anno sequenti susceptam fuisse legi, quia iter Abbatis in Bohemiam impedimento fuit. [11.]

Cùm verò jam Imperator Matthias Pragam se contulisset ad Comitia celebranda, & ad idem iter Abbas Seifridus è statu Prælatorum lectus se procingeret, veniunt convocationis literæ à Deputatis emanantes ad consultationem magni momenti 14. Junii à Statibus habendam, quarum datum Viennæ 24. Maji, Anno 1615. [12.]

Unde primò ante 11. Julii Pragam attigit: qui autem ex Prælatorum Statu utriusque Austriæ fuerint Pragæ, à Vicedomino indigitantur, qui Pragam D. Seifrido scribens eos salvere rogat, nimirum Abbas Götvicensis, Abbas Cremiphanensis, Præpositus de S. Floriano, Abbas Altenburgensis, & Præpositus de S. Dorothea Viennensis. Datum literarum ejusdem est Viennæ 15. Julii Annô 1615. [13.]

Occurrit hìc quædam relatio habenda fidelis, cujus auritus ego, qui hæc scribo, testis sum, nimirum iter hoc Pragam susceptum & ipsi Abbati & Monasterio suo post tres annos proficuum fuisse, nam cùm Reguli Bohemiæ missos Austriæ proceres solenni in Comitiis illis convivio excepissent, Comes Senior Matthæus de Turri poculis jus filiale cum Abbate sancivit: postea in irruptione in Austriam talem & nominari se voluit, & factô demonstravit, dum Monasterium à se captum à suis spoliari noluit. Hæc ex occasione itineris Pragensis.

Dum Pragæ adhuc esset Abbas Seifridus, licentiam visitandi Monasteria à Cæsare obtinere laboravit, sed illi denuo fuit denegata, quod iterum Salemitano perscripsit rogans, ut visitationem suam vel per se vel alium idoneum Virum ad effectum deducat vel deduci faciat, sub dato Pragæ 12. Augusti, Anno 1615. [14.] Abbas Seifridus nihilominus actus suæ visitationis ibidem perfecit, nam ex commissione speciali Generalis Cisterciensis lites inter D. Georgium Vrat Aulæ-Regiæ Abbatem, per Bohemiam & incorporatas provincias Vicarium Generalem, & D. Valentinum Augustum de Schoënbeck Sanctæ-Spineæ-Coronæ Abbatem com-

composuit, concordans has animorum diuturnas dissensiones 4. Augusti Pragæ certis sub articulis & conditionibus in instrumento nominatis. Testes præsentes fuerunt, subscriptionibus & sigillis suis confirmantes, D. Georgius Götvicensis Abbas in Austria, SS. Theologiæ Doctor, Cæsari & Bambergensi Episcopo à consiliis; D. Antonius Cremiphanensis Abbas, S S. Theologiæ Doctor, Cæsaris Consiliarius, & Statuum supra Anasum Deputatus; D. Thomas Altenburgensis Abbas, Prothonotarius Apostolicus, Comes Palatinus, & Archiducis Leopoldi Episcopi Passaviensis Consiliarius; D. Andreas ad S. Dorotheam Viennæ Præpositus; D. Georgius Hilariensis Abbas; D. Bartholomæus Leibelius Plassensis in Bohemia Abbas, & D. Bartholomæus Pica Abbas Sedlicensis, sub dato Pragæ Bohemorum 4. Augusti, anno 1615. F. Jacobo Algeyr Secretario. [15.] Ex hoc instrumento clarè & nominantur & titulotenus indigitantur omnes illi Prælati, qui ex statu illorum ex utraque Austria lecti & missi fuerant Pragam. Abbatem porrò Seifridum tanquam Commissarium D. Matthæus Abbas Lubensis in Silesiam ad visitandum invitat, sub dato 15. Septembris, Anno 1615. [16.]

Scribitur ex Stain Joanni Abbati in Zwetl, quòd in Haindorf pestis maximè grassetur, quod ad Loisium situm est. De Tripoli Crembsensi rumor est, auram ibidem non adeò etiam salubrem esse sub dato 28. Septembris, Anno 1615. [17.]

Nuntiat etiam Abbati in Zwetl Vicarius D. Zacharias Gregorius ex Cisterstorf, quòd Dominium ibidem D. Erasmo de Landaw sit venditum, unde, ait, mala inconvenientia multa procedent, sub dato 5. Novembris, Anno 1615. [18.] Hoc sequentibus annis sat superque patebit, quanta ille Landavius tam parochiæ quàm Monasterio damna intulerit.

Demum Pragâ nuntiatur, quòd Comes Bucquoius ab Imperatore Brunadusii vale suum acceperit, iturus ad Regem Galliæ, cujus exercitûs Generalis denominatus fuit 13. Novembris, hoc anno. [19.]

ADDITIONES.

*[1.] Spondanus hic n. 9. „ Ab Achmete Turcorum Imperatore venit ad Matthiam Cæs. in Germaniam legatus mense Majo; & pacem aliquot antè annis cum Rudolpho Matthiæ decessore ictam, sed malè custoditam, instauravit ad viginti annos: quæ sequenti anno utrimque confirmata est, ac promulgata. Premebatur namque undique Achmetes à Persis, nonnullis provinciarum præfectis rebellibus, Cosacis, aliisque; ut quærenda ei pax cum aliquibus esset. Quam etiam cum Mingreliis, (Colchis antiquis) & Georgianis, Persarum fœderatis icisse hoc eodem anno dicitur. „

Ortelius hoc anno: ubi decem articulos hujus pacis, seu suspensionis armorum refert.

Chronicon Gotfridi tom. 1. p. 8. sub hoc anno.

[2.] Gotfridus locò citatò.

[3.] Ex Copia literarum ejusdem.

[4.] Ex resolutione Cæsarea.

[5. & 6.] Ex copia literarum Abbat. Z.

[7.] Ex literarum monumentis.

[8.] Ex literis Præfecti in Cammern.

[9.] Ex Copia literarum.

[10.] Catalogus Abbatum S. Crucis.

[11.] Ex literis Waidhofiensium.

[12.] Ex Autographo ipso impresso.

[13.] Ex Vicedomini literis.

[14.] Ex Copia literarum.

[15.] Ex Instrumento ipsius super compositione facta.

[16.] Ex literis ejusdem Abbatis.

[17.] Ex literis Falbii Götvicensis.

[18.] Ex literis Vicarii in Cisterstorf.

[19.] Ex literis Pragensibus.

Ann. Christi MDCXVI. Monasterii CCCCLXXVIII.

Pont. Rom. Paulus V. *Imp. Rom.* Matthias. *Archi-Dux Austriæ* Idem.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Joannes VII.

ARchidux Ferdinandus, qui Græcii in Stiria residebat, hoc anno cum Republica Venetorum ob confinia Istriæ bellum incepit sub Generali suo D. Adamo de Trautmanstorf, cui se Veneti sub Mareschallo suo Don Pompejo Justiniano cum exercitu opposuerunt, per mare quoque Dalmatiam affligentes, cujus incolæ generosè contra ipsos se gesserunt. *[1.] In hoc bello egregium se militem ostendit Comes de Tampier, cujus in annis sequentibus frequentior fiet mentio, Gradiscâ munimentô ab Austriacis fortiter defensô contra Venetos, qui 28. Aprilis amissis duobus millibus virorum inde discesserunt. Hæc de isto bello Venetis illato. [2.]

Hoc anno Pragæ D. Nicolaus Boucherat Generalis Ordinis Cisterciensis celebravit Capitulum Provinciale, qui Abbatibus Ordinis Austriacis significat, laudans inprimis ipsorum Zelum erga Ordinem & eorum consilia approbat, quòd visitatis Spineæ-Coronæ & Altovadi Monasteriis Austriam ingredi, ejúsque visitare Monasteria, & difficultates Abbatum utrinque residuas componere velit. Pragâ ultimâ Februarii, Anno 1616. [3.] Ex Altovado tamen perrexit in Superiorem Austriam, & visitatis ibi Monasteriis Ordinis, cum Abbate de Monte-Pomerio Zwetlam venit 29. Martii, cùm tunc temporis Abbas loci Seifridus in civitate Waidhofen ad Teyiam commissionem à Cæsare injunctam in eligendo Judice & Magistratu perageret, cui Præfectus-pagorum Welzius scribit, quòd dicta die Generalis adveniens à Conventu processionaliter in foro exteriori susceptus, & per cæmiterium sæcularium in templum deductus, primùm more solito sacrarium visitârit, & finito actu illo in Capitulum cum Conventu ingressus fuerit. &c. [4.]

Rebus Monasterii constitutis mense Junio Abbas Seifridus se contulit ad Fontem-Salutis suæ valetudinis curandæ gratiâ, inde vix rediens, à Statu Prælatorum Austriæ Inferioris in Commissarium eligitur cum collega Abbate Scotorum in Bohemiam Pragam ad Comitia mittendus, sub dato 11. Augusti, Anno 1616. [5.] Cui D. Casparus Abbas Montis-Pomerii felix illud iter precatur 22. Augusti. [6.] Ille autem primùm mense Septembri iter ingressus fuit.

Cœpta hoc anno turris erat è medio tecti erigenda, circa cujus laborem P. Blasius Magolt Prior Zwetlensis facit mentionem, & obitûs P. Christophori Bendel quondam Prioris, sui nimirum Antecessoris, sub dato Zwetl 5. Octobris, Anno 1616. [7.]

Scribit etiam Pragam Abbati Seifrido D. Martinus Otto Sacellanus ejusdem, quòd à D. Joanne Cramero Vicario in Cisterstorf acceperit, quomodo nimirum Dominus à Landaw in antiquam cæperit ire silvam, & subditos parochiæ varié affligat, &c. sub dato 10. Octobris, Anno 1616. [8.] Hujus Crameri antecessor in parochia Cisterstorf Christophorus Decker pejora de Domino Joanne de Althan, qui dominium istud Landavio vendiderat, in libello supplici commemorat, dum ait: Altheimii aulicum Pastorem, scilicet Lutheranum ministrum tanta audere in dicta parochia, ut parochianos suos

per-

pervertat, quos communione, ſepultura, copulatione, baptiſmate providere attentat, ſcholas puerorum non tam in civitate Ciſterſtorf, ſed etiam in pagis ad parochiam ſpectantibus, ùt in Inzerſtorf, Gaislberg, Windiſch-Paumgarten, & Göſting erigere non formidat, quod cedit in damnum maximum animarum & in præjudicium curæ parochialis, quem ideo vocat lupum oves ſuas deglutientem. [9.]

Porrò P. Blaſius Prior ſcribit Pragam Abbati ſuo, quòd ex Ciſterſtorf D. Joannes Cramerus Vicarius in Monaſterium venerit referens Domini de Landaw egregios actus, nimirum, quòd ille 15. Octobris, vi & impetu fores Eccleſiæ confringi & aperiri, atque Lutherano cuidam demortuo omnes campanas pulſari curaverit. [10.] Has ſequentur plures violentiæ annis ſequentibus actitatæ.

Exornavit quoque Abbas ſacella templi in Monaſterio, tum altaria nova ſeu tabulas novas per arcularium Joannem Roſenawer, tum parietes in ſacellis ſingulis pingi curans per Georgium Kurtzium pictorem eximium, ſicut id opera ejus clarè demonſtrant. Perfecit tria ſacella, nimirum Trium Regum, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Martini hoc anno. [11.]

Abbas Seifridus in Monaſterio ſuo ſtudium philoſophicum inſtituit ſub Profeſſore D. Martino Otto, qui jam ante annum illud inchoavit, ſicut ipſemet Pragam ſcribit. [12.]

Tandem hoc anno 21. Decembris Pragâ in Monaſterium ſuum rediìt.

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi tom. 1. p. 8. Spondanus hoc anno, n. 3.

Continuatio Catalogi Ederiani anno præcedenti. „ Hoc anno nativa Senienſium „ (quos Itali Uſcochos vocant) ferocia Remp. „ Venetam contra Ferdinandum Archiducem „ Auſtriæ, Styris dominantem ad arma & „ bellum in Foro Julio gerendum provocavit. „ Quod ingentibus illorum armis & ſumptibus, auxiliaribus etiam Hollandorum ſubſidiis geſtum ſequenti anno tandem in „ acerrimam Gradiſcæ oppugnationem exarſit: Auſtriacis autem oppidum ſtrenuè defendentibus, & Venetis inani conatu fatigatis, utrique parti æquis conditionibus ad „ ſuaviſſima pacis jura placuit reverti.

Item hoc anno: „ Octava Martii, inter „ mortales eſſe deſiit Sereniſſima Princeps Maria Anna Guilielmi V. Bavariæ Ducis filia, „ Maximiliani moderni Electoris & Bellatoris incly ti Soror, Ferdinandi Archiducis „ conjux ſanctiſſima, mater ſtirpis Cæſareæ, „ quam licèt ipſa non viderit, attamen dedit; nunc immarceſſibili fruens corona, „ quòd & Imperatoriam habuiſſet in hac vitâ, „ ſi vixiſſet.

[2.] Ex literis Pragâ miſſis.
[3.] Ex literis D. Generalis Ciſtercienſis miſſis.
[4.] Ex literis pagorum Præfecti.
[5.] Ex literis Deputatorum Auſtriæ.
[6.] Ex literis D. Abbatis ejusdem.
[7.] Ex literis P. Prioris.
[8.] Ex literis D. Martini Otto.
[9.] Ex ſupplici libello Vicarii in Ciſterſtorf.
[10.] Ex literis P. Prioris.
[11. & 12.] Ex literis D. Martini Otto.

Ann. Chriſti MDCXVII. Monaſterii CCCCLXXIX.

Pont. Rom. Paulus V. | *Imp. Rom.* Matthias. | *Archi-Dux Auſtriæ* Idem.

Epiſcopus Patavienſis Leopoldus I. | *Abbas Zwetlenſis* Joannes VII.

IMperator Matthias hoc anno Pragæ in Bohemia cum fratribus Maximiliano & Carolo, ac patruele Ferdinando morabatur, de ſucceſſore ſuo in ditionibus Auſtriacis & regnis hæreditariis ſollicitus, unde Comitia Bohemica cele-

celebravit, ipsisque regnicolis Ferdinandum patruelem pro successore in regno eligendum proposuit, post obitum tamen suum primò regni habenas suscepturum. Qui convenientes in unum Ferdinandum suum ipsi Regem proclamârunt, & 25. Junii, diem festum SS. Principum Apostolorum Petri & Pauli pro coronatione denominarunt, privilegiis primùm suis confirmatis, quæ solennitas dicta die cum publico gaudio & pace transacta fuit, [1.] sicut illa pluribus in Laurea Austriaca Nicolai Belli describitur.

Dum hæc in Bohemia geruntur, interea Protestantes uniti Heylbrunnæ coëunt, quos à conventu tali Matthias Imperator abstinere mandat, datis ad eos literis avocatoriis, qui ad longum se excusantes respondent, & suam unionem conficiunt. [2.] Hæc erat fundamentum belli ipsorum futuri.

Hæc audiens Paulus V. Pontifex instituit Jubilæum, ut ubique DEus invocaretur, quatenus Ecclesiam suam Catholicam conservare & defendere, Principibus Christianis pacem donare, atque hæresim extirpare dignaretur. [3.] Lutherani verò tam reformati, quàm Augustanæ Confessioni addicti tunc etiam prodiêre, & ex ordinatione Saxoniæ Electoris Jubilæum quoque, utì ipsi vocârunt, inter suos instituunt in memoriam thesium à Doctore Luthero Wittenbergæ contra Indulgentias Romanas affixarum, cùm jam 31. Octobris centum anni elapsi essent, diem hanc sacram sibi facientes concionibus plausibilibus, conviviis opiparis, atque tormentorum explosionibus. [4.]

Commissionem ab Imperatore hoc anno Abbas Seifridus accepit, ad Archi-Episcopum Salisburgensem iturus, quem D. Antonius Wolfrat Abbas Cremiphanensis Lincii in domum suam invitat, sub dato Cremiphanii 20. Martii, Anno 1617. [5.] Quæ aut qualis hæc commissio fuerit, me latet.

Pragâ nuntiatur Abbati in Zwetl, quòd elapsâ feriâ secundâ Matthias Imperator unà cum Rege Ferdinando & Archiduce Maximiliano inde discesserit Dresdam versùs, Electorem Saxonem conveniendi gratiâ, sumptis secum præcipuis Consiliariis, 3. Augusti solenniter Dresdam ingredientur & excipientur. Interea Imperatrix Anna se ad regium dominium Melnicense conferet, ibidem Conjugis sui Imperatoris cum comitatu reditum, qui post 12. dies evenire dicitur, præstolatura, sub dato Pragæ 2. Augusti, 1617. [6.] Draco Pragensis etiam simul Dresdæ fuit, qui Zwetlam scribit, quòd hospites ibi egregiè & lautè tractentur, ipsemet Elector etiam se obtulit ad proxima Principum comitia in persona iturum, aliòsque sæculares Electores pro itineris comitiva persuasurum, in quibus Regi Ferdinando omnem honorem & respectum exhibere velit, sub dato Dresdæ 11. Augusti, Anno 1617. [7.]

Post reditum suum ex Saxonia Pragam Ferdinandus Rex Olomucium perrexit, ibidem pro Marchione Moraviæ susceptus, à statibus homagium accepit: deinde se in Silesiam Wratislaviam conferens, à Regulis Ducatûs etiam omnem obedientiam & subjectionem acquisivit. Hinc se per Viennam in Stiriam suam Græcium contulit, lustrationi inserviens militum contra Venetianos, quibuscum bellum adhuc gerebatur. [8.]

Rursùm Pragâ scribitur, Imperatorem 3. Novembris inde moturum se & Brundusium petiturum, pòst per diversa dominia Bohemiæ, Nicolspurgum in Moraviam ad Cardinalem de Dietrichstein se collaturum, â quo Neapolim Austriæ se rectâ descensurum. Aulicis etiam ob pestis grassantis famam Vienna planè interdicta est. [9.]

Venio ad Cisterstorfensem parochiam, ex qua P. Blasius Prior Zwetlensis Abbati Seifrido scribit, quòd Dominus de Landaw in arce sua ibidem continuâ febri vexetur, nihilominus & ipse

supra

ſupra modum ſuos ſubditos circa vindemiandum vexat, nullum admittens vindemiare, niſi priùs ſchedam à ſe petendam nummis ſolvat, quod tamen Parochiæ ſubditis facere non conceditur. Parochiani omnes parochum installatum petunt, qui Presbyter ſit, & Carolum minimè benedictum vel conſecratum nolunt, cui omnes infenſi ſunt, nec Landavius ipſi favet. Religioſis nobis in parochiali domo degentibus Landavius piſces & vinum frequenter offert, interea piſcantur, ad quid huc venerimus, & quamdiu manſuri ſimus, ſub dato Ciſterſtorf 26. Octobris, Anno 1617. [10.] Inde colligitur, Landavium poſt acceptum Cæſaris decretum mitiorem factum, plures tamen poſtea præſtitit paraſangas. Imò non diu latere potuit ejus Lutherana affectio cordis, ſicut pluribus ea Carolus Hoffteterus Præfectus-Familiæ Abbati Seifrido perſcribit, nam ait ipſum 2. Julii elapſâ furibundum veſperi circa ſeptimam ad parochiam veniſſe, cùm jam cœnæ aſſiderent Vicarius & ipſe Præfectus, famulúmque ſuum, ut ad ſe Præfectus exiret, miſiſſe, quem famulus, quia Catholicus erat, monuit, ſicut & Vicarium, quem etiam vocari curaverat, nè coram Domino ſuo comparerent, quia præter morem gladiô accinctus boni nihil meditaretur, cùm jam antea ex ſuis tres vulneràſſet, unde ſe proripuerunt & ejus conſpectum vitârunt, &c. ſub dato Ciſterſtorf 28. Auguſti Anno 1617. [11.] Propter tales violentias ab Abbate deinde Landavius 10. Martii anno ſequenti accuſatus fuit.

Non tantùm ipſe Abbas Seifridus inter Ordinis labores, quia Commiſſarius Generalis erat, ſed etiam inter domeſtica negotia ſtudio hiſtorico tempus & operam dedit, ex cujus ingenio Arbor illa Aniciana, ſeu deductio Domûs Auſtriacæ è domo Aniciorum Romanorum Nobiliſſimorum in Clara-Valle plantata prorupit; & quamvis opus hoc, ſicut ad finem, ita ad ſuum fortè effectum, ſecundùm quoſdam, non venerit, labor tamen laudandus eſt. [12.] Non minus etiam ſuo labore & ſtudio Epiſtolarum Rudolphi I. Habſpurgici cum notis librum conſcripſerat, quem anno ſequenti Coloniæ Agrippinæ typis mandari voluit, quod literæ Antonii Hierat Civis ac Bibliopolæ clarè demonſtrant, qui ad dictum librum excudendum paratum ſe offert.

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi hoc anno, tom. 1. p. 8.

Laurea Auſtriaca ad longum hoc anno Nicolai Belli lib. 1.

Ortelius Redivivus ſub hoc anno.

Spondanus hic n. 6. „ Ferdinandus Archidux adoptatus à Matthia Cæſ. in filium, „ qui ipſius patruelis erat, (filius videlicet „ Caroli Archiducis fratris Maximiliani II. „ Cæſaris, patris Matthiæ) & ſuorum Sta„ tuum ſucceſſorem, de conſenſu Maximilia„ ni & Alberti, Matthiæ fratrum, qui omnes „ liberis carebant; in Comitiis Bohemicis, „ præſentibus iiſdem Matthiâ & Maximilia„ nô, & rem promoventibus, electus eſt Rex „ Succeſſor Boëmiæ: ea tamen lege, ut admi„ niſtrationi quamdiu Matthias viveret, non „ ſe immiſceret, niſi de ipſius & Ordinum „ conſenſu. Coronatúſque eſt die 29. Junii, „ feſto SS. Petri & Pauli Apoſtolorum. „

[2.] Chronicon Gotfridi ſuprà cit.

[3. & 4.] Idem ibidem.

Spondanus ubi ſuprà n. 13. „ Paulus „ verò pridie Idus Junii ſacrum Jubilæum per „ univerſum Chriſtianum Orbem promulga„ vit, ad implorandam divinam miſericor„ diam pro Eccleſiæ neceſſitatibus; quod „ ipſemet in Urbe celebravit. Elector verò „ Saxoniæ Joannes-Georgius Lutheranis in „ Germania aliud indixit, exeunte Octobri „ & duobus ſequentibus diebus celebran„ dum, quòd centeſimus hic eſſet annus à „ Lutheri apoſtaſia: cuſáque numiſmata au„ rea & argentea, cum inſcriptione: Sæcu„ lum Lutheranum 1617. Quem & Cal„ viniſtæ Palatini aliíque æquè celebrârunt; „ ſed alio modo, quippe & doctrinâ & mori„ bus ab iis diverſi, & longè tempore iis po„ ſteriores: quo ſcilicet diſputationes tan-

„ tummodo proposuerunt, iisdem diebus agi-
„ tandas de causis eliminati à se Papatûs.

[5.] Ex Autographo D. Abbatis.
[6.] Ex Particularibus Pragâ scriptis.
[7.] Ex Literis D. Draconis.
[8.] Ex impressis Actis Pragensibus Anno 1617.
[9.] Ex literis D. Draconis.
[10.] Ex literis P. Prioris Zwetlensis.
[11.] Ex literis Præfecti Parochiæ in Cisterstorf.
[12.] Bibliothec. Zwetl. Monasterii.

Ann. Christi MDCXVIII. Monasterii CCCCLXXX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Matthias.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

Rex Ferdinandus petitione Matthiæ Imperatoris à Regnicolis Ungariæ in Regem suum mense Martio electus, primâ Julii Posonii coronatus fuit. Sub quo solenni actu Melchior Kleselius Cardinalis globô ferme trajectus fuisset, qui caput ejus pertransiît. Deinde Viennæ à Rege Ferdinando & Archiduce Maximiliano 20. Julii in aulam vocatus, ibi detentus, & protinus per Baronem Seifridum Preüner, Comites de Tampier & Colalto in curru tecto per Stiriam in Tyrolim Oenipontum abductus fuit, custodibus in Stiria ducentis equitibus. *[1.]

Dum hæc in Austria geruntur, in Bohemia bellum suum sumpsit initium, nam Protestantes Proceres regni Pragæ conventum suæ religioni addictorum solennem celebrârunt, adhibitis more suo precibus & sermone publicis, in arcem equitantes, gravaminibus suis finem à Regiis Ministris sibi dari petiêrunt, quibus Burggravio Sternbergio cum Poppelio, Magistro Crucigerorum & Priore ad B. Virginem non difficili, Comes Gulielmus Slabata de Chlum & Costumburg Dominus in Nova-Domo, Supremus Regni Judex, & Comes Martinitz Schmersanski vehementer se opposuerunt, quos illi in Cancellariam seducentes, unà cum Secretario Magistro Philippo Fabricio per fenestras ejecerunt, sed DEI gratiâ nullum corporis damnum inde tulerunt, licèt à fenestris usque ad fossam altitudo esset ulnarum quadraginta, neque sclopetis eos tetigerunt, quamvis aliquot contra ipsos jacientes exonerâssent. Comes Martinitz cum Secretario Viennam abiît, † Comes autem Slabata in supremi Cancellarii domo sub custodia 12. Sclopetariorum interea servabatur. Post hoc facinus Regni Status extra Catholicos in omnium hostium DEI, Regis, & suorum perditionem conspirârunt, ac etiam contra eos, qui Majestatis literas, utì vocant, impugnarent, aut tollere vellent, Factum suum editâ apologiâ excusatoriâ defendentes. Mox itaque conscribunt militem, Directores Regni triginta deligunt, atque Patres Societatis Jesu regnô exturbant, Patribus Capucinis Comes Turrianus inde victum singulis diebus subministravit, de alieno volens facere eleemosynam. Collecto igitur milite animum ad fines regni muniendos convertunt, Crumloviô præsidium Cæsareum ejiciunt, idem petunt à Budvicensibus, verùm isti Cæsari fideliores denegant, quare mox Comes Hainricus de Turri cum aliquot militum millibus, quos secum tanquam Supremus Locum-tenens Statuum Bohemiæ Pragâ duxerat, civitatem obsidione cingit, cives autem utì boni Catholici cum præsidio mille quingentorum virorum se strenuè defenderunt. Post hæc Comes de Tampier sex millibus virorum Bohemiam invasit, civitatem Bistritz dictam occupavit,

vit, & vallô se munivit, inde Novam-Domum ad Comitem Slabata spectantem tentavit, sed frustrà, donec Comes Turrianus ipsum inde cedere coëgit. Pilgram civitatem quoque occupavit per deditionem, cùm priùs præsidium à Turriano illuc missum in itinere cæcidisset. Comes de Bucquoi Campi-Marescallus Cæsareus interea etiam cum exercitu in Bohemiam venit, & primum oppidum Germanicum-Broda dictum cæpit, meliorémque quàm Tampirius disciplinam aluit militarem. Tampirius autem ante Zaschlaviam cum Bohemis prælium commisit, sed fortior hostis ipsum in silvam proximam fugere compulit, ubi inclusus aliquamdiu mansit. Deinde milite auctus Gomnicium civitatem stratagemate in suam deditionem accepit. Comes Bucquoius Budvicium se conferens, in itinere à Bohemis à tergo invaditur, cum quibus coactus prælium subire debuit, nocte illud dirimente & nemini victoriam concedente. Ernestus Comes Mansfeldiæ ab Austriacis & Hispanis offensus tunc temporis transiit ad partes Unitorum in Imperio Principum, à religione quoque deflectens, à quibus ad Bohemos in auxilium missus 20. Augusti, Annô MDCXVIII. Pragam venit, ubi Generalis Artillerie nominatus, etiam ipsi una legio tam peditum, quàm equitum commendata erat. Qui sic instructus à Directoribus Regni ad obsidendam & capiendam Pilsnam Catholicam & Cæsari fidelem mittitur, quam etiam fortiter oppugnans, insultu partim, partim deditione cæpit: Præsidium militum dimisit liberè abire, & cives ad homagium Directoribus dictis præstandum coëgit. Mansfeldius post hæc à Cæsare Matthia proscribitur. Imperator Austriæ proceribus comitia indicit, qui Viennam frequentes convenerunt, sed cùm rursum cum gravaminibus suis Acatholici prodirent, nulla consultatio de petitis, nulla deliberatio fieri potuit.

Hoc in Bohemico tumultu Austriæ Superioris proceres Danubium aggere & præsidio munierunt, atque etiam silvam liberam dictam arboribus dejectis occluserunt: contra aggerem factum tam Dux Bavariæ, quàm Passaviensis Episcopus Cæsari scripserunt, ut munimentum illud demoliri juberet, de quo autem proceres se excusârunt. Contigit hoc etiam anno obitus Maximiliani Archiducis 2. Novembris, post quem cometa magnitudinis miræ apparuit 9. Novembris, & duravit usque ad 24. Decembris, portentum sanè belli futuri. Dum uterque exercitus tam Cæsaris quàm Bohemorum ad mœnia Budvicensia hæreret, Comes Turrianus adjuncto sibi Comite Schlickio & manu militum selecta mense Novembri in Austriam Inferiorem Zwetlam versùs incursionem facit, [2.]

Quæ incursio cùm Zwetlenses tam Monasterium quàm civitatem maximè attigerit, pluribus proferenda erit. Postquam Tampirius Comes aliquot spolia opima in Bohemia sibi congesserat, quæ cum forti conductu Viennam mittere voluit, sed Bohemi ejus conatum advertentes, collecta manu militum eadem insecuti sunt, & Zwetlæ jam esse acceperunt, unde sinè mora per Weitra in Zwetlam properantes, 27. Novembris de nocte illam tentârunt. Et profectò nihil effecissent, si modò Judex civitatis dictus Venator jam præmonitus cum civibus & militibus ea nocte vigilâsset, sed hostium importunitate excitatus fugam inire debuit. Venit itaque Comes Schlickius cum utroque Comite Turriano, Supremo Locum-tenente dicto Ebenberger & Magistro Equitum Groskhi illa nocte sub lusu tacito in pagum civitati proximum Obernhof, ibique omnibus rusticis silentium indixit, & scalas per domos collegit, atque ità ad portam pago proximam accessit, ubi quidam civis stationem habuit, qui protinùs clamans, quis adesset, & quid

 velit,

velit, recepit pro responso: „ Tu nequam mox aperi portam, aut te globô trajiciemus: ille indignatus ad eos, putans esse Cæsarianos, clamavit: Si vultis aliquid habere, quare non venitis de die, expectate ergo, donec ad Judicem vadam & claves afferam portæ. „ Illo abeunte mox primam portam effregerunt, ad sublicium autem pontem cùm venissent, quia elevatus & fortis erat, aliquamdiu hæserunt, donec scalis antemurale superârunt, & fractâ januâ illum solventes demiserunt. Majorem dein portam instrumentô æneô affixô pulveribus tormentariis aperire tentârunt, sed factô parvô foramine non successit, turris autem flammam concepit. Duo interea cives, unus in turrim rotundam, alter in octangularem, hinc & inde ad portam stantes, se proripuerunt, tormentis in hostes densos detonare, & aliqualem stragem facere cæperunt. Sed hostes contra aperiendam interiorem portam laborantes, illam securibus perfregerunt, & ità civitatem occupârunt, civibus de fenestris domuum suarum in irruentes glandibus detonantibus, militibus autem in foro post majus aquæductium in Bohemos Musquetas suas exonerantibus, ubi quidam Capitaneus Capliers dictus ex parte eorum cecidit, sicut etiam alii multi hostes. Occupatâ Civitate Turrianus Comes protinus misit manum militarem in Præposituram, quæ illam apertam & in mensa hypocausti non parvam quantitatem pecuniæ minoris inveniens, præsidiô munivit, Præpositô D. Casparô Quorckiô cum majori pecunia vix evadente.

Miserant etiam unum vel alterum manipulum tam equitum, quàm peditum de nocte versùs Monasterium, ubi autem hi tubicines Tampirii Comitis, qui in Monasterio cum equis nonnullis pernoctaverant, inflantes tubas audiêrunt, in civitatem captam se receperunt, Comitem ipsum adesse putantes. Tubicinibus dictis abeuntibus cum equis, adhuc in Monasterio præsidiarii aderant pedites octoginta, qui perplexi quid facerent, an manerent, aut abirent, penes Abbatis Seifridi consilium stare volebant, qui ipsis ad manendum auctor esse noluit, nec etiam abitum suadere, quia Monasterio undique aperto & villæ ligneæ periculum imminebat. Perplexus & ipse Abbas, quid faceret, dum officiales & servi ejus, imò etiam Conventus jam fugissent, exceptô P. Jacobo & P. Michaële granario Monasterii: resolvit tandem se, æquè in adversa, quàm secunda fortuna Monasterii sui onus perferre velle, & mansit.

In civitate interea obvii armati mactabantur milites, partim se tradiderunt captivos, cæteroquin in domibus hostis inhiabat spoliis, clamor à longè audiebatur, ploratus & ululatus multus. Nec parochiale templum sacrilegas eorum manus evasit, quod utì hæretici pro spoliis sibi justè deberi judicabant: Vicario tunc D. Georgio Kramer in molitoris veste fugiente. Deinde 28. Novembris summo mane misit Comes Turrianus de civitate suum tubicinem, petens ab Abbate bonum sibi in occupanda Zwetla defatigato & sitibundo vinum mitti, quod etiam ipsi misit, interea an Comes Tampirius adesset, an præsidiô Cæsarianô Monasterium teneretur, indagaret. Horâ dein sextâ venit ipse Turrianus Comes cum duobus vexillis equitum & vexillo peditum in Monasterium, primam portam statim milite suo capiens, militem autem Cæsarianum in area stantem & sese dedentem, partim suo adjunxit, partim liberè dimisit gladiô tantùm accinctum: similiter & interiorem Abbatiæ portam militi suo custodiendam dedit. Abbas autem Beatæ Virgini se suúmque Monasterium commendans, & stans ad gradus turris, qua datur ascensus ad cellam hospitum, ipsos expectavit. Quem Turrianus Comes conspiciens mox familiariter salutavit, de equo desiliens & eum patrem suum

suum compellans (hoc enim nomen ipsi dedit in conviviis Pragæ celebratis, uti suprà Anno MDCXV. scripsi) admonens, nè timeret, non hostem, sed filium, seu potiùs ejus Monasterii defensorem se venisse: econtra etiam Abbas se innocuum asserens, nec contra coronam Bohemiæ aut ejus Directores quicquam deliquisse contestans.

Salute utrinque data, Abbas Comitem in templum duxit, quod eidem summè placuit, addens, dolendum esse, si talis Domus ruinæ daretur. Postmodum mœnia Monasterii & turres, sitùmque loci considerans, hinc inde, ubi sibi congruum videbatur, truncis arborum altis illud muniri jussit, ex armamentario necessaria tormenta disponens, & ità vexillum peditum præsidii locô in eo manere voluit. Quid faceret Abbas? prandii tempus aderat, Comes Schlickius & alii de civitate quoque venerant, coci aliíque omnes fugerant; sic ille Turrianum Comitem rogavit, quatenus proprium suum cocum concederet, quod & ille præstitit, inde in angulari hypocausto comedentes lætos se fecerunt; orto autem inter ipsos discursu de belli sui causa, Abbas liberè loquendi facultate obtenta, liberè ipsis dixit omnia, quæ negare non poterant; hoc quidam baro juvenis malè accipiens in verba talia erupit: Quid si te Abbatem Pragam in custodiam mitteremus? Cujus insolentiam mox Turrianus verbis corripuit, & ei tacere mandavit.

Post hæc Abbas subditos Monasterii Comiti Turriano commendavit, nè exactionibus gravarentur aut spoliarentur, & è domibus fugarentur, quod & ipse promisit, modò contributionem debitam solverent, aliáque vendibilia afferrent. Dictus autem Comes Abbatem Seifridum & Hartmannum Landavium de Rapotenstain ad Cæsarem Matthiam ablegavit, ea cum petitione, nè Bucquoji & Tampirii milites in Bohemia ità passim incendiis grassarentur, alioquin & Bohemi in Austria idem possent præstare, cùm jam pedem in ea posuerint. Abbas igitur cum collega suo itineri jam se dederunt initiô mensis Decembris, qui Viennam venientes protinus à porta ad aulam vocantur, & ad audientiam Imperatoris admissi, interrogati de irruptione Bohemorum, de occupata Zwetla, alisque accidentibus; postmodum causam sui adventûs exponentes, protinus petitionem Turriani Comitis Imperatori proposuerunt, qui ejus petitioni inclinatus Præsidi Consilii bellici in mandatis dedit, ut decretum ad Generales daret, nè incendiis Bohemiam devastarent. Voluit autem Imperator, ut Abbas securior Viennæ maneret, nè forsan inter tot lupos tanquam ovis dentibus vel manibus eorum laceraretur. Landavium verò dimisit ad propria.

Hìc jam mihi discutiendus venit auctor Laureæ Austriacæ, qui in innocuum Abbatem calamum suum stringere, eúmque acerbô stylô carpere non omisit: ait enim Abbatem se ultro obtulisse Turriano Comiti, & portas Monasterii eidem stare apertas, præsidii locò eidem quinquaginta musquetarios imposuisse, nec quicquam Abbati, qui magnam pecuniæ summam habuit, abstulisse. Eundem Abbatem etiam dicit, cùm Viennam se contulisset, in causam dicendam vocatum, cur ipse ejúsque vicini Domini tantùm Bohemis favissent, & non potiùs illis se opposuissent; cum autem respondisse, se illa in regione nullum scivisse præsens subsidium, nec aliquid adversi ab ipsis sibi intentatum fuisse aliud, nisì ut undique commeatum comportarent, eósque pretiô datô victualibus juvarent. Deinde commemorat, Abbatem Comiti Schlickio suum denuo commendâsse Monasterium, eíque nuntiâsse, inhibitionem comburendi loca in Bohemia à Cæsare obtentam esse sub dato 6. Decembris, decretô ad Comitem Bucquoium transmissô. Pergit Comitem Schlickium, postquam civitatem & Monasterium

Zwetlense præsidiis suis providisset, se cum Turriano Comite conjunxisse, Weitra, Altovadense, aliáque Monasteria occupâsse, & milite suo muniisse. [3.] Quæ omnia Authoris citati narrata in veritate non subsistunt, sicut contextus historiæ meæ suprà allatus aliter contestatur, quem non tam ex ipsius Abbatis Seifridi Avunculi mei, quàm ex aliorum tunc præsentium ore accepi, fortè Authori huic quidam nullius aut falsæ fidei amarô in Catholicos animô talia dictavit, ideo etiam supersedeo eadem pluribus refutare.

Deinde Bohemi etiam ipsi in literis suis ad Ducem Lignicensem datis crassè hallucinantur, cùm scribant Generales Cæsaris opima in Bohemia capta spolia in Austriæ Monasteria, præsertim in Zwetlense misisse, ibidem suum commeatum ad castra ferendi occasionem & diverticulum semper habuisse, simul etiam milites plures illic collegisse ad Bohemiam citiùs invadendam. Quare se de jure belli hostium suorum spolia insequi potuisse, atque in Austriam ad eadem capienda pedem inferre debuisse. [4.] Quæ quàm vera sint ex antecedentibus patet, nunquam enim commeatum Cæsariani ex Monasterio Zwetl in castra sua detulerunt, sicut postea de Bohemis scribendum, minùs diverticulum in eo vel militum augendorum collectionem habuerunt, cùm Bohemi uti hostes nullum alium quàm conductum militarem curruum spoliis onustorum invenerint. Et isti currus potiùs erant commeatus Cæsarianorum vulgò Kayserliche Pagagi / sicut patet ex relatione Weitracensium civium Excelso Regimini facta, ubi videre est, quomodo Weitra in Bohemorum rebellium manus devenerit, & inde liberatum. [5.]

Jam venio ad privata nostri Monasterii hujus anni gesta, & ipsius Comitis Turriani Senioris, qui se nominat Henricum Matthæum Comitem & Baronem de Turri, Valsasina & Cruce. &c. Generalem Capitaneum, literas securitatis propria manu & majori sigillo munitas inveni, quas uni subditorum pro sale afferendo dedit Zwetlæ 7. Decembris, Anno 1618. [6.] Ex his patet, ipsum adhuc affuisse & à Schlickii copiis non fuisse separatum, utì suprà citati voluerunt.

Porrò quòd adhuc tam Junior Comes de Turri Franciscus Bernardus vocatus, quàm Senior Zwetlæ fuerint, ipsorum literæ manu propria subscriptæ testantur, quibus Senior quinque pelles vulpinas solvendas, Junior laminas sibi mitti petierunt, hic sub dato 12. Decembris, ille sub 11. ejusdem. [7.] Præfectus quoque aulæ ipsius Comitis petens ligna pro curru campestri ab Allodiorum-Magistro, sub dato Zwetlæ 17. Decembris, probat adhuc ibidem hæsisse Comitem Turrianum. [8.] Junior quoque Comes petiît fœnum & stramen sufficiens pro quatuor manipulis equitum ex Monasterio in civitatem dirigi sub 21. Decembris. [9.] Decimâ octavâ similiter adhuc aderat Comes Schlickius, quem famulus ejus nominat D. Henricum Schlickium, Comitem de Passaw & Dominum de Weizkirchen, Supremum Locum-tenentem, qui eadem pro equitibus dictis petiît. [10.] Hos unà Comites 22. Decembris in Bohemiam rediisse conjector, nam quidam Capitaneus Henricus de Bunaw eadem die Allodiorum-Magistro scribit, aliquot rursum manipulos equitum Zwetlam advenisse, eos avenâ, fœnô, & stramine indigere, simul & commeatu, quæ protinus è pagis circumjacentibus in civitatem portari postulat, ne in defectu eorum equites in pagos emittere necessitetur, quorum excursus agricolis non parvum damnum afferret. [11.] Qui Capitaneus sub Ebenberger Supremo Locum-tenente tunc in præsidio civitatis manebat.

Scribit porrò ex Weitra parochus Doctor Gulielmus Kotarius Syndicum Budvi-

Budvicensem cum collega, viros doctos advenisse, Viennam ad Imperatorem cogitare, cui animos civium declarare velint, & petere auxilium, sub dato Weitra 7. Julii, Anno 1618. [12.] Dicit præterea omnes vias Budvicium versùs à Bohemis observari, nè tabellarius transire aut literæ mitti possint. Budvicium scribit ad duos menses & ultrà sat munitione varia provisum esse, in eo ducenti & quinquaginta milites esse, qui omnes fermè vernaculi pro præsidio manent. Nuntiat quoque in festo Petri & Pauli Posonium Pragâ missum legatum cum literis quendam Medicinæ Doctorem, quondam Hussiticæ Academiæ Rectorem, qui in collegio Banorum regni auditus quidem, sed protinus in carcerem conjectus fuit, qui coronationem Ferdinandi Regis impedire in mandatis habuit. Budvicensis ille Syndicus se nominat in literis suis Joannem Karmenski ab Ebenfeld, Notarium Pontificia & Jmperiali authoritate Publicum, & Notarium Reipublicæ Catholicæ Budvicensem, qui maximas Abbati Seifrido agit gratias, quòd ejus beneficiô salvus & incolumis Viennam attigerit, & Domino Deo suo, quòd ejus protectione de laqueo venantium Rebellium evaserit, sub dato Viennæ 10. Octobris, Anno 1618. [13.] Hic fuit doctus vir, sicut & plerique Budvicenses Senatores, ac Catholicus, inde suo Imperatori fidem intactam servârunt, qui munitionem (id est militarem succursum ad ferendam obsidionem alteram) ipsis submisit. Ubi Turrianus Comes nihil efficere potuit. Nova Viennâ missa dicunt utrumque exercitum tam Cæsarianum quàm Bohemicum ad Pilgrams ab invicem uno milliari distare, ubi tantùm velitationes fiunt. Interea Viennæ omnia ad bellum necessaria parantur, tormenta ingentis ponderis jam Nusdorfium missa navibus transferenda, quia ea moles pontibus non creditur, alii autem currus campestres jam convehuntur ad onera cetera ferenda Rhetium, ubi castra figuntur, [14.] Monasterium Zwetlense tunc etiam currum & equos mittere debuit, qui 27. Julii rei tormentariæ Præfecto Cæsareo erant præsentati. Refert idem, Don Balthasarum 500. equites adduxisse, quos Cæsar per atrium seu forum aulæ deductos vidit.

Erasmus Landavius interea Cisterstorfii more suo parochiæ infensus erat, cujus statum P. Blasius Magolt Abbati in Zwetl refert sub dato 8. Januarii, Anno 1618. Hic postmodum etiam à fidelitate Principis terræ defecit. Qualia verò ex Lutheri schola discipulus Landavius exercuerit, operæ pretium est afferre, nam Catholicis suis civibus inhibuit, ne mensas pro Eucharistia exponerent mappis tectas, erat enim consuetudo, ut in processione Corporis Christi ante domos Catholicorum stationes cum Venerabili Sacramento haberentur, in eum finem pro illo collocando mensæ stratæ sub dio ponebantur, quas ille poni vetuit: Unde Vicarius coactus secum ferre sedile parvum mappulâ tectum, nisi Venerabile in terram deponere aut continuò in manibus tenere vellet. Deinde etiam suum quendam pupillum, qui per mensem Catholicam scholam jam frequentaverat, inde rapi, & ad Lutheranæ sectæ palæstram introduci jussit, postmodum suis subditis omnibus sub mulcta decem florenorum prohibuit, ne liberos suos ad Catholicam scholam destinarent. Item mortuo suo quondam cive Adamo Schneider, qui in hæresi usque ad aures immersus fuerat, à Vicario petiît pro funere campanas pulsari; respondit hic, sibi ab Abbate Domino suo prohibitum, nemini, qui in cœmiterium benedictum non sepeliretur, pulsum concedendum esse. Deinde rursùm postulavit, aut campanas pulsari faceret Vicarius, aut claves pro templo sibi mitteret; respondit iste, si Dominus Landavius ipse templum in-

trare cuperet, illi apertum fore, claves autem mittere denegavit, non enim eas se à Landavio, sed à Domino suo Abbate accepisse. Tandem Landavius per fabrum ferrarium templum violenter aperiri jussit, & campanas omnes ternis vicibus tractim pulsari pro funeris hæretici hominis solennitate, quod in Cœmiterium Lutheranorum extra civitatem in agro situm deductum erat, templum autem sic apertum permansit, donec Landavius postmodum illud obstructâ aliâ abintus portâ, alteram à foris serâ affixâ clausit. [15.] Nec satìs malorum erat, quòd templum clauserat, quòd Præfectum exagitaverat, decimas ad se rapuerat, sed expulsô cum reculis suis & familia Præfectô domum parochialem etiam claudi & obsignari jussit, totam parochiam ad se derivare conatus; [16] Verùm Abbas Seifridus maximè laboravit, ut Landavio obviaretur, inde ab Excelso Regimine duo Commissarii cum potestate constituti & Cisterstorfium missi, non tantùm claves templi, sed etiam domum parochialem Vicario Abbatis restituerunt, ægrè Landavio hanc commissionem ferente, quæ restitutio facta fuit 12. Decembris, Anno 1618. [17.]

Anno etiam hoc molendinum ad Cammern situm rediît ad Monasterium per resignationem Andreæ Hueber ejùsque uxoris, quibus ad dies vitæ concessum fuerat, Doctore Heydero tunc Præfecto in Cammern existente mense Januario: quod molendinum sequenti anno unà cum prædio Cammern à Bohemis exustum est. [18.]

Scripsit præterea D. Nicolaus Boucherat Generalis Cisterciensis Joanni Seifrido Abbati in Zwetl, quòd quamprimùm in Generali Capitulo sancita in Ordine fuerint redacta à Notariis Abbatibus, quorum signis manualibus primum originale solet esse munitum, ea in Austriam transmitti curare velit. Deinde laudat Seifridum Abbatem, & magìs adhortatur ad studium Theologicum in Monasterio Zwetlensi promovendum, addítque sibi placere, Ordini universo fore ornamento, ac privatim unicuique utilitati, si quoddam Monasterium per Austriam pro Seminario provinciæ constitueretur, cui tamen alii Abbates communibus expensis sublevandorum sumptuum facerent rationem, vel certè aliud quodpiam abalienatum Monasterium eo nomine applicandum recuperaretur, in quo juventus Religiosa studiis necessariis imbueretur, se quoque non defuturum, quidquid à se requiretur, sub dato è Cistercio, 9. Junii, Anno 1618. [19.]

Sciendum hìc, Abbatem Seifridum eò cogitationes suas derivâsse, quatenus in suo Monasterio studium Theologicum erigere posset, ad eum finem non tantùm Professos suos ad Convictum Græcensem in Stiriam direxit, sed etiam in Monasterio Philosophiam doceri voluit, sicut suprà scriptum. Verùm hanc ejus intentionem rapuit tempestas belli præsentis, cujus turbulentiam ille inter Austriacos primus hoc anno nimirum sensit. Alienatum Monasterium aliquod Generalis indigitat, illud ad S. Bernardum, ubi non pridem Moniales vixerant Ordinis Cisterciensis, quod modò PP. Societatis possident.

Demum de Sacello ad S. Wolfgangum in pago Pfaffenschlag sito scripta hæc reperiuntur: *De incorporato Sacello S. Wolfgangi parochiæ in Schoënaw*, (hic titulus est) Olim fuit Sacellanus cum Cooperatore, modò solus Sacellanus officium divinum peragit. Sacellanus hujus Sacelli præter stolam nullos habet reditus, quæ stola etiam sat tenuis est. Domus Parochialis in Schoënaw & templum ruinæ sunt obnoxia. [20.] Hæc Registrator dedit ex libro Generalis visitationis Anno MDXLIV. edito, qui Extractus Monasterio Zwetlensi 13. Martii, Anno MDCXVIII. datus est ad petitionem Abbatis. Hic anno præcedenti 6. Aprilis causam Sacelli ad S. Wolfgangum ab obitu Udalrici Hacke-

Hackelii quondam Abbatis prædecessoris sui quasi mortuam resuscitavit, nam tempore Joannis Rüoff Abbatis in Zwetl D. Christophorus Liber Baro de Praga in Engelstain Sacellum dictum violenter Monasterio abstulerat, quocum præfatus Rüoff Añо MDLXXXIII. actionem instituit, urgendo restitutionem; verùm iste hæreticus nec Cæsaris Rudolphi, nec Archiducis Ernesti mandatis obtemperavit.

Interim Abbas Rüoff ad S. Crucis Abbatiam transiit, cui Anno MDLXXXVI. Udalricus Hackelius in Zwetl successit. Hic ursit apud Archiducem Ernestum causam præfati Sacelli, unde Baroni de Praga mandatum missum, ut protinus in manus Abbatis Zwetlensis non tam claves ad Sacellum resignaret, quàm omnia ejusdem mobilia restitueret. Verùm tantùm abfuit, ut obsecundârit huic mandato, ut etiam hæreticæ pravitatis hominem concionatorem Sacello ipsi præfecerit. Quo de facto increpatus Baro, insuper sui præconis suscepit defensionem, & Sacellum ad se pertinere probare attentavit. Cui Hackelius Abbas contrarium scripto objecit & refutavit, inde Commissarii Cæsarei deputati ad Sacellum cum clavibus & rebus omnibus Abbati restituendum. Commissarii quidem suum officium complere voluerunt, ille autem se absentavit; quo comperto, Commissarii ante clausum Sacellum, astante coram multitudine populi, illud in manus Abbatis Zwetlensis tradiderunt nomine Serenissimi Archiducis cum mandato; quatenus Abbas quantocyus à Barone de Engelstain claves aliásque res ablatas peteret, sibíque haberet. [21.] Verùm Abbate hominibus loci utpote hæreticis & sui adversarii subditis non fidente, res dilata fuit usque ad regimen susceptum à Serenissimo Archiduce Matthia, postea Imperatore; apud quem de novo Abbas causam egit, unde dicto Baroni duo mandata de restituendis clavibus rebúsque Anno MDCIII. missa fuêre, ille autem prolongans executionem tergiversando, & non obtemperans mandatis, tandem mortuus est, à cujus obitu non multò pòst etiam Abbas vivere desiit. Accesserunt deinde bella, aliáque plurima impedimenta, quò minùs restitutio dicta urgeri potuit. Sæpe fatum verò Sacellum ab obitu Abbatis Hackelii usque ad 6. Aprilis, Anni MDCXVII. Divinô officiô planè spoliatum stetit, quia semper clausum mansit, ac etiam supplicationes solennes certis per annum statutis diebus habitæ à populo ex Bohemia, Moravia, Austria confluente, penitus exspirârunt.

Hæc Abbas Seifridus, qui obtentis ab Imperatore Matthia Commissariis, nihil curans Baronis de Engelstain tergiversationes, cum ducentis subditis, hominibúsque armatis ad pagum Pfaffenschlag perrexit; clavibus priùs ab incubatore Barone petitis, nec missis; Sacelli seram per fabrum ferrarium Weitracensem spectante populo aperiri jussit, &c. Deinde in ipso Sacello Commissarii dicto Abbati illud nomine Imperatoris uti proprium tradiderunt, pòst Te Deum laudamus solenniter cantari fecit, ipsemet Sacrum habuit, & ab alio Sermo ad populum fuit habitus. Quod factum erat anno præcedenti, 6. Aprilis.

ADDITIONES.

*[1.] Chronicon Gotfridi tom. 1. p. 8. Nicolaus Bellus in sua Laurea Austriaca. lib. 2.

Theatrum Europæum hoc anno.

Ortelius Redivivus sub hoc anno.

Spondanus hìc n. 2. „ Idem Ferdinandus „ procurante Matthiâ Cæs. in Comitiis Posoniensibus ineunte Julio coronatus est „ etiam Rex Hungariæ, iisdem conditionibus, quibus fuerat anteà Rex Bohemiæ „ declaratus. Huic coronationi cùm interfuisset unà cum aliis Melchior Kleselius Episcopus Viennensis in Austria, & S. R. E. Cardinalis, ac Sanctioris Cæsaris Consilii Præses;

„ ses; idémque paucis pòst diebus Posoniô
„ Viennam tendens, feliciter evitâsset paratas
„ sibi à sclopetariis militibus insidias:
„ vigesimô dicti mensis Julii ibidem Viennæ
„ in arce detentus est jussu Ferdinandi &
„ Maximiliani; insciô penitus Matthiâ, quem
„ sciebant non permissurum: & jussus Cardinalis
„ habitum deponere, ac nigrum vulgarem
„ induere, abductus confestim est summa
„ celeritate per Comitem Tampirensem,
„ seu Dampierensem, cum ducentis equitibus
„ ad fines Stiriæ, indéque porro in Tirolensem
„ ditionem: specie quòd malè rempublicam
„ administrâsset, & concordiam fratrum
„ Austriacorum subvertere conatus esset.
„ De cujus iniqua captura, & detentione,
„ multa dicta & scripta: observatúmque est,
„ ab eo tempore plura adversa & tristia Austriacis
„ in vindictam contigisse. Kleselius
„ autem post aliquot annos, à Gregorio XV.
„ Romam adduci jussus, & arci Angelicæ inclusus
„ donec de causa detentionis cognitum
„ fuisset; mortuô Gregoriô, cum ceteris
„ Cardinalibus ingressus est utì innocens
„ conclave, & suffragium in electione
„ Pontificis contulit: ac deinde ab Urbano
„ VIII. absolutus plenè planéque fuit à criminibus
„ ipsi calumniosè impactis; bonáque
„ ac facultates restitui ei jussæ sub pœna Excommunicationis.

[2.] Iidem qui suprà.

Joan. Palat. in Matthia I. sub hoc anno.

✠. Cisterçium Bis-tertium authore A. R. R. P. Augustino Sartorio, Titulo 28. V. Plassium. „ Per duo integra sæcula vulnera ab
„ Hussitis inflicta gravissimè persensêre Plas-
„ senses: donec Annô 1618. Illustrissimus ac
„ Excellentissimus D. D. Jaroslaus Comes à
„ Martinitz, subinde Supremus Regni Burggravius,
„ in Bohemiæ disturbio, quod excitaverat
„ hæresis, unà cum aliis Regni Ministris
„ Pragæ è fenestra Cancellariæ Castri
„ Regii ejectus, Deíque præsentissima ope
„ servatus in vivis, hostium insidiis sese tutò
„ ac per prodigium eripiens, sub larva peregrini
„ ac rudis amictûs noctu per silvarum horrorem
„ ad Plassensis Monasterii fidas latebras
„ evasisset incolumis: ubì cum gratulatione
„ à nostris agnitus & susceptus, obsequiosum
„ omninò expertus est Plassium, sollicitum
„ nempe pro loci tenuitate, ut tantum
„ Hospitem non absque bono fatorum omine
„ ad se delapsum servitii promptitudine omnimodis
„ sibi devinciret. Neque fefellit
„ concepta spes Plassenses; Jaroslaus namque
„ cùm subinde post exactum ibi triduum ex
„ illo claustrali latibulo, Plassensium impendiis,
„ equis, famulitiô Viennam ad Cæsarem
„ sese feliciter recepisset, recentis beneficii
„ gratissimè memor, Augustissimum Ferdinandum
„ non multò pòst in Albo-Monte
„ de æmulis ac hostibus cælitus triumphantem,
„ interventu suo eò permovit, ut Castrum
„ Katzerow unà cum pagis appendicibus
„ à Griesbekianis hucusque longo tempore
„ possessum, Cœnobio postliminiô restitui
„ clementissimè imperaverit. Extat in manibus
„ Plassensium Cæsareum diploma Ferdinandi
„ II. super hàc restitutione confectum.
„ Id addendum hìc, quòd cùm Cæsar in remunerationem
„ servatæ fidelitatis dedisset Martinicio
„ optionem petendæ à se gratiæ, is
„ oblatum sive favorem Cæsareum ingenti
„ prorsus gratitudine transtulerit in Plassenses,
„ quibus propitium animitus optabat Cæsarem,
„ quòd nempe contemptis periculis, in
„ quæ se receptione sui apertè conjecerant,
„ fidem erga Regem suum inviolatam egregiè
„ comprobârint, &c. Respiravit Plassium
„ Katzerovii & aliorum bonorum peramplâ
„ accessione ad spem primævi vigoris, quem
„ sanè Augustissimæ Domui Austriacæ debet,
„ atque Excellentissimæ Familiæ Martinitzianæ,
„ cui utrique æviterna ac submississima
„ gratitudine persistet devinctum.

[3.] Bellus in Laurea Austriaca lib. 2.

[4.] Theatrum Europæum hoc anno.

[5.] Ex relatione Scripta & sigillô civitatis munita Weitracensium.

[6.] Ex Autographo ipso.

[7.] Ex literis dictorum Comitum.

[8.] Ex Scheda Originali ipsius.

[9.] Ex Autographo ipsius subscripto.

[10.] Ex Scheda ipsius pms.

[11. & 12.] Ex literis ipsorum.

[13.] Ex Autographo ipsius.

[14.] Ex literis Vienn.

[15.] Ex P. Blasii literis.

Item, Ex actione Seifridi Abbatis contra Landavium.

[16.] Ex Specificatione violentiarum Monasterio in parochia sua à Landavio exhibitarum.

[17.] Ita sonat Relatio Commissariorum in Originali.

[18] Ex literis Hueberi.

[19.] Ex Autographo ipsius Generalis.

[20. & 21.] E literarum monumentis.

Annus

Ann. Christi MDCXIX. Monasterii CCCCLXXXI.

Pont. Rom. Paulus V. *Imp. Rom.* Matthias. *Archi-Dux Austriæ* Ferdinandus.

Episcopus Pataviensis Leopoldus I. *Abbas Zwetlensis* Joannes VII.

INitiô hujus anni Bohemi rursum Crumlovium, quod Cæsariani præsidiô munierant, tentârunt, sed tormentis & sclopetis fortiter excepti, abire compulsi sunt, in discessu verò à Comite Bucquoio, qui è Budviciô eruperat ad alium locum tentandum, deprehensi stare, & prælium inire debebant, in quo quingenti utrinque ceciderunt, aliàs etiam inter ipsos hinc inde velitationes factæ sunt. Tampitrius Comes cum suis Gracium (*al. Neo-Castrum*) Bohemiæ invasit, præsidiarii verò unius vexilli pedites in arcem se receperunt, tormentis se defendentes, quam ille spoliata civitate & incensa reliquit, *[1.] spectavit hic locus ad Schwanbergium regulum.

Interea 10. Martii hoc anno Matthias Imperator vivere desiit, apud Capucinos in Novo-Foro Viennæ sepultus. [2.] Post cujus obitum Rex Ferdinandus Austriam cum aliis provinciis mox regendam suscepit. Bohemi verò facta cum Austriacis supra Anasum ac etiam Lusatiis confœderatione, Turrianum Comitem cum milite in Moraviam miserunt, qui Iglaviâ, Znoymâ, & aliis locis captis, similiter Olomutiô deditô, Znoymæ comitia celebravit procerum, in quibus PP. Societatis è Moravia proscripti fuêre, sicut etiam ex Silesia & Ungariæ regno. [3.] His peractis Turrianus ex Moravia in Austriam Inferiorem movit, aliquot locis occupatis Labam obsidione cinxit, ad quem de causa hujus invasionis proceres utriusque Religionis legatos miserunt, sed nihil effecerunt. Captâ Labâ Viennam perrexit, & pontibus relictis secundùm Danubium descendit 2. Junii, ac illum ad Fischet oppidum cum exercitu suo trium dierum spatiô trajecit, suburbia Viennæ occupans: undè 6. Junii Rex Ferdinandus portas Civitatis præter Rubram-Turrim claudere jussit. Viennenses interea ad defendendam Urbem se parabant, tormentis de propugnaculis in subjecta suburbia detonantes, multásque domos Bohemis refertas pilis perforantes, ex vicinis locis præsidia intromittentes, in quo tumultu etiam Itali mercatores vexillum equitum obtulerunt, & Studiosi Viennenses sub aliquot vexillis & Capitaneo Comite de Althan pro defensione Urbis se quoque præsentârunt. [4.] Comes deinde Turrianus ob stragem Mansfeldio illatam à suis revocatus in Bohemiam, obsidionem solvit, & 22. Junii Novam-Domum assecutus est. Bucquoius post Roteliciu Mansfeldium tunc Pilsnâ venientem stravit, & soluta obsidione Budvicensi varia loca, oppida & castra vel vi cepit, vel in deditionem accepit. Auctus pòst milite, ut ejus exercitus ad 17000. numeraretur, rediit versùs Austriam, [5.] & Gracium post unum insultum cepit, Weitracense præsidium etiam sustulit, quo tempore etiam Zwetlense abire debuit.

Dum hæc in Bohemia & Austriâ geruntur, Principes Electores Imperii Francofurti ad Mœnum convenerunt, & Ferdinandum II. Ungariæ & Bohemiæ Regem in Romanorum Regem elegerunt 9. Septembris, Anno MDCXIX. Reclamantibus valde Bohemis, quia Ferdinandus non ipsorum Rex, minùs Elector esset, quem regnô spoliârunt, atque 26. Augusti Fridericum Electorem

rem Palatinum utriusque Bavariæ Ducem in Bohemiæ Regem elegerunt, Directores enim regni plures habuerunt, quibus coronam offerre volebant, sicut erat Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ, Rex Daniæ, Elector Saxoniæ, & dictus Palatinus, ex quibus iste regnum accepit. [6.] Bucquoius ubi electionem Ferdinandi factam audivit, protinus vespere in castris suis aciem instruxit, hastiferi cum tædis ardentibus, pedites sclopetis suis & equites, lucem & sonum dederunt, tormentis bellicis hinc indè reboantibus in gaudium & exultationem electionis de Austriaco habitæ, quæ res nova Bohemis terrorem incussit, ità ut tota nocte in acie vigiles in castris suis steterint. [7.]

Interea Gaborius Bethlem Transilvaniæ Princeps in Ungariam & Austriam irruperat, contra quem ab Archiduce Leopoldo Bucquoius ex Bohemia vocatur, qui Rosenbergensi castro capto ac præsidiô munito, in Austriam se contulit cum exercitu, & Hornam, ubi Acatholici antè Conventum habuerant, occupat, militéque suo munit, sed à se revocatum præsidium in manus Bohemorum incidit, malèque tractatum fuit. Hic Viennam veniens, ante pontes Danubii castra metatus est, quem etiam Bohemi secuti, quibus Transilvanus auxiliares copias miserat, non procul indè ad Pisenbergam sua castra locârunt, quotidie velitationibus rem agentes. Archidux Leopoldus etiam Viennâ exierat ad exercitum perlustrandum, quia tamen Bohemi ex 26000. & Cæsariani tantùm ex 20000. constabant, visum fuit, rerum summam non prælio incerto committere, & ita post trium dierum conflictum pro castris, & continua tormentorum fulmina Bucquoius & Tampirius cum milite & tormentis pontes de nocte transeunt, ac diluculò sub nebula castra relinquentes, & pontes post se dejicientes evaserunt, & per tractum Viennensem usque ad Neo-Stadium militem in hiberna eduxerunt. [8.] Intereà Ungari rebelles sub Gabore occupatô Posoniô, ante quod præsidium Cæsareum submissum priùs fuderant, Austriam invaserunt, pagos multos tum spoliantes, tum comburentes, quorum excursus usque Viennam factus, tandem per Bucquoium & Tampirium repressus est, hic ad pontes Leytæ cum suis substitit, ille primùm ex Superiori Austria revocatus, ubi aliquot provinciæ Regulos compescuit, Danubii littora capere & munire volentes, Neostadii cum milite palantes Ungaros operiebat. [9.]

Dum hæc utrinque geruntur, Fridericus Comes Palatinus Rheni se 26. Octobris in Regem, & conjugem 4. Novembris in Reginam Bohemiæ Pragæ coronari fecit, edictum Anglicum promulgari, omnésque imagines ex templo aulæ proscribi jussit, timebatur quidem etiam Crucifixi imagini in ponte erectæ, quam cives custodiebant, & priùs mori, quàm sibi illam auferri volebant, sed tumultus inde excitandus impediebat. Sub hac coronatione Ferdinandus Imperator Francofurtô 2. Novembris Viennam rediit à Leopoldo Archiduce fratre splendidè exceptus. Tali in Bohemiæ regno mutatione facta Principes Imperii Catholici Ligam, sicut & Acatholici Unionem Norimbergæ formârunt, undique colligentes & conscribentes militem, ità ut ad exterminium unius vel alterius partis esse videretur. Erant tunc Superioris Austriæ Reguli contra tot admonitiones Cæsaris in armis, & Austriam Inferiorem invadentes Ybsium Cæsareum telonium occupârunt & spoliârunt, hinc Sibillenbergam, Leisdorfium, & Pechlingam cœperunt, postmodum Mellicense Monasterium obsidentes, in altioribus locis ad Danubium tormenta plantârunt, quibus dicti Monasterii mœnia in tribus angulis verberârunt, Abbas quidem pecunia illud ab obsidione liberare tentavit, sed nihil effecit: inde quoque

aquæ

aquæ-ductus destruxerunt, aquatores sclopetis à flumine arcentes, sicut etiam naves omnes prætereuntes visitârunt, recusantes continua fulminatione demerserunt. Dum ità Mellicium angustiatur, Carpenzanus Mansfeldii Capitaneus cum quatuor millibus Crembsium de nocte subitò capere voluit. [10.]

In hac civitate tunc temporis ego, qui hæc scribo, fui in hospitio studiosus, de cujus insultu ego certiùs plura ad majorem notitiam scribere valeo. Erant quidam opulentiores ex civibus, qui cum hoste Loysii tunc hærente & vinitores plurimos conscribente conspiraverant, hi spem maximam capiundæ Urbis Carpenzano fecerant, ex quorum numero unus faber ad portam Stainensem domum suam habens, quam bellico apparatu instruxerat, & sub tecto etiam currulia tormenta ad plateam regiam disposuerat, januam per murum civitatis in hortulum antemuralem ducentem possidens, quam hostibus apertam sub nocte fore, si venerint, ipsis significavit: alii autem complices jam signa certa paraverant in fenestris suis, puta candelam accensam & linteamen, iis domibus parcerent, in reliquis non ità signatis suo jure uterentur.

In intempesta igitur nocte ante civitatem hostes veniunt, sublatâ mox vigiliâ primâ portam primam aggrediuntur, & illam æreô instrumentô aperiunt, nullus adhuc civium nec præsidiariorum mœnia conscenderant, cùm hostes foris duabus horis jam laborâssent, & ecce civitatis tormentorum Magister ea dolosè exonerat, globis hostium capita orgyâ unâ altiùs supervolitantibus, hoc aliquoties practicans, utì postea captivi enarrârunt, ubi verò videt sibi attendi, clàm se subduxit per murum ad hostes transiens. Vexillifero dêin equestri de legione Comitis Fürstenbergici, qui cum aliquot signis equitum, sicut & vexillis Wallonum in civitate morabatur, prodeunti id officii injunctum fuit, qui ex propugnaculo Burgensi aliquot vicibus in hostes ità detonuerat, ut vulneratorum multus ad mœnia ululatus audiretur, præsertim cùm hostes interiorem portam jam incendissent, sic lumen latentes prodidit, ut citiùs sclopetis peti potuerint à civibus & militibus per mœnia & turres dispositis. Interea unus manipulus hostium ad portam Stainensem se præsentavit, sed à vigilibus illis portæ proclamatus hostis & alarma facto fugatus est, proditio ità fabri non successit, qui januam per murum apertam reliquit, sicut postea inventa fuerat. Ubi itaque neque hi, neque illi ad portam Viennensem, qui civitatem spe jam devorârant, aliquid proficerent, ad portam Infernum dictam autem timerent accedere, nam Götvicenses aliquot tormenta in eos exploserant; ante Burgensem portam etiam aliquot caderent, & jam dies adveniens ipsos ad fugam urgeret; sic pluribus eorum desideratis cum damno & pudore à civitate recesserunt. In quos abeuntes è propugnaculis & turribus pila globíque missi reditum prohibuerunt, ac dissuaserunt, & protinus vexilla quatuor equitum emissi fugientes persecuti sunt, multis cæsis, multis captis; nam plurima pars illorum absque armis, quæ gratìs Crembsii se habituros sperabant, adducta fuit, studiosi nimirum inermes & vinitores, quorum ultra centum captivos nostri attulerunt.

Civitate ab hoste liberata præ gaudio convolant omnes ad templum Divæ Virginis, ubi gratiæ DEO actæ pro liberatione sua, hymnus Ecclesiasticus Te DEUM laudamus decantatur, ac campanæ omnes pulsantur, & lætitia magna fit in populo. Perduelles econtra tristitiâ absorpti, quò se verterent, nesciebant; alius fugam meditabatur, sed portis clausis, & bene eas observante milite, nulla spes erat; sic domi hærens alius conscientiæ pondere prægravatus apparitores expectavit; alius licentiam ob

gravia sua negotia exeundi non impetravit: ex his faber primus fuit captus & in curiam clausus tanquam principalis, è cujus domo armamentarium in lucem expositum, & janua aperta inventa demonstravit hominis hujus crimen proditionis, alii deinde etiam in custodiam positi, qui complices ejus fuerant, convicti aut denotati, ità ut iidem numerô sedecim essent, inter quos fuit etiam molitor suburbanus, qui hostibus ad primam portam viam ostenderat, & ad alteram incendendam ignis materiam subministraverat, cujus molendinum militi prædæ datum est.

Foris ante portam Viennensem sanguis per terram fusus humanus & cerebrum in tabulatis aspersum, partim injucundum dedit, partim lætum aspectum, quia hostium erat; tres tantùm globis occisos reliquerunt, reliquos in curru ad Danubium deportârunt, paucos secum sumentes sepulturâ dignandos; feruntur ultrà quadringenti cæsi & mortui ultrà centum fermè vulnerati.

Hoc etiam memoriâ dignum, stetit ante dictam portam statua Crucifixi lignea magna cum Maria & Joanne muro inclusa, qui murus licèt tormentis aut sclopetis ad casum maturandum peteretur, nam Carpenzani clypeus erat, nullum tamen ullius globi vestigium in dictis imaginibus apparuit, quod tunc miraculi quasi locò habitum.

Altera post insultum istum die Crembsensis Magistratus Loysium misit Carpenzano nocturno suo visitatori facem pro viæ solatio longam, tubam campestrem ad suam præsentiam insinuandam novam, & æneum instrumentum seu petardam, ùt vocant, ad confringendam portam ultimam majus, ipsum his signis munificis deridendo. Nec tamen hostis quiscunque contemnendus, ideo dehinc Magistratus & præsidium ad civitatem magis muniendam animum convertit, & duas portas, nimirum Burgensem & Stainensem penitus obstruxerunt, reliquis portis & aggeribus & milite bene munitis. Hostis interea foris ruricolis molestus per equites suos commeatum comportabat, inde Cæsarianis proditi vel vulnera dederunt vel reportârunt, unus etiam pictor & curiæ Montis-pomerii Præfectus Georgius ab Ambrosiis dictus, egregium se ostendit militem tam in campo, quàm in civitate, ejusdem civis, Gallicam callens linguam, Comiti Bucquojo optimè notus. Bohemi à pontibus ad Viennam sitis abeuntes, ex hac parte Danubii quasi dominabantur, oculos etiam suos in Crembsensem Tripolim injicientes. Eum in finem cum exercitu partim ad Kirchbergam in Wagran, partim ad Grafeneg, Cammern, Strass, Häderstorf, Goboltsburg aliisque in locis vicinis se collocârunt.

Cùm exercitus Bohemorum in dictis locis moraretur, ad capiendum Crembsium scalis ac ignivomis globis se parârunt. His occupati ex altera parte Danubii Cæsarianus sub Ducibus Bucquojo & Tampirio exercitus cito gradu per Stainæ pontem Crembsium attigit, neminémque versùs hostem ire permisit Generalis, sed protinus exploratores conduxit, & quòd hostes de adventu Cæsarianorum Crembsium nihil scirent, retulerunt: ità nocte illa quieti defatigato militi datâ, sequenti die hostes aggredi statuit. Tampirius igitur impiger cum equitatu per profundam viam Loysium versùs perrexit, nimirum cum paucis vexillis se præsentans hostium conspectui, corpus autem reliquum equitatûs in illa via expectare jussit, donec signum ad eruptionem ipsis daret. Quem ubi viderunt Loysii hostes, Bohemis nuntiant aliis in locis morantibus, ipsi cum duobus tormentis currulibus in Tampirium erumpunt, interea Comes Turrianus, qui Häderstorfii stationem suam habebat, cum vicinis & suis equitibus per Gobelspurgum aciem etiam dirigit, antequam autem in campum venisset,

Loysen-

Loysenses ad insidias deducti, equitatu reliquo exiliente, atque etiam Comitis Bucquoji legionibus peditum ex Sträzing in ordine per campum descendentibus perterrefacti, occlusis foraminibus tormentorum fugæ se præcipites Loysium dederunt, quod Bohemi videntes, etiam recesserunt. Loysenses à Tampirio usque in oppidum pulsi, ubi quidam de turri templi parochialis, major pars in Monasterio Franciscanorum se defendere conabantur, uno vel altero in turri globis trajectis, reliqui se tradiderunt, illis verò in Monasterio hærentibus Comes Bucquoius minatus internecionem, adductis duobus majoribus tormentis, qui etiam se his visis dediderunt, quos gladiô ipsis saltem relictô baculis datis abire jussit.

Oppidô in potestatem ità redactô, versùs Häderstorf cum milite descendit; Comes Turrianus autem Junior cum suis in prædio Cammern spoliato se muniens defendere voluit, aggere circum temporaneo excitato, qui adhuc conspicitur, in molendino juxta ad Campium milite disposito cum duobus tormentis, verùm ipse animadvertens Cæsarianos Campium jam superare majorem, timore perculsus & loco diffisus, molendinum imprimis, pòst & prædium Cammern Vulcano tradi jussit Franciscus Bernardus Turrianus Comes, & se in Häderstorf cum milite proripuit, ubi pernoctârunt Bohemi, sicut & Cæsariani in Loysio & Kobelspurgo. Media verò nocte hostes in silentio tubarum & tympanorum per oppidum Stras Egenburgam versùs moverunt, quam civitatem etiam deditione post unum vel alterum insultum occupârunt, reliquis locis undique se dedentibus: sicut etiam in prædio Zwetlensi Rafings juxta Pulka Mareschallus equitum de Vels diversorium suum habuit.

Cæsariani Bohemos secuti hinc & inde castra locârunt, & velitationes fecerunt, in quibus etiam supremus Capitaneus Polonorum cecidit, honorificè ab iis Cremsii ad D. Virginem sepultus præsente Tampirio Comite, qui uno etiam stratagemate Bohemicum equitatum fudit: in Wartberg nàmque pago non procul à Sitzendorf suos, quos Viennâ noviter acceperat cataphractos collocat, ipse paucis cum vexillis se hostibus præsentat, qui Egenburgæ, Rafingæ, in Pulka & Retschitz diverterant, subitò erumpunt, Comitem invadunt strenuè, qui fugam simulat, quasi multitudini cederet, hostes protraxit usque ad templum in colle situm, ubi suos cataphractos à tergo suscipiens in medium, primos in acie tam à dextris quàm à sinistris circumduxit, ità ut cataphractos denudaret, quos hostes conspicientes & glandes in ferrum frustrà mittentes fugæ se commiserunt, in quo prælio multi ceciderunt, sicut etiam Mareschallus equitum de Vels & ejus tubicen, qui ad Sacellum Rafings sepultus, postea nonnunquàm de nocte in area horrei inflare tubam auditus fuit, sicut retulit villicus prædii, qui etiam uti Mareschalli dicti servus pugnæ illi interfuit.

Jam venio ad Bohemos in Monasterio Zwetlensi hærentes, quorum caput erat Georgius Ebenbergerus, quondam opificiô sartor, nunc uti bonus hæreticus Locum-tenens, hic maximè Paulum Rosenawer in Monasterio Allodiorum-Magistrum suis importunis petitionibus molestare & vexare non destitit, petist enim mense tantùm Januario ad civitatem mitti 330. laboratores cum instrumentis suis, item currus quinque & decem equos, pelles boum duodecim, aut vaccarum viginti ad usum incendii restinguendi, scalas, aliáque pro ædificatione necessaria. [11.] Jussit etiam dolium vini ab Altenburgensi Monasterio Comiti Turriano donatum usque in Weitra deportari 6. Januarii, currum & equos salvos restituere promisit. Deinde etiam Monasterium magis firmare & claudere intendit postulans in singulos dies centum

tum laboratores & fabros lignarios sufficientes, decurione inspectionem habente, circa 20. Januarii. [12.] Jam aderat Locumtenens Catholicus & bonus homo, qui à Comite Turriano Monasterio cum manu militum jam antea impositus erat, quem Capitaneus ejus N. Scheyvogel in Grätzen præsidiarius denuò Allodiorum-Magistro commendat sub dato Grätzen 7. Januarii, hoc anno. [13.]

Enarrantur hic fusè de mense in mensem molestia & vexationes, pracipuè per dictum Locumtenentem Georgium Ebenbergerum Monasterio & colonis nostris illata, quas consultò, nè lectori benevolo tadium generemus, omittimus. Post qua textus ità prosequitur:

Bohemiæ Generales cùm audirent cum novo exercitu Tampirii adventum, & aliquam stragem sensissent, omnia præsidia militum suorum in- & juxta Austriam collocata revocârunt, utì ex Zwetl, Weitra, Grätzen, cùm in Zwetlensi Monasterio à 27. Novembris Anno 1618. usque ad 24. Junii, Anno 1619. in principio cum quinquaginta militibus, deinde cum centum & quadraginta hæsissent. Antequam autem abirent, Supremus Locum-tenens Ebenbergerus, Capitaneus Gigna, aliìque Bohemici Officiales ex improviso Monasterium invaserunt, & violenter ex Cancellaria in parata pecunia, ex aliis autem conclavibus ex argenteis vasis, annulis aureis, horologiis affabrè factis, ex sericis materiis, subtilioris fili fasciculis lini &c. secundùm æstimationem rapuerunt ad quinque millia florenorum. Et ut suos milites armaret, per Capitaneum Gigna armamentarium Monasterii quoque illustre fecit, auferens inde tormenta currulia cum necessariis suis, musquetas, bombardarum farturas, bipennes, indusia peditum, pulveres tormentarios, plumbum, funes incentivos, globos bombardarum.

Ita valedixit Monasterio Ebenbergerus hæreticus, quod planè destructum voluisset, si per Generales licuisset: damnum enim, quod ab ipso Monasterio illatum est, ad sexaginta duo millia florenorum computatur, abstulit enim vini urnas 3000., frumenti centum, avenæ centum octuaginta modios, fœni quadringenta quinquaginta, & straminis ducenta septuaginta plaustra, ligna ædificiis apta ad duo millia truncorum, asserum crassiorum mille, leviorum autem mille quingentos, lignorum pro focis orgyas ter mille, butyri vascula quadringenta & quinquaginta, aliáque in carne, larido, sale, aromatibus, victualia & condimenta, ad duo millia florenorum æstimata fuêre, quæ singula non una vice, sed alternatim cum promisso pretio sibi dari Allodiorum-Magistrum coëgit. Milites autem præsidiarios Zwetlenses Tampirius Comes extra Gracium Bohemicum juxta promissum egregiè excepit, multis occisis, plurimis fugatis. Ex quibus mala herba, quæ non facilè perit, Ebenbergerus evasit, cujus mentio post unum aut alterum annum rursum habebitur.

Ex relatione P. Jacobi, tunc præsentis, habeo, milites Bohemos à spiritibus tam de die, quàm de nocte valde vexatos fuisse: de die quidem, quando horâ quartâ vespertinâ per claustrum milites ad vigiliarum stationes tympani pulsu ducebantur, tunc in copia lapides advolabant in terga & super capita militum, ac si contra eos projecti fuissent, sed neminem viderunt. Qui ex hoc conjecturam facientes, quasi ipsorum tympani lusum sepultorum ibi spiritus pati nollent, inposterum absque lusu cum silentio transierunt, & ità cessavit hæc vexatio. De nocte verò maximè hostes infestabantur, nam ipsis apparebant monachi sinè capitibus, & fustibus horrendè milites in statione vigilantes percutiebant, præsertim in granario propugnaculi vulgò Pastenkasten / ità ut sibi in loco illo valde timerent, & licèt plures clamantibus accurrerent, terrore tamen victi, & quandoque neminem videntes fugam capes-

scre

ſere cogebantur. Duo etiam milites amiſſi fuerunt, unde ubique quæſiti, etiam fontes aquâ evacuati fuerunt, ſed nihil invenerunt. Hæc de vexatione militum Bohemorum, dum in Monaſterio manſerunt. Poſt Bohemorum diſceſſum præpoſituram mox capit Locum tenens Chriſtophorus Hoffer de legione Comitis Colalti cum ſuo milite, qui in ea tanquam præſidium usque ad finem Auguſti permanſit, cui diſcedenti ſecutus eſt Robertus Geiſchel à Gimanich Locum-tenens Capitanei Adriani de Nullandia ex legione Vulpina, hic præſidium tenuit in ea usque ad Februarium anni ſequentis, quibus duobus à Monaſterio contributio porrigebatur in quadringentis & octo florenis tanto, quanto ibi tempore ſteterunt. Circa idem tempus Caſparus Quorckius SS. Theologiæ Doctor, Præpoſitus Zwetlenſis, Canonicus Wratislavienſis & Decanus in Aniſo, Paulo Roſenawer Allodiorum Magiſtro in Monaſterio ſcribit & rogat, quatenus curam & inſpectionem œconomiæ in deſolata ſua Præpoſitura ſuſcipiat, ſub dato Viennæ 18. Auguſti, Anno 1619. Quæ planè à Bohemis in munitionem, & à Cæſarianis in ſtabulum equorum converſa fuerat, vult ab Archiduce Leopoldo Commiſſarios petere pro deſolatione ejus luſtranda & deſcribenda, cùm ipſi non credatur, ſed ut ad eam redeat reparandam admoneatur, inde ſe habere licentiam aliquot diebus in Monaſterio commorandi ſignificat Paulo, quem rurſum pro acceptanda inſpectione rogat, ſub dato Viennæ 3. Septembris, Anno 1619. Hic poſtea apud diverſos Dominos Prælatos convictorem egit. [14.]

Poſt Bohemorum exitum, Acatholicorum Auſtriæ procerum milites Monaſterium libenter occupâſſent, ſed Abbas Seifridus, qui domum redierat, officialibus ſuis & famulis illud cuſtodiendum tradidit, quibus unum præfecit militem Belgam nomine Niedrum, qui poſtmodum rurſum militiæ nomen dans per officia promotus, & viduam Comitiſſam prædivitem ducens, eousquè aſcendit, ut receptæ Ratisbonæ tuendæ cura ipſi crederetur, Beatiſſimæ Virgini Mariæ ſummè devotus. Erant tunc in Monaſterio ſaltem duo Religioſi P. Jacobus & P. Michaël, quorum hic granarius, alter cellerarius & culinæ præfectus erat, ſenior autem P. Georgius Fernſtorffer in Monte-Pomerio agebat hoſpitem, & loci Prior factus à D. Caſparo Abbate loci licentiam impetravit abeundi, & in Campo-Principum Bavariæ hoſpitandi, cui literas commendatitias dedit 7. Novembris, Anno 1619. Alii Religioſi in aliis Monaſteriis diſperſi habitabant.

ADDITIONES.

*[1.2.3.4.5.] Theatrum Europæum. Laurea Auſtriac. lib. 3.

Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno. „ Henricus Matthæus Comes de Thurn, „ rebellium Bohemorum Anteſignanus, poſt- „ quam Laam Auſtriæ transdanubianæ ur- „ beculam fruſtrà oppugnâſſet, trajectu Da- „ nubii circa Viſchæ confluxum, ope Caroli „ Teufel adjutus, in ipſa Octava Corporis „ Chriſti, quæ erat 5. Junii, ante Viennæ „ mœnia inſperatus hoſtili exercitu ſtipatus „ apparet. Ingens in civitate terror & inter „ omnes diffidentia. Proteſtantes trium- „ phum ante victoriam canentes, in conventu „ Ordinum, Catholicis omnia vicinitatis & „ conſanguinitatis jura renunciant, Regi Fer- „ dinando duras conditiones proponunt, &c. „ Sed receptis aliquot equitum turmis intrà „ Civitatem, criſtas deponunt, & paulatim „ cum obſeſſore Turnio Viennâ ſe ſubducunt.

„ Interea bombardarum fragore militúm- „ que ferociâ nobilior ſcholaſticæ juventutis „ flos excitatus, Viennam velut ſacram doctæ „ Palladis arcem ſibi quoque defendendam „ ratus, in ſalutem civitatis conſpirat, re- „ lictis libris ad arma concurrit. Conſcri- „ buntur maſculæ juventutis nomina, con- „ ſtituuntur tribuni & manipulorum anteſig- „ nani, qui Ferdinando Regi literatorum „ Numini, quingentos offerunt milites ſti-

 pen-

„ pendiorum expertes. Placuit Regiæ Maje-
„ stati generosus juventutis ardor & in pa-
„ triam amor; superaddit animis arma cum
„ vexilli epigraphe: Litteris & armis.
„ Præficit insuper militiæ ducem illustrissi-
„ mum Dominum Adolphum Comitem ab
„ Althan, jam pridem è bello Hungarico
„ contra Turcam heroicis actibus orbi no-
„ tissimum: præterea Primipilum, armorum
„ expertum virum Felicem Frey. Reliqua
„ militiæ munera gerebant illi, qui deinceps
„ domi inter consilia, vel foris in castris
„ nacti sunt supremos, quâ togatæ militiæ
„ honores altiori calamo posteritati transmit-
„ tendos. Porrò cùm quorundam intra
„ civitatem cum hoste conspirantium sacri-
„ lega intentio præfixum sibi scopum assequi
„ non posset, Turnus S. Stephani Turrim
„ intactam relinquere coactus, ad trajectum
„ suprà nominati Teufel rediit, qui Comitem
„ cum rebellium Bohemorum exercitu, velut
„ alter Charon, rursus per Danubium trans-
„ vexit. Viennâ hísce insolentiis liberatâ,
„ Ferdinandus Rex ad Electorum Imperii con-
„ ventum Francofurti institutum abiturus, ut
„ Musæ in pristinam quietem & securitatem
„ restituerentur, honorificam hisce doctis
„ militibus indixit missionem.

[6. & 7.] Theatrum Europæum & Laurea Austriaca ubi suprà.

[8. & 9.] Item ibidem ubi suprà.

Spondanus hìc n. 1. „ Mense Septem-
„ bri Bethlem Gabor Transilvaniæ Princeps,
„ Turci cliens, & religione Græcus mixtim ac
„ Calvinista, communicatis cum Bohemis
„ consiliis, Hungariæ dominationi inhians;
„ cum magno exercitu, contra pacta olim
„ cum Rudolpho & Matthia Impp. ac Regi-
„ bus Hungariæ transacta, Superiorem ingres-
„ sus, Cassoviam, Filecum, Vacciam, Poso-
„ nium, aliásque plurimas civitates vi aut de-
„ ditione in potestatem suam redegit; Omnes
„ Catholicos, sed præcipuè Ecclesiasticos,
„ dirissimè tractans; ac Principis Hungariæ ti-
„ tulum accepit, habens in potestate sacram
„ Coronam Hungaricam, quæ Posonii reli-
„ giosissimè asservari consuevit.

Continuatio Calendarii ubi suprà. „ In
„ Autumno ultra Danubii pontes Serenissimus
„ Leopoldus Archidux &c. Ferdinando Rege
„ in electione Imperatoris absente per Co-
„ mitem Bucquojum contra ingentem Bo-
„ hemorum exercitum, & quorundam Hun-
„ garorum rebellium Ducem Bethlemium,
„ tribus vicibus acriter decertavit, Viennám-
„ que conservavit.

[10.] Theatrum Europæum & Laurea Austriaca. ubi suprà.

[11. 12. 13.] Ex pms. ipsius Locum-tenentis.

[14.] Ex Relatione, & Annot. tunc præsentium Religiosorum & Officialium.

Annus Christi MDCXX. Monasterii CCCCLXXXII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Paulus V.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

CUm bellum in Bohemia natum ulteriùs serperet, & Catholica Religio in periculo versaretur, Paulus V. Pontifex Romæ instituit Jubilæum, ut ubique DEI auxilium invocaretur. *[1.] Hoc dicunt Historici acatholici, ego autem secutus hactenus Ciaconium Dominicanum, usque modò ipsum sequor, cum ipso sentiens, quòd nimirum Pontifex præfatus dictum Jubilæum pro gratiarum actione publicârit ob victoriam in Monte-Albo ad Pragam à Catholicis obtentam. [2.]

Porro Fridericus Comes Palatinus Rheni (*non regiô titulô dignus*) in Moraviam se contulit, ubi Brunæ homagium à Statibus Marchionatûs accepit, sicut etiam mense Februario Wratislaviæ à Principibus Ducatûs Silesiæ exegit. [3.] Ubi hoc commemorare placet, quòd Doctor Petrus Gebauer Orator Cathedralis ibidem Ecclesiæ nomine Capituli denegaverit homagium candidè & publicè Friderico occinens:
„ Si tibi, Friderice, sceptrum datum
„ fuisset desuper, illud utique adorare-
„ mus, sed tuum non est, quia Ferdi-
„ nando, cui desuper datum, illud ab-
„ stulisti.„ Cui nullum aliud responsum datum, quàm „ Vos sacrificuli superbi
„ estis.

„ eſtis. „ Hoc ex ipſius Oratoris concione Wratislaviæ in feſto Epiphaniæ accepi.

Interea Ferdinandus Imp. tam electionem quàm coronationem Friderici contra omne jus factam nullam eſſe promulgari, & coram mundo publicè proteſtari fecit. Coſacci tunc ad partes Cæſaris declinârunt, qui Comiti de Tampier ſubditi fuerunt, per Sileſiam & Moraviam multa ſpolia facientes. Principes quoque Imperii in auxilium vocavit contra Bohemos & eorum Regem. Rex Hiſpaniæ in ſubſidium Domûs Auſtriacæ Imperatori auxiliares copias miſit ſub ducibus Verdugo & Spinola, qui per Helvetiam Paſſavium attingentes, inde Budvitium aureâ viâ deducti fuerunt. Hi inde erumpentes circum ſita oppida & civitates parvas occupârunt & ſpoliârunt. [4.] Bucquoius autem Comes cum exercitu Cæſariano circa Hohenwart & Egenburg caſtrametatus, velitationes cum Bohemis continuas habuit, qui ſub duce Anhaldino juxta Purgſchleinitz in monte cum tormentis conſederant, poſtmodum ad Meiſſa prælium commiſſum eſt, in quo multi utrinque & cæſi & capti fuêre, nocte nemini victoriam concedente. [5.] De arce Raſtenberga ſcribit etiam Author Theatri citati, quòd Bucquoius illuc quadringentos ſclopetarios direxerit, quia reguli quidam acatholici in illam uxores, liberos, ſuáque pretioſiora depoſuerint, ſed ex illis triginta milites globis mactârunt, unde cum quatuor millibus peditum accedens, arcem vi occupavit, in qua nulli cædem inferri voluit, ſed omnes Crembſium deduci juſſit ſpoliatô caſtrô. [6.] Hoc à Monaſterio Zwetlenſi milliari magno diſtat in alta rupe ſitum ad minorem Campium, tunc ſpectabat ad Dominos de Neudeck, ordinis equeſtris, à Cæſare etiam recedentes, unde bona ipſorum fiſco etiam ceſsêre. Bohemi verò Civitatem Retz ſub certis conditionibus occupârunt, militibus inde liberum diſceſſum cum armis & reculis ſuis dantes, dolia vini mille quadringenta invenerunt, ſpoliáque multa.

Dum hæc in provincia geruntur, Viennæ Imperator cum Statibus egit de homagio ſibi præſtando, quod acatholici tergiverſando protraxerunt, tandem iſtorum aliqui cum Romano-Catholicis, ad ulteriorem Imperatoris inſtantiam id promiſerunt, quod etiam 3. Julii hoc anno præſtiterunt, nimirum novemdecim ex Prælatorum Statu, ex Dominorum autem Statu Romano-Catholicorum triginta duo, Acatholicorum triginta tres; ex Statu rurſum Equitum Romano-Catholicorum triginta, Acatholicorum triginta novem, & ab octodecim civitatibus & oppidis delegati. Ceteri Acatholici tam è Dominorum quàm Equitum Statu Retzii conventum agebant, qui ultimò admoniti & temporis terminô neglectô perduelles obſtinati manebant, quos Imperator crimine læſæ Majeſtatis damnavit, vitâ bonîsque plectendos pronuntiavit Viennæ per omnia fora Caduceatore Auſtriaco duobus tympanis campeſtribus & duodecim tubicinibus populum convocante, & ſententiam damnationis capitalis publicante. [7.]

His Viennæ peractis, Tampirius (qui cum Bucquoio antè convenire non poterat) ſuo milite, mille nimirum equis & mille quingentis ſclopetariis oppidum Gars invaſit, incendit, & hoſtes mactavit, præter eos, qui in arcem effugerant, multi etiam in Campium de ponte cadentes ſubmerſi & capti, inter quos ſupremus vigiliarum Magiſter Mansfeldii Carpenzanus fuit. Wallones etiam & Coſacci occupârunt Mareccium ad Landavium ſpectans, ſicut & Anger oppidum, ſed Landavius ea loca recuperavit, oppidô dictô incenſô & præſidiô ubique cæſô. Mansfeldius rurſum in Bohemia ſe movere cæpit, Budvicium verſus movens, Monaſterium Spineæ-Coronæ Ciſtercienſis Ordinis,

dinis, in festo Corporis Christi sub ipsa processione invasit, aliquot milites Budvicenses mactavit, calices, monstrantiam, aliáque templi ornamenta abstulit, Monachis hinc inde fugientibus & elapsis.

Porro Ferdinandus Imperator Electori Saxoniæ in Lusatios perduelles executionem militarem demandavit, qui eam suscipiens metropolim Baucensem occupavit, quam incendium valde deformaverat. Similiter & Spinola cum Hispano milite Inferiorem Palatinatum invasit, & totum intra breve spatium sui juris fecit, unitis Imperii Principibus nihil contrà audentibus. Ungari interea sub Bethlehemo Gabore induciis finitis, Bohemis subvenientes per Mareccium Austriam invaserunt, igne & ferro cuncta devastantes, Stetteldorfium, Grafenwerd, & Enzerstorf combusserunt, milite Cæsariano ubique cæso: Posonium Ungari præsidiô munierant, Danubium naumachiario ponte ad erumpendum apertum tenentes, quem Tampirius adveniens perrumpendo confregerat, qui captis castris & ad pontem munitionibus ac civitate, montem castri cum milite suo ascendit, æneum instrumentum pulvere sulphureo plenum portæ applicavit, sed ab intus à clauso milite Moravo cognitus multis globis petitur, & uno cervicem transeunte Heros Martius cecidit, quem post fugam suorum Ungari clavis suis caput ejus & pectus vulnerantes, tandem decapitârunt, corpore unà in castrum rapto: hunc conterraneus ejus Legatus Galliæ Regis apud Bethlehemum de Angoulesme Posonii ad Franciscanos honorificè sepeliri impetravit. Et sic bellica virtute & gloria clarus Heinricus du Val', vulgò Comes Tampirius nominatus occubuit vita longiori dignus. Cæsarianus verò miles audita Ragozii contra se expeditione Posonium fugiendo reliquit, & in Austriam nonnullis suis desideratis se recepit. [8.]

Rursum ad puniendum rebelles Bohemos Imperator Ferdinandus Duci Bavariæ Maximiliano Catholicæ Ligæ ejúsque exercitûs Generali expeditionem injunxit, qui impigrè eam suscipiens, in Austriam Superiorem ob regulos ibidem aliquot nova molientes primùm se contulit, Lintzium deditione occupans, & rebellium militem juramentô sibi astringens ipsis fugatis, à ceteris fidelibus proceribus nomine Cæsaris homagium suscepit; rebus ibidem ità compositis, Colonellum Baronem de Herberstorf, qui 500. equites sub se habebat, Præfectum-prætorio cum summa potestate nominavit & Lintzii reliquit. Dux ipse cum exercitu Bohemiam petens, in Liberam-Civitatem se contulit, ubi aliquot diebus subsistens & currus in viis ob pluvias pessimis fractos reparans: deinde per silvam in Austriam Inferiorem se convertit, & ad Weitra militem Superioris Austriæ expectavit, quo protinus veniente Dux Zwetlam versùs cum exercitu movit, & ad Schickenhof castra posuit, ubi per Comitem Bucquoium Cæsarianum Generalem de hostium adventu admonitus triduò substitit commeatum ex Bavaria interim operiendo. [9.] Qui Dux aliàs in Monasterio diversorium suum sumpsisset, nisi lues dysenteriæ eum avertisset, quia tunc inter subditos in id confugientes Monasterium inficiebatur. Nihilominus Duci ex Monasterio cervus, vinum & panis missus fuit cum precibus, ne subditis in pagis à milite damnum aliquod inferretur, quod & factum fuit. Sub hac mora quidam Magister Equitum Dominus Gulielmus Enkevordius sub legione Herberstorfii militans templum Monasterii perlustravit, quod ejusdem oculis mirè placuit: hic suum diversorium in Altensteig habuit, unde paulò antè miles rebellium Austriacorum ejectus fuerat, & ibi febre correptus, jam morti proximus, in dicto Monasterio sepeliri petiît, quam ultimam ejus petitionem

tionem miles ipsius executus est, cujus corpus exanime in claustro nostro ad occidentalem plagam terræ mandatum fuit.

Hic mihi in laudem hujus familiæ libet excurrere, cujus majores eam maximè sicut & posteri illustrârunt, nam Hadrianus VI. Pont. Max. Belga suum conterraneum Gulielmum Enckevordium ob egregias virtutes ipsius, & miram doctrinam ad Cardinalitiam dignitatem evexit, de quo Ciaconius: „ Hadrianus VI. Pont. Max., ait, ante dies „ tredecim sui obitûs, Anno 1523. in „ die Jovis, astantibus ad ægrotantis „ lectum Patribus, Cardinalem unum „ creavit, qui fuit Guillielmus Enkevordius, Germanus, Patriâ Trajectensis, Hadriani Datarius, cui Episcopatum Dertusensis Ecclesiæ, „ quam ipse rexerat, jam antea contulerat, Cardinalis Presbyter tit. SS. „ Joannis & Pauli, quo etiam titulo ipsemet Hadrianus Cardinalitium pileum habuerat. Ejus insignia fuerunt tres nigræ aquilæ in albo campo. Obiît hic Cardinalis sub Clemente VII. Romæ, mense Junio, Anno 1534. sepultus ad S. Mariam de „ Anima, nationis Teutonicorum. [10.]

Quem etiam Panvinius præconiis talibus afficit, scribens de Hadriano VI. „ Pontificiis igitur negotiis intentus, Gulielmum Enchavordium, „ quem Datarium & Derthusensem Episcopum fecerat, Theodoricum „ Hezium à Secretis, Belgas, & Joannem Rufum Episcopum Consentinum veteri amicitia sibi conjunctos, „ intimos Consiliarios ascivit: quorum „ arbitrio omnibus in rebus regebatur. „ [11.] Prosequitur deinde alibi sic „ loquens: Ceterùm Cardinalis Enchavordius, ut in defunctum quoque, scilicet, Pontificem Hadrianum „ amicitiæ fidem præstaret, quam luculentam in vivum præstiterat, alterum ei monumentum amplissimum „ & magnifici operis ex alabastro posuit „ in templo S. Mariæ Germanorum, „ ad arcum Flamineum, cum plurimis ejusdem materiæ statuis virtutum ejus, quarum ductu ad id fastigii emerserat, clarissimis indicibus. „ [12.] Hæc citatus. Ex hac familia itidem Gulielmus Enckevordius militiæ splendor exiît præfatus Equitum-Magister in Monasterio Zwetlensi sepultus, qui à juventute armis assuetus, contra hostes Religionis Catholicæ sub Generalissimo Bavariæ Duce nomen denuo militiæ dedit, cui alam Equitum Colonellus Herberstorfius tanquam exercito & veterano militi commisit, invida verò mors eum victoriæ Montis-Albanæ superstitem esse noluit, ideo rapuit, & nobis, Monasterióque nostro viventis amor ossa sua condenda reliquit. Quæ tamen reviviscunt & reflorent in filio suo, Excellentissimo DD. Adriano Enckevordio, Libero Barone, Domino in Ledetsch, Wodenitz, Schwägschütz, & Nusdorf, Cæsareæ Majestatis sicut etiam Electoris Principis Bavariæ Consiliario-Bellico, & Generali &c. qui usque hodie, dum hæc scribo, nimirum Anno Domini MDCLVIII. in Italia contra Ducem Mutinensem & Gallos, Mareschalli Cæsarei generosam navat operam, spartámque excellentem tuetur, cujus sæpiùs in decursu Annalium horum bellicæ laudis fiet mentio.

Jam redeo ad Ducem Bavariæ castrametantem ad Schickonis curiam, qui post triduanam quietem ad agrum Neo-Poëlanum exercitum suum duxit, qui Hornam rebellium procerum sedem machinis adhibitis occupavit per deditionem, sicut & castrum Wiltperg; præsidium Bohemicum, quod in Monasterio Altenburgensi sedebat, Duci etiam ad militandum se obtulit, quod & ille suscepit. Similiter ex hac conjunctione Dux Analdinus præsidia Bohemica ex Egenburga, & aliis Austriæ locis in Bohemiam abduxit ad regni defensionem. Bavarus autem & Cæsarianus miles unde-

undecimâ Septembris Budvicium appulit, indè 15. ejusdem Dux Bavariæ Bodnianum, & Comes Bucquoius Brachaditium obſederunt & occupârunt, Piſeccium quoque internecione civium ſinè differentia ſexûs deletum. Iter deinde inſtituunt Pilſnam versùs, in via Grüenbergam & Rieſenburgum capiunt, & 2. Octobris illuc adveniunt. Fridericus Comes Palatinus in Rockezan, à caſtris Bavaricis duobus & medio milliaribus diſtante aderat cum Bohemico exercitu ſub Generali ſuo Analdino Duce, qui ad Bavarum legatos ſuos mittens volebat cum eo tractare ea, quæ pacis ſunt, ſed tempus tantùm redimere quærebat, unde infecta re legati redierunt, itérque Pragam versùs reſumptum eſt, quod Analdinus Dux ad Rakonitzium intercludere conabatur, ubi velitationibus hinc inde factis res agebatur. [13.]

Poſtmodum uterque hoſtilis exercitus Pragenſe iter receperunt, Bohemis præcedentibus, & in Monte-Albo aciem formantibus, quia Cæſarianus exercitus illis inſtabat, nè caſtra figere ac munire poſſent, quod factum fuit octavâ Novembris. Conſiliô initô ut dimicarent, tam ex aliquo felici omine (cuſpide nimirum vexilli legionarii Gulielmi Verdugi flammante, Patre Dominico Carmelita certam cœlotenus victoriam pollicente) quàm rationibus decretum fuit inter Duces prælium, teſſerâ Bavarico & Cæſariano militi Sancta Maria datâ, quæ erat in labaro Bavariæ Ducis affabrè picta. Inde prælium diſpoſitâ utrinque acie cæpit initium, & mediâ horâ dubio Marte pugnatum eſt; deinde Uugari à Polonis invaſi multa eorum pars fugam iniit, & à Muldava flumine abſorpta eſt, hanc fugientium Ungarorum ſtragem plurimarum cohortium ruina comitata eſt. Pertinaciùs ſeſe Analdinus, Hollachius, & Turrianus cum ſuis legionibus tuebantur. Ceſſerunt tamen ad extremum, & terrore latiùs dato, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. Fridericus infelix hyemalis Rex hac audita ſtrage tremefactus, nec octo horarum impetratis induciis, Wratislaviam, relicto diademate, cum uxore, fratre, liberis, aliiſque quibusdam proceribus per Sileſiam rhedâ fugit. Capti eo prælio Principis Analdini primogenitus, Dux quidam Saxoniæ Vinarienſis, Rhenenſis inſuper, Schlickius & Stirumius Comites, decem tormenta majora cum centum plus minus militaribus ſignis in manus venerunt, cæſorum & ſubmerſorum numerum ſi æſtimes, decem millia exceſſêre: ex Auſtriacis vix ducenti cecidêre. Inter vulneratos Godefridus Henricus Comes de Pappenheim inventus, vulneribus curatis reſtitutus eſt, qui in ruinam Succorum & Haſſiæ de cadaveribus quaſi reſurrexit. Hæc victoria titubans Imperium firmavit, Pragam ſubdidit, & ſecuta Pragam tota Bohemia. [14.] Imperator Ferdinandus ubi victoriam hanc percepit, Viennæ in D. Stephani baſilica Te Deum laudamus, omnibus per Urbem campanis ſonantibus, & tormentis de propugnaculis reboantibus cantari, ſolennes proceſſiones per templa & preces publicas inſtitui curavit, quibus & ipſe interfuit. Dux Bavariæ rebus in Bohemia conſtitutis in Bavariam ſuam rediit, & protinus Summo Pontifici hanc victoriam notam fecit, quam ſoli Deo ejùsque Matri Virgini aſcripſit. Pontifex autem Romæ etiam ſolennem ſupplicationem ob hanc victoriam, de S. Maria ſuper Minervam usque ad S. Mariam de Anima Germanorum procedentem inſtituit.

Scripſi ſuprà, quòd poſt Bohemorum è Monaſterio diſceſſum Acatholicorum Auſtriæ procerum miles Monaſterium & ſubditos vexare inceperit, præſertim illi, qui in Altenſteig nidum ſibi fecerant, cujus militis Commiſſarii erant D. Dietricus de Puechaimb, & Georgius Weltzer, qui comminando

per

per militarem executionem à Monasterio singulis septimanis in Altensteig victualia sequentia postulant mitti, utì sonat ipsorum ordinantia: nimirum de carne mille libras, de avena tres modios, de cerevisia viginti urnas, de butyro quatuor octalia, ovorum centum, gallinarum viginti, de fœno sex currus, & totidem de stramine, panes trecentos, salis viginti cuppulas, ligna prò pago viginti orgyas, sub dato Altensteig, 6. Jan. Anno 1620. [15.] Similes exactiones à Monasterio Zwetl, & subditis tam à præfatis ex Altensteig, quàm ex Kirchberg ab Hectore Khornfail supremo vigiliarum Magistro & Capitaneo acatholico usque in Mensem Febr. continuabantur, & ad plura millia excrevêre, utì literæ hinc inde missæ demonstrant, quæ citra nauseam Lectoris referri non possent. Hinc D. Abbas Seifridus scribens, utì apparet, Abbati Cremiphanensi Cæsari à Consiliis intimis sic lamentatur: „ Quànto igi„ tur in periculo versemur Reveren„ dissima Dominatio Vestra clarè cla„ riùs videt, neque tutiores sumus à „ vicinis, qui lateri adhærent nostro, „ & quotidie pertranseunt regionem „ nostram. Placeat igitur prudentiæ „ Vestræ, Reverendissime Domine, con„ ditionem nostram miserabilem Ma„ jestati Cæsareæ exponere, sanòque „ informationis consilio ac præsentis„ simis obtentis auxiliis consolari mi„ seriam nostram. Quia sive vivimus, „ sive morimur, Augustissimæ Austriæ „ Domui devinctissimi sumus. „ [16.] Hæc ille in miseriis istis constitutus.

Porrò cùm Cæsariani has in partes venirent, hostes etiam undique ex præsidiis exibant, sicut in Altensteig factum, prout enim scribit Adrianus de Nullandt Capitaneus Magistro-Allodiorum in Zwetl, quòd nimirum hodie adhuc quatuor mille pedites Neapolitani ab Hispano missi in Zwetl sint venturi sub Colonello Spinelli; qui contrà promissum dicti Colonelli Monasterio & ejus subditis quadraginta paria boum, & octodecim equos cum curribus rapiendo retinuerunt, damnum duorum millium, centum & quadraginta florenorum æstimatum. Datum illius literarum est è Civitate Zwetl 18. Februarii, Anno 1620. [17.] ubi in domo nostrâ ille manebat. Scripserat autem, quòd subdito spoliato per militem suum satisfacere, atque eundem punire velit.

Hic Adrianus Capitaneus quasi subditorum sanguisuga de singulis domibus sex cruciferos & de desolatis tres qualibet septimanâ exegit; quem etiam imitatus est Müllnerus Capitaneus, qui in districtu Weitracensi cum milite suo divertebat: mansit autem Adrianus in Zwetl cum vexillo suo peditum quindecim mensibus, summa hujus extortæ pecuniæ ad sex mille florenos numerata est. Comes etiam Monte-cuculi cum equitibus suis quatuor mensibus Zwetlæ in Civitate hæsit, cui singulis septimanis avenæ 24. metretas, & quatuor vini urnas Monasterium porrigere debebat; avenæ modii duodecim & vini sexaginta urnæ computata sunt prò mille, nongentis, octuaginta sex florenis, qui Comes etiam argenteum deauratum calicem cum patena & ad celebrandam Missam necessaria cuncta abstulit, nec restituit, damnum centum imperialium æstimatum. [18.] Ordinantiam quoque Allodiorum-Magistro Paulo mittit Nicolaus Cadiet Capitaneus, qui ex mandato Generalis Comitis de Bucquoi legionem peditum Caroli Spinelli & octingentos equos ex Bohemia in castra ad Longum-Loysium fixa per Zwetlam deducit, unde petit prò crastino mitti decem currus tam equis quàm bobus provisos, & avenæ triginta metretas cum media urna cerevisiæ sub dato Zwetl 18. Aprilis, Anno 1620. Repetit eadem cum severitate 19. ejusdem. Monasterium tunc & vinò carebat, & hominibus carnificinam militum fugientibus plenum erat; de vino empto D. Abbas scribit, pro quo

currus petit cum Niedrum milite mittendos, ordinarium enim vinum pro Religiosis duobus & pro celebratione Missarum Zwetlâ secundùm mensuras emendum fuit. Datum literarum Abbatis est Viennæ 2. Junii, Anno 1620. Qui à Cæsare supplex petierat & impetraverat ad Comitem de Bucquoi Generalem decretum, ut à militari contributione & Monasterium Zwetlense & subditi eximerentur, verùm quòd illud à Cancellistis retardetur, lamentatur. Demum Octavâ ejusdem, ait, se jam decretum in manibus habere, & tantùm Niedrum militem expectare ad illud Generali præfato tradendum.

Ex his jam patet, in quantas angustias & miserias Monasterium hoc bello triennali devenerat. Insolentias autem & carnificinas militum intolerabiles, quæ pauperes ruricolas in civitates, castra & Monasteria incluserant, nemo meliùs quàm Status Acatholici Imperatori significârunt: „ tyrannidem nominantes „ plusquam Turcicam, Wallonum, aliarúmque gentium peregrinarum sub „ Cæsare militantium, qui utì Imperatori ipsi supplices lamentabiliter referunt, homicidia pro nihilo habentes, totos pagos, villas, oppida, inter quæ etiam nec Stockeraviæ ad „ Cameram aulicam spectanti pepercerunt, incendiô perdiderunt; Procerum domos, arces, castella & castra „ violenter occupârunt, fregerunt, spoliârunt, comeatus ex arcibus raptos „ sibi solis servantes, pauperibus rusticis ad castrorum figendorum labores destinatis de iisdem nec bolum „ dederunt, ita ut plurimi fame perierint. Pueros & mulieres horrendè violatos abduxerunt, homines „ sive senes, sive juvenes, sive viros, „ sive fæminas crudeliter excruciârunt, „ quosdam enim funibus ligatis capitibus usque ad oculorum extorsionem constrinxerunt, clamantes pecuniam; quosdam quasi in torculari „ prælo presserunt; quibusdam carnes „ forcipibus lacerârunt; genas, maxillas, poplites perterebrârunt; collo, manibus, pedibus, imò pudendis quosdam suspenderunt; virgines „ & fæminas, etiam ætatem non habentes usque ad mortem turpiter „ abusi sunt; prægnantibus ad uterum „ ignem tam diu applicârunt, donec „ in utero fœtus videri poterat, & fœtus & mater moreretur; juvenes & „ senes, majoris & minoris conditionis homines, tam Ecclesiasticas quàm „ sæculares personas sinè differentia invaserunt, & multa millia innocentum crudeliter mactârunt, partim in „ arcibus occidentes, partim nobile „ gynecæum & liberos eorum planè „ denudantes; pauperes & divites, qui „ in augeas Danubii salvandæ vitæ suæ „ gratiâ confugerunt, milites iis adnavigantes omnes crudelissimè necârunt. „ [19.] Hæc omnia Imperatori scriptô Acatholici status obtulerunt.

Ad quæ & ego aliquot exempla ex ore eorum, qui viderunt, addo; in villa enim villicaria in Edlhof villicum ad arborem penes puteum catenis alligârunt, & capite fune presso usque ad oculorum eruptionem pecuniam extorquere conabantur, deinde arborem sarmentis suppositis & stramine incenderunt abeuntes & relinquentes miserum cum arbore comburendum, cujus postea ossa in cineribus arboris inventa fuêre. Alium item rusticum in arbore cerasa legentem iisque famem suam depellentem utì aviculam sclopetô petiêrunt, & globô trajecerunt, qui in bifido trunco hærens post aliquot annos repertus fuit. Simile ferme contigit in Motten pago, ex quo habitatores crudelitatem militum fugerant, Niedrum autem Monasterii miles cum socio eques Crembsium iter direxerat, & dum in dicto pago quandam domum pertransiret, olfecit carnes assatas seu assaturas & vocem audivit plorantis infantis, qui equum socio tradens domum illam sclopetis suis paratus intrans, invenit

venit super ſtramen mortuos virum & fœminam ſeminudos & ſub latere & axillis combuſtos, in medio verò illorum ſedentem puerulum plorantem, cujus miſertus ille pallio ſuo involvit miſerum, hyems enim erat, & ad proximum pagum uni ruſticorum dedit alendum & ad ſuum reditum ſervandum. O ſpectaculum miſerabile! Hæc itaque tam crudelia facinora domos & pagos deſolatos fecerunt, unde in Monaſterium Zwetlenſe non tantùm ejusdem, ſed etiam aliorum dominorum ſubditi tanquam in aſylum fugerunt, ità ut nullus angulus, nullum tectum, nulla turris, nullus locus quamvis abſtruſus ſinè homine, ſinè pecore, ſinè utenſilibus vacuus inveniretur, unde factum, cùm diu hìc latere ob tyrannidem militum cogerentur, ut ipſis victualia deficerent, pecora etiam pabulô non datô exſpirarent, & homines fructibus nondum maturis veſcentes, & aquam bibentes dyſſenteriam ſibi cauſârint, qua ſecundùm computationem P. Jacobi, qui eos ſepelierat, & numerari juſſerat, ad quatuor millia hominum mortui fuerunt, quandoque in ſæcularium cæmiterio in unam foſſam quinquaginta corporibus injectis. Militibus iter facientibus ruſtici ob carnificinam domibus relictis in ſilvas vel in loca tuta fugerunt, inde neminem in pagis invenientes domos incenderunt, plurimósque pagos ità combuſſerunt, ut Monaſterium exiguam partem pagorum integram retinuerit. Cujus deſolationem D. Abbas Seifridus ad finem relationis damnorum ſibi illatorum ità deſcribit: „ Demum, ait, quid per memoratam belli tempeſtatem hoc trienniô Monaſterium miſerum exantlârit, quid in ſolitis annuis ſuis reditibus, ut in carentia ſervitiorum, regalium, Cancellariæ proventuum, decimarum, & œconomiæ perdiderit, quid in frumenti & vini cultura denegata, quid in deſolatis vineis & agris, in combuſtis pagis, villis & molendinis amiſerit, & quod majus eſt, quid in amiſſione tot ſubditorum partim timore & terrore, partim horrendâ militum latronum carnificinâ & tyrannide mortuorum Monaſterium ſuſtinuerit, quæ immenſa damna, quantam ruinam acceperit, neque conſcribi poſſunt, neque æſtimari. „ [20.] Hæc ille. Et concludit ponens tantùm ſummam notorum damnorum ad centum quinquaginta millia, trecentos, & triginta ſex florenos excurrentium præter armamentarii ruinam, & evacuationem.

Demum D. Abbas pro vino in vindemiis colligendo miſerat in Häderſtorf, quia prædium Cammern combuſtum fuerat, duos ex Conventu Fratres, nimirum F. Ægidium Langhammerum & F. Joannem Bapt. Liſnerum, qui ab equitibus Moravicis ex Greitzenſtain capti & illuc deducti, pro ducentis florenis rurſum dimiſſi fuêre. [21.]

ADDITIONES.

*[1.] Laurea Auſtriaca. lib. 4. hoc anno. Item Theatrum Europæum hoc anno.

Videtur hoc Jubilæum idem fuiſſe, quod Spondanus dicit Pontificem jam anno præcedenti indixiſſe; ita enim ibi n. 1. habet: „ Año Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo „ nono, Indictione ſecunda Paulus Pontifex „ audiens quàm gravibus procellis Eccleſia Dei „ in Germania & vicinis provinciis agitare- „ tur, ad implorandam opem divinam, tam „ pro illarum, quàm ceterarum regionum „ neceſſitatibus, Jubilæum univerſale indixit „ Idibus Januarii; quod ipſe Romæ cele- „ bravit. „ Adeóque omnino aliud fuiſſe ab illo, quod hoc anno celebratum fuiſſe ſcribit Ciaconius, quem Compilator noſter ſequitur refutans relatos duos Evangelicos ſcriptores.

[2.] Ciaconius in Paulo V.

[3.] Ex Laurea Auſtriaca & Theatro Europæo hoc anno.

[4. & 5.] Iidem ibidem ſuprà.

[6. & 7.] Theatrum Europæum hoc anno.

[8. & 9.] Idem & Laurea Auſtriaca.

Ortelius Redivivus hoc anno.

Continuatio Calendarii Ederiani hoc año.

[10.] Ciaconius sub Hadriano VI.

[11. & 12.] Onuphrius Panvinius sub Hadriano VI.

[13. & 14.] Ex Theatro Europæo & Laurea Austriaca.

Spondanus hoc anno, n. 3. „ Octava „ die Novembris, celebritate Octavæ Omnium „ Sanctorum, quæ & tum erat Dominica vi- „ gesima secunda post Pentecosten, qua re- „ citatur in Officio divino Evangelium: „ Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, „ prope Pragam, eodem ipso loco quo Sta- „ tus Boëmici anno superiori accersito ad „ regnum Palatino obviârant; gravissimo ac „ memorabili prælio, (hortante præcipuè „ P. Dominico à JESU MARIA Hispa- „ no, insigni Pietate & Zelo Religioso Or- „ dinis Carmelitarum Discalceatorum, qui „ attulerat Bavaro à Pontifice Ensem bene- „ dictum, & certam victoriam promittente) „ quo pars Cæsariana non parùm fluctuavit, „ Palatinum fuderunt: qui Pragæ accepta à „ uxore ac liberis, in Silesiam aufugit. &c. „ - - - - - - - Tributa est autem maximè „ victoria patrocinio Beatissimæ Virginis: „ cujus Imagunculam pictam cùm P. Domini- „ cus inter rudera cujusdam domûs dirutæ „ casu reperisset, cui hæretici oculos fode- „ rant; ejus factâ ab ipso in procinctu præ- „ lii ostensione exercitui, adeò animati fue- „ runt duces militésque in ultionem injuriæ „ factæ Virgini, ut victoriam retulerint. Un- „ de & dicta ea Imago Virginis de Victoria. „ Quæ postea delata Romam à Patre, cum „ pretiosissimis donariis Imperatoris & Ducis „ Bavariæ, publica solemni supplicatione, „ magnô triumphô in Ecclesia Paulina ipso- „ rum Ordinis in monte Quirinali collocata „ fuit. Atque Imperator in similem gratia- „ rum actionem, eo loco, quo pugnatum „ est, magnificum templum sub invocatione „ S. Mariæ de Victoria construxit.

[15.] Ex Originali ipsorum.

[16.] Ex Copia literarum Abbatis.

[17. & 18.] Ex Relatione damnorum Monasterio illatorum.

[19.] Theatrum Europæum hoc anno.

[20.] Relatio damnorum Monasterio Zwetlensi illatorum, & captorum ipsorum ore.

[21.] Ex literis.

Ann. Christi MDCXXI. Monasterii CCCCLXXXIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XV.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

PAulus V. postquam multa bona & Ecclesiæ Romanæ & Christianitati contulisset, die vigesima octava Januarii Annô MDCXXI. suum DEO reddidit spiritum, sepultus primùm temperariô tumulô in Vaticano, annô deinde evolutô in Ædem Liberianam translatus est. Huic successit electus 5. Idus Februarii Alexander Ludovisius ex Archi-Episcopo Bononiensi Cardinalis Presbyter tit. S. Mariæ Transpontinæ à Paulo V. factus, post aliquot dies in Romanum Pontificem coronatus vocari voluit Gregorius XV. acceptáque Lateranensi possessione, ad pacandos Principes animum convertit, Ferdinandúmque Imperatorem adversùs rebelles hæreticorum acies tum expedito milite, tum pecuniâ juvit. *[1.] De quo S. Malachias Hibernus: In tribulatione pacis. Pacem enim inire fecit Hispaniarum Regem cum Sabaudiæ Duce, legatus tum ad eos missus.

In Imperio Romano nec dum pax affulgere volebat, Friderico Palatino quærente occasionem belli reintegrandi, se de clade in Monte-Albo accepta vindicandi, Bohemiam recuperandi, copiásque militares colligendi: hinc Ferdinandus Imperator commotus ipsum Fridericum, Joannem Georgium Marggrafium Brandenburgicum, aliàs Ducem de Jägerndorf, Ducem Christianum Analdinum, & Georgium Fridericum Comitem de Hohenloë, criminis læsæ Majestatis reos proclamari, & in Imperio undique publicari fecit. Contra prædictos autem executores constituit, nimirum contra Jägerndorfium & Analdinum Duces, Electorem Saxoniæ;

xoniæ; contra Fridericum, Albertum Archiducem pro occupando Inferiori, & Ducem Bavariæ pro occupando Superiori Palatinatu; Episcopos verò Bambergensem & Herbipolensem contra Comitem de Alta-Flamma. [2.]

Comes interea Bucquoius cum Cæsariano exercitu, occupatis priùs in Bohemia nonnullis locis, in Moraviam movit, cujus proceres se protinus Ferdinando dediderunt, cùm præsidia suâ undique ex Austria revocâssent, sicut fuit Retzium & Cisterstorfium à Spethio Capitaneo ipsorum evacuatum, qui ad partes Cæsaris transiens, Ravespurgum & Hohenaviam recuperavit, præterquam Greitzenstainam, quod castrum à Moravo milite aliquamdiu tenebatur & defendebatur. His in Moravia peractis, Bucquoius Comes Viennam ivit, Imperatori octuaginta quinque vexilla hostibus erepta præsentavit. Saxoniæ Dux cum Principibus & Statibus Silesiæ transigens, eos quoque ad devotionem Cæsaris deduxit, acceptô ab ipsis nomine illius homagiô. [3.]

In Bohemia Pragæ perduelles etiam, qui sub directione Regni nova contra Regem suum legitimum Ferdinandum deliquerant, capti & carceribus mancipati fuêre, defunctorum nomina deleta, absentes citati, pertinacium nomina patibulo affixa, cum reliquis captis quadraginta tribus personis undecimâ Junii, inter quos præcipui fuêre Joachimus Andreas Schlickius Comes, Wenceslaus de Budowitz Senior, & Christophorus de Harrant, Directores Regni, Appellationis & Cameræ Præsides, executio peracta fuit, Judice nomine Imperatoris pro tribunali sedente Carolo Principe de Liechtenstain cum Assessoribus suis undecim, inter quos etiam numerantur Casparus Schwab & Paulus de Ello Doctores & Inferioris Austriæ in Excelso Regimine Assessores. Baro etiam Teuffenbachius Fridericus, qui militiæ Moravicæ Generalis erat, ex balneo captus, & Oeniponti jussu Leopoldi Archiducis decapitatur, dans pœnas pro Catholico Sacerdote innocenter usque ad mortem cruciato, aliísque ignominiis orthodoxæ fidei cultoribus & damnis in Moravia illatis. [4.]

Ungari sub Bethlemo inquieti se rursum movebant, & in Moravia cum Cæsarianis aliquot prælia commiserunt, unde Comes Bucquoius cum exercitu suo in Ungariam descendit, Posonium obsedit & occupavit, aliáque plurima loca cepit, deinde Neuheüsl obsidione cinxit, illúdque expugnare volens omnem adhibuit laborem, sed dum cum paucis loci situm obequitans considerat, repentina hostium eruptione circumdatur, & pòst sedecim vulnera accepta, quia jam equus ejus occisus fuerat, & pedes gladiô suô se defendebat, lance transfoditur, & mortuus cadit Heros omni laude dignissimus. Hujus corpus exanime ab ejus milite raptum & Viennam deductum apud Minores honorificè jussu Cæsaris sepelitur. [5.] Hic Monasterii Zwetlensis, in quod aliquoties diverterat, templum valde amavit, ità ut in eô sepeliri constituerit, si ex Ungaria redisset; Conjugi suæ Gracium Bohemicum relinquere, sibi verò Schwarzenaviam dominium, quod tunc fisco Cæsareo cesserat, & perduelli Strunoni ereptum fuerat, comparare voluisset, quam arcem Monasterio Zwetlensi pro sepultura legare se velle sæpe dixit, ususfructuum ad dies vitæ suæ sibi reservato. Cæsariani post cædem Comitis etiam ante Neuheüsl obsidionem solverunt, Bethlemus autem cum Jägerndorfio Moraviam invaserunt, quibus se Walsteinius Colonellus cum Cæsareo milite opposuit. Antequam verò cum ipsis congrederetur, Austriæ campos Marckfeldinos hostes igne & ferrô devastabant, viginti pagos de nocte incendentes, ità ut incendia etiam Viennæ apparerent, nubibus colorem ignis repræsentantibus. [6.] Cisterstorfii tunc etiam suburbium faces Ungarorum in

cineres redegerunt, templi parochialis tectô simul à flamma consumptô, hominibus in civitatem fugientibus, quam intactam reliquerant. Ultra verò Danubium Budiani miles æquè hostiliter grassabatur, rapinis, cædibus, captivitatibus, & incendiis usque Viennam excurrens, ità ut oppida & pagi centum & viginti Vulcano tradita & exusta numerarentur. Tandem Bethlemus Nicolspurgi pacis conditiones acceptavit. [7.]

Venio ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas D. Seifridus apud Excelsum Regimen supplex fuit, quatenus illi, qui contra rebelles declaratos aliquam haberent prætensionem, jussu Cæsaris infra certum temporis terminum illam producerent; dictus verò Abbas contra Georgium Ebenbergerum rebellem declaratum (qui Monasterio suo damnum intulit multorum millium florenorum, prout eadem in numero & pretio sextâ Martii hoc anno Excelso Regimini oblata fuêre) habeat maximam prætensionem, ità sperare, se exclusum non fore; qui admissus fuit 15. Martii, & 3. Aprilis, Anno MDCXXI. [8.] Sed petita restitutio ad suum effectum vix est deducta, nihil enim invenitur.

Porrò Cisterstorfii res etiam non succedebat, sicut enim supplex Abbatis Seifridi libellus Imperatori 26. Januarii, Anno MDCXXI. porrectus profert, quòd quidem ab Erasmo de Landaw perduelli declarato parochia ibidem Monasterio violenter ablata, sibi per D. Joannem de Kollonitsch Baronem Commissarium cum omni jurisdictione sua restituta fuerit, victualia tamen, sinè quibus Vicarius vivere non potest, ex domo parochiali rapta adhuc in arce conserventur, quare eorundem quoque urget restitutionem supplici libello Cameræ Austriacæ 21. Octobris, Annô MDCXXI. tradito: cùm verò mora traheretur, factum ut cum ceteris, vino, frumento, tritico, avena ad Landavium spectantibus, à Commissariis commeatûs Cæsarei etiam ad parochiam pertinentia victualia auferentur, quæ octo millibus florenorum æstimabantur. Sicut etiam variè tentavit bonus Abbas apud aliorum rebellium bona confiscata partem aliquam in damni restitutionem recipere, sicut frumenti aliquot modios in arce Schwarzenawe sibi proxima addici, & in Ebenthal ad reparandam spoliatam domum parochialem, in qua per biennium pro Cæsarianis panes cocti fuerunt, unum jugerum silvæ donari sollicitavit, vel etiam pecuniam octo millium florenorum recipere posset, literis aures intimi Cæsaris Consiliarii D. Abbatis Cremiphanensis pulsavit. [9.] Quæ tamen obtinuerit, nil prorsus invenitur.

Suprà quoque, Anno MDCXVII., mentionem feci de legatione Abbatis Seifridi Salisburgensi, verùm illa debuit fuisse diversa ab ista sequenti, sicut ejus supplex libellus Cameræ Aulicæ porrectus docet, in quo petit sibi mille & centum florenos illos assignari, quos in itinere Salisburgum versùs ex proprio desumptos consumpserat, cùm ab Archiduce Leopoldo Episcopo Argentinensi & Passaviensi absente Imperatore Austriam gubernante utì Legatus mense Augusto, Anno MDCXIX. mitteretur, quos mutuò acceperat, unde à creditoribus suis valde molestatur. [10.] Hanc pecuniam ipsi restituendam Imperator seriò Cameræ Aulicæ demandaverat adhuc 4. Aug. Anno MDCXX. causam addens, quia ipse cum toto Monasterio suo ruinæ datus esset, nec haberet, unde vitam sustentaret. Imperatoris mandatum subscripsit Secretarius Aulæ Graplerus. [11.] Quid autem his suis legationibus effecerit, quæque earum causa fuerit, me latent. Effectum tamen habuit hæc ipsius petitio, quia pecunia ipsi soluta fuisse legitur.

Hìc placet quoque miraculum hujus temporis è vicino commemorare, quod mihi Admodum Reverendus, Nobilis,

bilis, ac Perdoctus D. Joannes Cammerlander, Artium & Philosophiæ Magister, Parochus Kirchbergæ ad silvas communicavit, cujus placet textum referre: „ Ædem, inquit, Beatissimæ „ DEI-Genitricis Natæ ad Hohenaich „ sitam, meæ incorporatam Parochiæ „ non populorum minùs ac peregri- „ nantium ex omnibus propè non hu- „ jus districtûs duntaxat, verùm & re- „ motioribus Bohemiæ partibus (ut mi- „ hi à pluribus fide dignis est relatum) „ olim voti, devotionis, ac religionis „ causâ in processionibus frequentis- „ simis annuatim illuc confluentium „ frequentiâ, quàm etiam antiquitate „ & miraculorum ibi exhibitorum „ multitudine celeberrimam esse, Rev. „ Dominationi vestræ jam pridem in- „ notuisse non dubito; erectum quip- „ pe esse Annô à Virgine Puerpera „ 1408. non tam Altare Summum „ inibi, verùm & Epitaphium ad ejus „ pedes situm, sicuti & miracula „ inibi patrata, ac censuræ Vene- „ rabilis Consistorii summorúmque „ Theologorum Viennæ submissa, exa- „ minata, & approbata, tabulæ eorun- „ dem solenniter affixæ hodie dicto „ in loco etiamnum attestantur; un- „ de & factum, ut majores orthodoxæ „ fidei nostræ toto hoc in circuitu ac „ vicinitate locum hunc summo ho- „ nore dignum ducerent, frequenta- „ réntque religiosissimè. Quæ omnia „ pia molientibus obsistente pestifera „ hæreticorum labe sensim latiùs ser- „ pente, totam hanc nostram aliásque „ vicinas occupante parochias, pede- „ tentim collabi atque interire cepêre. „ Quod autem quàm ægrè Numen di- „ vinum Ejusdémque Mater inteme- „ rata tulerit, signis manifestis, iisdem „ pluribus sat supérque declaravit: è „ quibus hoc sequens haudquaquam „ est infimum. Dixi unam è sectarum „ proprietatibus esse impia suadere, dis- „ suadere pia. Hoc ad templum præ- „ dictum luculentô ante triginta sep- „ tem annos, videlicet Anno 1621. in „ festo Nativitatis, comprobârunt ar- „ gumentô. Cùm enim dicta die Bo- „ hemi DEO, DEIque Genitrici vota „ sua persoluturi in processione (ex „ quo verò loco non constat certè) il- „ luc se frequentes sæpiùs conferrent, „ ità ut Prædicantem, cujus nomen „ Timotheus Textor erat, ministrós- „ que seu Ecclesiæ vitricos laborum „ in aperiendis recludendísque illius „ portis pertæderet: isti rem ad Prædi- „ cantem, ille verò ad Illustrissimum „ Dominum Ernestum de Kollonitsch, „ dicti loci Patronum, in Religione „ nostra planè alterum Saulum, defe- „ runt, orantes submissè, quatenus „ illos hisce eximere molestiis sua au- „ thoritate, quietémque optatam fes- „ sis conciliare dignetur. Acceptat „ præfatus Illustrissimus eorum petitio- „ nem, modùmque ab illis eandem „ in actum redigendi indagat. Tunc „ Prædicans: Immittantur per fene- „ stras, ait, qui portas Ecclesiæ intus „ firmissimè obstruant, obserent, at- „ que præmuniant, ità fiet, ut si ab „ ingressu hoc modo prohibiti (nobis „ post fruticeta in abscondito latitan- „ tibus, eósque observantibus) vim „ portis intulerint, in pœnam Illustris- „ simo incidant; aut certè, si sese ex- „ clusos viderint, spe sua fraudati abie- „ rint, illos nos bene illusos exsibila- „ tósque dimiserimus, deinceps non „ ampliùs redituri, nulláque ampliùs „ negotia molestiásque sint causaturi. „ Placet consilium Illustrissimo, fiunt „ omnia de sententia consultoris, & „ quidem in præsentia sæpe memorati „ Domini tunc temporis Jaurini in „ præsidio Supremi Locum-tenentis, „ tam solidè ac firmiter, ut firmiùs so- „ lidiúsque fieri haud potuissent, ipso „ testante sæpissimè hisce formalibus „ verbis: Die Kirchen-Thür ist der- „ massen verpolwerckt und verrigelt „ gewesen, dass wann man ein Pe- „ thar daran gesetzt hätte, man zu

„ thuen wurde gehabt haben, dass „ mans hätte aufgesprengt. Quibus „ peractis post fruticetum juxta Sacel- „ lum S. Annæ templo propinquum „ sese subducunt sollicitè observantes, „ reíque eventum avidè expectantes. „ Quibus sic latitantibus paulisper, „ ecce subitò superveniunt Parochiani „ (utì verisimile est) ex Nagalitz Bo- „ hemiæ pago, in processione piè psal- „ lentes, atque ùt fieri solet, templum „ circumeuntes; ùt ad obfirmatam „ ædis sacræ januam perveniunt, per „ apertam absque omni obstaculo, „ mora, aut impedimento, inspectan- „ tibus è latibulo suis insidiatoribus, „ horum omnium ignari ingrediuntur. „ Quo viso territus Illustrissimus Do- „ minus Supremus Locum-tenens at- „ que obstupefactus hac miraculi no- „ vitate, equum mox conscendens ad „ Prædicantem: Miraculum hoc est, „ inquit, Domine Timothee. Cui ille: „ Ne perterrefiat Illustrissimus hoc mi- „ raculo; & dæmon potest, ait, pa- „ trare miracula. Quo tamen facto il- „ le quasi cælitus fulmine Sauli instar „ tactus sese cæcum esse, & hactenus „ fuisse animadvertens, paulò pòst „ Viennensem ingressus civitatem „ Ananiam quærere, ac quid se post- „ hac agere oporteat, à Doctissimis „ quibúsque, quibus sese associare „ studebat, instrui volens, sedulò ad- „ laborabat. Ac post quatuordecim „ circiter dies Kirchbergam reversus, „ paucis inibi diebus commoratus, rur- „ sum se itineri accingit, specie qui- „ dem remigraturus Viennam, revera „ autem in Monasterium ad Reveren- „ dissimum Dominum D. Abbatem „ tunc Seifridum Zwetlensem, uberiùs „ pleniúsque ex sententia sua infor- „ mandus perrecturus. Ubi tribus sep- „ timanis hoc in negotio insumptis, sa- „ cramentaliter ritè confessus & SS. „ Synaxi munitus, domum huc ad suos „ subditos regressus, publicè revoca- „ vit errorem, & eum, cui hactenus „ innodatus erat, palàm heroicè est „ confessus. Et sic ex Saulo perverso, „ conversus factus est Paulus. Huic „ historiæ fidem fecerunt non sæpe „ dictus modò Illustrissimus Dominus „ Locum-tenens tunc quidem Baro „ adhuc, postea Comes Imperii crea- „ tus in Comitiis Ratisbonensibus, qui „ eandem passim cuivis propè familiari „ enarrabat, suæque conversionis pri- „ mariam causam extitisse affirmabat. „ Tum etiam Christophorus Nöltel „ tunc temporis hujus dominii Præfe- „ ctus, ac Joannes Kleibeisen Vena- „ tor tunc existens, qui huic intere- „ rant actioni, plurésque alii, omnes „ jam defuncti. Quæ omnia, ùt suprà „ memini, recognoscenda, examinan- „ da, ac confirmanda judicio Reve- „ rendissimi Domini Officialis Bartho- „ lomæi Kobolt totiúsque Venerabilis „ Consistorii submisi, à quibus & alio- „ rum celebrium Theologorum cen- „ suris subjecta, tandémque digna ab „ omnibus habita fuère, quæ publicè „ populo Catholico ad majorem de- „ votionem erga Deiparam ejusdém- „ que sæpe præfatam Ædem venera- „ tionem in eo excitandam propone- „ rentur, ínque tabulas depicta affige- „ rentur. [12.]

Cui addam alterum à fide dignis relatum, quod Domini de Kollonitsch conversionem præcessit; in Ungaria namque ille Locum-tenens, ùt vidimus Jaurini erat, qui cum milite suo contra Turcas prædatores emissus, ipsos in quodam templo & cæmitorio murô circumdato de nocte operiebat, illic enim pertransire debebant. Dum autem disposuisset excubias, quidam miles hæreticus statuam Beatissimæ Virginis è templo rapuit, & ex malitia secum portans ad locum excubiarum, illam ad murum posuit, dicens frivolè ac nequiter, ut etiam ipsa Maria pro se excubias ageret. Quo facto ille mox cæcitate & tanto oculorum dolore correptus ac percussus est, ut cum ingenti clamore pro-

prodiderit. Ejus commilitones excitati accurrunt, causam ab eo sciscitantur, perducunt ad Locum-tenentem in templo cubantem, cui adhuc hæretico, dum causam aperuisset miser ille, jussit ut protinus statuam suum in locum reportaret, qua deposita quàm primum & visum recepit & dolores evanuerunt. Hoc viso miraculo in Catholicam Religionem animo cæpit esse mitiori. [13.]

Actus verò conversionis illius, quia solennis, ideo memorabilis esse debet; postquam tribus septimanis in Monasterio Zwetlensi Dominus de Kollonitsch in Religione orthodoxa bene instructus fuisset, Abbas Seifridus Pontificalibus indutus dictum Dominum dextrâ ducens & sinistrâ baculo pastorali januam percutiens, ipsum in templum ad Summum Altare deduxit, inspectante frequenti populo; Præpositus enim Zwetlensis per suum Vicarium processionem huc instituerat, locatus ille in sede sua post Evangelium clara voce & vernacula lingua professionem fidei ad manus Abbatis sub infula sedentis publicam fecit, cum tali affectu eam proferens, ut multis astantibus è ministris & populo lacrymas excusserit. Sacro solenni usque ad communionem perducto ille devotissimè prima vice Catholico ritu Sacram Eucharistiam sumpsit. Qui Kirchbergam suam repetens nihil priùs habuit, quàm ut subditos suos suæ esse fidei desideraverit. Inde ipsis in arcem convocatis suam conversionem proposuit, petens idem illud facere debere, si sui subditi manere vellent, alioquin ipsis migrandi aliò licentiam liberam fore, priùs tamen illis laudatissimum sermonem fecit, quo vix unus parochus meliorem proferre potuisset, unde factum, ut plurimi se fore post instructionem Catholicos declarârint, quos utì filios, non subditos se amare promisit, ceterùm pauci pertinaces post cordis sui duritiam abierunt. Prædicantem paulò post abjecit, & ab Abbate Seifrido Cœmiterium (in quo quidam Prædicans cum uxore sua & liberis sepultus jacebat) in oppido Kirchberg ad templum parochiale situm reconciliari fecit, providítque pro presbytero Catholico ad animas lucrandas apto, quoniam omnes cives oppidi hæreseos labe infecti erant, sed suum sequentes Dominum successivè conversi. Sacellum etiam arcis vestibus sacris, calicibus aliísque ad ritum Catholicum necessariis adornavit &c. [14.] Atque hæc de Conversione sufficiant.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius sub Paulo V. & Gregorio XV.

Item Spondanus hìc n. 1.

[2.&3.] Theatrum Europæum hoc anno. Spondanus hìc n. 4. „ Ferdinandus Cæ„ sar vigesimô secundô Januarii Palatinum ac „ Principes Correspondentes, publicis edi„ ctis proscripsit. &c. Post quæ Moravia per „ Bucquoium, Silesia per Saxonem ad obe„ dientiam ejus reductæ sunt: & Hispani rur„ sum multa loca in Palatinatu occupârunt. „ Ac miser Palatinus ex potente Principe Ele„ ctore, & factitio Rege Boëmiæ, nudus „ factus profugus, post longos circuitus, „ tandem pervenit cum uxore in Hollandiam, „ victum ibi à Statibus, & à Socero Rege „ Angliæ (ab eo tamen accessu insulæ pro„ hibitus) emendicare, & intercessionem tam „ ejusdem Soceri, quàm Daniæ Regis, atque „ Isabellæ Hispanæ Principis Belgii, apud Cæ„ sarem implorare coactus. Principes reli„ qui, ac Civitates correspondentes, dissolu„ to fædere inter se contracto, Cæsari recon„ ciliati sunt: operâ potissimùm Joannis Suic„ cardi Archiepiscopi Electoris Moguntini, „ qui ab ipso horum motuum Germanicorum „ ortu egregiam navavit operam Religioni & „ Reipublicæ.

[4.5.6.7.] Theatrum Europæum ubi suprà, & monumenta Monasterii.

[8.] Ex copia literarum.

[9.] Ex actione contra Landavium.

[10.] Ex copia literarum.

[11.] Ex Originali.

[12.] Ex literis ejusdem Originalibus.
[13.] Ex ore famulorum ejus ibi præsentium.
[14.] Hoc partim ex Annotationibus, partim ex relatione Religiosorum tunc præsentium.

An. Christi MDCXXII. Monasterii CCCCLXXXIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XV.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

Pontifex hoc anno quarto Idus Martias sequentes in Sanctorum catalogum retulit, pro quorum canonizatione apud Antecessorem suum diu laboratum fuit, nimirum Ignatium Loyolam Societatis Jesu fundatorem, socium ejus Franciscum Xaverium Orientalium Apostolum, Philippum Nerium Congregationis Oratorii Authorem, & Isidorum Hispanum. * [1.] Quorum festum solennissimè celebratum, præsertim Madriti in Hispaniis, sicut etiam Viennæ Austriæ solennes processiones præsente Imperatore cum aula universa institutæ fuère, imaginibus Sanctorum undique expositis & circumlatis.

Generalis Ligæ Catholicæ Tillius Heros invictissimus & piissimus sertum victoriæ ab Heidelberga Friderici Palatini residentia quærens, illam arctissima obsidione cinxit, oppugnavit fortiter, feliciter expugnavit decimâ Septembris hoc anno. In qua miles ejus ingentes opes obtinuit & spolia multa, præter cetera Bibliothecam Palatini excellentissimam, quam Imperator Summo Pontifici Gregorio dono dedit, & Romam misit. [2.]

Patribus Societatis Pragæ apud S. Clementem in veteri civitate habitantibus tradidit quoque Imperator Academiam aliàs Collegium Carolinum dictum à Carolo IV. Imp. fundatum. Cui quondam Rector præfuit Doctor Joannes Jessenius à Jessen Medicus, qui contra juramentum suum Ferdinando Regi præstitum, & contra Domum Austriacam in Commissionibus se indefessum exhibuit adjutorem, erat enim excellens Orator: unde in executione Annô 1621. Pragæ suscepta, ille quoque reus inventus & condemnatus ad linguæ excisionem & vivus ad quadripartitam corporis sectionem, ex gratia tamen Imperatoris primùm ipsi viventi lingua excisa & caput detruncatum fuit, postmodùm ante portam versùs patibulum in quatuor partes corpus dissectum & affixum ejus fortunam demonstravit, infidelitatis nimirùm mercedem & perduellionis ejusdem Bohemis in exemplum dignam retributionem, qui in errore suæ hæreseos pertinaciter ex hac vita discessit. [3.]

Obtinuerunt etiam hoc anno 21. Octobris præfati Patres Universitatem Viennensem hactenus à Sæcularibus possessam, de cujus donatione, sicut & de aliis Dominus Paulus Pörsius S S. Theologiæ Doctor, & Decanus Mistelbacensis Abbati Seifrido in Zwetl sequentia perscribit: „ Quòd Parochiæ „ Cisterstorfensi per substitutionem „ moderni Pastoris, Viri boni & à pa„ rochianis multùm laudati bene sit „ provisum; sperare se, ait, quòd „ magnos fructus cum fœnore faciet, „ eò quòd non sint ampliùs malesani „ Prædicabiles, qui zizania nostræ „ messi immittant. Magna spes est, „ futurum aliquando, ut & ille, qui „ clavum præfati oppidi tenet, ad no„ stram salutiferam Religionem con„ vertatur. Ut ut tamen sit, dedit ille „ à Teuffenbach Reversales de non haben-

„ habendo nec pro se nec subditis in „ toto suo districtu Prædicante, quas „ Dominus ab Hoyas mihi nuperrimè „ porrexit legendas. De Itinere Im- „ peratoris multi multifariè asserunt, „ & est (nescio, an veridicus) rumu- „ sculus, brevi eundem re infecta redi- „ turum, exinde quòd Electores Saxo „ & Brandeburgicus repentinam re- „ formationem in Bohemia in causa „ Religionis sinistrè interpretentur, „ ideóque venire recusent. Hic quo- „ que Viennæ mirabilis metamorpho- „ sis circa nostram antiquissimam Aca- „ demiam, quam Patres Societatis „ (uti ex adjacente diplomate Cæsareo „ videre est) impetrârunt, omnibus „ Academicis contradicentibus & so- „ lennissimè contrà protestantibus &c. „ Viennæ, 15. Novembris, Anno „ 1622. „ [4.] Diploma modò citatum Cæsareum est, uti sequitur: Resolutio Cæsareæ Majestatis ita est, ut Collegium Patrum Societatis Jesu Viennense ibidem Universitatem in perpetuum absque ulla immutatione & revocatione possidere, eadémque Collegio unita & incorporata esse & permanere debeat &c. Demum Cæsar omnia privilegia & immunitates Universitatis tollit, abrogat, & irrita facit, quæ ipsum in hac introductione aut impediunt, aut quibus Universitas se defensam putat. Statuit etiam, ut omnes illæ personæ ad gradus in Pragensi, Græcensi, Olomucensi, aut aliis à suis Majoribus & Progenitoribus Fundatoribus erectis aut confirmatis promotæ, tales in hac Viennensi Universitate habeantur & nominentur. Ad hujus effectum Commissarios Cæsar ablegavit sibi à Secretis præclaros Dominos, D. Leonardum Hölreiffel, Comitem de Meggaw, Prætoris Inferioris Austriæ Locum-tenentem, & D. Joannem Rupertum Högenmüller in Regimine Inferioris Austriæ Cancellarium, ut ante discessum adhuc suum decretum hoc in effectum deducant. Actum Viennæ 21. Octobris, Anno 1622. [5.]

Ex suprà allatis Decani Mistelbacensis literis habemus, quòd parochiani in Cisterstorf adhuc hæreseos Lutheranæ labe infecti fuerint, quibus tamen cum tali parocho provisum sit, qui animas Christo lucrari sciat. Deinde Baro Teuffenbachius, cui dominium illud olim ad Landavium perduellem spectans, modò fisco illatum, & à Cæsare dicto Baroni ob fidelia sua sibi cum legione præstita servitia donatum fuerat, adhuc Lutheranus extitit, cum spe tamen conversionis dedit Reversales de non suscipiendo aut alendo Prædicante, qui postmodum Catholicus factus Cives etiam suos ejusdem fidei esse voluit. De itinere Cæsaris ad Collegialem diem Ratisbonam suscepto vera sunt, quæ scribit, nam ad Saxonem Dresdam omnes illi puri putique verbi Ministri Pragâ edictô Cæsareô eliminati se contulerunt, eíque statum suum & religionis suæ in Bohemia profligationem depinxerunt, unde Elector consternatus ad Conventum Ratisbonensem, quod tamen antea promiserat, venire recusavit, de qua reformatione tamen Imperator Ferdinandus eidem rationem sufficientem transmisit. [6.] Quam postea belli ejusdem causam fuisse arbitror. Hæc ex literis dictis.

Demum Eleonoram Mantuanam, quam hoc anno Ferdinandus Imperator duxerat, 26. Julii, in festo S. Annæ Oedenburgæ in reginam Ungariæ coronari fecit, quam talem 19. ejusdem mensis Ungariæ proceres de Senatoria domo elegerunt & proclamârunt, vociferantes per fenestram ad populum astantem: Vivat Eleonora. [7.] Hæc Viennâ Abbati Seifrido perscripta fuerunt 21. Julii, Anno 1622.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius sub Gregorio XV. Laurea Austriaca hoc anno.

Item Spondanus n. 1. addens S. Theresiam V. Fundatricem Carmelitarum Discalceatorum.

[2.] Theatrum Europæum hoc anno.

Spondanus ubi suprà n. 6. „ Mensibus „ Januario & Februario visa sunt diversis lo„ cis Germaniæ varia signa in aëre; cœlum „ igneum; tres soles in iride; luna radiis „ circumdata, & in medio eorum Crux atri „ coloris non vulgaris magnitudinis, quæ spe„ ciatim supra Heidelbergam Palatinatûs ur„ bem 18. Februarii apparuit. Qualia phæ„ nomena Catholicorum armis fuêre præsaga „ secundorum eventuum. Quippe non multò „ pòst obsessa Heidelberga à Tillio egregio „ copiarum Bavaricarum ductore, vi capta „ est Septembri mense. Asservabatur ibi „ celebris *Bibliotheca Palatina*; quam volunt „ confectam fuisse ex omnium bibliotheca„ rum ecclesiarum & Monasteriorum antiquo„ rum illius provinciæ expilatione. Cujus „ modò libri cùm promissi fuissent Paulo Pon„ tifici in augmentum Vaticanæ, contigit me„ liores ferè à diversis diripi; partem deferri „ Romam, sed imperitiâ ejus cui hæc cura „ demandata fuerat, librorum numerô lon„ gè quàm bonitate copiosiorem.

„ N. 7. Facti quoque fuerunt varii mili„ tum delectus pro Palatino extorre resti„ tuendo, ab Ernesto notho Mansfeldio, à „ Christiano Brunsvicensi Episcopo Halber„ statensi Protestante, à veteri Marchione „ Durlaco & Badensi. Ad quos Palatinus è „ Belgio per Galliam & Lotharingiam inco„ mitatus & ficto habitu penetrans, multa „ cum iis molitus est: sed variis cladibus af„ fecti, Germaniam deserere coacti sunt: „ & Palatinus primò Sedanum se recipiens, „ inde Hollandiam repetiit. Mansfeldius per „ Lotharingiam iter capiens in eo fuit, ut „ Galliam ingrederetur, sollicitatione hære„ ticorum interim dum Rex occupatus esset „ in Occitania. Sed Duce Nivernensi Cam„ paniæ Præfecto copias contra eum colli„ gente; maluit aleam subire prælii contra „ Gonzalem de Corduba ducem copiarum „ Hispanicarum, qui ejus vestigiis inhærebat, „ atque iter ei in Belgium præcludere deli„ beraverat. Inito gravissimô præliô apud S. „ Amandum & Floreacum in Comitatu Na„ murcensi 29 Augusti, Mansfeldius majo„ rem partem copiarum amisit, cedente vi„ ctoria Hispanis. Transiit tamen ipse inco„ lumis; & cum reliquiis exercitûs trajectô „ Rhenô in Westphaliam se recepit: infini„ tis ubique damnis & sacrilegiis patratis; „ qualia spurium decebant, & hæreticum.

[3.] Theatrum Europæum ubi nuper.

[4.] Ex Originalibus ipsius.

[5.] Ex Copia literarum.

[6.] Theatrum Europæum cit. loco.

[7.] Idem Theatrum Ibidem, & Laurea Austriaca.

Item Ortelius Redivivus hoc anno.

An. Christi MDCXXIII. Monasterii CCCCLXXXV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Gregorius XV.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

SUstulit hoc anno Gregorium XV. Pontificem octavô Idus Julias febris acuta cum podagra conjuncta in Quirinali, cujus corpus plumbeo sarcophago inclusum in Vaticano sepultum fuit. Cui electus successit sextâ Augusti Maphæus Barberinus Florentinus, Archiepiscopus Nazarenus, Presbyter Cardinalis tit. S. Petri in Monte-Aureo, vocatus Urbanus VIII. *[1.] De quo B. Malachias Hibernus: Lilium & rosa. Ea die, qua electus fuit Urbanus, Halberstatensis Pseudo Episcopus Christianus Dux Brunsvicensis, Catholicæ Religionis hostis à Comite Tillio victus fugatúsque fuit. [2.]

Ratisbonæ Ferdinandus Imperator Electorum Principum Conventum celebrans, memor laborum pro fide Catholica & Domo Austriaca exantlatorum Ducis Bavariæ Maximiliani, cum consilio dictorum Principum eum remune-

munerare volens, ipsi tradidit Electoratum Palatinum, ut esset Dapifer Imperii cum aliis prærogativis Electoralibus, & habitis cæremoniis eundem in Palatinatu stipulata manu authoritate Cæsarea confirmavit, eidémque congratulatus fuit. [3.]

Auctor deinde Theatri Europæi etiam contra reformationem in Bohemia cœptam murmurat, utpote Lutheranus & ipse, vocans reformationem à Religione Evangelica defectionem; & illos vituperat, qui pro gratia Imperatoris vel conservanda vel obtinenda, ne gravibus mulctis pecuniarum onerentur, aut penitus solum vertere cogantur, à fide Evangelica deficiunt, & ad Papatum, uti vocat, transeunt. [4.] Inter quos etiam nominat Rudolphum Baronem de Teuffenbach Colonellum, qui Cisterstorfium dominium possidebat, Catholicæ postea fidei fervens Zelator, qui secum semper habuit pro Confessario Patrem unum de Societate, & apud suos cives institit, ut Catholicam susciperent Religionem Lutheranâ abjuratâ, cujus etiam voluntati se illi accommodârunt, qui parochiæ ibidem ad Zwetlense Monasterium spectanti subsunt.

Dominus Seifridus Abbas P. Georgium Fernstorfer Professum suum in aliud Ordinis nostri Monasterium hospitandi gratiâ dimittere coactus fuit, ob causam damnorum tam subditis quàm ipsi Monasterio à milite tam Bohemo quàm nostrate illatorum, ac etiam ob penuriam rerum omnium extremam. Datum harum est ultima Octobris, Anno 1623. [5.] Hîc non obscurè indigitat bonus Abbas famem hujus anni, quæ ex frugum raritate nata fuit, [6.] unde etiam coactus mutuam conquirere pecuniam, à D. Abbate Götvicensi affine suo quindecim millia florenorum in moneta nova (vulgò in der langen Münß / quando imperialis decem, & aureus viginti florenos valebat) accepit cum fœnore reddenda, ut se, paucos Religiosos, & familiam necessariam sustentare possit.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius sub Gregorio XV. & Urbano VIII.

Laurea Austriaca lib. 7.

Spondanus hîc n. 11. „ Mortuus est „ die octavo Julii Gregorius Pontifex, ætatis annô septuagesimô, Sedis secundô, „ mense quinto. In cujus locum à quinquaginta quatuor Cardinalibus in conclavi „ existentibus, creatus est sextô Augusti, „ festô Transfigurationis Christi Maphæus „ Barberinus, nobili & antiquâ familiâ Florentinâ, Antonii & Camillæ Barbadoræ filius: qui eximiâ doctrinâ, ac plurium nobilium munerum prudente exercitio, atque illustrium legationum sagaci functione, „ viâ sibi ad Cardinalatum, quo à Paulo V. „ decoratus est, factâ; Pontificatum pietatis „ in Deum, munificentiæ in pauperes, aliarúmque virtutum tanto munere dignarum „ solida existimatione adeptus est, annô „ vitæ quinquagesimô quintô; sumpto nomine Urbani VIII. & Symbolo ex Psalmo „ 25. *In Domino sperans, non infirmabor.* Coronatus tandem vigesimô nonô Septembris „ die festo S. Michaëlis, quòd interim ægrotâsset nonnihil.

[2.] Ciaconius suprà citatus sub Urbano VIII.

Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno.

[3.] Theatrum Europæum hoc anno. Laurea Austriaca lib. 7.

Spondanus hîc n. 3. „ In Comitiis Ratisponensibus Ferdinandus Cæsar post multas Principum Protestantium de juribus „ Imperii & Electorum oppositiones, & dubias Catholicorum sententias; dignitatem „ Electoralem Friderici Comitis Palatini & „ exregis Boëmici, ob ejus rebellionem, & „ delicta in contumeliam Imperii & Imperatorum, transtulit in Maximilianum Bavariæ „ Ducem apprimè Catholicum, qui fidelem „ operam in omnibus Imperatori præstiterat. &c.

„ N. 4. Cùm autem ob ejusmodi Electoratûs translationem magni motus à protestantibus fierent, & Mansfeldius atque Halberstatensis, de quibus anno superiori, ar-

„ ma circumferrent: contigit ut Tillius copiarum Cæsarearum ductor cum Halberstatensi congressus sit sexto Augusti apud Statloum magnô præliô; quo hostium sex millia cæsa sunt, quatuor millia sese dediderunt, ceteri magnô numerô captivi, læsi ac fugati sunt: repertis inter captivos tribus Ducibus, quatuor Comitibus, sex tribunis, & centum militum ducibus, cum ducentis signiferis ac magni nominis ministris: ùt expressum reperimus in quadam relatione Episcopi Aversani, tunc Nuntium Apostolicum in Germania agentis. Halberstatensis fugâ sibi consulit; amissis insuper duodecim tormentis bellicis, totóque exercitûs apparatu. Reperta sunt in campo quædam armorum genera, in quibus duæ istæ literæ inscriptæ erant P. F. significantes, ùt dicebant, Germanicè Pfaffen-Feind / hoc est, Sacerdotum hostis.

Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno. „ Bethlemius violato pacis juramento in Moraviam & Austriam irrumpit.

[4.] Theatrum suprà citatum.

[5. & 6.] Ex literarum copia.

An. Christi MDCXXIV. Monasterii CCCCLXXXVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

COlonellus Esterhasius feliciter pugnavit contra Bethlemum, à quo cepit aliquot Turcas, inter quos duorum Bassarum filii, & unus Imperatricis cognatus fuêre, hos Viennam veniens obtulit Imperatori Ferdinando, & secum attulit quinque camelos, quatuor mulos, & tres equos egregios, triginta quinque vexilla, quorum unum talem habuit superscriptionem: Mahometo & Christo Deo. Captivi tamen eidem redditi ex eo, quòd Bethlemus omnes suos captivos Cæsarianos occidere minaretur, nisì Turcæ captivi liberi dimitterentur. *[1.]

Viennæ interea agente Doctore Kellero parocho apud S. Michaëlem, quia unà cum duobus Patribus Societatis quendam Prædicantem infirmam personam sub utraque communicare volentem in civitate in quadam domo deprehenderant, eidémque calicem abstulerant, Ferdinandus Imperator omnibus Prædicantibus Viennâ interdixit: & paulò pòst etiam Magistratus Viennensis civibus utriusque sexûs in Hernals ad exercitium Lutheranum excurrere sub pœnis certis prohibuit. Quem imitata Universitas ibidem omnibus Doctoribus sive Juristis, sive Medicis, aut cujuscunque facultatis Magistris, Nobilibus, Licentiatis, Baccalaureis, Procuratoribus, Studiosis, viduis etiam, & Typographis, Librariis, Pharmacopæis, & quibuscunque aliis dictæ Universitati subjectis membris sub gravi pœna etiam vetuit, ne præfatorum aliquis ad exercitium religionis Augustanæ infra vel extra Viennam, sive in Hernals, sive in alia loca se conferret, seu ab ejusmodi Ministris baptismum aut copulationem peteret. Contra quæ edicta quidem & statuta proceres Austriæ Inferioris Acatholici scriptò apud Imperatorem institerunt, ut cassarentur, tanquam in perditionem animarum suarum edita & æternam sibi salutem tollentia: quibus tamen Ferdinandus respondit contrarium, & in sua sententia constans permansit, imò potiùs Reformationem Religionis cæptam ferventer prosecutus, (ubi perceperat, quòd diversorum opificum discipuli & famuli nihilominus in copia Hernals exercitii Lutherani causâ pertinaciter adirent, & si impedirentur, Viennam relinquere minarentur) Prædicantes etiam ex Hernals edictô publicatô

aman-

amandavit, & ex provincia ejecit, [2.] qui ſicut ſcribit D. Seifrido Abbati Monaſterii noſtri Advocatus Chriſtophorus Scholtz, tubam inflant, & fugam maturant, turbam ſuam Lutheranam à juramento abſolventes, nè impoſterum contra Magiſtratum Religionis ergò inſurgant, nè ipſis fiat, utì aliis in bello ruſticorum quondam factum fuit: mechanicos ſervos, ait, contra edictum Cæſareum centenos, gladiis & ſclopetis ſub palliis armatos ad conciones in Hernals excurriſſe, quod cauſavit Prædicantium proſcriptionem. Idem etiam ſcribit, quòd hodie ſit novum edictum affixum, nè ullus Juriſtarum aut hominum illorum dictum ad locum excurrat, ſub dato Viennæ 14. Septembris, Anno 1624. [3.]

Simili modo Pragæ, ejectis priùs puti puríque verbi Miniſtris, templa Lutheranorum tam Patribus Societatis quàm Carmelitis ab Imperatore traduntur gementibus hæreticis miſeris. [4.]

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum hoc annò. Laurea Auſtriaca lib. 8. Ortelius Redivivus hoc annò. [2.] Theatrum ſuprà citatum. Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno.

[3.] Ex literis ejusdem Originalibus.

[4.] Theatrum Europæum ubi ſuprà.

An. Chriſti MDCXXV. Monaſterii CCCCLXXXVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leopoldus I.	Joannes VII.

SUmmus Pontifex Urbanus VIII. hoc anno aperuit auream portam Jubilæi, quod jam ante annum 29. Aprilis Romæ publicari fecerat, & conſtituit, ut qui Romam incolerent, triginta continuis diebus, peregrini verò quindecim diebus tres Eccleſias, nimirùm S. Joannis Lateranenſis, SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris viſitarent, & pro incremento S. Rom. Eccleſiæ, pro Concordia Principum Chriſtianorum, pro ſalute tam ſua quàm totius Chriſtianitatis orarent, illi plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequerentur. Quod etiam Viennæ Auſtriæ ſolenniter celebratum fuit, & templa viſitanda aſſignata, nimirum S. Stephani, Scotenſe, & S. Hieronymi. Quæ cum devotione & ædificatione populi Ferdinandus ipſe Imperator cum Imperatrice, Liberis, & Aula frequentavit, ac etiam proceſſioni inſtitutæ per dicta templa interfuit. [*1]*

Præcedenti anno Imperator Prædicantes ejecerat ex Auſtria Inferiore, hoc verò etiam illos ex Auſtria Superiore proſcripſit mandato, quod ex parte afferre placet; cùm in eo perduellium acta referantur, videlicet: Omnibus notum eſſe, qualiter aliqui ex tribus Statibus Dominorum, Equitum & Civium Auſtriæ Superioris contra ſe hæreditarium ſuum Dominum & Principem absque data illis cauſa deliquerint, quas in proxima rebellione hoſtilitates, bellicos tumultus & inſurrectiones publicè exercuerint, præſertim ſibi debitum homagium præſtare denegaverint, provinciæ adminiſtrationem arripuerint; Cameræ proventus & bona invaſerint; diverſas cum diverſis rebellibus prohibitas confœderationes inierint, propria authoritate edicta, convocationes, occupationes finium, domorum & arcium fecerint, infra Anaſum Rapotenſtaino caſtro præſidium milite ſuo impoſuerint, Monaſterium Mellicenſe obſede-

ſederint, & tormentis verberârint, Ipſum Oppidum & varias parochias ſpoliârint, rebellibus Bohemis & Moravis contra ſuam Majeſtatem unam legionem trium millium peditum & aliquot ſigna equitum ſubmiſerint, Inferioris Auſtriæ perduellibus in provincia conſcribere milites, diverſoria, & delectum habere permiſerint, eis providere, pecuniarum ſummam ingentem contra ſuam Majeſtatem dictis Statibus numerare auſi fuerint, rebellibus in Bohemiam commeatum & munitionem ſufficientem miſerint, à Principe Tranſylvaniæ auxilia contra ſe Imperatorem petierint, ipſum adhortati ſint ad Ungariæ coronam ſuſcipiendam & Stiriam invadendam, legatos ad Ungaricam electionem deſtinârint, novo illi electo æquè ùt antea Palatino coronato in Regem Bohemiæ congratulati fuerint, apud omnes perduellium conſultationes Pragæ, Poſonii, Brunæ, Hornæ, Rhetii, Neoſolii & alibi legatos ſuos habuerint, unà cum confœderatis ſingularem ad Turcam delegârint, Statum integrum ſupra Anaſum exſtirpare contenderint, imò etiam dominium externum ſuſcipere intenderint: unde non tantùm Domui Auſtriacæ excidium, ſed etiam vicinis Electoribus & Principibus ſuarum provinciarum perturbationes, expenſas, timores, & labores cauſârint, ſicut etiam totum Romanum Imperium inquietârunt, multorum millium pauperum cædibus & ruinâ defædârunt, Rempublicam Chriſtianam exagitârunt, provincias ſpoliis & incendiis devaſtârunt; quare præfatos rebelles à ſe Imperatore crimine læſæ Majeſtatis condemnatos fuiſſe, omnia privilegia per hoc, vitam, & bona ſua amiſiſſe, ac proinde ad conſervandum ſuum Archiducatum Auſtriæ Superioris, ad manutenendam ſuam Authoritatem & Domûs ſuæ reputationem coactum fuiſſe, Sereniſſimo Electori Bavariæ Duci Maximiliano in dictos reos executionem ultimam demandare, quam etiam ille proſecutus fuit. Similiter manifeſtum eſſe, quòd ad dictam rebellionem & tumultum excitandum Prædicantes non minima cauſa fuiſſent, qui undique ex cathedris publicis ad inobedientiam, ad animorum averſiones & exacerbationes adversùs dominos & magiſtratus ſuos tubam inflârint, neque inde deſiſtere ſed potiùs effrontes ſanctam & ſolam ſalutiferam Religionem palàm diffamare, proſcindere, ac proclamare contenderint.

Eapropter ſua Majeſtas tales transgreſſores & malorum omnium incentores in ſuo Archiducatu Superioris Auſtriæ ſe minimè pati decreviſſe, ſed ut omnes & ſinguli Prædicantes cum omnibus ſuis infra octo dierum ſpatium ex tota provincia emigrarent, ſicut etiam ejuſdem farinæ ludimoderatores eorum exirent, hoc decreto ſeverè ſe demandare, alioquin Prætor-prætorii Adamus Comes de Herberſtorf jam in mandatis haberet, ut tales non parentes imperio ſuo dignis pœnis afficeret, non tam in bonorum ipſorum confiſcatione quàm etiam in corporali afflictione ad terrorem & exemplum aliorum. [2.] Dura hæc Auſtriacis viſa conditio, percuſſitque teli inſtar eorum pectora. Ad Imperatorem ergo ſupplices direxêre literas, poſtulantes, ut Cæſarea Majeſtas nonnihil de rigore illo remittere, & intolerabile mandatum revocare dignaretur. Legit ſupplicam Ferdinandus, non approbavit, conſtantiam ſuæ voluntatis apertè profeſſus. Mandatum deſuper datum 10. Octobris, Anno 1625. [3.]

Poſt ejectionem paſtorum Lutheranorum ſeu Prædicantium & eorum ludimoderatorum protinus Ferdinandus ſuos Lincium direxit Commiſſarios, nimirum penes Adamum Comitem ab Herberſtorf Bavaricum Prætorem Superioris Auſtriæ, Georgium Abbatem Götvicenſem, Doctorem Joannem Spindlerum, & Conſtantinum Grundeman-

demannum, Officialem Lincensem, qui convocatis Statibus nomine Imperatoris duodecim articulos Reformationem Religionis in se continentes præscripserunt observandos. [4.]

Dum hæc in Austria Superiore transiguntur, Ferdinandus Ernestus Imperatoris natu major filius Rex Bohemiæ in Regem Ungariæ Oedenburgi in regni comitiis eligitur, & octava Decembris sub Missæ Sacrificio præsentibus Imperatore & Imperatrice coronatur, Esterhasiô Palatinô regni constitutô. [5.]

Leopoldus Archidux Austriæ Episcopus Argentinensis & Passaviensis Romam proficiscitur, & Urbano Pontifici Episcopatum utrumque resignat, cujus cum dispensatione matrimonium cum Urbinatis in Italia Claudia Ducissa transigit, ejus locò Passavii in Episcopum à Canonicis electus fuit Archidux Leopoldus Gulielmus Ferdinandi Imperatoris natu Junior filius. [6.] De quo ab Admodum Reverendo P. Leone Hietman, Guardiano Passaviensi Franciscanorum hæc habeo 19. Septembris, Anno MDCXXV. mihi transmissa: „ Videlicet, quòd Serenissimus Austriæ „ Archidux Leopoldus olim Episcopus „ Passaviensis nostris Dominis Canonicis proposuerit in futurum Episcopum, etiam Serenissimum Austriæ „ Archiducem D. D. Carolum, tunc „ Episcopum Wratislaviensem & Brixinensem; cùm autem hic in Hispania fuerit mortuus, tandem modernum nostrum Episcopum Reverendissimum & Serenissimum Archiducem Leopoldum iidem Domini nostri Canonici, Anno 1625. Decembris octavâ postulârint in Coadjutorem cum futura in Episcopatu successione. [7.] „ Hæc ille. Sequenti anno Leopoldus Wilhelmus Archidux etiam in Archiepiscopum Argentinensem consentiente Lotharingiæ Duce fuit electus, sed quia Episcopatus debitis aggravabatur, proventus ejus ad octo vel decem annos sunt creditoribus pro solutione illorum deputati, Prætore constituto Domino Hermanno Adolpho. [8.]

De itinere Leopoldi supradicti Romano sequentia referuntur: „ Leopoldum Archiducem Ferdinandi Cæsaris fratrem Lauretô & Florentiâ „ Romam profectum 13. Decembris in „ Pontificio Sacello cum ejus comitibus & famulis communicavit (scilicet Pontifex Urbanus) & ad oscula „ pedum admisit. 23. Decembris in aula secretioris consistorii in Vaticano „ Leopoldo convivium exhibuit, qui „ 30. Decembris Româ in Germaniam iturus, sacris à Pontifice donis „ ornatus discessit. „ [9.] Hæc ex vita Urbani VIII. Papæ de Leopoldo, qui uxoratus Oeniponti in Tyroli sedem suam fixit.

Venio ad Monasterium Zwetlense, cujus Abbas D. Seifridus 8. die Sept. in festo B. Virginis Mariæ Natæ mundo valedixit, qui horâ nonâ matutinâ se ad sacrum solenne præparans, jam sandaliis indutus, in hypocausto angulari apoplexiâ tactus, loquelâ privatus subitò cecidit, & in lectum positus usque ad quintam vel sextam horam vespertinam jacens, signis tamen aliquot editis compunctionis, DEO Spiritum suum reddidit, sepultus in medio choro psallentium Fratrum. Cui aliter parentare non possum, quàm ejus encomia in lucem dare, nè ingratô silentiô cum ipso sepeliantur. Præfuit sibi commissæ Abbatiæ in Zwetl annis tredecim, quinque mensibus, & diebus decem, ætatis suæ annorum 48. & nisì hæreditarius ille lethalis morbus apoplexia, qua etiam Pater & Mater ejus obiêrunt, ipsum rapuisset, longiorem vitam duxisset. Principibus charus extitit, hinc eum Imperator Matthias Anno MDCXVII. primùm, deinde Leopoldus Archidux Anno MDCXIX. Legatum ad Salisburgensem misit. Ordinis Cisterciensis observantissimus, quippe qui in ipsa ma-

tre ejusdem Ordinis Cistercio annum probationis iniit cum pluribus germanis, quos inveni, nimirum Domino Antonio Wolfrath comprofesso S. Crucis, Abbate pòst Hilariensi, & Cremiphanensi in superiori Austria, Consiliario intimo Ferdinandi II. Imperatoris ac demum Episcopo Viennense: P. Damiano S. Crucis Administratore: Domino Christophoro Schaffer ibidem Abbate: Domino Andrea Hortensio Abbate Welleradensi in Moravia: Domino Georgio Abbate Hilariensi: Domino Casparo Abbate Montis-Pomerii, aliísque pluribus, qui ferme omnes ad Abbatialem dignitatem promoti fuerunt, unde à Domino Petro Salemitano Abbate in subdelegatum suum visitandi Ordinis Sacri Monasteria per Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Lusatiam constitutus fuit, qui ex officio instalavit sequentes: Dominum nempe Christophorum Schaffer in Sancta-Cruce, & in Valle-Dei P. Jacobum Algeyr, Professum Alderspacensem & sibi à secretis, virum multæ doctrinæ. Commissiones obivit Cæsareas, nam in Præpositura Zwetlensi D. Casparum Quorckium, Decanum Laureacensem installavit; in Zwetlensi civitate & Waidhofensi sæpiùs electioni Judicis & magistratûs præsedit; à Statibus etiam Austriacis cum aliis Prælatis delectus binis vicibus Pragæ consultationibus interfuit. Et quæ plura laudabilia præcedentibus annis de ipso relata repetere supersedeo.

Hæc igitur locò concionis funebris encomiasticè de dicto Domino Abbate Seifrido, meo charissimo avunculo, sint posteris commendata, & quippe qui me liberalium artium studiis expensis suis applicavit, in gratiarum actionem & liberalitatis ejus in me exhibitæ monumentum dedicata.

Jam venio ad Successorem ejus, de quo nemo meliùs quàm ille ipse scribere potest, cujus hæc sunt verba: „ Venerabili in Christo Patre ac Domino „ D. Joanne Seifrido Zwetlensis Monasterii Abbate meritissimo, octavo „ Septembris die, Anni Millesimi, sexcentesimi, vigesimi quinti mortuo, „ Reverendissimus P. Immediatus Dominus Christophorus Abbas in Sancta-Cruce octavô Novembris anni „ præfati capitulariter in Monasterio „ Zwetlensi præsidens, ad Electionis „ actum de novo Abbate & Pastore „ processit. Missâ ergo celebratâ de „ Spiritu sancto, ipsísque Electoribus „ (Fratribus scilicet Professis præfati „ Cænobii nostri) communicatis, recepit à quolibet juramentum, audítisque singulorum votis reperit Eligentium voces in Reverendum Patrem Dominum Martinum Ginterum „ tanquam sæpefati Monasterii Pastorem concurrisse. Quapropter administratoriô modô rexit Zwetlam „ tam in spiritualibus, quàm temporalibus usque ad Septimum Junii „ diem, anni sequentis &c. [10.] „ Hæc ille de Electione sua & Administratione Monasterii. Abbate igitur destituta fuisset Abbatia decem ferme mensibus usque ad Septimum Junii, Anno MDCXXVI.

ADDITIONES.

*[1.] Ciaconius in Urbano VIII.
Item Spondanus hic n. 1.
Laurea Austriaca lib. 9.

[2.] Laurea Austriaca cit. loco.
Theatrum Europæum hoc anno.

[3.] Everhardus Wassenbergius sub bello secundo Austriaco.

[4.] Theatrum Europæum anno præcedenti.

[5.] Idem hoc anno.
Everhardus Wassenbergius sub Coronatione Ferdinandi III.
Continuatio Calendarii Ederiani.
Spondanus hic n. 11.

[6.] Laurea Austriaca lib. 9.

[7.] Ex actis Capituli Passaviensis.

[8.] Lau-

[8.] Laurea Austriaca cit. locô.
[9.] Ciaconii continuatores sub Urbano VIII.
[10.] Ex annotationibus D. Martini Abbatis.

An. Christi MDCXXVI. Monast. CCCCLXXXVIII.

Pont. Rom. Urbanus VIII. *Imp. Rom.* Ferdinandus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem.

Episcopus Pataviensis Leopoldus II. *Abbas Zwetlensis* Martinus II.

POntifex hoc anno duodecim Cardinales creavit, inter quos etiam fuit Ernestus Adalbertus de Harrach, Archiepiscopus Pragensis in natione Germanica solus. *[1.]

Mansfeldius Comes cum auxiliaribus copiis suis pontem Dessaviensem à Cæsarianis occupatum & bene munitum invadere statuit, & primâ Aprilis in munimentum primum insultum fecit, sed miles Cæsarianus alacriter se defendens ipsum cum damno repulit, donec Fridlandiæ Dux cum exercitu clam adveniret, tunc belli aleam tentare voluit, insciô Mansfeldiô è munimento erupit cum exercitu, & eundem præliô petiit, quo aliquamdiu resistente, tandem ejus equitatus fugam inire compulsus est, peditatus autem quatuor legionum facilè dissipatus fuit. Amissis ita tribus millibus hominum, & septem tormentis receptis cum triginta & aliquot vexillis, tribus colonellis cæsis, & Kniphausen capto, victoria penes Cæsarianos stetit. [2.] Hanc Urbanus Pontifex intelligens Romæ, cum septemdecim Cardinalibus ad Ædem S. Mariæ de Anima Germanicæ nationis profectus, Sacrum fecit ac DEO gratias egit. [3.]

Bellum porrò hoc anno in Austria Superiore exortum est sanè periculosissimum, nam in fine Maji mensis rusticorum aliquot millia concurrentes hostilia exercebant, aliquot oppida & civitates, ùt Dachsberg, Grieskirchen, Barz, aliáque loca occupârunt, Peurbachium & Wazenkirchen combusserunt, Præfectos castellorum aliquot cum eorum uxoribus & familia, sicut etiam aliquot Sacerdotes trucidârunt, dominia eorum, qui rusticanas partes sequi nolebant, spoliârunt & cremârunt, ex captis arcibus tormenta & arma rapientes, illis se vestiêrunt, & duodecim secum currulia tormenta circumduxerunt. Causa hujus belli fuisse ponitur mandatum Cæsareum anno priori ad Acatholicos missum, quod dum Gubernator Lincii Adamus Comes Herbersdorfius jussus exequi statueret, lapidibus Comitem pepulêre. Ussit ignominia virum & ulcisci placuit. Contractis ergo mille quingentis militibus in rebelles duxit, sed hi jam decem millibus congregati, Herbersdorfii militem internecione deleverunt. Hoc successu animosiores facti, Welsam, Stiram, Lambacum, Gemundam, aliásque arces & oppida expugnârunt, & triginta ex variis locis comparatis tormentis, populationibus, latrociniis, ferro & igne omnia infesta reddidêre.

Jam altera vice monendos rusticos Cæsar duxit, misśisque Legatis pacem paternam suasit. Fuêre autem Legati sequentes, Carolus Fuchsius Baro, Wolfgangus Nicolaus de Grüenthal, Krembseeg, & Reinsperg, Imperio-Aulici Consiliarii, & Martinus Haffnerus U. J. Doctor & in Excelso Regimine Assessor. Illi Legatis arrestô detentis, sex cives & rusticos Viennam misêre. [4.] Interim dum sui Viennæ hærent, tria navigia armatis Bavarorum militibus plena pronô fluviô Lincium navigantia, invadunt, superant, mactatis omnibus ad unum militibus.

Prono tali victoriarum cursu Freistadium attigêre, & expugnata Urbe aditum sibi in Bohemiam usque aperuerunt. Fortalitium etiam ad Silvam in Tabor dictum ducentis rusticis muniêrunt, per quod ex Arbesbach datur iter in Austriam Superiorem. Tunc quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina jura violata sunt. Deinde Lincium profecti, ad suam ipsorum perditionem fortuna se vertit. Nam primô statim exordiô cum ipsorum Generalis Stephanus Fadingerus agricola minacibus cives literis, ut Herbersdorfium Comitem traderent, monuisset, tormenti globo pede mulctatus occubuit. Nihil illi hoc casu turbati, vehementiùs institêre, sed uno assultu jugulati sexcenti. Infelici hoc adhuc impetu attonitis Löbelius colonellus supervenit, mille quingentis eorum trucidatis, quindecim tormenta abduxit, mox Eberspergam expugnavit.

Efferati suorum strage rustici, Lincii magna murorum parte quassata tormentísque diruta, nocte continuant & die assultus, nec pares fore præsidiarii videbantur, nisì resinâ & pice rusticorum interulas incendissent. Æquâ fortunâ alii rustici ad Danubium excepti, qui navigiis quinque pulverem, globos, tormenta, viros, Danubio crediderunt. Herbersdorfius autem hoc intelligens misit trecentos silentiô fistulatores, qui sub crepusculo vespertino ad littus appellentes rusticos invaserunt, & plerosque trucidârunt, inde navis nitrato onusta pulvere, crebris fistularum fulminibus ignem concepit, omnibúsque aquâ & igne consumptis, reliquias rusticorum cum laceratis navibus secum mersit. Unô interea novi eorum Generalis Achatii Willingeri sutoris edictô ultra septuaginta millia convenerunt, qui denuo coronâ cingunt urbem, prostratísque magno hiatu mœniis, præsidiarios continuo fatigabant assultu. Herbersdorfius autem stratagemate militari eos per dictum hiatum intrare permittit, revocatis præsidiariis in civicas domos, & tormentis in eos directis, ipsorum usque ad sexcentos ingressis, hiatum obserari fecit. Tunc crebro tormentorum vomitu rusticos fœdavit, nec facilè quisquam ludibria, maximè Croatarum, scripserit, barbas vellunt & mystaces, auriculas & nares scindunt.

Audito rusticorum exinde metu Löbelius de improviso eos invasit, & jugulatis nongentis, undecim machinis potitus in tuta se loca recipit. Mox iterum duobus millibus militum ad Eberspergam in decem millia invectus, omnes dissipavit. Restabant autem pertinacissimi omnium quadraginta millia, & addiderunt suæ veneficia feritati, Lindloum & Hubnerum Tribunos internecione deleverunt. Quibus submissus Henricus Godefridus Comes Pappenheimius, (rustici eum per Danubium putantes descendere, funibus catenísque securum sibi reddidêre flumen, sed non ille Neptunus, Mercurius erat) ad Cæsarianos cum Bavaro milite Lincium advolavit, & conjunctis cum Löbelio viribus ad Eferdingam in rusticos movit, & facto prælio longo & acri, cùm fistulæ in veneficio duros nihil proficerent, fustibus ferróque ipsos mactavit, sic trucidata & occisa 10. Novembris quatuor millia, mille verò, dum ad insulam quandam fugiunt, Danubiô sunt mersi; Eferdinga cum quinque majoribus machinis Cæsarianis cessit. Postmodum electô à rusticis quodam studiosô pro Generali suo, alteram Pappenheimio pugnam faciunt, qua Löbelium & dextrum cornu in fugam vertunt, sinistrum verò cornu ducentis passibus ferocia & copia rusticorum cedere compulit, qui rustici tandem cùm à fronte denuo, à tergo, à lateribus urgerentur, partâ unâ ferro viâ glomeratis passibus fugiebant, quæ victoria Pappenheimio cessit 14. Novembris. Sex millia, dissipatis ceteris, interierunt. Reliquiæ ad Fecklabruggam

gam in unum rursus coaluêre corpus, & bellum restaurârunt, in quos Cæsarianorum impetus, duobus millibus trucidatis, factus, eos pepulit.

Tertio hoc illis à Pappenheimio inflicto vulnere nonnihil vacillabant, sed rursum à Studioso ipsorum Generali excitati & animati ultimam belli aleam quasi desperati jacere decreverunt, & in campo prope Wolfseckium pugnam fatalem iniêrunt, quibuscum satis acriter pugnatum, donec Studiosus ille justas dedit temeritatis suæ pœnas, siquidem cum Vicario suo Bernardo Ekkero vivus in manus hostium venit. Tunc frigidiùs instare rustici, inde cedere, mox omni abjecta spe apertè fugere. Hos assecuti Cæsariani omnes trucidârunt. Quinque millia cæsa, septem tormenta capta sunt. Plerique belli concitatores per Silesiam fugientes, viginti sese Danico miscuêre bello. Ceteros in sedes suas Comes Pappenheimius quasi greges in stabula pastor deduxit, omniáque loca per Superiorem Austriam Cæsari recuperavit. In formidolosissimi verò belli concitatores paulatim animadversum. [5.] Atque hæc de bello rusticorum intra sex menses confecto.

Archidux Leopoldus hoc anno primùm nuptias suas cum Claudia de Medices Urbinatis Principissa 25. Aprilis Oeniponti celebravit, qui Tirolim possidebat. [6.]

Bellum præterea Suecicum suum initium sumpsit, dum Poloni Lifflandiam à Suecis occupatam recuperare laborarent, tunc duplici prælio victi cedere debuerunt. Rex autem Sueciæ Prussiam invadens majores civitates occupavit, nimirum Braunsbergam, Frawenburgam, Mariæ-bergam, Elbingam, cum Gedanensibus quidem de neutralitate tractare cœperat, sed illi fideles coronæ Poloniæ manserunt. Tandem hic annus velitationibus hinc inde factis, Comite Juniore de Turri fortiter rem agente, expiravit, post aliquot frustraneas tractationes pacis Rex Sueciæ Gustavus Adolphus in hiberna in Sueciam rediît, occupatis locis præsidio ubique forti munitis. Sigismundo Poloniæ Regi aliquot Germanorum legiones in auxilium ab Imperatore missæ sunt, quod postea bello Germanico occasionem dedisse videbatur. [7.] Hujus belli initiô Oliva celebre Ordinis Cisterciensis Monasterium non procul à Gedano situm à Suecis spoliatum fuit.

Tandem invisum Cæsari Imperióque caput, in perniciem Germaniæ natum, Comes Ernestus Mansfeldius, dum Venetias procurrere instituit, datum in itinere, ùt ajunt, venenum visceribus ferens, in Bosnia corripitur dissenteriæ malô, & infelicem emittit animam, qui nec sic quidem pares sceleri pœnas effugit, cùm illum suum ipsius malum post mortem sequeretur. [8.]

Venio ad Monasterium Zwetlense, quod administratoriô modô per D. Martinum providebatur, electio autem novi Abbatis jam año præcedenti octavâ Novembris celebrata fuerat, hoc anno septimâ Junii electa persona publicata fuit & confirmata. Sicut hoc paucis Electus ipse perscribit: „ In quorum, ait, omnium & singulorum evidens testimonium, certum Electionis & Confirmationis decretum præfati Domini Præsidis (scilicet Abbatis S. Crucis) sigillô roboratum, Monasterio nostro & novo Abbati Martino traditum fuit. Actum 6. Junii 1626. [9.]„ Ejus installatio facta fuit in Dominica Trinitatis, sicut & infulatio, quam Abbas S. Crucis, utì Vicarius Generalis perfecit. Actum verò suæ jurisdictionis Abbas Martinus primùm exercuit, cùm post obitum P. Joannis Fiderer Aulæ-Regiæ in Bohemia Professi, Vicarii tunc in Windigsteig, novum sibi Vicarium instituit P. Jobum Edmundum Cramerum Zwetlensis Monasterii Professum.

Demum idem ait: „ Hoc anno „ mense Majo ob tumultum in Superiori Austria propter rebelles colonos exortum dimissi sunt ex Monasterio Montis-Pomerii Conventuales duo, P. Ægidius N. & P. Joannes Pisciculus, manserunt usque ad festum Omnium Sanctorum ejusdem anni, scilicet in Monasterio Zwetlensi hospites, quamdiu nimirum rusticorum bellum duravit. [10.] „

Scribit D. Martino Abbati in Zwetl Advocatus Monasterii Christophorus Scholtz Viennâ, quòd 24. Septembris Monasterium Sanctæ-Crucis incendiô valde deformatum fuerit, templo solo conservato, cujus flamma de nocte Viennæ etiam visa fuit. [11.]

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum hoc anno.

[2.] Idem ibidem. Laurea Austriaca lib. 10.

Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno.

Spondanus hîc n. 8.

[3.] Ciaconius sub Urbano VIII.

[4.] Theatrum Europæum hoc anno.

Wassenbergius in Commentario sub bello Austriaco.

Laurea Austriaca lib. 10. & 11.

Continuatio Calendarii Ederiani ubi suprà.

[5.] Ex literis D. Hackelbergeri.

[6.] Theatrum Europæum hoc anno.

[7.] Idem ibidem. Laurea Austriaca lib. 11.

[8.] Wassenbergius sub bello Transylvanico III.

[9. & 10.] Ex Annotationibus D. Martini Abbatis.

[11.] Ex literis ejusdem Advocati.

An. Christi MDCCXXVII. Monast. CCCCLXXXIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

Bellô rusticorum in Superiori Austria sopitô, Ferdinandus Imperator Viennæ mandatum sanctum & severum 20. Septembris promulgari fecit, quo omnes & singulos Prædicantes eorúmque Ludimagistros ex universa Inferiore Austria æternùm proscripsit, vetans exercitia Religionis adversæ fieri, nec ulla Sacramenta ab iisdem administrari, vel scholas haberi, sub pœna corporali transgressoribus infligenda, & eum in finem ex omnibus locis, ex arcibus, ex civitatibus provincialium, ex oppidis, pagis, prædiis, molendinis; aliísque mansionibus dictos Prædicantes ac Scholiastros post publicatum hoc mandatum præfata die abire jussit, quòd illi inviti cum mœrore acatholicorum Procerum, civium, ac rusticorum in effectum deducere debebant. Inde Lutherani quasi greges sinè pastore vagabantur, & unicum solatium in Ungaria quærebant. *[1.] Et ut securi de provincia exire possent, datæ sunt ipsis exeuntibus cum reculis suis, uxoribus, & liberis literarum securitates à certis locis ipsis designatis, sic qui in Austria Inferiore supra Montem-Mainhardi habitârant, illi à Magistratu Bipolis Crembsensis easdem petere tenebantur; quod & factum; quare intra octiduum quinquaginta duo ejusmodi præcones à dicta civitate securitatis literas suas acceperunt, & emigrârunt. Testis hujus rei Grammateus ibidem tunc præsens, qui hæc retulit.

Urbanus VIII. Summus Pontifex hoc anno septimô Calendas Junii, Germanicæ nationi favens Collegia (*Societatis*) Viennense & Pragense distinctis literis magnô tuendæ propagandæque Catholicæ Religionis Zelô inflammatus confirma-

firmavit. [2.] Hoc etiam anno septem Cardinales creavit. Ab eodem Pontifice Cardinalis Kleselius pecuniâ adjutus Româ dimissus in Germaniam rediit suum Episcopatum Viennensem in Austria recepturus, ubi ab Universitate & Magistratu solenniter fuit susceptus, & sub umbella ad Cathedralem suam Ecclesiam sub pulsu campanarum à Clero introductus. [3.] Summus idem Pontifex etiam hoc anno 15. Decembris Sacro Cisterciensi Ordini ad instantiam D. Petri Nivellii Generalis Cisterciensis, & D. Gabrielis Durandi Abbatis S. Mariæ ejusdem Ordinis in Romana Curia Procuratoris, & Vicarii Generalis, concedit utriusque sexûs fidelibus omnibus Ecclesiam Cisterciensem, aut alias ejusdem Ordinis ubicunque locorum sitas Ecclesias Regulares visitantibus, &c. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, Pontificatûs sui annô quintô. [4.]

Ferdinandus Imperator cum Augusta Conjuge sua Eleonora Mantuana & duabus Principissis filiabus, atque cum filio Rege Ungariæ Ferdinando Pragam se contulit, quò 18. Octobris etiam pervenit, & tormentorum tonitru de monte S. Laurentii, campanarum pulsu, & Canticô Ecclesiasticô in omnibus templis solenniter decantatô exceptus fuit, ubi comitiis regni habitis, primùm Eleonoram in Reginam, deinde Ferdinandum Ungariæ, in Bohemiæ Regem coronari fecit, ipse in apparatu Cæsareo semper præsens & spectator, quæ solennitas in festo S. Catharinæ 25. Novembris Pragæ peracta fuit. [5.]

Hæc Metropolis regni Bohemiæ hoc anno Calendis Maji excellenti Thesauro ditata, nimirùm corpore S. Norberti Episcopi quondam Magdeburgensis, cujus reliquiæ de Monasterio Taxensi, ubi aliquamdiu steterant, cum summa pompa Cardinale à Dietrichstain comitante in Cathedralem Ecclesiam S. Viti deportatæ, & ab hinc sub omnium campanarum sonitu in Monasterium dictum Strahof Præmonstratensium, cujus Ordinis Sanctus iste fundator fuerat, in templo ejusdem solennissimè depositæ fuerunt. [6.] Quo Patrono viduatum Magdeburgum sensit Martem postea fortem, excidium suum vidit, & bustum factum est, utì suo tempore scribetur.

Vienna quoque hoc anno 21. Aprilis magnô deformata fuit incendiô, nam horâ decimâ antemeridianâ ortum fuit apud restiarium butyrô incensô in strata Ephippiariorum, & ventò accedente centum sexaginta domus incensæ, partim quidem non integrè consumptæ, partim verò usque ad fundum exustæ sunt, inter quas flamma corripuit Monasterium Monialium ad S. Jacobum, & Curiam S. Crucis devoravit, &c. Non tantùm in civitate mansit incendium, sed etiam in suburbium Danubianum ultra pontem sublicium ventô delatum decem ibi domos devoravit, in quo incendio aliquot homines periêrunt. [7.] Ego, qui hæc scribo, tunc eram in Civitate in domo Zwetlensi manens, & hujus incendii spectator fui, duravit die illa tota, qua ortum est, & nocte integra cum sequenti media die, qua penitus restinctum fuit. Mirum dictu, in pariete domûs aurei cervi erat pro signo cervus ligneus deauratus cum crucifixi inter cornua imagine & desuper tectum, hoc, igne consumpto, non læsa fuit imago, nec à flamma tacta. Tanta verò fuit ignis rapacitas, ut etiam in aquis naves stantes & juxta parietes littoris ligneos combusserit usque ad aquam. Nuptiæ tunc temporis in aula Imperatoris celebrabantur, quibus exinde dissipatis videre erat proceres in splendidis vestibus obequitantes plateas, & ad restinguendum populum excitantes; portæ etiam omnes clausæ præter Rubram Turrim, quæ ad hauriendam aquam & homines vicinos immittendos Imperator apertam haberi jussit.

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum hoc anno. Spondanus hìc n. 7. „ In Germania
„ Duces Cæsarei Tillius, Walsteinius, aliíque, gnaviter contra Regem Daniæ, aliósque Imperii hostes agentes; Regem multis variísque cladibus affectum totâ Saxoniâ expulerunt; in aliis provinciis multa recuperârunt; nonnullos Principes ad obsequium Imperatoris reduxerunt. Dum interim ipse non solùm belli curam gerens, verùm etiam animarum saluti intendens, quæ religionis erant, per Boëmiam, Austriam, ac reliquas provincias hæreditarias, diligentissimè curavit; fidem Catholicam & disciplinam ubique stabiliens, concionatores hæreticos pellens, bonáque Ecclesiasticis totâ Germaniâ restituens: adjutus maximè Caroli Caraffæ Episcopi Aversani Nuncii Apostolici solicitudine, qui egregiam operam in his omnibus toto hoc bello adhibuit.

[2.] Additiones ad Ciaconium sub Urbano VIII.

[3.] Theatrum Europæum hoc anno.
Continuatio Calendarii Ederiani hoc anno.

[4.] Ex copia literarum seu Transumpto.

[5.] Theatrum Europæum hoc anno.
[6.] Idem ibidem ubi suprà.
Item Spondanus locô citatô.
[7.] Laurea Austriaca lib. 12.
Item Continuatio Calendarii Ederiani ubi suprà.

Annus Christi MDCXXVIII. Monasterii CCCCXC.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

FErdinandus Imperator hoc anno 25. Aprilis in gratiarum actionem & pro æterna memoria in loco prælii facti in Monte-Albo ad Pragam templum & Monasterium construxit, quod vocavit S. Mariæ de Victoria, illúdque Ordini Servorum Beatæ Mariæ Virginis incolendum dedit, ubi dicta die primum ipse fundamenti lapidem consecratum præsentibus infrà scriptis posuit, lapidis hujus majusculis talis erat inscriptio: „ Anno 1628. die 25. Aprilis „ Ferdinandus II. Imperator semper „ Augustus, Catholicæ fidei defensor „ acerrimus pro gratiarum actione Victoriæ, contra rebelles & hæreticos „ Anno 1620. die 8. Novembris in „ Monte-Albo obtentæ, hujus sacri „ templi S. Mariæ de Victoria primum „ fundamentum posuit, Urbano Pont. „ Max. (præsentibus scilicet) Eleonora „ Gonzaga Imperatrice, Ungariæ & „ Bohemiæ Rege Ferdinando III., Archiepiscopo Pragensi Cardinali Ernesto ab Harrach, P. Henrico Generali Ordinis Servorum B. Mariæ „ Virginis. „ *[1.] Hucusque lapidis inscriptio, & Imperatoris piissimi devotio.

Hujus indefessum studium ad Catholicam Religionem promovendam nemo satìs laudare potest, nam non tantùm in Austria, Viennæ nimirùm, omnes Acatholicos in Domo provinciali ab officiis publicis amovendos mandans, sed etiam in Silesia, Moravia, aliísque pluribus locis, etiam in Imperio Reformationem cœptam constanter prosequi voluit, licèt multa obstacula inveniret. Ad hæresim autem Lutheranam labefactandam illi persuasum fuit, nullum arietem magìs ejusmodi sectæ muros evertere posse, quàm si ipsis bonorum Ecclesiasticorum injustè detentorum, à Conventu Passaviensi ultimo celebrato, Catholicis, quibus olim fundata fuerant, restitutio seria injungeretur. [2.] quod & sequenti anno factum est. Hoc Urbanus VIII. Pont. percipiens, quia res ardua erat, & Ca-

& Catholica fides inde promovebatur, universale indixit Jubilæum Martio mense hoc anno, ad DEI opem in tam urgentibus Ecclesiæ necessitatibus implorandam, [3.] quod Carolus Liber Baro à Kirchberg, Passaviensis Canonicus, Cæsaris & Archiducis Leopoldi Wilhelmi &c. Episcopi Argentinensis & Passaviensis Consiliarius, ejusdémque Curiæ Episcopalis Viennæ Vicarius in Spiritualibus, & per Austriam infra Anasum Officialis Passaviensis 22. Maji in Diœcesi præfata publicari fecit. Bulla Pontificis data est Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die octava Aprilis, Pontificatûs verò ejusdem annô quintô. Transumpti hujus datum Viennæ Austriæ ex Curia Episcopali Passaviensi ad S. Mariam in Littore sitam dicta 22. Maji Anno 1628. [4.]

Generale etiam Capitulum hoc anno ab Ordine Cisterciensi omnibus ejusdem Abbatibus indictum fuerat, unde D. Christophorus Abbas S. Crucis in Austria ejusdem celebrationem D. Martino Abbati in Zwetl tanquam Vicarius Generalis significat, eundémque Viennam vocat ad Austriæ Abbatum Conventum habendum, ut in eo de aliquo mittendo concludant, cui omnium Monasteriorum ac totius Ordinis per Austriam constituti gravamina & difficultates apud dictum Capitulum deponenda committere possint. Viennæ datum 29. Januarii, Anno 1628. [5.] Quod Capitulum mense Majo celebratum est.

ADDITIONES.

[1. & 2.] Theatrum Europæum hoc anno.
[3.] Additiones ad Ciaconium sub Urbano VIII.
[4.] Ex transmisso Transumpto.
[5.] Ex literis ejusdem.

Annus Christi MDCXXIX. Monasterii CCCCXCI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

INvictissimus æquè ac Religiosissimus Imperator Ferdinandus II. per belli Duces suos hucusque felix & Augustus, quas à duodecim jam annis victorias habuisset, Catholicæ Religionis beneficiô, in fidei suæ authorem gratus asscribebat: hac ejus pietate & gratitudine Ecclesiastici quidam freti, de suorum restitutione bonorum cogitare cœperunt, & prævia deliberatione profecti ad Cæsarem animi sui sensum aperiunt. Imperium jam Imperatoris, & devictis in circuitu hostibus nullum, quod remoraretur, esse impedimentum: Non injusta se postulare, nec alia quàm ipsi antea protestantes diversæque Religionis Passavii pridem concluserint, cum juramento se, nulla porrò Ecclesiastica bona invasuros, obligarent. His, re ultrò citróque in consilio versata, tandem Cæsar assensit in DEum & fidem pius. Qui omnia perpeti potiùs, quàm DEum, fidem, & Ecclesiasticam cum æquitate causam violari mallet. Itaque acerrimum Viennæ mandatum ad omnes Imperii Principes, ad omnes Imperii Urbes exivit, quo sub pœna omnium privilegiorum, immunitatum, jurium & Imperialis fulminis seu banni, de facto, Ecclesiasticorum bonorum post Passaviensem compositionem restitutio urgebatur. Quo uno Cæsaris edicto integri Archiepiscopatus, Episcopatus multi, Prælaturæ plurimæ, Ecclesiarum, Cœnobiorúmque millia ad Romanæ Ecclesiæ gremium revertebantur. Econtra in-

ingens per Imperium metus, turbatio, murmur; cùm plerique insurgerent, quorum intererat. Ecclesiastici verò petierunt sibi restitui sequentia loca: Archiepiscopatum Magdeburgensem & Bremensem; Episcopatus, Mindensem, Halberstatensem, Verdensem, Lubeccensem, Razeburgensem, Misnensem, Mörseburgensem, Naumburgensem, Brandeburgensem, Havelbergensem, Libussensem, & Caminensem. *[1.] Præter hos diversorum antiquorum Ordinum Prælaturas & Monasteria, quorum nomina in decursu Annalium horum aliquando occurrent.

Urbanus Pontifex hæc audiens, & gaudiô gestiens mense Aprili Cardinalibus narravit, Sectarios in Germania ad bona Ecclesiæ, quæ injustè detinent restituenda, Imperatoris, cujus pietatem laudibus extulit, lege compelli. [2.] Hic etiam in sua re jus suum arripuit, & Juniorem Cæsaris filium Archiducem Leopoldum Guillelmum Archiepiscopum Magdeburgensem designavit, cùm jam Urbs suæ Religionis Augustum Saxonis Electoris filium in caput suum elegisset, qui Administratorio nomine præesse solebat. Non consensit Imperator, periculosa ejusmodi exempla in consequentiam nolens trahi. Quæ causa fuit, ùt à Cæsarianis, Fridlando Gustraviæ hærente, Magdeburgum obsidione cingeretur, quod factum mense Majo, sed rursum 9. Octobris hoc anno soluta fuit, quia Cæsari se humiliaverant, & gratiam impetrârunt, sic sua illi Urbi restabilita libertas. [3.]

Interea Suecorum Rex Gustavus Adolphus contra Sigismundum Poloniæ Regem hæreditarium bellum gerebat, cui etiam Prussia omnes suarum civitatum portas aperiebat, cum tempore proficiebant victoriæ, & Poloniæ Rex invita nobilitate belligerans, nec viribus nec virtute par erat. Hic ab Imperatore petiit, ut cùm sui deficerent, vicinis ad Stralesondam copiis sublevaretur. Favebatur agnato & Religione conjuncto Regi. Quare jussu Ferdinandi Imperatoris Albertus Dux Fridlandiæ Arnhemium Cæsarei exercitûs Mareschallum cum viginti armatorum millibus in subsidium mittit. Inde Sigismundus germanici roboris beneficiô, non uno prælio superior evasit. Gustavus Adolphus cladibus suis irritatus, ab hostibus in auxiliatores, à Polonis in Germanos, à Sigismundo Rege in Imperatorem & Imperium odium vertit. Hinc cum Rege Poloniæ, intervenientibus illis, quibus potiores videbantur Imperii clades, sex annorum inducias pepigit. [4.] Hæc causa belli futuri Suecici, Germaniæ totius ruinæ.

Romanus Pontifex de his omnibus certior factus, cùm unà pestilentis morbi discrimina imminere, annonæ caritatem pervagari, bellíque procellas in Catholicæ Religionis damnum, non unam Christiani orbis partem invadere intellexisset, Jubilæum generale indixit. [5.]

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum Part. 2. sub hoc anno.

Florus Latinus part. 3. sub Confœderatione Lipsiensi.

[2.] Additiones ad Ciaconium sub Urbano VIII.

[3.] Theatrum Europæum ubi suprà.

Florus Latinus part. 2. sub bello Magdeb. primo.

[4.] Theatrum Europæum cit. locô.

Florus Latinus part. 3. sub bello Suecico.

[5.] Additiones ad Ciaconium sub Urbano VIII.

Spondanus hic n. 1.

AN-

Annus Christi MDCXXX. Monasterii CCCCXCII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

MAntua hoc anno 8. Julii à Cæsariano milite per stratagema capitur, nam Dux Altringerus eam obsidebat, qui literas hostium ad Venetos datas intercepit, quos pro quinque millium subsidio sollicitaverant. Altringerus quinque millia ex suis eligens castris subduxit, mox scenica inter illos pugna, cùm non ferrô, sed fraude, non globis, sed pulveribus pugnaretur. Inde perruptis quasi castris sub vesperam Mantuam pervenêre, Venetósque se & quinque millia dicentes, cùm Mantuani tot scripsissent, & expectarent, & testimonium veritatis prælium faceret, portam eis aperuêre. Patefactâ portâ dolus patuit, & intromissi securos sui spectatores & gratulatores invadunt. Verumtamen tota in eos urbe concurrente discrimen erat: sed aderat fatum capiendæ Urbis. Aliis jam portis Cæsariani feroces infestíque imminebant, præsidióque nudatas vi aperiunt, omnibus portis pariter irrumpentes, à tergo præliantes invadunt: sic proclive erat integro exercitu circumventos trucidare. Nivernius Dux cum uxore & liberis ad arcem fugit, sed quoniam præsidiô destitutus, resistere non valebat, pacisci cœpit, & de legibus facilè necessitate convenit. Arcem Cæsarianis cessit, Dux non in Galliam aut Venetias, sed Ferrariam permissus abire, pactis stetit & abivit. Capta urbs per continuos tres dies spoliata fuit, & quadraginta octo vexilla Ferdinando Imperatori transmissa sunt. Mille ducenti Judæi urbe exacti, necquicquam illis auri aut argenti, aut fortunarum permisêre, quàm in viaticum tres coronatos. Omnia victorioso militi permissa. *[1.]

Interea Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ Summum Pontificem adeunt, & rogant sibi confirmari titulum Eminentissimi & Eminentiæ, quem deposito priori titulo illustrissimi & Illustrissimæ Dominationis sibi unanimes elegerant, quod & fecit, prohibens quibuscunque (exceptis Imperatoribus & Regibus) illo uti sub pœna disgratiæ, & ad dignitates inhabilitatis, aliarúmque gratiarum aut indultorum Apostolicæ Sedis, atque sub interminatione amissionis redituum Ecclesiasticorum aut beneficiorum, quæ ipso facto incursuri essent. [2.]

Principes Imperii acatholici contra edictum anno priori promulgatum Cæsareum de restituendis bonis Ecclesiasticis protestationem Ferdinando Imperatori obtulerunt, quæ ipsi suspecta videbatur, indulsit tamen & Ratisbonæ conventum indicens, Viennâ profectus 29. Junii urbem intravit. Mox & varii Protestantium, Brandenburgici & Saxoniæ Electorum Legati comparuerunt. Nec tantùm Cæsareum hoc de Ecclesiasticorum bonorum post Passaviensem contractum restitutione, edictum revocari petierunt: sed omnia in eum, quo ante rusticorum in Austria tumultum fuerant, statum restitui voluerunt. Neutrum Imperator concessit: sed obfirmatô ad omnia animô propositi sui tenax, quod edicto suo volebat, generali conventûs decreto urgebat confirmari. [3.]

Gustavus Adolphus Rex Sueciæ factis cum Poloniæ Rege sex annorum induciis, hoc anno in Imperium viris, armis, terrâ marique movit. Ipse prior Stralesondam navigavit, & tertiô jam annô à Fridlando nomine Cæsaris

ris obsessam, tertiò defensam, obsidione liberavit: & terrâ marique infestus, Rugâ demum insulâ Cæsarianos pepulit. Usodomam insulam occupavit: Wolgastum deditione accepit. Inde mense Julio metropolim Pomeraniæ Stetinum proficiscenti, Bogislaus Dux obviam venit: hic assumpta quadam controversiarum larva, præsidium, quod Cæsarianis denegârat, urbe admisit, quam Gustavus Adolphus sedem belli destinavit. Cùm ergo initium belli Germanici fecisset, quorum aut viribus aut votis faceret, paulatim erupit. Adfuêre Gallici, Batavici, Anglici, Moscovitici Venetique Legati, in Austriacam domum omnes obliqui. Horum decretô Gustavus Adolphus Rex ipse, Regum, Rerúmque publicarum constitutus est Generalis. Rex Galliæ quater centena millia imperialium annua promisit, reliqui pro sua facultate ut convenit. Hæc dum Ratisbonæ perciperentur, Ferdinandus Imperator cum Principibus Imperii in dictum Succorum Regem bellum decernit, & ipsum Regem hostem Imperii declarat, missis ad eum literis intimatoriis. Ac statim eligunt Ducem Bavariæ Maximilianum in caput militiæ totius Catholicæ Ligæ, cui pro Generali Locumtenente Joannem Tzerclasium Comitem Tillium adjungunt. Qui per Imperium impigrè colligentes militem, brevì justum habuerunt exercitum. [4.]

His peractis Eleonora Gonzaga Ratisbonæ 7. Novembris in Romanorum Imperatricem in Cathedrali Ecclesia solenni pompâ coronatur in præsentia plurimorum Electorum, Principum, Comitum, Nobiliúmque. Post coronationem verò ipsius conventus Principum solvitur, & Imperator cum aula tota 13. Novembris Ratisbonæ naves conscendit, felicitérque 24. ejusdem Viennam appulit. [5.]

Cardinalis Melchior Kleselius Episcopus Viennensis & Neostadiensis in Austria, ætatis suæ septuaginta septem annorum, Viennæ beatè obiit, cujus corpus à templo Scotorum ad Cathedralem S. Stephani basilicam funebri pompa delatum, & ad castrum doloris depositum, tribus Sermonibus panegyricis & sacris funeralibus persolutis 20. Novembri ibidem ante Altare Beatæ Virginis fuit tumulatum. [6.] Postmodum ad electionem novi Episcopi deventum, quem Ferdinandus Imperator designavit Dominum Antonium Abbatem Cremiphanensem, qui sui Monasterii manens Abbas præsentationem Cæsaream de se factam ad Summum Pontificem Romam direxit, anno verò sequenti confirmationem Episcopatûs Viennensis Pontificiam accepit. Officialis Viennensis D. Schwab Decanus Kirnbergensis factus, in domo provinciali sessionem occupavit. Hæc Viennâ 22. Decembris, Anno 1630. [7.] Abbati Domino Martino à Monasterii Advocato Domino Senglero perscripta fuêre. Episcopatus Neostadiensis proprium etiam Episcopum sortitus est.

Ad Viennam 9. Augusti hoc anno super vineta juxta Calenbergam, Medlingam, Brunnam, Petersdorfium & Pisenbergam grando nuce avellana major cecidit, & multum damni attulit vinitoribus. [8.]

Abbas Martinus Sacellum antiquum S. Ægidio sacrum in grangia Kleehof dicta reparari, & primâ Septembris divinum Officium in eo fieri curavit, præsente frequenti populo, nam Zwetlensis Vicarius, & Parochus ex Fridersbach supplicationem eò publicam instituerunt, quod singulis annis in Dominica proxima diei S. Ægidii sacrô cantatô & concione adhuc frequentatur. [9.]

AD-

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum part. 2. hoc anno.

Commentarius Waſſenbergii editione 2. ſub bello Italico.

Item Spondanus hìc n. 3.

[2.] Theatrum ſuprà cit. hoc anno.

Item Spondanus ubi ſuprà.

[3.] Theatrum Europæûm hoc anno.

[4.] Commentarius Waſſenbergii ſub bello Succico.

[5. & 6.] Theatrum citatum cit. locô.

[7.] Ex literis Doctoris Sengleri.

[8.] Theatrum Europæum ubi ſuprà.

[9.] Ex Annotatione Cellerarii.

Annus Chriſti MDCXXXI. Monaſterii CCCCXCIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leopoldus II.	Martinus II.

Auſpicor hunc annum à regiis nuptiis Ferdinandi Erneſti Regis Ungariæ, cui menſe Februario Cardinalis à Dietrichſtain ſponſam ſuam Mariam Infantem Hiſpanam Regis ſororem adduxit, quæ auguſto apparatu Viennæ ſuſcepta, quacum Rex in templo aulico à dicto Cardinale copulatus fuit. [1.]

Proteſtantes ùt nihil efficere ſe, & ex voto Cæſari omnia procedere vident, omnes conventui Ratisbonenſi ſe ſubducunt, & tacitè murmurantes vindictam, ſpecie deliberationis Lipſiæ ſuæ Religionis conventum indixerunt, quem primaria eorum capita Saxo & Brandenburgicus Electores una eadémque die & hora 14. Februarii intrârunt. Comparuêre Duces Altenburgicus, Vinarienſis, Coburgenſis, Eiſenachius, Landgravius Haſſiæ Caſſelienſis, Comes Palatinus Sulzbacenſis, Marchio Durlacenſis: & per Legatos ſuos Rex Franciæ, Dux Wirtenbergenſis & pleræque Imperiales civitates. Hi ſcriptô ad Cæſarem miſsô, in eum varias noxas derivantes, Germanicæ libertatis everſorem inſimulant, ut qui agonizans Romanum Imperium ſuis adeò viribus debilitârit, fulcra Religionis pacíſque everterit, ut niſì commodo aliquo medio provideatur, fúſque déque omnia ruitura videantur. Suadere itaque, intolerabile Proteſtantibus Imperióque Romano edictum revocet, ne eveniant, quæ Cæſari evenire non bene ſit. Cæſar eis reſpondit, & fallaciæ eos inſimulat, inde proteſtatio ejus apud illos nihil valuit, confœderatio ſucceſſit, & juramentô invicem obligati Principes Urbiúmque Legati, in ſuas quique regiones profecti, per totam latè Germaniam delectibus ſtudebant. [2.]

Guſtavus Adolphus Rex Succiæ ante annum hoſtis Imperii proclamatus, hoc anno bellum fortuna comite proſecutus eſt. Francofurdum ad Viadrum (die Oder) Schaumburgicus Comes ſeptem Cæſarianorum millibus defendebat. Hunc aggreſſus obviam venientem extra Urbem propugnaculis ejecit, & fugientem, ultra Viadri pontem pepulit. Magna ea Cæſarianorum clades fuit, cùm, expugnata urbe, ter mille vel occiſis vel ſubmerſis, octingentis captis, inſuper viginti tribus militaribus ſignis, æneis decem & octo tormentis mulctarentur. [3.]

Interea fortunatiſſimus ille bellator Joannes Tzerclaſius Tillius veterano ſuo milite exercitatíſque legionibus adveniebat Magdeburgum, quam Urbem Godefridus Heinricus Comes Pappenheimius ſuo mil[illegible] jam cinxerat, tum arctiùs clauſa urbe, non fame, nec mo-

râ, sed ferrô & impetu frangere placuit & expugnare, quod factum fuit 5. Aprilis hoc anno. Tunc fortalitiis duobus Trotz Pappenheim / Trotz Tilli in ludibrium eorum structis expugnatis, in iis acriter se vindicârunt de insolentia hostium, Pappenheimius in suo tantùm trecentos mactavit. Postmodum fortalitiô unô post alterum captô, & antequam generalem faceret insultum Tillius, cives aliquot literis ad deditionem cordialiter admonuit, sed frustrà, Administrator enim & Falckenbergius promovebant pertinaciâ suâ urbis excidium, quod tandem 20. Aprilis advenit, qua die Tillius, undique in urbem cedentibus perculsis civibus, vi irrupit, in qua jam non pugna, sed cædes erat, cecidit Falckenbergius pugnans cum Pappenheimio, & Administrator vivus in manus Cæsarianorum venit. Cùm ergo nihil proficere cives viderentur, ad hoc præparatis per urbem cuniculis, versâ in rabiem pertinaciâ, ignem injiciunt, qui victores simul & victos rapuit. Nec hisce contenti, mutilatæ insuper urbi flammas adjungunt, quæ à vento vehementi itâ auctæ fuerunt, ut operosa civitas duobus templis, centum quoque & triginta novem domibus exceptis, universa consumeretur, nec enim aut Saguntus aut Troja funestior clade fuit. Triginta incolarum millia ferro & igne perierunt, plurima tormenta bellica in manus venerunt, viginti quatuor peditum, sex equitum signa rapta sunt, & quæ supererant domus spoliatæ. In Metropolitana Ecclesia aliquot centeni vitâ donati sunt. Sic ferro, igne, excidio perfidæ rebellioni parentatum fuit, & Tillius de virginea urbe capta victoriæ laureolam reportavit. [4.]

Porrò Tillius in Saxoniam movet, Merseburgum, Naumburgum, Zeitsiam, imò Lipsiam tandem occupavit, ad quam Saxo cum Rege Sueciæ Tillio copiam pugnæ fecit, quod prælium variâ fortunâ peractum 7. Septembris, Bannerius enim dextrum cornu equitum Cæsarianorum pepulit, & Tillius sinistrum invasit, ubi Saxo erat, quem etiam fugere compulit. Rex verò ventum sibi auxilio faciens, circumducto exercitu in Tillium Pappenheimiúmque irrupit, qui diu resistentes, tandem obruti fugere coacti sunt. Octo millia ipso quo pugnavere loco ceciderunt, inter quos Adolphus Holsatiæ Dux, Schönbergius tormentorum Generalis, Erwittus Generalis vigiliarum Magister, Conzaga Marchio, tribunus Baumgartius fuêre. Tormenta viginti novem, centum viginti militaria signa Sueco cesserunt. Tillius ipse vulneratus est, & cum Rudolpho Maximiliano Saxoniæ Duce, Pappenheimio, & Fürstenbergio Comitibus, Hallas primùm, inde Halberstadium rhedâ fugit. Nec incruenta Sueco victoria, de ejus exercitu mille quingenti, insuper tribuni Teufelius, Hallius, Calenbachius periêre. De Saxonis exercitu duo millia cum aliquot tribunis desiderata sunt. Rex altera die Cæsariana opulenta castra spoliari jussit. Saxo Lipsiam recuperat, licèt victus ex pugna pulsus fuerat. Hæc de infelici prælio Lipsiensi. [5.]

Rex Sueciæ victor ulteriùs victoriam suam prosequi festinavit, & Halberstadiensis Diæcesis statim jugum ejus suscepit, Bannerius verò Aulam-Regiam Franconiæ clavem cepit, quem secutus Rex cum exercitu Herbipolim civitatem consternatam ingreditur, & arcem Principis sedem vi 8. Octobris occupat, jugulatis omnibus arma ferentibus. His auditis, Hannovia, Aschafenburgum, Steinheimium Sueco claves quoque obtulerunt, & ita tota Franconia in potestatem ejus venit. Francofurtum etiam ipsi cum exercitu per urbem transitum dedit. Hassus videns Suecum quasi deum suum jam lætior, quò ante pertinacior fuerat, Fuldam armatâ manu cepit. Aderant & Moguntiæ fata, quæ cùm magna magis quàm firma

firma esset, deditionem fecit, hanc & Wormatia sequebatur. Palatinus etiam inferior primùm victori Sueco quidem restitit, sed violenter expugnatæ Bacherachum, Lauda, & Manhemium aliis exemplo fuerunt. Nec uno etiam loco Imperium laborabat, Silesiam alia manus Suecorum invaserat, & occupatis obviis locis ad Glogoviam usque majorem prædas agebat. Bohemiam Elector Saxo expugnabat, vacuámque adortus præsidiô Pragam facili negotio occupavit. Metropolim potior Bohemiæ pars cum Egra sequebatur, cùm Cæsariani aliquam à Saxone stragem accepissent. [6.]

In tali turbatione Tillius ubique veteranos suos collegit, & brevì non contemnendum exercitum comparavit, Pappenheimius ab Electore Coloniensi cum manu forti contra Hassum in Westphaliam mittitur, qui omnia prospera peragens hostem inde cedere compulit, & Bannerium fugat. Tillius autem Norimbergam frustra cinxit, ad quam liberandam Rex Sueciæ in procinctu erat. Interea Ferdinando Imp. maxima cura erat ad novum formandum exercitum contra tam potentem hostem Suecum, ad hoc in Moravia Fridlandum sollicitat, ut Generalatûs officium recipiat, cui ad militaris rei peritiam nihil natura, nihil ad felicitatem fortuna hucusque denegaverat, gratus præter hæc militibus, quos super omnia beneficiis suis sibi obnoxios effecerat. Itaque certatim in subsidium ultro collocata pecunia est. Hispaniarum Rex per Legatos suos trecenta ducatorum millia dedit; Ferdinandus Ungariæ Rex trecenta Imperialium millia: Eggenbergius Dux centum Imperialium millia: Viennensis Episcopus octoginta Imperialium millia: Cardinalis Dietrichstainius centum millia florenorum: Comes de Michna centum millia florenorum: Stralendorfius Vice-Cancellarius octodecim millia ducatorum. His bellorum nervis brevi tempore non contemnendus fuit comparatus exercitus, cui totius Austriacæ Domûs absolutè Generalissimus Albertus Wallenstainius præficitur. [7.]

Comitia hoc anno procerum Viennæ celebrabantur, ad quæ etiam Martinus Abbas Zwetlensis 4. Februarii descenderat, in quibus magna pecuniæ summa petebatur, inde pro quolibet talento medius florenus, quilibet procerum 40. florenos, parochus aut capellanus 4. flor. nobiles facti, doctores, & mercatores aulici 30. flor. advocati & privilegiati 12. flor. cives & opifices 6. flor. habitantes in suburbiis & civitate non donati 3. flor. magnatum famuli, ac de procerum, civium ac rusticorum prædiis 2. flor. dominorum & gynæcei famuli 40. cruciferos: de integro laneo 1. fl. de medio 30. crucif. sicut etiam tabellarii & laboratores totidem, de area una 15. crucif. item vinitores, bubulci, servi & ancillæ totidem dare debebant. [8.] Quæ pecuniæ summa nimiùm excrevit. Miles intereà lectus itinera & vias observabat, & quæque obvia rapiebat, licèt edictis caveretur.

Porro magnus ventus Viennam perflavit, & Patrum Societatis ad Collegium duas templi turres cupreas noviter positas disjecit, nihil tamen damni casus ejusmodi ulli attulit. [9.]

Venio ad Zwetlam nostram, ubi in Præpositura à Cæsareis Commissariis fuit in temporalibus octavâ Decembris D. Bonfinius installatus. [10.]

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum p. 2. hoc anno.

Ortelius Redivivus hoc anno.

[2.] Wassenbergius p. 3. Sub confoederatione Lipsiensi.

Spondanus hic n. 8

[3.] Wassenbergius part. 3. sub bello Suecico.

[4.] Wassenbergius p. 2. sub Magdeburgensi bello

Spondanus ubi suprà.

[5.] Wassenbergius p. 3. sub bello Suecico.

Spondanus hìc n. 3.

[6.] Wassenbergius ubi suprà.

Item Spondanus ad hunc an. n. 3. „ Alia „ verò parte Elector Saxonicus Boëmiam ingressus, post aliquot minora loca intercepta, Pragam ipsam in potestatem suam mense Novembri redegit, gemente ad hæc „ universa Germania Catholica ob direptionem bonorum omnium, expilationem ecclesiarum ac monasteriorum, pulsionem „ ac cædem Sacerdotum & regularium, violationem monialium; omnis sceleris, omnis sacrilegii, omnis nefas perpetrationem. Quorum tamen ipse malorum culpam in Domum Austriacam, & Hispanos, quorum consiliis eam regi querebatur, rejiciebat. Doluit autem vehementer plurimis Catholicis rerum nesciis, quòd hujusmodi homini Rex Christianissimus Societatis dexteram dederit. Sed fecit hoc ipse, postquam tot ac „ tantos Sueci progressus animadvertit; tum „ ad divertenda per eum arma ab invidis hostibus in regnum suum parata: tum verò „ maximè in utilitatem Catholicorum; cùm „ & Dux Bavariæ, princeps Fœderis Catholicorum Germaniæ, etiam cum Rege societatem hoc ipso anno contraxerit; & Electores ipsi Ecclesiastici, aliíque nonnulli Episcopi Germaniæ, ad eum pariter recurrerint, „ ut ejus operâ mansuefieret Sueci barbaries. „ Sicuti & contigit, Rege ad hoc Metas „ ad confinia regni profecto: adeò ut non „ semel in apertum ferè dissidium ventum inter Reges fuerit: venturúmque omnino „ putamus, nisì ferum barbarum citiùs de medio divina providentia sustulisset. „

[7. & 8.] Theatrum & Wassenbergius cit. locô. & Annot. Monasterii.

[9.] Ex ore præsentium.

Continuatio Calendarii Ederiani addens vehementiam ventorum totô triduô perduràsse.

[10.] Ex Relatione præsentium.

Annus Christi MDCXXXII, Monasterii CCCCXCIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

Bellum hoc anno Suecicum suam victoriam prosequebatur, sed funestum ob amissum Regem, & etiam Catholicis ob perditos Generales suos non adeò prosperum bellum erat. Tillius ergo relictâ Coloniâ Agrippinæ Bambergam movit, quam Gustavus Hornius exercitu insederat. Qui omnia probè expiscatus, uno impetu castris & urbe potitus, quatuor millia confecit, viginti tormenta bellica cum quibusdam militaribus signis abduxit. Hoc factum 8. Martii. Deinde Rex Donawerdam oppugnare cepit, quam Rudolphus Maximilianus Saxoniæ Dux nequicquam defendere tentavit, in hanc violentus irrupit, & omnes Cæsarianorum sanguine vias sparsit. Hoc contigit 28. Martii. Paulò pòst 15. Aprilis, Cæsariani ad Licum cum Sueco prælium ineunt, nec tamen priùs cesserunt, quàm cùm Tillius lethaliter vulneratus fuisset, tum effusâ præcipitíque fugâ Ingolstadium delati sunt, ubi Tillius Comes, felicissimus tredecim annorum bellator post partas nobilissimas de Bohemia, Palatinatu, Dania, Saxonia virtute victorias, diem ex vulnere extremum clausit, summus militiæ Dux, summæ (quod mirum) pietatis & continentiæ Miles, quippe qui instar Africani Scipionis pueros puellásque captivas præcipuæ pulchritudinis hostibus restituerit; qui horas quotidie ùt Sacerdos legerit, & præcipuas provincias sanctitate priùs quàm armis profligârit.

Suecus interea suam victoriam secutus Augustam Vindelicorum venit, quem læti etiam & congratulantes victorias cives ultrò susceperunt, & in verba Regis tanquam legitimi Domini juraverunt. Eadem hac die 28. Aprilis, Bavarus Ratisbonam tentavit & stratagemate occupavit, quam etiam muni-

munivit. Rex hoc accepto nuntio Ingolſtadium movit, ubi Chriſtophorus Marchio Badenſis & Durlacenſis uno tormenti globo quaſi fulmine proſtrati, & alius ſimilis globus Regis equum in ponte confecit, ipſúmque in tabulatum dejectum humiliavit. Non ſapiebant illi boli, & pavor Regis pro victoria fuit. Receſſit itaque, & hanc in omne ævum Ingolſtadio gloriam reliquit, quòd prima docuerit, Guſtavo Adolpho poſſe reſiſti. Wallenſtainius etiam non feriabatur, ſed ex Moravia ſua quinquaginta millium collecto exercitu in Bohemiam movit, & Pragam laxam urbem, compulſis in unam arcem hoſtibus, una die aſſultibus expugnavit, & legiones captas ablatis armis & militaribus ſignis malè mulctatos dimiſit, & Arnhemiô fugatô in Luſatiam, Bohemiam iterum ùt antè Cæſari reſtituit. [1.] Hujus urbis expugnationem pluribus deſcribit ipſe præſens & pars exercitûs Wallenſtainii Adolphus ab Iſem Supremus Locum-tenens de legione Hazfeldica, qui D. Abbati Martino Zwetlenſi ſequentia nuntiat: „ Significo D. Abbati, quòd 25. Maji ad „ Montem-Album acceſſerimus, & urbem nobis invadentibus à quarta „ hora matutina usque ad decimam „ meridianam quinque millia Saxonum ſe oppoſuerunt, ſed vi majori „ non valentes ulteriùs reſiſtere hoſtes, „ ſe fugæ tradiderunt, ubi mihi hic „ honor datus, ut tribus turmis equitum ad Parvam-Partem irrumperem, „ aliis equitibus foris manere juſſis, „ tunc pars hoſtium ad arcem regiam „ viginti duobus vexillis peditum, & „ duobus equitum ſe recepit, alia pars „ per pontem in Veterem-Civitatem „ fugit, & ad gratiam Generaliſſimi ſe „ dediderunt, quos Fridlandius albis „ baculis abire, & equitibus ſclopetas „ rapere juſſit, & Parva-Pars civitatis „ militum prædæ ceſſit. Reliqua Saxonum manus nocte aufugit. Noſter „ exercitus conſtat ex triginta millibus „ militum, expectamus adhuc quatuor „ legiones, & iter noſtrum Miſniam „ versùs dirigetur. „ Ex Originali dicti Locum-tenentis ſub dato Pragæ 27. Maji, Anno 1632. [2.]

Rex Ingolſtadiô Monachium Maximiliani Bavari ſedem petiit, hic intromiſſus à civibus ſe dedentibus, ex delatione rusticorum centum quadraginta machinas defoſſas terrâ eruit, & inter has laxæ capacitatis baliſtas plures & famoſas (ſic vocabantur) ſues, quarum una triginta millia ducatorum evomuit, invenit; inſuper cives ſuam redimere urbem trecentis Imperialium millibus debuêre. Similiter Epiſcopatus Friſingenſis ducentis Imperialium millibus, & Landshuta centum fuerunt mulctati. Wallenſtainius ad Egram, priùs inde pulſô Saxonicô præſidiô, cum Bavaro ſe rurſum jungit, & Suecum Norimbergam euntem proſecutus eſt, in quo itinere tribus legionibus Tupadelium copiis ſuis circumdatum, internecione delevit, ipſum tribunum cepit. Mox cum exercitu Regem & Norimbergam ſeptuaginta militum millibus, conjunctis ad medium milliare caſtris, cinxit. Ubi ad Altenbergam 7. Septembris Sueci caſtra Cæſarianorum invaſerunt, econtra impigrè ſe Cæſariani defenderunt, ità ut Rex nudô brachiô, confuſionem metuens, & nudo enſe aciem reſtituere, legiones conjungere, & alia quadam majori vi Cæſarianos in caſtra rejicere laboraverit, Cronenbergica legione fermè tota deleta. Ipſi Regi tunc ſoleæ calceorum globô raptæ ſunt, Fridlando & Bernardo Vinarienſi Ducibus equi, quibus inſidebant, occiſi.

Continuavit decem horis continuis prælium, donec nox illud diremit. Suecorum ad ſeptem millia ceciderunt, vulnerati Joannes Bannerius Generalis, Comes Erlacenſis, & mille ducenti gregarii captivi, Torſtenſohnius tormentorum Generalis, Erichardius & Carpius Tribuni. Apud Cæſarianos ultra mille ceciderunt, inter illos Jacobus Fuggerus,

rus, Aldobrandinus, & Dominus Maria de Caraffa Tribuni. [3.] Idem nuntiat Adolphus de Ifem Supremus Locum-tenens de legione Hazfeldica præſens D. Martino Abbati Zwetlenſi, ubi plurima habet ſpecialia, nimirum quòd Rex Sueciæ dixerit, ſe non putâſſe Bohemicum Nobilem (vulgò den Böhmiſchen Juncker / Fridlandum Generaliſſimum indigitans) tanta cum multitudine ſe cincturum: & dictus de Iſem ſummopere laudat Fridlandiæ Ducem de amore erga ſuum militem ſingulari, ex eò quòd vulneratis in prælio prædicto, cuilibet quinque ducatos donârit, ac per proprium ſuum chyrurgum vulnera ligari ipſorum curârit, econtra Suecorum vulneratos non intromiſerunt Norimbergenſes, in caſtris enim ejusdem fames & lues tam inter homines quàm pecora valde graſſabatur ob victualium & pabuli inopiam. Militem quoque ad Fridlandi nutum ſtare, cum Suecis congredi, & hoſtem perſequi ſitire, præfatus Locum-tenens ſcribit, addens, ipſum Generaliſſimum uni Tribuno de legione ſua, eò quòd in ſaltu ad inſultus Suecicos ſe fortiter murum oppoſuiſſet, duo millia Imperialium donâſſe, & concludit literas ſuas, quòd illud prælium ad caſtra ab ultima Auguſti usque ad 4. Septembris acriter durârit. [4.] Significat quoque Cæſarianos cum Suecis ad oppidum Staina Sileſiæ, ubi ad Oderæ pontem caſtrametati erant, conflixiſſe, & in caſtris ſuis obſeſſos fuiſſe, quos certis ſub conditionibus in deditionem accepit, Capitaneis, Tribunis, aliíſque militum Officialibus dimiſſis, gregario verò milite in ordinem legionum diviſo. Hoc tempore Wratislavienſes quoque à Tupadelio tentati fuêre, fugato inde milite ſub Don. Balthaſaro Cæſariano, ſed reſponſum diu procraſtinârunt, donec ex parte neutrales facti fuêre. [5.] Niſſa verò occupata fuit.

Jam venio ad illud cruentum prælium ante Luzam habitum, in quo tam Regius, quàm generoſus ſanguis effuſus fuit. Wallenſtainius enim in Saxoniam irrupit, & Lipſiam ſui juris fecit, ad quem cum exercitu Rex properans in abſentia Pappenheimii belli aleam cum Fridlando tentare voluit, ſed utrosque nebula diremit. Itaque Dux ad Luzam oppidulum ad duo milliaria Lipſiâ diſtans caſtra munit, & celerem ad Pappenheimium curſorem miſit, ut ad prælium properaret. Qui captis Hallis opportunè venit, jam enim à Rege tres legiones internecione deletæ fuêre. Nebula autem interveniens, qua Rex cum duobus ſuis tantùm ſervis pauliſper aberravit, ipſum tradidit neci, una enim turma equitum ipſum invaſit, undecim globis & vulneribus eum afficiens, donec cecidit tantus Rex, qui infra trium horarum ſpatium totius Orbis Monarcha fieri affectabat, hoc enim ante prælium à ſuo petierat exercitu. Pappenheimius etiam lethaliter vulneratus, ubi audivit Regem mortuum, lætus obiit. Interea acies, cùm nihil facerent, quàm occiderent, excreſcens usque ad umbilicum viri de cadaveribus agger invicem non metus aut pavor ſeparavit, donec poſt novem horarum prælium pugnando laſſos tenebræ diviſerunt. Quatuordecim millia hinc & inde ceciderunt, inter Cæſarianos Abbas Fuldenſis, Godefridus Heinricus Comes Pappenheimius, Bertholdus Comes Wallenſtainius, Weſtronius, Wizlebius, Breinerus Tribuni: Ex Suecis ipſe Rex Guſtavus Adolphus, Islerius, Gersdorfius, aliíque plures Tribuni.

Et hæc fuit illa cruenta, regio nobilíque ſanguine famoſa clades, cui fortiſſimorum Ducum exitiô parentatum eſt: cùm illic Guſtavus Adolphus, hìc Pappenheimius, celebratiſſima ſui ævi nomina, ſacra Bellonæ pectora, Martíſque pulli. [6.] Rex nihilominus illum metuebat, qui aliquando diceret, ſe nullius quàm cicatricibus (quas circiter 30. in corpore habe-

habebat) deformati, vulgò Schrambshannß/ æquè metu teneri: quem unum, cùm doctores alios, alios furiosos dixisset, militem nominare solebat. Et profectò hoc tempore nullius magis, quàm unius Pappenheimii virtus efferebatur, cujus fama non Germaniam modò & Viennam, sed Parisios etiam, Madritum, Romam, Cracoviam & Balthicum ultra sinum Stokholmiam impleverat. Talis autem Rex reliquit post se quot Tribunos, tot Generales, qui postmodum variis in Imperii locis multa damna fecerunt, & Regis bellum ùt Martis filii diu persecuti sunt. Demum hic annus multis funestus fuit Principibus, in Schwatz Tirolis Archidux Leopoldus 9. Septembris obiit, sicut etiam Moguntiæ quondam Rex hyemalis in Bohemia Fridericus Comes Palatinus Rheni 19. Novembris. Contagio pestis quoque ad finem anni grassari in diversis locis ceperat, præsertim in Misnia, ubi adhuc messis integra mense Decembri in agris steterat jam perdita, ob inopiam hominum illam capientium; quæ contagio etiam per milites in Silesiam allata fuit, quæ anno sequenti homines plurimos devoravit.

Rustici præterea hoc anno in Superiori Austria contra dominos suos in parte illa, quæ Haußruckviertl vocatur, arma sumpserunt, contra quos ex Ungaria aliquot vocatæ legiones ab Imperatore illuc missæ fuerunt; primùm statim rustici impegerunt, ducti à quodam Tridentino Spinell dicto tormentario ad Everdingam ad mille eorum ceciderunt, & totidem capti, alii in domus suas se contulerunt, ex captis fuit eorum Capitaneus & Prædicans, quorum ille Lincii corde priùs exciso & ore ejus cum eo percusso in quatuor partes dissectus, isti verò manus dextra & caput amputatum fuit, reliqui primores rebellionis undique in exemplum aliis suspensi videbantur. [7.] Et sic sopitus iste fuit tumultus.

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum p. 2. hoc anno.

Wassenbergius p. 3. Sub bello Suecico.

[2.] Ex literis hujus Locum-tenentis.

[3.] Iidem suprà ad n. 1. relati.

[4.] Ex Originali duplici illius sub 25. Augusti & 5. Septembris ex castris ante Norimbergam Cæsarianis.

[5.] Idem, ubi suprà Locum-tenens sub dato Zeusch 24. Octobris 1632.

[6.7.] Theatrum Europæum p. 2. sub bello Suecico hoc anno.

Annus Christi MDCXXXIII. Monasterii CCCCXCV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

Annum hunc incipio ab executione Wallenstainii utì Generalissimi Pragæ peracta, ubi illos, qui in Lucensi prælio fugæ initium dederant, & currus campestres proprios invaserant, quorum octodecim fuerunt, partim capite plecti, partim suspendi, partim ignominiâ notatos ab exercitu ejici curavit. Hoc contigit 4. Februarii. *[1.]

Interea Viennæ Ferdinandus reformationem fidei sanctè ursit, & mandavit, quatenus omnes Austriæ incolæ in locis hæreticorum à Communione, à susceptione Baptismatis, Copulationis, & ejusmodi abstinerent sub pœna corporis & capitis, datô desuper mandatô 4. Martii severissimô.

Venio ad Fridlandum potentiâ suâ inflatum & ambitione cæcum, qui paulatim

latim patriæ, nominis, dignitatis, beneficiorúmque oblitus, dominationem machinari, & totus in monstrum illud, ùt mente, itâ animô quoque & affectu degenerare cæpit. Impulit hominem ad hoc scelus malè nata ambitio, quæ non patitur quemquam in ea mensura bonorum conquiescere, quæ quondam fuit ejus impudens votum. Ille è Bohemia Nobilis, rarâ Imperatoris gratiâ Comes diversarum Regionum Dux, totius Austriacæ Domûs Generalissimus, cum summo ferè belli pacísque arbitrio, non unde venerat, sed quò tenderet, ùt ambitionis genius est, respiciebat. Manifestabant ejus machinationem sequentia pacis puncta singularia se respicientia Saxoni cum Generalibus aliis transmissa, quorum primum erat, si coronam Bohemiæ obtinere posset, quòd omnibus Dominis è regno pulsis & aliis bona sua restituere, Religionem liberam esse, Palatino terras suas reddere velit. Secundum, pro Mechelburgio, Sagan, Glogovia, & pro debito Cæsaris se velle habere Moraviam. Tertium, siquidem Bavariæ Dux ipsi Fridlando Ratisbonæ unà simul generalatum auferre juvisset, velle se Austriam Superiorem ipsi impignoratam quoque habere. Quartum, petere itaque exercitûs utriusque conjunctionem, quo se Viennam pergere & Cæsarem ad supradicta omnia compellere promisit.

Hæc ipsius somnia & petita à Saxone & Brandenburgo in suo esse permittebantur, illi econtra in Imperio Cæsariani militis exauctorationem, Episcopatuum Magdeburgensis & Halberstadiensis renunciationem, à Catholicis Suecis expensarum ad bellum recompensationem, Patrum Societatis ex consilio, regnis, & provinciis Cæsaris eliminationem, pro recompensatione damnorum utrique Electori Silesiæ traditionem, liberam ubique Religionem, pro octingentis millibus ducatorum Saxoni debitis Superioris Lusatiæ & medii Regni Bohemiæ hæreditariam possessionem, ac tandem Friderici quondam Regis filii in Palatinatum restitutionem, ad quam obtinendam Generalissimus auxiliô præstò esse teneretur, postulabant. Ad hæc postulata Fridlandus aures obturavit, & Schweidnitzium libenter occupâsset, si non confœderatorum exercitus, qui eo fortior erat, eum impedivisset. Imperator autem his perceptis nervum belli pecuniam colligebat, unde per Austriam magnus census indictus fuit, non quidem subditis, sed dominis, nobilibus personis, & variis magna solaria habentibus secundùm proportionem cujusque. [2.] Et Fridlandus rursùm cum Arnhemio Saxonis Generali pacis tractationem inibat ante Schweidnitzium in campis patentibus, ubi armistitium ad quatuor septimanas inter se conclusum, & certæ pacis conditiones subscriptione & Sigillô à Fridlando firmatæ fuerunt, postea in prato amœno collatione sumpta in castra sua redierunt. Colonellus Piccolomineus invitaverat Regis Daniæ filium ad colloquium, quo finito ipse Princeps abire volens improvisô globô trajicitur, ità ut mortuus de equo protinus caderet 28. Septembris, inquirebatur in Authorem, sed nullus reus esse voluit, cujus factum deinde Sycophantæ Colonelli, vel potiùs venatori ejusdem imputatum fuit. Sed non diu mansit hoc armistitium, siquidem undique hostes, undique bella, Bernardus Vinariensis occupavit Ratisbonam, Fridlandus loca varia in Silesia recuperabat partim vi, partim deditione. Rursus magna pestis contagio imperium invasit, Schweidnitzii enim tantùm infra tres menses 2500. eâ periêrunt, Argentorati similiter eadem lue 5546. personæ absumptæ scribebantur. Tali comite bellum serpebat.

Demum ut ad Monasterium Zwetlense veniam, hoc anno D. Martinus Abbas nominatus Commissarius super electione Magistratûs in Waidhofen ad Teiam sita acceptô desuper decretô, illam

illam suam commissionem 3. Februarii in effectum deducere voluit, quo ex Monasterio abeunte, talis ventus exortus fuit, ut bonus Abbas in periculo non parvo fuerit, tam in rivis, qui undique inundârunt, & silvis, ubi arbores crassiores post & penes currum cadebant. [3.]

ADDITIONES.

*[1.& 2.] Theatrum Europæum hoc anno. Item Wassenbergius sub bello Suecico.
[3.] Ex relatione præsentium.

Ann. Christi MDCXXXIV. Monasterii CCCCXCVI.

Pont. Rom. Urbanus VIII. *Imp. Rom.* Ferdinandus II. *Archi-Dux Austriæ* Idem.
Episcopus Pataviensis Leopoldus II. *Abbas Zwetlensis* Martinus II.

FRidlandi ambitionis sitis magis crevit, unde ut ad suum effectum posset deducere votum execrabile, totum exercitum contra voluntatem Imperatoris Ferdinandi in hæreditarias provincias in hiberna deduxit, nimirum majorem ejus partem in Bohemiam, partem aliam in Moraviam, ac in Superiorem Austriam, nec non in Episcopatum Pataviensem, cujus miles ex ejus ordinatione tantas emunxit pecunias, & pauperes exagitavit, ut eadem ratio videretur esse, si in gremio Suecum aluissent. Ex hoc maximè in aula & apud ipsum Imperatorem suspectum se reddidit, præsertim cùm Pilsnam, quam sibi pro diversorio elegerat, omnes colonellos totius exercitûs convocâsset, ubi propositis quibusdam causis Generalatum suum resignare voluerat: qui in unum coëuntes suaserunt, ut illum ulteriùs in bonum totius Reipublicæ Christianæ retineret. His peractis omnes dicti colonelli reversales suas de fidelitate sibi servanda usque ad mortem ipsi tradere tenebantur. Hæc advertens Leopoldus Passaviensis Episcopus militem conscripsit. Bavarus quoque ab eo se elongavit. Imperator verò de reversalibus postulatis malè contentus, ipsum à Generalatu amovit, & interea vices ejus commisit Generali Campi Locumtenenti Comiti Matthiæ Gallasio, & ad totum suum exercitum mandatum dedit, ut illi interea obtemperarent, donec alius Generalissimus in brevì ipsis præficeretur. Viennæ sub dato 24. Januarii. [1.] Sed ne interea quid machinaretur cum exercitu, alterum mandatum ad eundem dedit, & publicari fecit, in quo inprimis exauctoratô Fridlandô alios temporales illis constituit Generales, ùt supradictum Comitem Matthiam Gallasium, Comitem Joannem Altringerum Campi-Mareschalcum, Don Balthasarum de Marradas, Franciscum Octavium Piccolomineum, & Comitem Rudolphum de Colloredo, sub dato Viennæ 18. Februarii. [2.] His peractis Fridlandus, ut rem suam maturaret, & cum hostium Ducibus se conjungere valeret, Egram movet. Nam animô jam firmârat præfocare Cæsarem cum filio Ungariæ Bohemiæque Rege, invictam Austriacam Domum funditùs evertere, distringere incendiis urbes, exercitus vendicare, fideles Cæsari Duces confodere, Bohemiæ se Regem facere, totum denique Imperium lacerare, & quicquid nec Gustavus Adolphus videretur optâsse. [3.] Sed ad mortem suam properavit, quæ taliter contigit, ùt quidam Colonellus præsens, nomen suum reticens Martino Abbati Zwetlensi verè ùt facta erant, perscribit:

„ Die Martis 20. Februarii Albertus „ nuncupatus Fridlandiæ Dux cum „ persensisset nefariam proditionem ac „ conspirationem suam contra Sacram „ Cæsaream Majestatem, & Augustam „ Domum Austriacam totúmque Imperium, jam detectam esse, unà cum „ Gulielmo Kinsky seniore, Adamo „ Terzka majore natu, & colonello „ Iloo, deducentibus equitibus mille „ & ducentis peditibus Egram versùs „ limitaneam regni Bohemiæ Urbem „ se recepit. Ducebat has copias colonellus Butler Hibernus, secretò per „ literas à Generali Campi-Locum-tenente Gallasio jam antè certior factus, „ quid ageretur, & in qua causa Fridlandus esset, edoctúsque quid è re „ Sac. Cæs. Majestatis & Reipublicæ „ foret, rescribit Butler, se fidei datæ „ & officio suo non defuturum, ubi „ occasio rei bene gerendæ pro sua „ Majestate effulgeret. Ingressus civitatem Egram unà cum milite & Ducibus prædictis, ibidem Locum-tenentem Terzkæ nomine Cordan, natione Scotum, religione, ùt fertur, „ Calvinistam sub imperio suo quinque „ cohortes habentem, & alium Scotum nomine Leslam Capitaneum reperit. Hi re inter se & plerosque patriotas suos communicatâ, consilium „ opprimendi fugitivos capiunt. Habebat in arce Egrana diversorium suum „ dictus Locum-tenens Colonelli Cordan: Placet itaque inter participes „ consilii, ut ipse novum adventantem „ notúmque amicum Butlerum, ceterósque patriotas, tum inprimis advenas dictum Kinsky, Terzkam, & „ Iloum unà cum Capitaneo Nieman „ ad cænam invitet, atque ubi ad bellaria producta esset cœna, tunc sex „ è dictis participibus cum gladiis strictis sub pallio occultatis ingrediantur ac interrogent: Quis vivit? Si „ quis diceret, Imperator vel Domus „ Austriaca, illi parcatur, sin autem, „ interficiatur. Interea inter cænandum multus erat sermo de præsenti „ rerum statu, quisque pro se utì fœdissimè poterat, ità in Imperatorem „ & Domum Austriacam erat injurius, „ & mansit indubitatum apud omnes, „ nisì Imperator cum Domo illa fuerit „ extinctus, factionem suam salvam „ esse non posse: præ ceteris autem „ Capitaneus Nieman jactabat, sperare „ se, quòd manus suas in sanguine „ Austriaco loturus sit.

„ Adest tempus bellariorum, & ab „ ingressis armatis tessera ex composito enuntiatur, qui ad compositum „ non respondent, interficiuntur, primus Kinsky, secundô locô Terzka, „ cui cùm per densum firmúmque thoracem coriaceum sive collobium „ ferrum adigi non posset, tandem „ subtus thoracem ictus lethalis datus „ est, tertiô locô Ilous correptô jam „ gladiô vim defendens, inclamánsque, num ad ejusmodi cænam ipsum „ vocare voluissent, à Capitaneo Lesla, cujus stricto ense manum perfoderat, interemptus cadit; fugam interim arripuerat Nieman, sed hunc „ in arcis area consecutum Liberatores similiter conficiunt clamantem, „ quicquid fecisset, id coactè se fecisse. „ Emissus interea ex arce nemo, nec in „ urbem, in qua diversabatur Fridlandus, hujus quippiam elatum. De „ eodem ergo Fridlando, ducendúsne „ captivus, an statim morti dandus? „ hic primùm inter consortes deliberabatur. Post tertiam demum deliberationis horam placet morti eum „ tradere. Missus itaque Præfectus-Vigiliarum, cujus nomen (NB.) ignoratur, cum idoneo numero fidorum „ in cubiculum, ubi lecto compositus „ jacebat Fridlandus, irrumpit, corripit se quamprimum ex lecto reus, „ ad fenestram cubiculi properat, sed „ illico se oppressum sentiens, convertit faciem expansis brachiis ictum bipennis in pectus recepit. Constanter asseverant, ad ictum tanquam bom-

„ bombardæ ſonum ex corpore intonuiſſe, fumúmque ex ore non ſecùs, ac ſi quis tobacum biberet, exiviſſe. Non fuit vel unus ex toto illo milite, quem ſuæ cuſtodiæ, ùt fidiſſimum delegerat, qui vel ſignum doloris mortis ejus oſtenderet, nedum quicquam moveret. Cadaver Fridlandi poſtridie ablatum ac interulâ albâ indutum, in inferiori domo in Sacellum quoddam illatum fuit, quò & ceterorum paulò pòſt cadavera comportata, eóque ordine diſpoſita fuêre, ut ſupremum locum tenuerit Fridlandus, infrà ad pedes ejusdem collocati ordine Kinsky, Terzka, & Iloo, & ad pedes horum transverſus Nieman. Cancellaria Fridlandi tota in noſtrorum manus venit, Cancellarius Elzius, quem ille paulò antè Dresdam miſerat, hactenus evaſit, quem tamen Croatæ noſtri graviter perſequuntur. Pecuniæ ac ſuppellectilis, & quicquid ibidem in mobilibus interfectorum, vel in ærario fuerat, nihil quicquam direptum aut amotum. Advenit eadem die 26. Februarii à Franciſco Alberto Saxoniæ Duce Lawenburgico (quo mediante hactenus pleraſque machinationes & tractatus ſuos cum Electore Saxoniæ Fridlandus communicaverat, quíque eorum omnium conſcius fuerat) miſſus tubicen nuntium à Fridlando relaturus, num ad illum tutus poſſet accedere, hic comprehenſus detinetur, ac remittitur ad Lawenburgicum alius inſignibus Fridlandicis ornatus, qui eum liberè & ſecurè adeſſe jubebat. Diſponuntur interea ternæ equitum turmæ, quæ venientem intercipiant, prout ſucceſſit. Adfuerat eidem Lawenburgico paulò antè in colloquio Dux Saxoniæ Vinarienſis Bernardus Campi-Mareſchalcus ſub Signis Suecicis præcipuus. Spes eſt de hoc quoque capiendo, quem altero capto noſtri equites pariter inſecuti ſunt. „ Ex complicibus Schafgotius Glacii in Sileſia captivus detinetur. „ [4.] Hæc breviter de exitu proditionis Fridlandicæ Anno MDCXXXIV. Weiſſenbergius nominat Gordonium bipenni Fridlandum transfodiſſe ſub his verbis: „ Túne ille es & Imperii & Imperatoris proditor, cujus è capite coronas auferre ſtatuis, ut ſcelerata iis tua tempora cingas? „ Quæ omnia 25. Februarii hoc anno Egræ contigerunt. [5.] Paulò pòſt per Zwetlam Lawenburgicus captivus Viennam deducitur.

Colonellus Götzius in Sileſia aliquot civitates etiam & loca occupavit & Succos expulit, Croatarum quoque turmæ in ſuburbia Wratislavienſia de nocte irruperunt ad S. Nicolaum dicta, ubi manipuli duo Suecorum divertetant, è quibus quatuor captivos duxerunt, alii ſe defenderunt, & in diverſis locis ibi domus incenderunt, qui tormentorum globis de propugnaculis urbis in eos emiſſis abire cogebantur. Poſtea Lignitii tam Cæſarianus miles, quàm Saxonicus, quàm Suecicus in prælium convenerunt, & poſt trium horarum pugnam Cæſariani coacti ſunt cedere, tanta vis confœderatorum erat, ut quinque millia hinc & inde cæſi, partim Lignitium fugere, partim alibi ſalutem ſuam quærere coacti fuerint. Interea in complices rebellionis Fridlandicæ animadvertebatur tam Pragæ, quàm Pilsnæ, hìc ſequentes capite plexi: Colonelli Sparr, Kerauſs, Ulefeld, Wiltperger, & Mohrwald, Supremi Locum-tenentes Petrus Loſy & Hammerle, reliqui erant Magiſtri vigiliarum & equitum, & capitanei numerò 16. perſonæ: ſimiliter octo Pilsnenſes ſenatores decapitati fuerunt, in univerſum 24. Lawenburgicus, Colonelli Schliff, Schafgotſch, & Schäftenberg vitâ quidem donati, ſed Viennam ducti ſunt. [6.]

Ubi ſequentia contigerunt: Cæptam 3. Junii publicam ob Jubilæum conſequendum ad Scotos ſupplicationem,

nem, Imperator cum Imperatrice, Regina, Principissis, aliisque aulæ suæ proceribus suâ præsentiâ honoratus est; contigit autem, dum in Scotorum templo Sacra peragerentur, mali pueri supra fornicem templi eo loco, ubi æra campana pulsantur, ut per foramina fornicis ad populum despicerent, ascenderunt. Horum unus aliis nequior lapidem per foramen cadere, & pulverem cum lapillis demisit, horum tactu rectà stans vetula perterrita clamorem edidit, clamore hujus & casu lapidis excitata turba astans, tumultuaria voce acclamavit, templum jamjam ruere super capita sua, erat enim rimis plenum. Alii à longe hoc tumultu excitati suspicabantur sicarios quosdam latitare, vitæ Imperatoris insidiantes, clamabant hostem adesse. Hinc aulæ proceres, qui aderant, ad suum Imperatorem defendendum parati, strictis gladiis cingentes corporeô quasi murô circa Imperatorem se collocantes, adversarium expectabant. Sed ubi tumultûs causa prodiît, nulla alia fuit, quàm puerorum malitia & vetulæ incussus terror. Dum autem Imperator ad aulam deferretur, mirabile! platea illa, quæ dominorum dicitur, canibus ità plena fuit, ut prætoriano militi non parùm laborandum erat, donec viam Imperatori abeunti pararent. Hæc Viennæ contigerunt 3. Junii in Dominica, in qua cantatur: Vocem jucunditatis. [7.]

Superiùs descripsi cædem Fridlandi Egræ peractam, jam venio ad ejus scelus Viennæ in Augusta Domo adornatum. DEus mirabilis in operibus suis, & terribilis in consiliis super filios hominum, eadem quippe die, qua Fridlandus nocte mactatus, cædes Imperatoris & aulæ totius instituta erat. Advenerat Viennam Generalis Altringerus à Fridlando ad necem quæsitus, quia cum ipso convenire in suscepta rebellione nolebat, quem ejus miles usque ad fines Austriæ illius capiendi causâ persecutus est, salvus tamen per Zwetlensem civitatem paucis itineris comitibus 18. Februarii transiit. Interim summa celeritate ille Schäfftenbergius Colonellus à Generalissimo instructione nefanda munitus Viennam dirigitur, qui plenus insidiis trecentos milites, quorum arma curru tecta vehebantur, sub habitu mercatorum famulorum, per diversas portas in urbem incognitos introduxit. Conjuratis in urbe nulla mora, nulla quies, in quatuor urbis partibus nominat loca, ubi vasa tormentario pulvere plena occultentur: notat domuum præcipuarum portas, quæ invadendæ; noctem, horam & signum eis denuntiat proditor Colonellus dictus.

Advenerat dies, qua Schäfftenbergius nomine Generalissimi sui Altringerum apud Imperatorem gravissimè accusare constituerat, & simul Cæsari necem intentare decreverat. Ecce tibi Deus Reipublicæ Christianæ misertus talem misit hominem, qui pridie pulveres tormentarios utì suprà dispositos, ad incendendam urbem paratos inveniret, auctor statim innotesceret, milites sicarii proderentur, & princeps conjurationis angelus Fridlandi caperetur. Prodit subitò Altringerus fidelis, & defectionem Fridlandi prodit, conjurationem in capita Augustorum explicat, causam suæ persecutionis & Viennam adventum affert, denique periculum regni Bohemiæ amittendi, ac invasionis Austriæ futuræ, nisì maturè succurratur, periculum esse pertimescendum. His auditis Imperator militem ex hibernis Austriæ evocat, per Zwetlam in Bohemiam dirigit, cum in finem 25. Februarii ad mœnia civitatis Zwetlensis legiones tam peditum quàm equitum convenerunt, ubi etiam Imperator ipse cum Rege post quatuordecim dies expectabatur. [8.] Ex his protectio divina Domûs Austriacæ maximè elucet, cùm eadem dies, quæ pro cæde

de destinatâ fuerat Innocentissimo Cæsari, Fridlando alteri Catilinæ vitam ademerit.

Itaque alio pro Alberto dicto, Generalissimo opus erat, qui Bavariæ inhærentem extorqueret hostem, sed cui post perditissimum, tot beneficiis ad fidelitatem quodammodo emptum, crederetur? non poterat ergo qui Austriacis fidelis esset, nisi ex Austriaca Domo Generalissimus legi. Inter quos maximè Serenissimum Ferdinandum Tertium jam Ungariæ magnum Bohemiæque Regem sors respiciebat, mox magnum futurum belli Ducem. Hic 13. Maji Viennâ solvens Pragam versùs iter ingreditur, ubi lustrato exercitu, disciplina & affectu omnium suum Regiúmque fecit: útque nihil in exercitu nisì Cæsareum advertit, cum sexaginta probatissimorum militum millibus in Bavariam duxit, & ùt Rege dignum erat, magnam munitissimámque urbem Ratisbonam cum Bavaro obsidione clausit, ducentísque machinis grandibus urbis mœnia simul una die quassari jussit. Quod ea vi factum est, ut dirumpi cœlum & terra, & omnia misceri elementa viderentur. [9.]

Ante Regis Pragam discessum 21. Aprilis alæ duæ equitum Croatarum in Ruedmans pago Monasterii Zwetlensis pernoctârunt, quæ in Weitra usque ea die perrexerunt, ubi pernoctandi gratiâ intromitti petierunt, quod ipsis denegatum. Ecce tibi impigri Croatæ in civitatem viam sibi facere conantur, atque jam duas portas perruperant, cum in tertia & ultima perfringenda laborarent cives se defendere cæperunt, spectaculum erat hostilis in mœnia impressionis. Croatæ autem repressi ab impugnatione desistere debebant. [10.] Hoc à Cæsariano milite illi passi, quod ab hostibus Suecis vix expectandum fuisset.

Dum Ferdinandus Rex Ratisbonam obsideret, Arnhemius interim accito Panniriô Pragam cingit, ut Rex suô motus periculô pro conservanda Bohemia à Ratisbonæ oppugnatione aliò traheretur, sed parte exercitûs sub Gallasio Pragam dimissa, ille altera parte Ratisbonam premebat, & per Altringerum Joannémque de Werdis sub Vinariensi & Hornio, qui Landshutam oppugnabant, Suecos submovebat, hic Altringerus in ponte fortiter pugnans à Suecis globô trajectus occubuit, vir non tantùm à fortitudine, sed etiam à pietate commendatus, qui casus contigit 22. Julii, postea 28. Julii Arnhemius Pragæ obsidionem solvit, & eadem die Ratisbona Regi deditur.

Augebat lætitiam, quia Ferdinando Regi Victori alter Ferdinandus Cardinalis Infans Hispaniarum Passavii animo & exercitu jungebatur, ubi Ungariæ Reginæ sorori locutus fuit. Hinc Donawerdam movent, qua expugnata in Rhætium ducunt, & Nördlingam communibus copiis obsidione cingunt. Cives pertinaces ex spe auxilii seu liberationis nullum admittere contractum volebant. Interea hostes sub Vinariensi & Hornio adveniebant, & prælium ciebant, Cæsareus exercitus sub Ferdinandis alacer in hostem invehebatur, acriter utrinque pugnatum, nullibi majoribus animis concursum est. Sed cuniculis & tormentis Sueci turbati, à tergo, à fronte, à lateribus premebantur, & jam non pugna erat, sed cædes. Equitatus hostium fugere conabatur, sed Carolo Lotharingiæ Duce & Joanne de Werdis, à Croatis & Ungaris cum fœda clade repellebatur, peditatus internecione ferè deletus est. Duodecim Suecicorum cadaverum millia campum texêre, sex millia capta sunt. Octoginta machinæ grandes, quater mille currus, decies mille equi in manus venerunt. Trecenta militaria signa rapta sunt. Dux Bernardus Saxo-Vinariensis effugit, cum Kratzio Gustavus Hornius, Rostemius, Schnedvinus, & 14. legionum tribuni, vivi in potestatem venerunt. Marchio Onoltzbacensis cum Hoskirchio, aliísque pluribus Chili-

Chiliarchis inter occisos fuerunt. Cæsarianorum non ampliùs mille ducenti desiderati sunt. Nec aberant à periculo Ferdinandi: Achatius enim Chiliarcha inter utrumque Ferdinandum medius tormenti globô occisus est: vix duobus ab iis passibus Dux Aldobrandinus, Junior Piccolomineus, Pillerus, & Sant-Martinius ceciderunt. Adeóque magnam hanc, magni Principes, suô periculô victoriam peperêre, quod prælium contigit 6. Septembris. [11.] Eo finito se Nordlinga in gratiam Ferdinandorum tradidit, quæ & suscepta fuit.

Rex autem protinus misit Viennam Comitem Dietrichstainium, & post eum Marchionem Hannibalem Gonzagam, qui sibi à DEO datam de hostibus suis victoriam Sac. Cæs. Majestati referrent, unde 17. Septembris Viennæ Imperator solennes gratiarum actiones instituit, ille quidem cum aula sua mansit in Sacello aulæ, & officium divinum solennissimè cum Te Deum laudamus & concentu suavissimo peragi voluit: ubique autem in civitate, in templis & Monasteriis idem fieri præcepit. Et causa fuit, quòd Imperator cum aula non prodierit, quia pestis valde grassari cœpit in urbe, unde à Scotensi Monasterio ad Domum Professam publica supplicatio fuit instituta, ut Deus hanc luem à civitate averteret, ipse verò Cæsar se Eberstorfium contulit. Nihilominus contagio de die in diem augebatur, ità ut per septimanam unam sexaginta funera numerarentur, qua etiam obiit Comes Eggenbergius. Unde Imperator cum aula tota se Neostadium contulit, ubi etiam Regem expectavit pro Comitiis Ungariæ habendis. [12.] De hac peste inferiùs plura, quæ per totam provinciam grassata fuit.

Circa 19. Februarii hoc anno quidam Frater nomine Conradus Ordinis Cisterciensis in Cella-Angelorum Professus, cum uno Carthusiano, & alio alterius Ordinis Religioso in civitate vel Donawerda vel Landishuta à Sueco hoste ex inveterato ejus in Religiosos odio publicè laqueô fuit suspensus, qui apud nos Zwetlæ aliquamdiu hospitaverat. [13.]

Superiùs scripsi de Viennensi peste, quæ etiam Egenburgi & pluribus aliis locis grassabatur, uti ex Räsing juxta Pulka nuntiatur, subditum Monasterii Zwetlensis Bachium nomine peste obiisse, & ex eadem domo septem alios taliter mortuos. Scriptum 30. Julii. Quo tempore etiam ad S. Thomam solitarius vulgò Klaus ibidem habitans cum uxore & liberis eadem lue raptus fuit. Sed tempus quasi luem alebat, nam circa festum Magdalenæ continuæ & succinctæ pluviæ erant, tantúmque frigus simul, ut nix cum pluvia mixta cecidisse visa sit, quod per septimanam duravit, ità ut mirum in modum frugibus timebatur. [14.]

Caduceator porrò à Deputatis Ordinum Austriæ cum literis missus, petebat frumentum pro exercitu Cæsaris in Bavariam ituro, is 25. Aprilis venit ad Monasterium. Postmodum 10. Junii Commissarii ab iisdem Deputatis per Austriam ordinati hìc etiam fuerunt, qui debita cujuslibet annotarent, & simul locorum præsertim Monasteriorum & dominiorum granaria visitarent, ut scirent, unde solvi possent. Hæc erant pro commeatu exercitûs hærentis ante Ratisbonam.

Deditâ Ratisbonâ Regi & Bavaro, uti suprà, Ferdinandorum exercitus Donawerdam versùs ducebatur, & expugnabatur, unde vulnerati plurimi in Austriam missi curationis gratiâ, quorum ad triginta in Zwetlensem civitatem recepti sunt, qui sanitati restituti ad castra revertere tenebantur.

AD-

ADDITIONES.

[1. 2. 3.] Theatrum Europæum 3. p. hoc anno.
Item Waffenbergius.
[4.] Ex Originali ipsius.
[5.] Waffenbergius p. 3. hoc anno.
[6.] Theatrum Europæum cit. locô.
[7.] Ex relatione eorum, qui interfuerunt.
[8.] Ex certa relatione Viennensium.
[9.] Theatrum Europæum & Waffenbergius ubi suprà.
[10.] Ex ore eorum, qui tunc præsentes erant.
[11.] Waffenbergius p. 3. hoc anno. Item Spondanus hîc n. 5. & 6.
[12.] Theatrum Europæum part. 3. hoc anno.
[13. & 14.] Ex literarum Monumentis.

Annus Christi MDCXXXV. Monast. CCCCXCVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

Circa initium Januarii densissimum frigus fuit, ità ut etiam eo lupi perierint, & in Bohemia milites plurimi eodem interierint. *[1.] Pestis autem cessare cœpit, qua etiam ad Monasterium personæ tres sublatæ fuerunt anno adhuc præcedenti, unde D. Martinus Abbas Zwetlensis duabus vicibus bipartito Conventu ad S. Sebastianum in Siebenlinden peregrinationem instituit. Deinde idem D. Abbas 12. Februarii tanquam Cæsareus Commissarius ad eligendum in Waidhofen ad Tayiam novum Judicem illuc iter suum adornavit. Cujus reditum prædo quidam miles cum complicibus in saltu quodam juxta civitatem nemoroso observavit, sex equis currum ejus ducentibus insidias struens. De his nihil sciens bonus Abbas utique DEI voluntate per aliam viam iter suum prosecutus est, nimirum ad B. Virginem in Räfing se contulit, & in Windigsteig parochiam, quæ tunc Vicariô vacabat, visitavit, unde tutiore via domum rediît. Prædo autem ille miser non impunitus mansit, nam 26. Februarii cum uno sociorum à verbis ad verbera descendit, ad duellum enim alterum provocavit, qui illi respondens comparuit; & provocantem prostravit, ità ut perderet & vitam & animam miser homo. [2.] Mirabilis etiam casus 19. Februarii in pagô Neustifft contigit: Nam Wolffgangus Eder Monasterii Zwetlensis in dicto pago subditus 11. ejusdem ad nuptias quasdam invitatus venit salvus & incolumis, mox autem tantos dolores capitis & cerebri vertigines sentire cæpit, ut præter spem omnium deinde 19. ejusdem in nocte media circa horam 11. & 12. personis præsentibus septem, de suo hypocausto cum anima simul & corpore evanuerit, ac perditus fuerit. Neque hactenus quicquam de ipsius corpore scitur, sive aquâ, sive terrâ in hunc usque diem inveniri potest. [3.] Vir aliàs bonæ famæ, & in facie hominum bonæ vitæ, Deus cetera novit.

Ascendo calamô in Imperium, ubi Treveris capta ab Hispanis stratagemate, & Gallorum præsidium planè deletum, ipse quoque Elector Archiepiscopus loci & Spirensis Præsul captus fuit, ex eo quòd munitissimum castrum Ehrenbraitstain è regione Confluentiæ in rupe situm Sueco & Gallo tradidisset, qui per Danubium utì captivus Viennam ductus est. [4.]

Serenissimus autem Ungariæ & Bohemiæ Rex, utì Generalissimus paucis equitum turmis 24. Maji cum comitantibus per Hornam civitatem & Schwartzenawe castrum transivit, in Bohe-

miam ad exercitum properans. Budvicii Pentecosten celebravit atque festum Corporis Christi. Deinde 30. Maji Pragæ inter Cæsarem & Saxonem articuli pacis fuère conclusi & solenniter publicati cum lætitia communi omnium finitimorum. Certè totum Imperium respirare cæpit, unde Regi Ferdinando in Imperium moventi se prima tradidit Norimberga, similiter Ulma aliquamdiu obsessa, Memminga, Francofurtum ad Mœnum cum nonnullis aliis Imperii civitatibus primam secutæ fuère: & ità Imperium aliquo modo reconciliatum Imperatori, nihilominus aliquot Suecicorum prædonum manipulis infestabatur, quibuscum Saxoni satìs laborum erat, eos de Germania exterminare. [5.]

Dum hæc in Imperio geruntur, Viennæ Capitaneus Kratz, qui in prælio Nördlingensi captus (ad hostes enim declinaverat) quater juri militari subjectus, & ad mortem damnatus, ac tandem in urbis curia in loco seu hypocausto, unde semel effractô ostiô & elusis custodibus jam evaserat, capite plexus fuit. Qui præcedentem noctem totam orationibus dedisse dicitur, & ipsâ adhuc feriâ sextâ summo manè, qua ipsi moriendum erat, sacrificiô Missæ auditô (paulò enim antè ex hæretico factus Catholicus) perceptô sacrô viaticô, orâsse ad extremum, nè ante oculos suos spiculator veniret, quod & ipsi concessum est. Gratia autem ea ipsi contigit, ut privatim capite plecteretur, ex filii ejus intercessione. Lecta autem sunt ipsius crimina publico in foro dicto Curia, ubi à Judicibus pro tribunali sedentibus morti addictus, in Curiam civitatis reductus, ibidem ex justitia cæsus fuit: tandem factam esse justitiam Judicibus relatum est. Et sic hic actus 6. Julii finem accepit, sepultus ille fuit apud Patres Societatis. Ratisbonæ postmodum Schafgotzius, qui cum Fridlando conspiraverat, capite diminutus, ad hæreticos hæreticus sepultus est. Alii perduelles Viennam partim deducti sunt. Artolleriæ Magister Sparr sub Fridlando, ad intercessionem Regis Poloniæ vitâ donatâ liber abire jussus est. Colonellus Mohr de Wald Teutonico Ordini, unde fuit, tradebatur, utique ad puniendum: ceteri delinquentes & rei partim ad æternos carceres in Ungariæ finibus, vel aliò amandati fuerunt. [6.]

Viennæ 7. Julii maxima tempestas orta est, nam fulmine tacta turris templi Scotorum ignem concepit, ejus tectum combussit & æra campanæ liquefecit, quæ turris in cæmiterium templi decidit, & ossa exhumata mortuorum exussit, ac in cineres redegit. Erat proxima turris huic templo, plena pulvere tormentario, quæ maximum timorem incussit propè habitantibus, si tacta fuisset, aliàs à foris contra flammas benè munita. Incendium ulteriùs non processit, undique hominibus contrà laborantibus. [7.] Eodem tempore circa Zwetlam magnæ & multæ tempestates pertransierunt, & Campii innundationes duæ vel tres, non tamen nocuerunt molendinis. Ceterùm poma, pleræque hortorum fruges in suis floribus nimio frigore perierunt.

Porro Dux Bavariæ Maximilianus & Elector Imperii cum Serenissima Archiducissa Austriæ & Ducissa Stiriæ Imperatoris Ferdinandi II. filia natu majore Maria-Anna 15. Julii Viennæ cum maximo apparatu nuptias celebravit, à Cardinali de Dietrichstain copulatio peracta, & in aula Imperatoris splendidum convivium habitum fuit. Sponsa nata Græcii in Stiria ex Anna-Maria Gulielmi V. Bavariæ Ducis filia, sorore ejusdem Maximiliani præfati, quæ erat conjunx Ferdinandi II. Imperatoris Archiducis Austriæ & Ducis Stiriæ, &c. annorum tunc 25. quam secum Bavarus Elector duxit domum 27. Julii, cui Imperator cum aula sua usque ad Maurbach Carthusianorum Cœnobium comitivam dedit. [8.]

Demum

Demum Rex Ferdinandus rebus in Imperio feliciter peractis per Donawerdam & Ingolstadium in Austriam secundùm Danubium feliciter rediit, qui Nusdorfii ab Imperatore & aula cum gaudio exceptus, Viennam deductus fuit. [9.]

Redeo ad Monasterium nostrum, ubi 12. Augusti variis in locis tanta tempestas grassata fuit, ut circa Windig- & Altensteig omnem agrorum fructum in siligine, tritico & avena perdiderit, ad pugni magnitudinem pluerit lapides gelu constrictos, horrea multis in locis turbine everterit, atque etiam fulmen pagum unum in Bohemiæ finibus incenderit, ac penitus exusserit. Eadem tempestas Gotvicii omnes Monasterii fenestras imbre lapidum talium fregit, omniáque vineta circa montem destruxit. Circa Monasterium nostrum eadem quidem lentè transiit, sed non sinè fragoribus. Nullum tamen DEO nos servante damnum aut tectis aut frugibus attulit. [10.]

Hoc anno in Sacello Beatæ Virginis in Räfings, sicut publicè è cathedra populo fuerat denuntiatum, quædam mulier cœca, se ad B. V. Mariam in Räfing devovens, cùm Sabbato, quod 13. Octobris fuit, peregrinationem suam instituisset, ubi primùm Sacellum videri potest, illa paululùm videre cæpit; propiùs veniens, meliùs vidit; ipsum ingrediens, visum totum recepit, ita ut pluribus nota facta fuerit ipsâ antea cæca, postea videns. [11.]

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum p.3. hoc anno.
[2.] Ex Annotation. Abbatis Martini.
[3.] Ex literis Præfecti in Weinzierl.
[4.] Theatrum Europæum hoc anno, ex quo advertendum dictum Electorem non hoc, sed sequenti Lincium, inde verò Anno 1637. ductum fuisse Viennam.
[5. 6. 7. 8, 9.] Theatrum ubi supra & ex Notatis Compilatoris textûs nostri.
[10. & 11.] Ex notatis citatis.

Ann. Christi MDCXXXVI. Monast. CCCCXCVIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	**Ferdinandus II.**	**Idem.**

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

AB anni hujus initio tanta fames peste cessante per Imperium invaluit, ut plurimi præsertim ruricolarum & militum Cæsarianorum ex ea defecerint, & timendum erat Austriæ propter esurientem & rapacem militem, qui nî commeatus sufficiens sibi subministraretur, eam involare, & cibos ab invitis vi tollere minabatur. [1.]

Ornavit D. Abbas Martinus unum Sacellum altari novo in majori templo in honorem S. Gregorii Papæ, in quo tabulam mediam cum superiori & inferiori pingi, desuper verò, à parte dextra & sinistra imagines sculpi curavit, nimirum supernè Angelica salutatione, & cornucopiis, ad latera S. Hieronymi & S. Servatii imaginibus condecoravit, quod 19. Aprilis à Sculptore in Sacellum suum fuit collocatum.

Porrò Ferdinandus Rex Ungariæ &c. ascendit ad exercitum in Imperium 20. Maji Viennâ discedens, per S. Yppolitum ad Mellicense Monasterium divertit; post ejus recessum in oppido incendium subitò exortum illud valde deformavit, & in Monasterio quoque flamma jam cœperat, sed diligentiâ servitorum statim fuit sopita. Rex inde per Lincium Monachium petiit, ubi à Duce Bavariæ solennissimè exceptus, & aliquot diebus optimè tractatus, hinc

sorori valedicens Augustam Vindelicorum venit, ubi etiam à Gubernatore & Magistratu civitatis honorificentissimè introductus, in Palatio Domini Marquardi Fuggeri diversorium suum accepit. Ad Rhenum inde & Spiram iter suum direxit. [2.]

Hunc brevì Imperator ipse Ferdinandus II. ad Comitia Ratisbonensia secutus est, cujus iter taliter describitur: Viennâ abiens noctu venit in Tulbing, ubi sequenti die Processioni de Venerabili Sacramento interfuit, inde Mellicium & per Ambsteten Laureacum venit, ubi pernoctavit; sequenti die non procul à Wels apud S. Pantaleonem cervorum venatione fuit delectatus, similiter ad Ebersperg se tali venatione recreavit, & aulâ præmissâ Lincium, ipse sequenti die hìc solenniter tam à Proceribus provinciæ, quàm à Magistratu exceptus, & in arcem deductus est. [3.]

Nuntiabatur tunc quòd incendiarii multi post Loysium obambularent, unde ad Cammern & Häderstorf multa incendia sunt visa, ab hostibus tales submissi ferebantur. Vetula quidem aliqua in illis locis deprehensa, & apud illam sulphur, pulvis tormentarius, igniculum, aliaque incendendi instrumenta inventa sunt, quæ ad puniendum in vincula conjecta est. Quod contigit mense Julio. [4.]

Porro Electio novi Regis Romanorum à Septem-Viris 22. Decembris Ratisbonæ habita & celebrata fuit, cui Rex Ferdinandus Bohemiæ, Moguntinus, Coloniensis, Dux utriusque Bavariæ in persona; Saxonis & Brandenburgici Electorum Legati interfuerunt. Vota omnium in unum Regem Ferdinandum convenerunt, quo nuntio exhilaratus Imperator sellâ portari se jussit, & intimas DEO gratias egit. Interea tam prætoriani, quàm cives explosione sclopetorum suorum, & ex propugnaculis urbis tonitruis machinarum lætitiæ publicæ signa data sunt. Coronationis verò actus in 30. Decembris dilatus est. [5.]

ADDITIONES.

[1. 2. & 3.] Theatrum Europæum. p. 3. hoc anno. Et ex notatis compilatoris.

[4.] Ex notatis Monasterii.

[5.] Theatrum Europæum ubi suprà.

Spondanus hìc n. 6. „ Facto interim „ à Ferdinando Imperatore alio Conventu „ Electorum ac Principum Imperii Ratisbonæ, „ quò ipse mense Augusti se contulit, ibi „ cùm quædam proposuisset de pace Germaniæ ejusque in pristinum splendorem restitutione; his in alium conventum remissis, „ quod præcipuum erat hujus convocationis „ consilium, id solummodo ursit; nempe „ ut filius suus Ferdinandus Ernestus Rex „ Hungariæ, eligeretur in Regem Romanorum successorem Imperii. Quod & facilè „ obtinuit, plerisque Electoribus aut per se „ ibi præsentibus, aut per legatos suffragia „ sua in ejus electionem mense Decembri „ conferentibus: qui mox vigesimô octavô „ ejusdem mensis coronatus est, annô suæ „ ætatis vigesimô octavô mense quinto; quippe natus anno 1608. vigesimô Julii.

An. Christi MDCXXXVII. Monasterii CCCCXCIX.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus II.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

FErdinandus II. Imperator quamvis debilis & infirmus, rebus Imperii priùs dispositis, & reliquis filio Augusto disponendis relictis, itineri domum versùs se accinxit 23. Januarii, & Welsæ in Austria Superiore aliquot dies hærens

rens Festum Purificationis celebravit, pòst recepto itinere 8. Februarii Viennam venit, ubi per portam Carinthianam ingressus B. Virginem Lauretanam in templo Augustinianorum visitavit, & ibi preces suas deposuit. * [1.]

Romæ audita Ferdinandi III. in Romanorum Regem electione Summus Pontifex Urbanus VIII. mirum in modum gavisus est, unde Cardinalibus injunxit, ut Electi in Missarum Sacrificiis memores essent, ipse verò eundem Ferdinandum, absque mentione tamen Collegii Electoralis, ejusdem electionem approbando confirmavit. Mediolani Gubernator Marchese de Leganes Te Deum laudamus cantari, aliáque multa signa lætitiæ fieri protinus curavit, similiter Coloniæ Agrippinæ, Leodii, Bruxellis, Antverpiæ factum. Nihilominus contra hanc Regis electionem Comes Palatinus Rheni Heidelbergensis coram Electoribus per suos protestatus est, sed ejus protestatio à nullo Principum acceptata fuit. [2.]

Ceterùm Sacratissimus Ferdinandus II. tot bellorum motibus, tot periculis cladibúsque suis superior, mutatione toties fortunæ, famâ, morbô ferè bienniô, & maximè in ipsis Ratisbonæ comitiis valetudinarius, tandem omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis munitus, piissimè Viennæ spiritum exhalavit, ætatis suæ annô quinquagesimô nonô, Imperii decimô octavô, omnium piorum desideriô post se relictô, ut qui Catholicæ fidei fuerit propugnator acerrimus, justitiæ observator severus, clementiâ divinâ duntaxat minor, post Carolos Magnum & Quintum Imperatorum maximus. [3.] Hic obitus contigit 15. Februarii, in Dominica Sexagesimæ, infra horam nonam & decimam. Ejus exanime corpus Græcium portatum, ibidem in Sacello ad hoc parato magnificentissimè depositum fuit, sicut vivus petierat.

Porro Ferdinandus III. Imperator mandat D. Martino Abbati Zwetlensi, ut suo in Monasterio primum, septimum, & tricesimum pro patris sui fel. mem. Ferdinandi II. quondam Imp. anima solenniter celebrari faciat, & ad idem defunctorum officium colonos & Monasterii subditos omnes convocet, ac tandem qualiter illud peregerit, Suæ Cæsareæ Majestati intimari curet. Datum Viennæ 12. Martii, Anno 1637. annô Imperii Romani primô, Regnorum Ungariæ 12. & Bohemiæ 10. [4.] Primum Sacrum injunctum 14. Martii, castrô doloris in medio templi ad hoc erectô, habitum; reliqua ùt tertium, septimum, tricesimum, subditis præsentibus 16. 17. 18. Martii celebrata fuerunt. [5.] Triduô ante obitum Cæsaris Viennæ apud Scotos turris, quæ post fulmine tactam & combustam antiquam ante biennium reædificata fuerat, circa horam sextam vespertinam subitò absque ullo vento aut alia vi mota corruit, sinè tamen ullius hominis læsione, & testudinem templi perfregit. [6.]

Exequiis undique tam Viennæ quàm alibi peractis, Ferdinandus ad aulam suam reformandam adjecit animum, & Comiti de Meggaw in mandatis dedit aulam totam reformandi, unde Intimum Consilium reductum ad quinque personas, quæ fuerunt: Dominus Episcopus Viennensis, Comes de Trautmanstorf, Comes de Slavata, de Franckenberg, & de Venda. Vice-Cancellarius denominatus D. Doctor Prickelmayr. Camerariorum numerus etiam diminutus fuit, alii sua retinuerunt officia. [7.]

Decimâ septimâ Januarii Landgravius Hassiæ, frater Landgravii de Darmstat, Fridericus Catholicum se Romæ declaravit, qui à Summo Pontifice ipsemet Sacram Comunionem accepit, & in Consistorio Cardinalium coram eodem Pontifice de Electo noviter Romanorum Rege excellentem habuit orationem, unde pòst per triduum vesperi semper de Castro Angeli tormenta in

ſignum lætitiæ exonerata fuêre. Quem Principem Pontifex 31. Januarii cruce Equitum de Malta donavit, addens annuatim ſex millium coronatorum reditus; liberales etiam erga eundem ſe exhibuerunt Cardinales. [8.]

Scribit Româ D. Hilarion S. Antonii Majoris Mediolani Abbas, Præſes Congregationis Italicæ, ac Procurator Ordinis Ciſtercienſis Generalis Domino Abbati Campi-liliorum, quòd à Ciſtercienſibus in Abbatem Generalem Cardinalis de Richeliu electus fuerit, nam Petrus Nivellius non tantùm à Generalatu totius Ordinis, ſed etiam à Ciſtercio Abbatia ceſſerat, & factus Epiſcopus Lucionenſis, quem Epiſcopatum Cardinalis illi contulit. Verùm Romæ contra electionem Cardinalis agitur, quam Pontifex nondum ratam habere voluit, ſub dato 9. Maji, currentis anni. [9.] Præcedenti quoque anno Ciſtercium à Cæſariano milite ſpoliatum fuit, qui ſub Joanne de Werd usque ſub mœnia Pariſiorum prædas egit, quod nuntiat quidam Profeſſus Lucellenſis ſuo comprofeſſo P. Chriſtophoro hìc hoſpitanti, ſub 19. Junii, Anno 1637.

Porro Ferdinandus III. Imperator iter ſuum Pragam versùs adornabat, quod obſervavit quidam Italus pomorum aureorum mercator, qui publicato itinere Cæſaris, ipſe quoque cum ſuis pomis iter ingreſſus eſt, reſtabat à Praga ultimum Cæſari Czaslaviæ diverſorium, quò iſte Mercanta pridie præveneràt, qui edoctus de Cæſaris hoſpitio, penes illud divertit, veſperi itaque ejus diei, quo Cæſaris adventus certò ibidem expectabatur præfatus Mercanta perforatô ſui hoſpitii tectô, evaſit in illud, quod pro Auguſto diverſorium paratum, & perrumpens tectum in fornacem Cæſarei hypocauſti ſe occultavit, armatus ſclopetô tertiariô longiori fiſtula oneratâ, cultris benè acuminatis ſolitò majoribus, & ſtiletô quadratô, ac formis fornacis ad erumpendum motis. Expectans expectavit miſer adventum Cæſaris, ſed non expectavit. Nam DEO ſic ordinante, Cæſar fortè propter æſtum retrò in quodam oppido permanſit, neque Czaslaviam ea die attigit. Hoc audiens iſte Sicarius, de fornace erumpere volens, viſus eſt ab aliis, & redire volens per tectum, unde venerat, ibidem eſt comprehenſus, & examinatus ſimulavit ſe ſtultum ac delirum eſſe, verùm catenis vinctus Pragam miſſus, in alba turri incluſus, ſuo tempere pœnas daturus eſt. [10.] Ecce miram erga Imperatorem & Domum Auſtriacam DEI providentiam, qua tam contra publicos, quàm privatos hoſtes continuò muniuntur.

Laudabilis maximè Imperator noſter eſt ob juſtitiæ adminiſtrationem, ità ut verè ſymbolo ſuo (quod eſt libra cum crucifixi imagine) correſpondeat, ſuum unicuique tribuens. Ordini enim noſtro Ciſtercienſi in Ducatu Wirtembergenſi & alibi multa reddidit Monaſteria ab hæreticis olim & aliis occupata, præſertim in Palatinatu Bavariæ tam Superiori, quàm Inferiori, [11.] quæ ad inſtantiam D. Petri Abbatis Eüſerſtalenſis Theologiæ Doctoris Imperator dederat, & erant ſequentia: Eüſerſtalenſe, quod modò habet Claudia Duciſſa Tirolis, Otterbergenſe, Sancti Diſſipodii Bergenſe, Seebacenſe, Sancti Joannis, Sanctæ Catharinæ, Comptenſe, Heinbolenſe, Deimbacenſe, Syon, Gremershaimenſe, Engeltalenſe, Roſentalenſe, Zirgartenſe, Weideſſenſe, Schœnaugienſe, quæ Monaſteria ſunt Ordinis noſtri tam virorum quàm fœminarum. In Ducatu autem Wirtembergenſi reſtituta ſunt: Maulbrunnenſe, Bebenhauſen, Herrenalb, Künigsbrun, Liechtenſtern, Zimeren, Prechterwirtshofen. Mulbrunna quidem antè Ordini fuit reſtituta, ſed à Duce tumultuante reditus intercepti; hìc enim contra ipſum Cæſarianus colligebatur exercitus. Arcem præterea Wiltpergenſem, quam Ferdinandus II. Imperator

tot Patribus Societatis in proprium tradiderat, ipse Ferdinandus III. ad instantiam unius de familia Dominorum de Traun, illi tanquam legitimo hæredi restitui mandavit. [12.]

Princeps Poloniæ Casimirus Viennæ expectabatur, qui 21. Julii in Wolckerstorf venit, cui missus obviam Comes de Strasnitz, pòst Imperator cum Leopoldo Guillelmo in venatione constitutus ipsum visitavit & excepit. Archiducissa Claudia è Tiroli etiam Viennæ præstolabatur, quæ in Poloniam Sponsæ Regiæ Cæciliæ Renatæ itineris comes esset, cujus homines præmissi hospitia parabant. Viduæ Imperatrici aura Græcii nimis immitis videbatur, unde Neapolim Austriæ petere cogitat, ibidémque residere constituit. [13.]

Interea Hermonius-Lapis (Ehrenbreitstein) adhuc obsessus, præsidiarios Gallos, omnibus consumptis, ferme sustulit, nam canes, feles, mures, glires, & abhorrentia ab humano stomacho animalia devorare fames coëgit. Et patebat atram famem durô ferrô sæviorem fortiorémque esse; cùm toto orbe famosus ille Hermonius-Lapis, ferro omníque violentia inexpugnabilis, penuriæ cesserit, & præsidiarii æquas deditionis leges pacti post biennii obsidionem, munitissimum locum Generosissimo Joanni de Werd tradiderint: ille verò jussu Cæsaris Electori Coloniensi quasi in depositum, donec Trevirensi Electori vel huic vel ejus legitimo Successori restitueretur, idem munimentum resignavit. [14.]

Suprà memini adventûs Principis Poloniæ Casimiri cum Legatis aliis regiis & splendenti comitatu; jam ad nuptias Principissæ Cæciliæ-Renatæ divertendum est; dictus Princeps Viennæ solennissimè exceptus divertit in Aulam-Novam,& post colloquium nuptiæ conclusæ fuerunt: Regia Sponsa in Aulæ-templo cum Vladislao Poloniæ Rege copulata, cujus vices Casimirus Princeps tenebat, & nuptiales epulæ planè regiæ in hypocausto equestri exhibitæ, præsente Cæsare, Casimiro, Sponsa, Legatis, Archiduce Leopoldo, aliísque. Quibus omnibus jucundè peractis, Sponsam regiam Cæsar ipse cum Aula usque in Wolckerstorf & Pilversdorf deduxit, ubi Valete dato & accepto, Imperator Viennam regressus, & Archiducissa Claudia Tirolis iter regiæ Sponsæ usque Warsaviam prosecuta est. [15.]

Venit ad Monasterium Zwetlense D. Ignatius Abbas Campi-liliorum, per Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam Commissarius Generalis uno tantùm comitatus Secretario, & visitavit Monasterium Zwetlense, novúmque claustralem Magistratum denominavit: cui discedenti D. Abbas Martinus usque in Gfell oppidum comes fuit. Hoc contigit 12. Augusti. [16.]

Viennæ hoc anno ædificatur ad septem-libros (ita locus vocatur) Monasterium pro monialibus Carmelitis ab Imperatrice vidua Eleonora, quod media ex parte perfectum apparet, cui ad orientem adjicietur pro fundatrice nominata palatium, quod multorum civium domos consumet. Collegium Societatis in loco veteris Universitatis etiam ædificatur, quod cum Aula Cæsarea altitudine certat. Præterea Curia Episcopalis à Domino Antonio Episcopo & Abbate Cremiphanensi in modum palatii egregiè construitur. Franciscani etiam in Cisterstorf jam novum possident Monasterium, quod Comes Teufenbachius à fundamentis excitavit.

Leopoldus Guillelmus Episcopus Passaviensis 16. Novembris hoc anno in Episcopum Olomucensem à Canonicis electus, multas propterea accepit gratulationes.

Sepulturam sibi vivus adhuc elegerat D. Gotfridus à Walpurg Magister-Equitum Cæsareus, quondam in majori Hainreichs dominus, qui 27. Januarii hoc anno è vivis abierat, & 31. ejus-

dem, in Monasterium funus deportatum ad Sacellum S. Catharinæ tumulatus fuit, ad parietes suprà vexillum ejus funebre cum gladio & calcaribus suspensum.

ADDITIONES.

*[1.&2.] Theatrum Europæum p. 3. hoc anno.

[3.] Idem hoc anno, ubi inter alia formulam, qua pientissimus Monarcha facta Sacramentali confessione DEO & Sanctis patronis se commendavit, producit hanc: „Æterne „ DEus miserere mei: Sanctissima Virgo Maria „ ora pro me nunc & in hora mortis meæ: An„ gele sancte Custos adesto mihi, nec me de„ seras in articulo mortis: Sanctissime Pa„ triarcha Ignati ora pro me!

Wassenbergius p. 4. hoc anno.

Spondanus hic n. 1. ubi addit: „ Ad „ finem Maji conventu Electorum Pragæ (à „ Ferdinando III) celebrato, ductus etiam „ est eò Archiepiscopus Treverensis, ratámque habuit electionem ejus; atque insu„ per consensit, ut Archidux Guillelmus fra„ ter Ferdinandi coadjutor ipsius fieret in „ Archiepiscopatu Treverensi.

[4.] Ex mandato ejusdem.

[5.] Ex Notatis Compilatoris.

[6.&7.] Theatrum ubi suprà.

[8.] Literæ Româ datæ.

[9.] Ex Relatione Domini Abbatis.

[10.] Ex literis Comitis à Kollonitsch missis 30. Maji.

[11.&12.] Ex literis D. Abbatis Eüserstalensis.

[13.] Ex particularibus Viennensibus.

[14.] Wassenbergius p. 4. hoc anno.

[15.] Theatrum ubi suprà.

[16.] Ex Annotationibus D. Abbatis Martini.

Annus Christi MDCXXXVIII. Monasterii D.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus III.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Martinus II.

JUbilæô hunc annum auspicemur, quod Urbanus VIII. Pont. Max. ad pacem à DEO obtinendam, præsertim inter Reges & Romani Imperii Principes instituit, siquidem à parte Suecorum pacis aliquod indicium Comite Kurtzio strenuè allaborante apparebat, *[1.] sub 16. Januarii hoc anno id referebatur.

Princeps Eggenbergicus ad Urbanum Romanum Pontificem ab Imperatore Ferdinando III. ferme ad finem anni missus fuit Legatus, ut electionem de se factam in Imperatorem Romanorum nuntiaret. Hic Legatus excellentem in Urbem habuit ingressum, & in Vaticano à Pontifice susceptus, libenter auditus fuit, ipsi etiam opiparum convivium exhibuit, & cum satisfactione sua dimissus, Viennam rediit. [2.]

Interea ad Rheinfeldam pugna committitur inter Joannem de Werd & Ducem Bernardum Weinmariensem, in qua iste, sed incognitus, jam à Cæsariano milite captus, sed non bene custoditus rursum evasit, & ità locus iste ab obsidione Weinmariensium liberatus fuit. Postmodum Dux Bernardus suos dispersos ex fuga recollegit, & ad Rotenhaus 1500. viros interemit captis simul quatuor Generalibus, nimirum Duce de Sauelli, Joanne de Werd, Enckevordio & Sperreiter cum aliis multis Centurionibus & Chiliarchis. Ad petitionem Regis Galliæ duo Generales de Werd & Enckevordius Parisios missi fuerunt, qui ibidem ingens plebi spectaculum fecerunt. Hoc contigit 28. Februarii. [3.]

Edictum hoc anno 7. Aprilis Ferdinandus Imperator edidit, quo vetantur Acatholicorum ad loca seu exercitia lutherana excursus, clandestina conventicula, concionum & librorum lectio

ctio hæreticorum, Prædicantium susceptio, & occulta sustentatio eorum, ac etiam in diebus jejuniorum carnium comestio, sub pœna transgressoribus posita eliminationis perpetuæ de provinciis hæreditariis, & omnium bonorum eorundem confiscationis: qui verò negotiorum suorum causâ ad talia loca pergere necessitantur, illi à dominio suo vel magistratu literarum testimonium accipere tenentur, alioquin sinè illo deprehensi à quocunque domino capi possunt. Similiter etiam Judæi in Viennensia suburbia ablegati fuerunt. [4.]

Pragæ Imperator solenni processioni interfuit, quæ inde Brandisium ducta cum imagine B. Virginis Mariæ miraculosa in curru Imperatoris imposita, & per Urbem Ecclesiasticorum comitatu honorata, cunctos peregrinantes Cæsar tam in itinere quam Brandisii victualibus pavit. Hanc ille imaginem à Capitaneo de Hofkirchen modò tanquam perduelli capto, viginti quatuor millibus imperialium redemit, Hofkircherus enim utì hæreticus ante aliquot annos dictam imaginem abstulit, & dictâ summâ pecuniæ oppignoravit. [5.]

Dum hæc Pragæ geruntur, Viennâ D. Christophorus Seifridus Breüner Prætor urbanus & D. Franciscus Comes à Trautson Austriæ Mareschallus cum multa nobilitate Regi Poloniæ ad fines Moraviæ decretô Cæsaris obviam iverunt, dictúmque Regem cum comitatu suo solennissimè susceperunt. Deinde Archidux Leopoldus Gullielmus Pragâ adveniens Wolckerstorfium petiit, & Regem Vladislaum cum Regina Cæcilia Renata, ejus Principissa, & Sorore multis Poloniæ proceribus & Senatoribus stipatam excepit, & Viennam cùm tormentorum explosione deduxit. Sequenti die Laxemburgum descenderunt ad viduam Eleonoram Imperatricem ejus visitandi gratiâ, ac in Baden transierunt, ubi dictus Rex balneô usus fuit ad suam sanitatem recuperandam. Deinde absolutô balneô Rex cum suis Archiduce comitante Niclospurgum versùs iter suum recepit, ubi etiam Imperator ex Bohemia advenit, ipsum salutavit, ipsi valedixit. [6.]

In Imperio interea Vinarienses Brisacum graviùs infestant, acriorique obsidione cingunt, Götzianos aliquoties cedunt, & omnes aditus tam terrâ quàm Rhenô concludunt. Magna fame obsessi laborabant, adeò ut ad nefandos & abominabiles cibos compellerentur, cùm famem atram diutiùs tolerare, nec ullam salutis spem habere possent, sæpissiméque vitæ gratiam oblatam pertinaciter respuissent, tandem Brisacum munimentum celeberrimum, decus & ornamentum Austriacæ Domûs, clavis Imperii Romani, cum omnibus tormentis, quorum non exiguus numerus, & innumerabilibus divitiis, fame potiùs quàm armis superatum; à Reynachero munimenti præfecto Vinariensibus certis conditionibus deditum; & præsidiô Gallicô firmatum est, mense Decembri hoc anno. [7.] Quæ occupatio Germanis multam tristitiam, Gallis verò magnam lætitiam generavit.

Terribile etiam quid refertur cum quodam milite Forestii in Inferiori Lusatia 7. Junii hoc anno contigisse, qui in silva proxima lanionem quendam aggressus vi abstulit illi centum Imperiales. Lanio militem, quem noverat, apud Capitaneum protinus accusat de rapta sibi pecunia, qui citatus omnia negat, sæpe diabolum ad se rapiendum, si hoc fecisset, invocando. Dictum, factum. Nam mox hypocaustum Capitanei diabolus palliô rubrô allomodicô vestitus ingreditur, quem Capitaneus compellans petit, quis sit, & cur sinè licentia ad se ingredi audeat? Cui respondit ille, se huc vocatum esse, & palliô in mensam projectô militem capite prehendit, & centum imperiales ab eo decidunt, eúmque secum abduxit. Militis corpus in silva eodem, quo lanionem spoliârat, loco, inventum mortuum fuit. [8.]

Ecce pro invocantibus diabolum ad se rapiendum recens exemplum.

Dum Ferdinandus III. Imperator Posonii in Ungaria hæreret, regni proceribus proposuit, quatenus omnes adversæ fidei sectatores è regno ejicerent, qui contrà satìs protervè respondentes petierunt, è regno quoque Ungariæ omnes eliminari Societatis Professores seu Jesuitas. Hæc P. Procurator Crembsensis retulit. Cùm autem Cæsar Posonii adhuc consisteret, Turca cum turmis aliquot equitum ascendit, obvia quæque devastando, etiam usque ad mœnia Posonii in conspectu Cæsaris multos Christianos captivando, unde Cæsar omni milite destitutus prætorianos suos in prædatores emittere coactus est, quibus visis Turcæ fugerunt, quod mense Januario factum scribitur.

Nuntiatur Viennâ, quòd primâ Octobris D. Ignatius Krafft Campi-liliorum Abbas, per Austriam utramque, Stiriam, Carinthiam, & Carniolam Visitator & Commissarius Generalis, quondam Cameræ-Aulicæ Præses, & Sacr. Cæs. Majestatis Consiliarius, qui Monasterium nostrum visitavit, apoplexiâ tactus obierit, cujus funus solenniter per Urbem usque extra Portam Carinthianam deductum, in Monasterium suum corpus sepeliendum deportatum fuit. Cui per Canonicam electionem Conventûs D. Cornelius Strauss successit. [9.]

Concludamus cum socio belli fame hunc annum, qui sicut & superiores duo terram fecêre aridam, itá ut pauca prioribus annis, hôc ex toto nihil de frumento protulerit. In locis enim quibusdam Austriæ Inferioris, ubi maxima panis inopia fuit, cicadæ nonnullæ segetes raras penitus absumpserunt, in aliis vermiculi sub terra radices depasti sunt, itá ut multis diebus aristæ virentes agricolas fefellerint. Pauperes vix habebant, quod rodebant, & divites multis sumptibus & carô pretiô pro frumento multa milliaria cucurrerunt. Apud nos in Nortica silva DEus mediocri messe agricolas beavit, in regione verò campestri Austriæ, seu ad Campos Marchiæ vinitores multô & bonô vinô donavit, quibus sibi victum necessarium comparare queant. In Imperii aliquot locis fames dirè grassata est, itá ut homines cibos vetitos & inhumanos sumere coacti fuerint.

ADDITIONES.

*[1.2.] Theatrum Europæum lib. 3. hoc anno.

[3.] Spondanus hoc anno n. 1. „Bernardus Dux Wimariensis partium Suecicarum, „post quædam oppida à se occupata, Rhinsfeldiam etiam in agro Basileensi obsidione „cingere animum induxit; quò securiùs „ibi locorum ageret, & transitum Rheni tutiorem redderet ad propositum sibi Brisacum Alsatiæ ad Rhenum, summi momenti, ac munitissimum ferè totius Germaniæ „propugnaculum. Eam igitur cùm obsedisset „mense Februario, Cæsarei & Bavarici cognoscentes quantum in ejus conservatione „situm esset, subsidia afferre deliberârunt; „Dux scilicet Sabellus, Joannes Werthius, „& alii. Accedentésque, inito gravi conflictu, superiores manserunt: sed repetito „post quatriduum graviori, victi fuerunt: „captis Sabellô generali armorum præfectô, „Werthiô generali castrorum præfecturæ „vicariô, Enckenfordiô generali Vigilum „præfectô, Speerreutterô vigiliarum magistro, Comite Fürstenbergio, multis aliis ducibus & tribunis; quibusdam cæsis; præter gregariorum militum cædem & captivitatem: haud utique incruentâ victoriâ. „Dux Sabellus Lauffenburgum deductus, inde paulò pôst evasit. Werthius & Enckenfordius ad Regem in Galliam missi, positi „sunt in castro Vicenarum ubi hactenus detinentur. Rhinsfeldia verò post tantum „prælium Wimariensi se dedidit: itémque „Neoburgum, Friburgum Brisgoiæ, & alia „nonnulla oppida: ac denique post varia „certamina cum ducibus Cæsareis, occasione Brisaci ab ipso obsessi, inita, mense Decembri ipsum quoque Brisacum auxiliô „Gallorum in potestatem suam redegit; ubi „reperta sunt ducenta majora tormenta ærea.

[4.5.6.] Ex Relatione particulari Viennensi.

[7.] Was-

[7.] Wassenbergius p. 4. hoc anno. Theatrum Europæum lib. 3. hoc anno.
[8.] Ex Literarum Monumentis.
[9.] Ex literis Præfecti Domûs nostræ Viennensis.

Annus Christi MDCXXXIX. Monasterii DI.

Pont. Rom. Urbanus VIII. *Imp. Rom.* Ferdinandus III. *Archi-Dux Austriæ* Idem.

Episcopus Pataviensis Leopoldus II. *Abbas Zwetlensis* Martinus II.

ARchidux Leopoldus Wilhelmus electus in Episcopum Olomucensem, Viennâ 3. Januarii discessit, & cum lecto comitatu Olomutium versùs iter suum direxit, cui Imperator comitivám dedit extra urbem, & eo vespere adhuc reversus est. Olomutii autem post honorificam ejus susceptionem à Canonicis obedientiam, à subditis verò Episcopatûs homagium accepit, & tribus septimanis ibi mansit omnia bene disponens, inde Viennam rediit. *[1.]

Obierat Reverendissimus Princeps ac Dominus D. Antonius Wolfrath Episcopus Viennensis, cujus corpus exanime ab universo Clero in aula Episcopali in viginti octo Sacerdotum humeros susceptum per altum - & piscarium forum, ad portam Peiler, & per fossam ad S. Stephanum solenniter deportatum fuit, ubi ad castrum doloris funus impositum, & Missæ & Sermones funebres habiti, post tertiam diem in cryptam sepultum est. Hic fuit Professus S. Crucis, Ordinis Cisterciensis, deinde Abbas Hilariæ in Superiori Austria, postmodum cum dispensatione factus Abbas Cremiphanensis, ac demum mortuô Kleseliô Episcopus Viennensis. Defunctô D. Antoniô in ejus locum substitutus & denominatus fuit D. Philippus Fridericus Breünerus Baro, suffraganeus Olomucensis & Canonicus Wratislaviensis, qui à Cæsare ad installationem suam Viennam citatus est. [2.]

Pragâ scribitur, quòd Pannirius 29. Maji prope Brandisium vadum per Albim fluvium invenerit, ubi cum nostris conflixit, in quo prælio Capitaneus de Hofkirchen in brachio vulneratus & captus fuit, sed nostris multitudini cedentibus, Pannirius ad Novam - Civitatem Pragensem cum exercitu accelleravit, & dispositis tormentis muros percutere, aperire, impetum facere cæpit, ubi verò nostratium sensit resistentiam & suorum perditionem, desperatus retrocessit. Interea Generalis Hatzfeldius cum 24000. virorum non procul Pragâ castrametatus advenit, obviam iturus tam vago hosti, & cum eo manus conserturus. [3.]

Memoria rursum habenda est Domini Niedrum, qui quondam in Monasterio nostro stabuli equorum Magister extitit, omni laude digni, qui tum pietate Mariana, quum animi in militia fortitudine claruit, unde promeruit, ut per quinquennium Ratisbonæ captæ à Ferdinando III. Rege cum præsidio præficeretur. Qui hoc anno Ratisbonâ discedens, (successerat enim ei Capitaneus Reynacher, qui Brisacum tradidit fame coactus) vel Passavium, vel Lincium petere constituit, ubi senectutis & podagræ suæ curam habere possit, præsertim cùm bona sua in Bohemia sub hostium potestate essent & majori ex parte diruta. [4.] Sed Linciô descendit Viennam, & in domo Zwetlensi mansionem accepit cum licentia D. Martini Abbatis. Qui postmodum non diu supervixit. Hæc de Niedrum viro forti & egregio milite sat diu mihi noto.

Porro non diu gavisus fuit suâ in occupatione Brisaci munimenti fortissimi victoriâ Dux Bernardus Vinariensis, qui dum percepisset arctè obsessam Hohenvillam, ejúsque atrium seu antemurale à Cæsarianis occupatum, ex Burgundia soluta ante Salinam obsidione properavit multis in itineris acceleratione amissis, & peste quoque raptis ad Rhenum, ubi ad Neoburgum pons navalis factus, transitum quidem ostendit, sed cum periculo dedit, nulla enim legio ex inundatione Rheni se committere præsentissimo periculo voluit, unde Dux ipse primus curru suo vectus, ut animaret exemplô suos, pontem ingressus est, sed ubi ad medium ejus devenit, pons ruptus, ipse cum equis & curru in flumen cecidit, & nisi cum navibus ipsi protinus succurrissent accolæ, in fluctibus vehementibus periisset. Liberatus inde cecidit in aliud periculum, nam ephebus quidam ejus dilectus peste correptus subitò expiravit, quo territus casu & ipse Dux eadem peste obruitur, qua & altera die obiit. [5.]

Mandatum hoc anno mense Junio Cæsareum Viennæ publicatum fuit, ut nullus cujuscunque statûs aut conditionis sit, quemque cyngarorum, qui multùm invalescebant, sub pœna gravi suscipere, multò minùs hospitiô aliquot dierum fovere audeat: hoc non tantum Austriacos Inferiores, sed etiam Superiores mandatum ligabat. [6.]

Interea ad opprimendas Pannirii insolentias & grassationes Imperator Hatzfeldium Generalem cum milite Pragam versùs direxit, qui de Austria, Ungaria, Polonia, Bavaria, aliísque partibus milites suos congregavit, sed quia absque Commissariis eunt, ubique impunè grassantur, sicut etiam extra portam Monasterii equis & rebus, ac pecuniæ insidiabantur. Subditos quoque cujuscunque dominii in pagis pecuniario censu in hoc transitu maximè molestârunt. Zwetlæ in civitate 20. Junii provincialium miles congregatus est, ubi aliquot fugitivi deprehensi ad laqueum condemnati fuerunt, ex quibus unus suspensus in media civitate, reliquis ad preces Domini Visitatoris Abbatis de S. Cruce, & nostri D. Abbatis tunc installati, utì infrà scripturus sum, & Commissariorum Cæsarianorum vita donata est. Milites ad Weitra 23. hujus congregati (Monasterium etiam nostrum viginti novem pedites mittere debuit) lustrabantur. Adduxit quoque milites suos D. Cornelius Abbas Campi-liliensis, qui in Monasterio nostro 18. hujus pernoctavit. In Superiori Austria Schaftenbergius altera vice contra Imperatorem etiam rebellionem meditatus insurrexit, nam ibidem aliquot rusticorum millia ad defectionem sollicitavit, qui in ipso facto deprehensus & proditus, à Cæsare captus Neostadium custodiendus deductus est. [7.]

Annus hic Monasterio nostro lugubris & tristis erat, nam 23. Aprilis D. Martinus Abbas noster infra horam quartam & quintam matutinam ex hac vita migravit, mortem causavit hydropisis morbus, ad quem ante octiduum accesserat aquosa ruptura, quem Dominus Joannes Traub Doctor Medicinæ Crembsii, & balneator Zwetlensis curârunt. Fuit autem hic dies vigilia Paschatis, in qua sedens in lecto obiit, Sacramentis tam pœnitentiæ quàm Eucharistiæ munitus pridie, id est, in Parasceve, sibi semper præsens, & usque ad ultimum spiritum loqui potens, compos etiam voti sui factus, cùm in hac sancta septimana Creatori suo animam suam reddere semper desiderârit. Monasterium è debitis levavit, Hospitale pauperum reparavit, juventutem instrui curavit pauperum, præsertim subditorum &c. Exequiæ ipsius maximo populi concursu celebratæ sunt feriâ quintâ paschali, nimirùm 28. Aprilis, funus deducente Domino Zacharia Abbate Altenburgensi, cui comites fuêre Domini Meger de Crumlovio ad

Cam-

Campium, Dominus de Poppen, Parochus de Antiquo Pœlan, de Kirchberg ad Silvas, de Töllershaym, de Schweickers, de Rieckers, & alii plurimi.

Procedo ad electionem novi Abbatis, quæ 29. Maji hoc anno in Dominica, quæ de suo introitu, *Vocem jucunditatis*, vocatur, celebrata fuit. Præsidente igitur D. Michaële Abbate S. Crucis cum collegis suis D. D. Petro Eüsserstalense Abbate & Andrea Tittelio Clara-Vallensi in Zwetl Præposito, SS. Theologiæ Doctoribus: præsentibus quoque Magnificis Dominis Cæsareis Commissariis Hafner & Sengler Austriæ Inferioris in Excelso Regimine Regentibus, atque Secretario Püxenmaitter. Conventui autem expositum erat tam à Patre Abbate Visitatore, quàm à Commissariis Cæsareis nomine Cæsareæ Majestatis, quatenus ad commendationem Ejusdem in Abbatem eligerent, & suscipérent præsentatum P. Bernardum de Schrattenbach Monasterii Salemitani Professum ac Baronem. Invocatâ igitur gratiâ Spiritûs Sancti per Sacrum à D. Abbate Eüsserstalensi celebratum electionem novi Abbatis sequentes fecerunt.

P. Valentinus Kaube, Moravus Miglicensis, Prior.

P. Malachias Linck, Silesius Wratislaviensis, Subprior, & Magister Novitiorum.

P. Jacobus Hebetsprämer, Passaviensis, Cantor & Senior.

P. Edmundus Job Cramerus, Marchi-Brandenburgicus, Schœneflitensis, Parochus in Ebental.

P. Georgius Nivardus Koweindl, Austriacus Mauterensis, Vicarius in Zistersdorf.

P. Michaël Bernardus Reich, Austriacus Lincensis, Cellerarius.

P. Maximus Robertus Heigrueber, Austriacus Crembsensis, Vicarius in Schœnau.

P. Joannes Bayr, Franco Mergentalensis.

P. Ferdinandus Metter, Bohemus Budvicensis, Vicarius Monasterii S. Crucis in Aland.

P. Adalbertus Lincke, Silesius Glæsendorfensis, Organista.

F. Stephanus Kretschmayr, Franco Fuldensis, Diaconus.

Hi itaque undecim Professi vota per Scrutinii viam sua dederunt (omissô præsentatô Salemitanô) uni ex comprofessis suis, qui tandem 19. Junii in capitulo præsidente D. Abbate de S. Cruce, assidentibus sibi Dominis Abbatibus de Eüsserstal & Altenburg, & D. Præposito Perneccensi, præsentibus Dominis Cæsareis Commissariis præfatis & eorum Secretario, atque Domino de Poppen, Electus à Conventu, & à Cæsare confirmatus fuit Abbas Zwetlensis Venerabilis in Christo Pater ac Dominus Georgius Nivardus Koweindl, quo consensum dante & TE DEUM laudamus incepto, cum baculo pastorali in templum deductus in choro installatur. Reducitur deinde ad Capitulum, ubi datur ipsi Regula, facit juramentum Visitatori de non alienandis Monasterii bonis, præstatur ipsi à Conventu obedientia, offertur sigillum cum clavibus, & Capitulum finitur. Infulatio postmodum solenniter fit ab Abbate de Eüsserstal, assistente sibi sub infula Abbatibus Altenburgense & Perneccense. Post infulationem à Commissariis Cæsareis ipsi temporalia traduntur, atque in Abbatiam à Visitatore, in Cancellariam autem à dictis Commissariis deducitur, ubi subditi obedientiam promiserunt. Deinde facta est refectio, & ùt suprà scripsi, duo fugitivi milites à laqueo liberati fuêre. Hæc ùt testis oculatus referre volui.

Vigesimâ nonâ Decembris per Zwetlam quadringenti equi cum ephippiis novis ornati traducti, in Bohemiam missi à Statibus transdanubianæ Austriæ, ut milites cum illis providerentur.

ADDITIONES.

*[1. 2. 3.] Theatrum Europæum p. 4. hoc anno. [4. 5. 6. 7.] Ex certis relationibus. Item Theatrum Europæum ubi suprà.

Annus Christi MDCXL. Monasterii DII.

Pont. Rom. Urbanus VIII. *Imp. Rom.* Ferdinandus III. *Archi-Dux Austriæ* Idem.

Episcopus Pataviensis Leopoldus II. *Abbas Zwetlensis* Georgius II.

FErdinandus Imperator, ubi videt Conventum Norimbergensem Principum de pace in Germaniam reducenda frustraneum esse, comitia generalia publicare jubet ad 26. Julii incunda: unde ille 21. Maji Viennâ discedens Welsam Superioris Austriæ civitatem venit, & per festa Pentecostes substitit, statutóque suprà die pro Comitiis Ratisbonam ingreditur cum parvo apparatu, & ad consultationes procedit. Ubi jucundum etiam videre erat solennis aliàs in festo Corporis Christi processio, quam præsentiâ suâ ipsemet Imperator candelam albam dextrâ ferens & detecto capite condecorârat, ipsum sequebatur Episcopus, octo Prælati, Chorus Cathedralis Ecclesiæ & totus Clerus cum Religiosis; portabantur 24. vexilla cum duobus aurô multô textis & gravibus. Deinde Cæsarea procedebat aula & plurimi hominum. De propugnaculis ter Salve dabatur, sicut etiam à præsidii urbani milite, concentus suavissimus tam vocalis quàm instrumentalis, ac tympanorum tubarúmque clangor audiebatur, *[1.] ita ut multi Protestantium tantam solennitatem mirarentur.

Dum hæc Ratisbonæ aguntur Imperatrix Viennæ peperit filium 9. Junii, qui ab Episcopo Viennensi D. Philippo Breüner vesperi eadem die cum solennitate baptizatus, & Leopoldus, Ignatius, Josephus, Balthasar, Franciscus, Felicianus nominatus fuit. Hæc Imperator audiens lætus efficitur & novo vestitu aulam suam donat. [2.]

Itinera hoc anno per nostram silvam nullibi erant tuta ob prædones equites eadem continuò observantes, unde cùm hostis vagus Pannirius grassari audiretur, D. Georgius Abbas noster Monasterii pretiosa in loca tuta nimirum Viennam deportare decrevit, unde quartâ Januarii de nocte cum viginti quatuor sclopetariis & equitibus iter ingressus est, & superata silva Gfellensi feliciter venit Viennam, & 13. ejusdem incolumis rediit. [3.]

Pannirius hostis Bohemiâ relictâ aufugit, quem Archidux Leopoldus Gulielmus usque in Uchtlandiam persequitur, cingens civitates obsidione & expugnans, sicut etiam Erfordiæ, quam Suecus valde munivit, minatur. [4.]

Rursum D. Abbas Viennam 25. Februarii descendit suam salvans personam, nam eousque prædonum excrevit malitia, ut palàm minarentur Abbati, si ipsum deprehenderent, quòd vivum excoriare vellent, qui hoc civibus Zwetlensibus significârunt. Porro Viennæ Comes Trautsonius ad Dominicam *Lætare* in aula Cæsaris nuptias utique ex dispensatione suas celebravit. Eodem etiam tempore tum apud S. Stephanum, tum alibi in Monasteriis preces quadraginta horarum celebratæ fuerunt, hinc Dominus Abbas 4. Aprilis in Monasterium reversus est cum Paulo Koweindl Ministro Societatis Crumlovii, & ibidem parvæ scholæ Magistro fratre suo, item P. Candido S. Crucis Professo, qui in Slierbach ad docendum missus fuit. Interea D. Breüner,

ner, qui primùm Dobræ sederat, posthmodum in civitate Zwetlensi domum conduxerat, ab equitibus prædonibus equis, curru pensili, omnibus rebus secum habitis spoliatus fuit, quorum aliquot in silva Gfellensi latitant, aliquot autem in tractu, qui vulgò Gras gegend vocatur, grassantur, insidias equis & itinerantibus struentes. [5.]

Mense Majo 22. ejusdem D. Abbas septem equos censuales cum ephippiis novis aliisque necessariis provisos Rhetium transmisit, ubi milites etiam pueros duos Monasterio servientes secum abstulerunt. [6.]

Tempestas 12. Junii magna transiit, & grandinem misit ad nucis avellanæ magnitudinem, unde circa Macram curiam & Gerotten perditæ fruges tunc in flore existentes. [7.]

Incendia quoque contigerunt sequentia: in Moydrams pago 4. Januarii tres domus conflagrârunt, duo subditi ipsius Geyer, & unus Monasterii nostri. Deinde 24. Maji in Haslach pago, incendiô apud Schulerum exortô, quatuordecim domus subditorum nostrorum conflagrarunt, præsente ibidem P. Valentino Priore nostro, qui Viennam à D. Abbate missus fuerat. [8.]

Pestis dicitur in Bohemia valde grassari, quæ etiam Capucinos Budvicenses plerosque sustulit. E Geracensibus Religiosis octo hac lue feruntur sublati, cùm autem reliquus Conventus ad quandam sui Monasterii parochiam fugeret, & parochus eos admittere recusaret, illi fractâ portâ horrei in eodem pernoctârunt, qua nocte unus hac lue infectus ibidem ex illis expiravit. Pestis etiam grassari cœpit circa Crembsium, nempe in Fuersprun, in Loys, in Cambern curia nostra, in qua hortulanus peste obiit, in Tulna & circùm. [9.]

ADDITIONES.

*[1.2.] Theatrum Europæum p. 4. hoc anno.

Spondanus hic n. 8. „ Res in Germania lentè processerunt, Banerio hinc Suecorum duce, hinc Picolomineo copiarum „ Cæsarearum imperatore, castra in adversum „ metantibus, seséque mutuò spectantibus „ veluti ad pugnam conferendam: quam nihilominus vitârunt, utrisque periculosam, „ sæpe loca mutantes, & levibus tantummodo „ velitationibus sese perstringentes. Celebratur à multo tempore Conventus Electorum ac Principum Imperii Ratisbonæ à Ferdinando, spe procurandæ pacis Germaniæ: at necdum plenè innotuit, quid potissimùm in eo vel actum, vel agendum sit.

[3.4.5.] Ex Annotationibus Compilatoris textûs nostri.

[6.] Ex pms. Abbatis.

[7.8.9.] Ex Annotationibus Compilatoris.

Annus Christi MDCXLI. Monasterii DIII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus III.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Georgius II.

Pars Silesiæ in finibus ejus versùs Bohemiam non parùm sensit Capitaneum Stallhansium Suecum, qui multas arces, oppida, & civitatulas occupavit, sed Cæsariani eundem hoc & sequenti anno rursum persecuti sunt multis castellis recuperatis. *[1.]

Exercitus interea Archiducis Leopoldi auspiciis cum Mareschallis Piccolomineo & Merzio ducebatur Neoburgum ad Silvas Bohemiæ, in quo cum aliquot legionibus Major Slangius Suecus inclusus & obsidione cinctus erat, hic tandem post aliquot insultus sese

ſeſe dedidit cum tribus aliis Majoribus Capitaneis. Hoc percipiens Pannirius, qui Chamium occupaverat, mox cum exercitu quaſi fugere cœpit, ſed noſtrates ipſum ſecuti, non poterant cum eo manus conſerere, qui per Quedlinburgum Halberſtadium venit ipſe infirmus, & 10. Maji ibidem expiravit, antea tamen rei Summam Leonardo Torſtenſohnio commendavit. [2.]

Jam per triennium Generalis-Magiſter-Vigiliarum Enckevordius Pariſiis captivus tenebatur, qui hoc anno pro aliis duobus commutatus & liberatus fuit. Pro Guſtavo Horn etiam Joannes de Werd reſtitutus fuiſſet, ſed ille Briſaci hærens ferme annum conſumpſit, moram faciente Bavaro. [3.]

Ratisbonæ Cæſar amneſtiam perficiebat, qui infra ſex ſeptimanas navibus redire Viennam ſe diſponebat, ubi Legatus Turcicus ipſum expectabat. [4.]

Dominus Georgius Abbas Zwetlenſis audiens hoſtem Pannirium in Bohemiam rurſum cogitare, cum pretioſis Eccleſiæ rebus ſe accinxit itineri, & forti manu unà cum Decano Muræ-Pontano D. Perger versùs Spitz ſe contulit, & Müldorfii pernoctavit 24. Martii, & altera die per Danubium deſcendens Crembſium attigit, Dominus autem Decanus in Stiriam domum rediit. Cum dictis rebus Allodiorum-Magiſter Viennam miſſus erat, Dominus verò Abbas domum rediit. In Monaſterio ad Conventum novam turrim fieri curavit, & Ædili M. Nicolao de Horn 11. Junii pro mercede 70. florenos dare promiſit. Portam etiam ad hypocauſtum Conventûs lapideam pro 55. florenis 5. Julii conduxit. [5.]

Dominus Vicarius Generalis & Viſitator Michaël Abbas de S. Cruce hoc anno 10. Octobris huc venit cum Secretario ſuo P. Nicolao, jam Priore in Monte-Pomerio deſignato, viſitatum, & peracta viſitatione 13. hujus Crembſium deſcendit. [6.]

ADDITIONES.

[1.2.3.] Theatrum Europæum lib. 4. hoc anno.

[4.] Ex ſcriptis Ratisbonâ literis.

[5.6.] Ex Annotatione D. Abbatis.

Annus Chriſti MDCXLII. Monaſterii DIV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Auſtriæ*
Urbanus VIII.	Ferdinandus III.	Idem.

Epiſcopus Patavienſis	*Abbas Zwetlenſis*
Leopoldus II.	Georgius II.

SUeci ſub Torſtenſohnio invaſerunt Sileſiam, & majorem Glogoviam occupârunt, in qua cæſis octingentis militibus, & ſexcentis captis unà cum Mauritio Auguſto Barone de Rogau Commendante & Capitaneo de Schöneich, magnum apparatum bellicum invenerunt, nimirum tormenta viginti ſex, inter quæ duo baſiliſci majores, quingenta vaſa pulveris nitrati, octingenta millia modiorum farinæ aliíque fructus, reperta. Miles quidam prædæ inhians in templo parochiali fune incentivo abjecto incendium cauſavit, quo templum cum turri & domus proximæ abſumpta ſunt. Hoc contigit ad initium Maji. Deinde ulteriùs progreſſi Sueci occupârunt Drachenbergam & Wartembergam caſtra fortia, Wolaviam inſultu ceperunt cæſis in ea centum militibus, Gura ſimilem fortunam ſortita eſt. Ad Schweinitzium Dux Franciſcus Albertus Saxo-Lawenburgicus Cæſareus Generalis in prælio tribus globis

bis ictus & captus, ibidem ex vulnere obiit amissis tribus millibus equitum. Occupatum deinde Schweinitzium, Namslavia, Blavia, & Bernstadium. Torstensohnius fortunam suam secutus Nissam tentavit, sed tres assultus amisit, quartus ubi paratus erat, præsidium civitatis cum eo tractare cœpit, convenire tamen non poterat, quo in abitu deducendum esset, interea ab intus ad muri ruinam muniendi se tempus redemerunt, & datô responsô se tradere nolle, Torstensohnius malè accipiens, revocatis aliquot legionibus, quas aliò jam dimiserat, cum majoribus tormentis, vi urbem aggredi parabat, quod obsessi videntes se dediderunt. Mactati protinùs omnes Croatæ & Venatores, cives ad redimendum spolium quindecim millia talerorum, trecentas urnas vini, ducentas urnas cerevisiæ, copiam frumenti magnam, oves & boves plurimos, mille quingentos equos, & quatuor legionum provisionem pendere debebant. Post Nissam venit & cæpit Oppaviam, Coslaviam, Jägerndorfium, Ratiborium, & Troppaviam, ità ut infra mensem totam Silesiam præter Wratislaviam in suam redegerit contributionem. *[1.]

His peractis Victor Torstensohnius Moraviam petiit, & Olomutium obsidione cinxit, quam urbem Miniatus Italus Capitaneus certis sub conditionibus eidem tradidit, thesaurus Ecclesiæ Cathedralis cum aliorum regulorum opibus Viennam deportandus in itinere tam à nostris, quàm ab hoste tunc spoliabatur, sed quidquid Torstensohnius de dicto thesauro recuperare poterat, Ecclesiæ reddidit, nam in urbe antea opulentiam invenit non parvam, & cives pro redimendo spolio trecentis millibus imperialium mulctavit, exceptô lytrô Ecclesiasticorum. Olomutii tribus millibus tam equitum quàm peditum relictis, mille aliquot Brunam versùs misit, sed ibi sicut & Znoymæ Cæsarianus exercitus colligebatur, unde Sueci sese Olomutium recipiebant, qui rursum emissi in Comitatum Glacensem, ubique prædam faciebant, quos ipse Torstensohnius secutus est, deinde in Bohemiam velites suos ad explorandum misit, qui magnum Pragensibus metum incusserunt. Briga diu obsessa, & demum relicta, sicut & Nissa præsidiô suô Suecicô evacuata, Suecus Olomutium repetiit, quia Archidux cum novo exercitu advenire nuntiabatur, Piccolomineô campi-Mareschallô additô. Numerabatur ejus exercitus ad 30000. virorum, Austriaci etiam peditum quinque millia & equitum mille dederunt. Torstensohnius nolens aleam belli subire, in Silesiam reversus, Troppaviam venit, sed ibi milite pauco relicto Glogoviam tetendit. Archidux Olomutium à longè cinxit milite Austriaco, & ipse cum exercitu reliquo Silesiam petiit, & Nissæ substitit, deinde per Wratislaviam Glogoviam tetendit, quam obsidione cinxit, ibi assultus duos amisit, ac demùm obsidionem solvit. Major Wanckius Olomutium egregiè munivit, cives & opifices juramentô adegit ad fidelitatem coronæ Sueciæ servandam, sæpissimè manu forti erumpens & Austriacos visitans, & fruges colligens, quorum multi clam aufugerunt. Hos Baro de Traun & Ferenbergius ducebant, sed quandoque à Suecis malè mulctati fuêre. Pachmarius Magister-equitum ex Schickenhof etiam bellicam lauream adoptans, sexaginta Suecis ipse primus fugiens cum integra sua compagnia cessit, ubi fortiter pugnans Baro à Landaw ejus Signifer cecidit, inde non vertex ejus lauream, sed humeri baculum senserunt, non sinè jactura sui honoris. [2.]

Interea Enckevordius pro Mareschallo declaratus ante Olomutium milites recollegit, & tria millia peditum & mille equitum duxit ad exercitum, Olomutiô nihilominùs à longè obsessô. Torstensohnius pòst Lipsiam movet,

quam obsidet, Archidux autem cum exercitu quoque adveniens ipsam liberare contendit, hinc ad prælium venitur, & victoria Succis contigit. Ex parte Cæsaris multi Magistri-equitum, Capitanei, Locum-tenentes, signiferi amissi, equitum, peditúmque quater mille, qradringenti, & octuaginta desiderati fuêre, instrumenta bellica & commeatus in potestatem hostis venêre, Musici tamen Archiduci protinus restituti sunt, & finitô præliô Lipsiam quoque occupavit. Deinde in Bohemia Rockenzanii cum fugitivis executio habita, de legione Colonelli de Madlo post officiales decimus quisque sub aleæ lusu morti adjudicatus, vexilla & enses eorum confracta, & coram exercitu pro infamibus proclamati, gregarii ad arbores suspensi, officiales verò capite plexi fuêre. Executio hæc aliis in exemplum cessit. [3.]

Veniamus jam Viennam, ubi cum uno Judæo alia & rara fuit executio habita, qui antea in Polonia Rabbi nominatus & baptizatus fuerat, & fervidè contra Judæos scripserat, hic cum aliis duobus Judæis ex Archiducali gazophylacio adulterinis clavibus adhibitis, aliqua ultra pretium mille imperialium furatus, deprehensus, tentus, ad laqueum condemnatus, & jam jam educendus crucifixi imaginem, quam uti Christianus in manu tenebat, & inde vitam sibi donandam sperabat, ad terram projecit, eam pedibus conculcans, blasphemavit, se nolle ùt Christianum, sed ùt Judæum velle mori. Pater unus de Societate illi adjunctus ipsum alloquens ait: Cur ità loqui auderet? cùm pridie sacram communionem acceperit? Cui respondit: Se hostiam non sumpsisse, sed ex ore in strophiolum mox ejecisse, & in cloacam projecisse, ubi etiam inventa fuit. Dictus Pater ex zelo circumstantibus dixit: Mirum non esse, si omnes Judæi occiderentur. Inde plebs in Judæos exacerbata in ipsos manus injicere & vulnerare, pars etiam eorum officinas mercium effringere & spoliare cæpit. Jussi deinde duo suspendi, Rabbi verò in carceres reduci, quod 22. Augusti contigit. Hic protinus examinatus, cur tam diu Christianus fuerit, & contra Judæos tam acriter scripserit, respondit, se pro honore Judæorum & in despectum Christianorum, hæc scripsisse, nec unquam communionem deglutivisse, sed, ùt suprà relatum, taliter semper se fecisse, nec quicquam credidisse de ea Catholicè, sed eandem, ùt Judæi, carnem suillam, se despectam habuisse, novam addens blasphemiam. Qui deinde in altum currum impositus, forcipe ignito bis interpressus, ex ejus cute à collo usque ad plantas pedum duæ ligulæ scissæ & ruptæ, pòst de curru in traham depositus ad locum supplicii raptus fuit, ubi ipsi tanquàm blasphemo lingua excisa, sicut etiam utì perjuro dextra abscissa, & pedibus catenâ in patibulo suspensus, fumo & igne enecatus fuit, pejor hæreticô habitus. [4.] Hoc quia rarum, pluribus referri debuit.

Porrò Urbanus VIII. Summus Pontifex mense Martio Brevi dato Ecclesiam Monasterii altari privilegiato donavit ad animas è purgatorio liberandas; item ad Rafingense Sacellum peregrinantibus Indulgentias plenarias concessit, & Congregationem Virginis Mariæ Dolorosæ Archiconfraternitati Romanæ Sanctæ Mariæ de Planctu dictæ cum participatione Indulgentiarum, univit ac incorporavit. [5.] Hisce concludo hunc annum.

ADDITIONES.

*[1. & 2.] Theatrum Europæum lib. 4. hoc anno.

[3.] Ex diversis Authoribus, & Annotat.

[4.] Theatrum Europæum ubi suprà.

[5.] Ex Autographo Brevium.

AN-

Annus Christi MDCXLIII. Monasterii DV.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Urbanus VIII.	**Ferdinandus III.**	**Idem.**

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	**Georgius II.**

FRidbergam Saxoniæ egregiè defendit contra Torstensohnii impetus Locum-tenens Schweinitz, unde ille adveniente Cæsariano milite abire compulsus est. Qui Locum-tenens à Saxone ob hunc locum generosè defensum torque aureo cum sua imagine donatus, ab Imperatore etiam literis propria manu scriptis honoratus & similiter torque aureo mille imperialium misso, proximum in Fiscum redactum dominium, & titulus Liberi Baronis ipsi oblata fuêre. *[1.] Interea Torstensohnius aliquot captivos de Cæsaris exercitu liberos abire permisit, qui in quendam Cæsarianorum manipulum inciderunt; hi per errorem hostem adesse putantes, duos globis trajecerunt, quorum unus D. Maximilianus Comes à Kollonitsch, bis tactus Chemnitii postea obiit, qui generosus miles & magnæ spei juvenis, ac jam D. Comitis Puechaimii Supremus Locum-tenens valde lamentabatur, imò ipse Archidux Leopoldus, quia in prælio Lipsiaco dextrè pugnaverat, suum Camerarium amissum dolebat. [2.] Pragæ verò duo Colonelli Cæsarei Madlo & de Tour ob præproperam fugam ex prælio ante Lipsiam initam ante Curiam civitatis astante legione militum & civium duobus vexillis, decapitati fuêre. [3.]

Torstensohnius porro cum exercitu ex Bohemia in Moraviam tendit, & Melniciô destructô per Kuttenbergam Olomutium obsessum liberare pergit, quod milite & commeatu novo communit unà cum Neostadio, Littaviâ demolitâ Cremsirium occupat, spoliat & comburit, rectà pergens secundùm Marchiam fluvium Niclospurgum, ubi multa castra occupata milite providit, ùt Landskron, Debitschaw, Triba, Lenckenaw & Kremnaw. [4.] Interea Vrangelius cum 3000. equitibus ante pontes Danubii ad Viennam substitit, cui se aliquot centeni Vallachi conjunxerant, in quorum vexillis hæc verba legebantur: Pro Verbo DEI, & pro patria suscipimus hæc omnia. Prosnitzium in Moravia valde destruxerant Sueci, sed non impunè; nam Cæsariani non procul indè tres legiones Suecicas sub Colonellis Döbitz, Dubolt, & Werner de nocte invadentes confecerunt. Quos Colonellos captos Torstensohnius iratus pecuniâ redemit, & Wernerum protinus in castris suspendi, Döbitzium autem utì infamem nequam de exercitu suo ejecit. [5.]

Crumlovii in Bohemia quidam explorator captus 18. Martii, in tortura fassus se ad recognoscendum Crumlovium, Budvicium, Franbergam & Wittingaviam ab hoste missum fuisse, quæ loca ille occupare intenderet, sed ille debitas luit pœnas. [6.]

Ferdinandus Imperator ubi audivit, quòd Ungari evocati extra fines regni sui sinè Rege suo procedere nollent, ita 25. Augusti Cæsar Viennâ movit Niclospurgum usque, in castra verò jam advenerant Ungari, quò missa sunt cum necessariis decem tormenta. [7.] Mense Septembri Sueci Brunnam usque excurrerunt, & suburbia spoliârunt incensis aliquot domibus, & raptis militum ibi manentium equis. Postmodum revertentes obsederunt civitatem, & tormentis tentârunt, sed adventan-

te Gallasio cum Ungaris & majori parte exercitûs, hostis obsidionem solvit cum cæde plurimorum tormentariorum, & 7. balistis majoribus cum suis operibus amissis. Qui per Wischa Olomutium petit; Cæsar verò ex Skalitz brevì Viennam rediturus est. [8.]

Portenta etiam varia contigebant hoc anno; nam Viennæ in Armamentario Cæsareo Mense Aprili de nocte tantus tumultus auditus fuit, ac si duo exercitus hostiliter congrederentur; quod sat diu duravit; manè factô nihil inventum extra ordinem suum. Brunnæ etiam in Moravia mense Augusto aves nigerrimæ & magnæ in tecta domuum civitatis advolârunt, quæ terribilem cum militum civiúmque tremore clamorem edidêre. [9.]

Geracense Monasterium Præmonstratensium 6. Julii incendiô exortô in cineres redactum, & D. Prælatus Drosendorfii manens apoplexiâ tactus fuit. [10.]

Cæsar etiam Consulem Crembsensem edictô monuit, ut Crembsium & Stainium curæ sibi essent, si fortè Suecus in Austriam irrumperet, unde milites noviter lectos cum eorum Capitaneo à se missos intromittat sub dato Skalitz 8. Septembris. Hoc Rector Societatis ibidem nuntiavit Abbati Zwetlensi. [11.]

Interea milites vias undique observabant, & quæcunque obvia rapiebant, sicut ex Cammern sub 28. Januarii scribitur; quòd equites circa Egenburgam tres pagos invaserint spoliando, ut Roseldorf, Wartperg, & Reschitz, ubi in ultimo oppido 4. domibus evacuatis datô Campanæ signô aufugerunt. Schönbergæ etiam subditis de Traun 22. equos de curribus frumentô onustis rapuerunt, & præsidiarios globis & gladiis pessimè tractârunt. Similiter Kirchbergæ pecora cum equis in Wagram ejusmodi prædones abstulerunt, ex quibus unus jam dimissus Locumtenens suspensus, & simul signifer patibulo adjudicatus, qui suspensus ruptô clavô decidit, & per astantem populum erupit, evasit, alii verò latentes complices his visis planè clam fugerunt, quod scribitur ex Castris Cæsarianis ad Wischa sub 5. Julii. Eum in finem, Viennâ etiam à Deputatis Statuum in nostram silvam missus fuit restantium Commissarius, qui à dominiis & Locis attestationes acciperet ob exactiones à Comite Veroli, qui falsas litteras publicas habebat, per suos factas, qui subditos Monasterii etiam valde exagitârunt. Dominus Abbas in Monasterio Sclopetarios pro præsidio propterea alere debebat in omnem eventum ad usum.

Ædificavit D. Abbas hoc annô juxta hospitale pauperum granarium, quod fornice munivit in superiori parte domûs vietorum, ubi jam anteà unum posuerat. Item cùm in templo Monasterii Sacristia antiqua nimis angusta esset pro Sacerdotibus se ad Missas induendis, D. Abbas Sacellum Sanctorum Omnium ad meridiem templi situm pro Sacristia nova applicuit, in cujus spatio multi Sacerdotes se commodè ad Missas præparare possunt, quam repositoriis affabrè ab arculario factis mensis convenientibus ornavit; insuper lavatoriô lapideô providit. Muros autem Sacelli destruxit, & à fundamentis novis erigi curavit, fornice munivit, fenestris altis illuminavit, & lapide sectô pavimentum stravit, quod perfecit hoc anno mense Decembris, & in festo Nativitatis Domini nobis jam usui fuit. [12.]

ADDITIONES.

[1.2.3.4.5.] Ex Wassenbergio seu Floro Germanico, hoc anno.

Theatrum Europæum p. 4. hoc anno.

[6.7.&8.] Ex literarum monumentis.

[9.] Ex Relatione. Theatrum citatum addit: solam & unicam pretiosam cassidem humi repertam fuisse.

[10.] Ex Annotationibus Compilatoris.

[11. &

[11. & 12.] Ex iisdem.
Theatrum Europæum ubi suprà refert Imperatorem hoc anno adhuc in castello Eberstorff persistentem, ab unoquoque Nobilium in hæreditariis provinciis suis, exceptâ solâ Hungariâ, exegisse aut unum equum instructum pro equite ad præliandum parato, aut sexaginta florenos Rhenanos.

Annus Christi MDCXLIV. Monasterii DVI.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius X.	Ferdinandus III.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Georgius II.

URbanus PP. VIII. hoc anno 29. Julii Romæ obiit, ætatis suæ annô 77. & Pontificatûs 21. non annos Petri visurus. Cui per Cardinalium vota successit Joannes Baptista Pamphilius dictus, Romanus, annorum septuaginta duorum, 15. Septembris hoc anno, vocatus Innocentius X. coronatus fuit 4. Octobris. *[1.] Qui à S. Malachia indigitatus inter Pontifices hoc lemmate: Jucunditas Crucis. Quia sub ipso in Imperio Germanico cum Succo, Gallo, & confœderatis annô MDCXLVIII. pax universalis facta: qua humano commercio nihil jucundius, quam tamen ipsam pacem tanquam Sedi Apostolicæ injuriosam, Religioni Catholicæ dissonam, pluribúsque in Germania Cœnobiis perniciosam nequaquam approbavit, verùm per Legatum suum Fabium Chisium damnavit. [2.] Jucunda & summè acceptabilis fuit populo Romano ejus inauguratio; post quam propediem milites ex Urbe amandati, numerúsque eorum in ditione Pontificia ad medietatem diminutus, vectigalia, exactiones, & alia id genus onera sublata sunt; quæ omnia non poterant non afferre jucunditatem; Zelo verò ipsius, quo toto Pontificatûs sui tempore exarsit, conservandæ, & propagandæ orthodoxæ Fidei, accidit jucundissimum; cùm acciperet, Partes adversas, inimicos Crucis colere & adorare Crucem, plures scilicet Germaniæ Principes & Dynastas Romanam amplecti Religionem; inter quos Odoardus Comes Palatinus, Ulricus Dux Wirtembergicus, Dux Holsatiæ Jundetburgensis, Joannes Fridericus Dux Brunswicensis & Luneburgensis, Fridericus Hassiæ Landgravius Darmstadianus, postea Cardinalis, Ernestus Landgravius Hassiæ Casselensis cum uxore sua Maria Solmensi, Philippus Gulielmus Neoburgicus cum conjuge Elisabetha Amalia Magdalena Darmstadiana numerabantur. Quorum nonnullos summa cum voluptate Romæ ipse ad pedes suos excepit, & tum verbis blandissimis, tum muneribus sacris eorum fovit pietatem ac fidem commendavit. [3.]

Hic Pontifex se in Cardinalium Collegio declaravit bonum Austriacum; quia defunctus suus Antecessor Gallo thesauros Petri distribuisset, unde Catholicæ Ecclesiæ parùm utilitatis aut nihil provenisset; cùm econtra Romanorum Imperator hostes Ecclesiæ Catholicæ debellaret, & Pontifex ipsi ex conscientia succurrere, vel eum juvare teneretur. Postmodum Cardinales creavit Casimirum Principem Poloniæ è Societate JESU, & Landgrafium Hassiæ sub Urbano conversum, & Equitem S. Joannis Hierosolymitani Melitensem. Et Cardinales tres misit protinus ad Principes bello implicitos in pace componendos. [4.]

Interea Mars Suecicus se movit in Daniam, & ibi cum Danorum Rege aleam belli jecit nostratibus moram faciens se recolligendi. Gallasius Cæsareus Generalis autem Eislebium versùs mittens suos ad pabulandum,

cùm civitatem intrâssent, aliquot domos spoliâssent, & incendissent, centum suorum amissis fugati sunt. Hoc percipiens Torstensohnius cum suis movit contra Gallasium, & Bernburgi tam infirmos quàm alia impedimenta relicta obtinuit, pabulatorum etiam tria millia cepit, & Gallasium se ad Magdeburgum castris positis munientem Torstensohnius cum exercitu secutus, illum obsedit subsidium suorum expectantem. [5.]

Excitatus Ragoczius Transylvanus & cum Gallo & cum Sueco confoederatus, Ungariam Superiorem invasit, & Cassoviam occupavit, cui à Cæsare miles cum Ungaris fidelibus obviam missus, aliquot ejus munitionibus captis, & hinc & inde miles ejus cæsus fuit; unde à suis commonitus cum Cæsare iniit sequentes pacis articulos: quorum primus fuit, ut Ragoczius militem suum protinus sinè damno ex Ungaria educeret, & militari Sacramento liberaret. Secundus, ut loca occupata restitueret. Tertius, in Ungariæ regni negotiis se non immisceret. Quartus, ut confoederationi tam Gallo quàm Sueco promissæ renunciaret. Quintus, ut cum hostibus Austriacæ Domûs nullum imposterum iniret foedus. Sextus, ut expensas omnes in bellum hoc factas refunderet; & ad hoc per se & suos scriptò se obligaret. Et Septimus, ut ipse cum suis subditis in provinciis Austriacis commercia sua peragere liberè & licitè possit. His articulis utrinque firmatis, & hoc belli incendium proximum Viennæ restinctum fuit. [6.]

Hibernârant in Austria aliquot legiones de Exercitu Cæsariano, præsertim in parte ejusdem supra Mainhardi montem legiones Colonellorum de Hannaw & Schleinitz Saxonicæ, quo tempore viæ & itinera à prædatoribus diu noctúque observata fuêre. Tunc temporis P. Camerarius cum allodiorum Magistro à Domino Abbate Viennam missus, inde aliquot privilegia Crembsium usque per navigium in Danubio attulerunt: sed ob vias adeò infestas prædonibus, uterque petiît à Colonello Schleinitz, qui ibidem diversorium hyemale habuit, liberum per equos ternos conductum, & obtinuit. Vix Stratzing oppidum attigerunt, currum suum invadere tentârunt tres equites (qui erant aurigæ dicti colonelli cogniti) sed à nostris præsidiariis verbis & minis deterriti. Idem contigisset illis ad pagum nostri Monasterii Schoenaw. Tandem 26. Martii salvi & tuti domum rediverunt. [7.]

Hìc placet aliquid narrare ad Catholici Lectoris gratiam. Crembsii prædictus Camerarius & allodiorum Magister obtinuerunt dictum quatuor equitum salvum conductum per dicti Colonelli pastorem suæ legionis: huic P. Camerarius & allodiorum præfectus gratias referre volentes ipsum accesserunt, qui civiliter eos excipiens, obtulit haustum vini ex poculo argenteo ab intus deaurato, ab extra verò circulus deauratus continebat ista verba: Mirifico JESU sanguine justificor. Ex quo biberunt omnes, qui aderant. [8.] Allodiorum verò Magister curiosior aliis quæsivit ex Pastore illo, quid ista tam sancta verba significarent. Qui attulit parvum flasconem argenteum ab extra per totum deauratum, & in medio poculi ipsum stabilivit, respondens; hoc poculum esse Calicem pro sanguine Christi dispensando in legione sua; quando autem essent in campis, & vinum plerumque abesset, tunc in illo flascone parvo semper vinum secum ferret, nè calix sanguinis Christi deficeret.

Hæ duæ legiones colonellorum de Hannaw & Schleinitz 14. Aprilis ex hybernis evocatæ abiêrunt ad Generalem Gallasium ad exercitum Cæsarianum; & Calenbergius quoque cum legione sua Znoymam versùs perrexit, & in Haslawe Monasterii pago divertit per noctem, ad quem D. Abbas noster exiens & equellum suum novô ephip-

ephippiô ornatum illi offerens, pro ſubditorum commiſeratione rogavit.

Viennæ peſtis graſſari cæperat, unde Imperator cum aula ſe Lincium contulit, & ibi ob auram meliorem conſedit; ſed Ebersdorfii, Mansdorfii, in Schwechet, & in Nova Civitate illa ſerpit: quare aliquot domus ibi clauſæ & obſignatæ ſunt. [9.]

Olomutium menſe Novembri Noſtri per inſultum tentârunt, ſed hoſtes Sueci intus ſulphure, pice, ſtramine incenſo, & muricibus malleolíſque Noſtris magnum damnum attulerunt, ità ut ad nongentos milites perdiderimus. [10.]

Novum Molendinum ad Monaſterium Zwetlenſe ſpectans 24. Auguſti de nocte incendiô periît, officina molæ unà cum molaribus planè in cineres redacta, domûs tantùm molitoris contignatio ſuperior ope magna ſervata fuit, incenſum ſtudiô à malo homine conjectatur. Hoc quidem Molendinum D. Abbas reædificare cæpit, ſed non ob mortem ſuam conſummare potuit. Inter hoſpites Religioſos noſtros, qui omnes præter unum P. Chriſtophorum Sprenger Profeſſum Lucellenſem in Alſatia dimiſſi ſunt, revocatus ab Abbate ſuo P. Caſparus Liebichin Profeſſus Henrichovienſis, Sileſiam ſuam repetere voluit, ſed hyeme iter impediente ſub 3. Decembris aliquamdiu in Gmünd Parochialia adminiſtravit ejus loci Parochô infirmô & demum mortuô: qui deinde Abbas ſui Monaſterii factus eſt. In Conventu verò noſtro Profeſſi Sacerdotes duodecim, non Sacerdotes quatuor, Novitii quatuor, Converſi duo, in univerſum viginti duo remanſerunt.

ADDITIONES.

*[1.] Theatrum Europæum hoc annô.
[2.] Idem.
[3.] Georg. Eggs in Pontificiô Doctô. Joann. Palatius in vitis Pontif. ſub Urbano VIII. n. 16. „ Cum bello Parmenſi „ emiſit animam Urbanus VIII. Nam poſt firmatam pacem Kal. Maij, 1644. obiît eodem anno, die Veneris 29. Julii, annô ætatis 77. Vir fuit magni ingenii, prudens, humaniſſimus. Sepultus eſt in Baſilica Vaticana tumulô, quem ſibi vivens ad eccleſiæ abſidem juxta Pauli III. ſepulchrum ſplendidè extruxerat, Bernino auctore.

Item in Innocentio X. ſub n. 1. & 2. „ Bicchio ergo, & nonnullis Gallis ſolummodo contradicentibus, in Pontificem eligitur Card. Pamphilius die 14. Septembris, aſſumpto nomine Innocentii X. nummóque percuſſo: Replevit Orbem terrarum. Columba ſcilicet Spiritûs Sancti, quam cuſam habes in nummiſmate 13. pag. 589. & quia feſtum recurrebat Exaltationis S. Crucis, aliud percuſſit nummiſma, in quo Crux cum epigraphe: Fructum ſuum dedit in tempore. n. 18. Concordat S. Malachiæ vaticinium, Exaltatio S. Crucis. Ad B. Virginem, quam à teneris coluerat Innocentius, tandem confugiens, tertium nummum percuſſit, cum epigraphe, Unde venit auxilium mihi. „ n. 1. Cultum hunc ſervavit uſque ad ultimam vitæ periodum, preces ſolvendo quotidianô tributô.

„ Fuit Innocentius ſtaturæ proceræ, validis ornatus viribus, naturâ igneâ, ardenti, virili, ac magnanimo pectore, cultúque ad majeſtatem, & ferè ſeveritatem compoſito: frontem habuit rugoſam, amplam, oculos ſubalbos, barbam raram, & colore ſanguineo genas ſubrubentes. Ejus electionem laudârunt Principes: ob ejus illuſtres virtutes, Juſtitiam, Conſtantiam, Prudentiam, ac Zelum nominis Eccleſiaſtici, & ad maxima quæque negotia capaciſſimum. Literatorum amator, veritatis ſollicitus, in rebus agendis conſtans atque magnanimus in ſpem maximam excitabat. Nanius. - - - - Poſtquam ergo primis Pontificatûs ſui diebus, magna ſuæ humanitatis, prudentiæ & religionis experimenta dediſſet Innocentius in omnibus excipiendis, & negotiis pertractandis, die 4. Octob. S. Franciſco ſacrâ, decimâ octavâ ab electione, de more coronatur ad ſcalas Vaticanæ Baſilicæ à Carolo Cardin. Mediceo. Lateranum adiit 24. Novembris & Deiparæ ſuam referens electionem olim ei prædictam à B. Fœlice Cantalitio Capuci-

„ pucino, assumpsit pro symbolo, Da servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. In ejus honorem erecti fuerunt à Senatu, Populóque Romano arcus symbolis, statuis, honorem referentibus, atque lætitiam.

[4. & 5.] Ex Annotationibus.

[6.] Wassenbergius in Appendice hoc anno.

Pax hæc solùm hoc anno quæsita & primò sequenti obtenta fuit, ùt habent Theatrum Europæum & Ortelius Redivivus ad annum sequentem.

Placet hìc afferre Manifestum, quod Ragoczius ante quæsitam pacem dedit hoc annô ad Magnates Hungariæ sequentis tenoris:

Georgius Ragoczy Dei gratiâ Princeps Transylvaniæ, partium regni Hungariæ Dominus & Siculorum Comes.

Prudentes & circumspecti Domini nobis dilecti salutem & favorem nostrum. Quàm chara & laudabilis apud omnes sit libertas animæ & corporis satìs patet ex multis exemplis nec longè verbis scriptísve probandum est, siquidem hoc ipsum partes Occidentales satis demonstrant, dum lachrymis suum miserum statum deflent, & multis partas laboribus res familiares multo sudore in pristinum statum reponere conantur. In Hispania, Lusitania & Catalonia populus non solùm pro animæ sed etiam corporis libertate bella gerit, prout DD. VV. notum erit. Mei Patriotæ tota nimirum Natio Hungarica, magnam pro hac una tuenda effuderunt sanguinis copiam, utì plurima sunt exempla, maximè ab anno 1619. de tot violentiis ortis in patria nostra, de quibus plurimæ extant literæ querelis plenæ, nos admonentes per statum non solummodo Evangelicum, verùm etiam Catholicum, de majori violentia & tandem aliquando matura huic malo adferenda medela, ne in tantum libertas patriæ nostræ debilitetur, ut absque ea posteritas nostra vivere cogatur, à primariis regni directoribus nobis significatum est, quod status Ecclesiasticus regnum hæreditarium domui Austriacæ facere desideret, insuper & seculares, qui ejusdem sunt Religionis, prædominari volunt, libertatem animæ & corporis opprimentes. Sciunt DD. VV. quàm variæ deponantur querelæ de talibus, etiam inviti illud fateri poterunt & testari, quoties à veris hæredibus bona alienantur, in confiniis primaria officia sibimet ipsis conferunt, Prærogativam statûs è manibus sæcularium eripere desiderant, insuper quid dicendum de proventuum abusu, confinium defectibus, quale damnum hinc in patriam nostram redundare poterit? quàm artificiosè & astutè se intruserunt Jesuitæ in patriam nostram, sed non absque patriæ & libertatis detrimento, Religionis Evangelicæ omni ex parte oppressione, in confiniis quomodo Patroni molestentur, sciunt DD. VV. Vivit defactò quoque Præsul aliquis statûs Ecclesiastici, à quo authoritate Romani Imperatoris nobis denunciatum est, quod ex voluntate Cæs. Maj. omnia bona, quæ inscripta in Ungaria habemus, in perpetuum conferantur, & major clementia adhuc conferenda sit, econtrà annuere deberemus, ut Domui Austriacæ hæreditaria sit Regni Hungarici Corona; vetat autem conscientia & nationis nostræ amor quo, erga dilectissimam Patriam nostram ferimur, quò minùs in hoc consensum præbere potuerimus; obstat prætereà libertas, quam fovere & tueri decet Principem Hungariæ; authoritas Palatini in tantum debilitata est, ut suô officiô nomine solùm fungatur, non reipsâ; siquidem utilitatem regni sæpiùs promovere studet, at frustrà agit propter nimiam contradictionem, quà impeditur potentia illius ratione officii. In Comitiis habitis Annô 1638. Status Evangelicus tam privatim quàm publicè multas instantias proposuit, quibus variis gravaminibus liberari rogabat, quid magnis frustrà factis expensis effecerit notum est. Quale Decretum dederit Sua Majestas in specie statui Evangelico, ut multæ ecclesiæ expulsis inde ministris eis ereptæ sint, multum temporis ad hoc declarandum necessarium foret. Si velimus aspicere vulnera libertatis corpori nostro illata videbimus quòd officia Evangelicis non conferantur, ipsi non promoveantur, vel si promoventur, nullum respectum aut fidem apud Catholicos habeant, & quamvis huic aliive officio laudabiliter præsint, tamen in una vel altera re eis nocetur, quod sæpiùs factum est præsertim ei qui justam causam obtinens propter contradictionem in periculo vitæ suæ fuit.

Communis læsio 13. Comitatuum Annô 1640. 1641. 1643. accidit, dum varia apud suam Cæsaream Majestatem & Hungariæ Palatinum sollicitabant, legati autem turpibus increpationibus & indignis dicteriis remissi sunt, utì DD. VV. propè notum est, hoc autem non absque adversa voluntate cognovimus, conscientiâ ducti, & honore DEO debito, Patriæque nostræ; urget etiam Nationis libertas & amor. Status Evangelicus, & ex Catholicis etiam propter conscientiam & salutem nostram nos coëgit, ut ad defensionem libertatis arma caperemus.

Hanc Patriæ ruinam & Nationis oppressionem æqui consulere, & otiosis oculis contemplari

templari

templari non potuimus, omnia enim probavimus, ut mediis privatis & pacificis huic malo medelam adferremus; imò non adeò diu D. Joannes Kery in legatione Suæ Majestatis ad nos missus fuit, per quem quale responsum qualésque instantias Suæ Majestati transmiserimus, quibúsque in oblationibus fuerimus, ex copia relationis ad Suam Majestatem datæ DD. VV. intelligent.

DEum testem invocamus, qui cordium est scrutator, nos non ob privatam malitiam & injuriæ illatæ vindictam, neque Religionis mutationem sive fidei oppressionem & extirpationem arma sumpsisse, sed ut Statuta Regni pristino restitueremus vigori, itaque procedemus, ut unusquisque secundùm suam conscientiam absque pavore confiteri poterit, corporis libertas tueatur, tutéque omnes vivere possint; quia animæ cognitio, non hominis, sed solius DEI est. Quare cùm tot incommoda & impedimenta hucusque nos detinuerint, illa à DEO remota, & extraneorum corda ad nos commota sint, credimus divinum adesse beneplacitum & ordinationem, ut ipsius honorem Patriæque Libertatem defendamus; hoc enim non DEI, sed hominis est. Credimus præterea absque diffidentia, quòd DEus nos desiderando benedicet, & felici coronabit exitu. DD. VV. proptereà amicè rogamus, admonentes eas, ut considerent, quod ex tranquillo Regimine & quieta Patria ad petitionem & utilitatem nostram bellum inceperimus. DD. VV. juvent præsens negotium, ut DEO placeat, ipsis & Patriæ utile sit, hoc faciendo ostendent, erga DEum, Evangelicam Religionem, Patriæ libertatem, ferventem amorem. Post litteras lectas mittant ad me quam primùm viros suos peritos, qui concordent Nostræ opinioni, & huic nostro principio faveant. Assecuramus omnes Status bona fide Christiana, nullam reformationem fidei faciemus, neque oppressionem, neque libertates in dilectissima Patria nostra turbabimus, sed secundùm beneplacitum DD. VV. eam augebimus, ut in pace & tranquillitate DD. VV. vivere possint. Nullus sollicitus sit, ex iis, qui nos offenderunt, incidenter nobiscum egerunt, & aliquo facto personam nostram læserunt, quòd hujus vindictam sive de præsenti, sive futuro sumere velimus; sed omnia perpetuæ oblivioni trademus, quasi nunquam factum esset; monemus autem omnes Regni incolas, ne relictis domibus & bonis fugâ in alienas terras se salvent; nam si tales inveniantur (quod non putamus) illorum bona, si occupata fuerint, sibi imputent.

Si verò DD. VV. contra hoc egerint, quòd tamen non speramus, protestamur DEum & SS. Angelos, si aliquod damnum passi fuerint, non nos causa erimus; cogemúrque majus auxilium militum advocare & optare nostro potentissimo Imperatori, ut si DD. VV. se non accommodaverint, erga nos & Patriæ libertates recuperandas ipse se importunum ostendat, quod tamen non existimamus fore opus.

Potentissimus omniúmque cordium Judex commoveat, & regat corda, cogitationes vestras & affectiones, ut unusquisque tollat è corde suo omnis generis respectus & privatum commodum, juvet hoc sanctum opus & desiderium, ut nos cum posteritate usque ad mundi finem lætari & exultare possimus in animæ & corporis libertatem. Datum in nostra arce Kallloviensi die 17. Febr. Anno 1644.

Earundem Prudentum & Circumspectar. DD. VV. Benevolus

Georgius Ragoczy.

Ita ad litteram ex Monumentis Monasterii nostri.

Ortelius Redivivus ad hunc annum; & Theatrum Europæum referunt Transumptum Germanicum.

[7. & 8.] Ex annotationibus Compilatoris nostri.

[9. & 10.] Ex Relationibus & Annotationibus ubi suprà.

Videatur Theatrum Europæum ad hunc annum de hac ex parte nostra infelici obsidione Olomucensi.

Annus Christi MDCXLV. Monasterii DVII.

Pont. Rom.	*Imp. Rom.*	*Archi-Dux Austriæ*
Innocentius X.	Ferdinandus III.	Idem.

Episcopus Pataviensis	*Abbas Zwetlensis*
Leopoldus II.	Georgius II.

IMperator exercitu suo completo Gallasium ad Magdeburgum obsessum à Torstensohnio liberare volens, constituit Generalissimum fratrem suum Archiducem Leopoldum Gullielmum, qui in Bohemia militum delectum instituit, & ad-

& adventantem Suecum excipere constituit; Gallasius autem liberatus cum Hazfeldio se conjungens, cum suis ad Archiducem se contulit. Cæsariani ita armati, & superiores equitatu fermè tribus millibus, peditatu tamen æquales, hosti circa Janckaw tribus millibus passuum à Tabore Bohemiæ situm Suecis obviam venerunt; sed quia locus circumquaque montosus erat, uterque exercitus in plano prælium inire non potuit. Unde Torstensohnius primam nostratium stationem in colle positam invasit, & à tergo collis in nemore suos abscondit. Sed à Cæsarianis ita exceptus fuit, ut amissis tribus tormentis loco cedere debuerit, Campi-Mareschallô Götziô ex parte nostra amissô.

Sequenti verò die, quæ erat 6. Martii, rursum uterque exercitus congreditur, & acerrimum committitur prælium ab hora octava matutina durans usque ad quartam vespertinam, in quo nostri primùm victores, prædæ se protinus tradiderunt, quod Torstensohnius videns, suos recolligens, & tormentis in prædatores fulminans, eos dispersos in fugam vertit, quater mille gregarios occidit, & plurimos cepit; inter captivos præcipui fuerunt Hatzfeldius Campi-Mareschallus; Generales Locum-tenentes Mercy, & Comes Bruay; tres Generales Vigiliarum Magistri Zaradezky, Don Felix, & Trauditsch; septem Colonelli legionum; duodecim supremi Locum-tenentes, sex supremi Vigiliarum-Magistri, viginti Magistri equitum, 23. Capitanei, & decem eorum Locum-tenentes, minores tales 58., viginti quatuor signiferi, & 27. vexilliferi, & plures alii officiales. Hostes præterea obtinuerunt quadraginta quinque vexilla, triginta duo signa equitum, viginti sex tormenta bellica cum curribus necessariis. Commeatûs verò currus partim Tabore relicti, partim Budvicium missi à Cæsarianis, hostium manus evaserunt. * [1.]

Victoriâ obtentâ Torstensohnius missis aliquot legionibus Novam-Domum versùs, rectà cum reliquo exercitu Iglaviam petiît, tormentis mœnia ejus verberavit, & deditione accepit; deinde Ledetzium combussit, Teutschenbrodam spoliavit, sicut & Pilgramum. Nostri intereà partim in fugâ Pragam, partim Iglaviam, partim Austriam petiêre, quorum quater mille ultra Danubium diversoria sua quæsiêrunt. Comes autem de Wallenstain hoc audiens, obsidionem Olomucensem solvit, cum suis se conferens Brunnam. Interea Cæsar Viennam Ratisbonâ rediens, partes Danubii muniri curavit ante Urbem, & milites recolligi jussit. [2.]

Currus, aliáque impedimenta nostrorum ante prælium in Austriam inferiorem per Budvicium dimissa sunt, qui 16. Martii in pagis Monasterii Zwetlensis, & aliorum in circuitu diverterunt. Sed cùm horum curruum præfecti ignari eventûs prælii commissi ubique, quid actùm esset, explorârent, neque Judex Civitatis Zwetlensis ipsos intra mœnia admittere nec audire vellet, ipsi venerunt ad Monasterium, & qui procul distabant, Patri Camerario scripserunt, quid ille audivisset, quæ pars de prælio victoriam reportâsset, significaret. Verùm ipse ex diverso rumore nihil certi ipsis referre valens, tabellarium Monasterii ordinarium Zlabingam in confine Moraviæ oppidum quàm primùm misit, qui à Veredariorum Præfecto tale responsum retulit: Victores Suecos, nostros fugatos esse, ceterùm se herì à manipulo equitum sat forti Suecorum extra mœnia oppidi cum promissa securitate evocatum, & ex se quæsitum fuisse, diceret, ubinam Cæsarianorum currus, impedimentáque alia errarent, qua via fugissent, cùm ejusmodi nova cuncta ad ipsum deferrentur, respondisse: Mirari se, quòd ab ipso talia peterent, cùm eos non lateret, omnes vias Pragam versùs (unde

de ille nova per suos Viennam, & hinc inde acciperet, & redderet) præclusas esse, nec quicquam se pro tempestate tali scire posse. Ad quæ illi: se jam currus abductos invenire velle, ubi laterent, & ipso dimisso abiêrunt.

Hæc ubi 17. Martii nocte oretenus accepisset dictus Religiosus, protinus in Grädnitz pagum cum litteris suis eundem tabellarium direxit, ubi unus Præfectorum prædictorum curruum diverterat, ut ceteris suis collegis quoque verba tabellarii litterásque suas transmitteret, nè culpa in illum, cui tunc Monasterii cura commissa fuerat, derivaretur, si in salvum currus suos deducere nollent. Spectabant autem currus ad legiones Glenii, Palevicini, Pompeji, aliorúmque Cæsarianæ militiæ Ducum.

Hæc in intempesta nocte percipientes, luce sequente, 18. Martii protinus Crembsium versùs per diversas vias volantes potiùs quàm currentes descenderunt, adeò festinantes, ut in nonnullis pagis currus aliquot reculis onustos timore quasi hostis jam à tergo instantis perculsi dimitterent, equis tantùm solutis, secúmque abreptis. Crembsii autem pars illorum Corneoburgum deorsum, pars Spitzium sursum missi sunt: qui deorsum venerunt, trans Danubium vecti sunt, qui sursum, in littore Danubii ab aliquot equitum manipulis custoditi manserunt. [3.]

Dùm hæc ità se habent, tunc D. Abbas Zwetlensis Viennæ existens scribit & præcipit P. Camerario, ut portam majorem post Conventum terrâ compleri; ad januam verò minorem hortuli gerras poni: portam ad Campium clausam ab intus muniri, majorésque portas semper custodiri, januam etiam ad balneum per murarium occludi curaret; claves tam de nocte, quàm sub refectione utraque apud se retineret. &c.

Interea noster ex fuga miles, præsertim eques in Austria sicut in hostium regione, ubique spolia faciebat, uti Præfectus noster in Weinzierl scribit, 400. equites non tantùm suburbia Crembsensia, sed etiam prædium in Weinzierl Zwetlense cum pago adjacente spoliârunt, Cammern idem sensit; cùm Præfectus ejusdem cum uxore & liberis Danubiô superatô ad S. Yppolitum se contulit, Strätzing, Lengenfeld & Trofs similiter evacuatà fuêre. P. Camerarius etiam proprium Viennam nuntium direxit, quid cum Conventu agendum à Domino Abbate petiit; sed responsum accepit, non ita statim Conventum dimittendum, qui difficulter revocaretur, neque etiam Geracenses aut Perneccenses jam fugam iniisse; sed adhuc domi manere constantes.

Intereà Decretum ab Excelso Regimine Domino Colonello à Pröfing in Rastenberg missum, quo ille in civitate Zwetlensi tanquam Commendans manere jussus est; verùm illud civibus misit, & dixit, vel Viennenses vel Zwetlenses, si talia petiêrint, stultescere, se nimirum sinè milite, sinè commeatu, sinè armis nihil efficere posse, qualis ergo Commendans esset. Nec acceptavit.

Nuntio uno post alterùm de hostium in Austriam irruptione veniente Conventus Zwetlensis P. Camerarium adiit, petens dimitti; alioquin si unus, aut alter ab hoste caperetur, & lytrô redimendus esset; tunc culpam omnem in eum conjicere vellet. Qui licèt se cum D. Abbatis mandato excusaret, quòd non auderet, illo instante, periculum manifestum adesse, dimisit sex Professos & quatuor Novitios, qui omnes sub noctis crepusculo 20. Martii Crembsium abiêrant, & inde præter duos aut tres Viennam ad D. Abbatem perrexerunt, qui eos ulteriùs direxit.

Sueci itaque sub Mareschallo suo Leonardo Torstensohn irruperunt in Austriam mense Martio post infelicem pugnam inter ipsos & Cæsarianos non pro-

procul à Tabor ad Janckaw commissam, exeuntes de Bohemia per Pulkam, Schrattenthallum & Rhetium, occupatâ inprimis Novâ-Domô, Iglaviâ, & Znoymâ: deinde locis omnibus hinc inde sibi traditis & tributariis factis, per regiam viam Longum-Loysium petiêrunt, præsertim qui per Hornam descenderunt. Missis levis armaturæ equitibus per montes & nemora in Wachaugeam, Spitzii ad Danubium curruum Cæsarianorum aliquot millia spoliârunt, præsidiô partim cæsô, partim in Danubium fugatô. Captis etiam subitò Tirenstaina, & unâ ex tripoli, Stainâ, Crembsium ab hac civitate tormentis oppugnare cœperunt: Torstensohnius autem cum exercitu inter vinitores ad ripam Danubii urbem aggressus est, qui in grangia Monasterii nostri permansit. Tandem post aliquot assultus perditos, Capitaneus Rampftius, qui cum præsidio in urbe erat, septima die pactis priùs suis militúmque rebus & discessu libero, civitatem tradidit. [4.] Missis interea ferè ducentis levis armaturæ equitibus Zwetlam versùs, castris Rastbachiô & Rastenbergâ, hoc à Domino de Pröfing relictô, altero à Buchaimio, qui Crembsium fugerat, traditô, vigesimâ sextâ Martii per traditionem civitatem Zwetlam, & Monasterium, inde fugientibus Religiosis, occupârunt. Erat autem hic in sylva districtus in recompensationem à Mareschallo suo supremo Epistathmo seu Quartiriorum Magistro donatus, qui Conradus à Mosberg vocabatur. Cui tamen, Cæsarianis succurrentibus sese opposuerunt Rapottenstainii, Weitracenses, & Waidhofienses: quibus ille, nisi in certa pecuniæ summa secum convenirent, extrema minatus fuit.

Occupatâ Zwetlâ, omnes abstulit equos, deinde aliquoties Monasteriô spoliatô, una vice à Suecis, & aliis vicibus à Cæsarianis de Kunigswisen, Grätio Bohemico, Waidhofen, & Rapottenstaina sexies fermè, singulis locis pecuniæ certam summam solvendam pro liberatione ab incendio imposuit. Nihil quidem igne combussit præter Schickonis curiam, (Schicken-hof) quæ ad Pachmayr tunc spectabat, quæ dicebant se fecisse in exemplum Monasterio & aliis, qui se redimere pecuniâ nolebant. Obtentô Crembsiô & munitô aggeribus & munimentis, præsidióque forti relicto, & etiam priùs vi occupatô Grafeneccio, ante quam arcem multos perdidit, sicut etiam ante Crembsium, præsertim Colonellos, descendit per campos patentes, juxta Danubium omnes vicos, castella, oppida, circùm in deditionem accepit, sicut etiam Stockerau cum arce Graitzenstain, & Corneoburgum obtinuit, deinde ad pontes usque Viennenses accurrit, & munimentô vacuô milite occupatô, pontes ex parte dejectos, penitus tormentorum globis dejicere conatus fuit, sed frustrà: interea nostri in littore adverso tormentis bellicis hostes se munientes impedire laborârunt, donec tumultuaria manu excitati aggeres aliquot & munimenta castrorum, continuis diu noctúque tonitruis sese opposuerunt.

Torstensohnius autem interea juxta Schwechet & Posonium transitum per Danubium tentabat, à nostris & Ungaris tamen semper repulsus fuit. Relictô ad pontes præsidiô, in Campos Marchiæ erumpens Velspurgam, Mareccium, Nicolspurgam, Wilffersdorfium, Falckenstainam, & Laam cum exercitu per deditionem accepit. Solum castrum Statz dictum ipsius non accepit præsidium. Interea collecto milite, peditatu quidem Nusdorffii navibus imposito, & infra pontes Viennenses equitatu transmisso, quocum ante castra sua Sueci concurrerunt, vallô è navibus subitò occupatô, castra ceperunt, & omnes captivos obtinuerunt, qui plerumque antea à parte Cæsaris steterunt, sed capti signa sequi Suecica coacti fuerunt, hi ferè omnes ad partes Cæsaris rediê-

redièrunt, Suecis militibus in vincula conjectis.

Torstensohnius autem hac subjugata Austria cisdanubiana ad Brunam Moraviæ obsidendam animum adjecit, quæ jam semel ante annos duos ipsum ab obsidione sua cum ignominia rejecerat. Integro igitur suo exercitu eam protinus circumvallat, aggeres, valla, fossas excitat, tormenta desuper plantat, continuis tonitruis mœnia Spilbergæ & Civitatis Brunensis verberat, simul etiam cuniculis agit subterraneis ad eversionem murorum, turres dejicit, & assultus factâ viâ frequentes adhibet, nihil denique ad occupandam urbem intentatum relinquit: verùm tanta ipsi animorum alacritate respondetur de castro & urbe, ut omnes ipsius hostiles conatus in nihilum recidant, multos suorum perdat, & vires suas minuat; ita fermè duobus mensibus Julio & Augusto ad mœnia Brunæ hæsit. Demum cùm oleum & operam perdere se videret, & Ragoczicum auxilium desperaret; interea autem Archidux militem colligeret, cum omnes obsessos diabolos nominâsset, séque cum ipsis nihil efficere posse fateretur, soluta obsidione Znoymam abiit, & inde cum exercitu Laam se contulit, ibi ad illam munitam castra sua locare: nihilominus ad Hornam usquè aliquot millia equitum levis armaturæ emisit, explorantes, ubi Cæsariani lateant, qui non procul indè se ipsis præsentârunt.

Dum discedit Torstensohnius Brunâ, pax cum Ragoczio tractatur & conficitur; & Viennæ Te Deum laudamus decantatur, Ragoczius aliquot millia militum Archiduci & duo majora tormenta bellica tradidit. Unde Archidux Leopoldus Wilhelmus contra Suecos tunc 25. millibus virorum movet: dicitur Mellicense Monasterium attigisse, ubi per navalem pontem Danubium trajicere cogitat, & Zwetlæ ipse manere. Interea manipulus ad centum Suecorum, 2. Septembris Crembsiô abierunt, unúmque pagum Künigsbach incenderunt, in quo Vulcanus octo devoravit domos, deinde in Fridersрach pecora abduxerunt, & Ottenstainam, Waldreichs, & Dobram petiêrunt, & per silvam Gsellensem, Crembsium repetierunt. Ex Altenburgo nuntiatum etiam fuit, quod ad triginta equites tentârunt Monasterium exspoliare ad S. Bernardum, sed cùm se defenderent, unum ex ipsis globô trajecisse, qui huc venientes Zwetlam civitatem, & inde Schweickers petentes domum redièrunt. Intereà rursum subditis de Grädnitz ad 21. boves de nocte rapuerunt, quorum aliquot receperunt. Eodem mense aliquot centeni equites ad Waidhofen de Horn excurrerunt, & ferme Supremum Capitaneum de Rapottenstain cum Tierenzio & Schitter, qui ad Monterschier perexerant, cepissent. [5.]

Vigesimâ sextâ Martii, quæ erat Dominica quarta Quadragesimæ, Lætare, dicta, cùm circa octavam matutinam Sueci ab obsessa civitate Crembsensi, ubi Torstensohnius cum exercitu suo castra metatus erat, casu ascendentes manipulatim septuaginta equitum, priùs de nocte Rastenbergâ castrô spoliatô, civitatem Zwetlensem peterent, & cives sese tradidissent, nuntio uno post alterum in Monasterium veniente, Religiosósque residuos monerent hostem adesse, ut fugerent; sic duobus sacris habitis P. Christophorus Sprenger, Prior, P. Bernardus Reich, Granarius, P. Malachias Linck, Camerarius & Cellerarius, & P. Adalbertus Lincke, silvarum Præfectus, coacti ob hostem vicinum & ipsi in dispersionem ire, ea die in silva ad Haslawe latitârunt, donec de Monasterio occupato notitiam aliquam haberent; per litteras autem ab Andrea Immelio caupone in superiore curia, seculari homine (cui tunc in exitu nostro Monasterii cura demandata fuerat) informati: quòd Suecus

quidem præter raptos equos, nihil incommodi adhuc Monasterio intulisset; minatum tamen esse, se in reditu suo fore duriorem: nocte sequente iter suum primùm in Superiorem Austriam, deinde in Stiriam ad Cellam B. Virginis, & Muræ-pontum ad D. Præpositum Teinacensem Carinthiæ adornârunt, & usque ad 29. Aprilis ibidem simul manserunt, quâ P. Prior & P. Granarius Viennam ad Dominum Abbatem valde infirmum abiêrunt, ego autem primâ Maji Salisburgum abiens primâ Augusti per Passaviam & Lincium rursum domum in Monasterium deveni; P. Adalbertus verò à Rhunensi Abbate in Monasterium pro hospite susceptus fuit.

Decima Septima Maji fatalis erat Monasterio jam spoliato & viduato: D. enim Georgius Nivardus Koweindl, Abbas Zwetlensis hac die Viennæ in domo Zwetlensi, ubi à Martio Mense sub cura Medicorum fuit, totus confectus ex phthisi, in Domino piè obiît omnibus Sacramentis morituris dari solitis antè provisus. Qui bonus œconomus sex annos minùs uno mense Abbas extitit in turbulentissimo belli Suecici tempore, in quo binis vicibus fugam meditari, & altera vice etiam inire coacti fuimus. Dormitorium in conventu à D. Martino Abbate ipsius Antecessore piæ memoriæ inchoatum ipse perfecit, hypocausto Conventuali comuni, cum Novitiatu, & Camera ejusdem, item Vestiario, aliisque Officialium cellis, & egregio atrio ante Conventûs hypocaustum, item portalibus ex lapide Egenburgensi tam ante dictum hypocaustum, quàm in claustro in introitu Dormitorii exornans adjecit. His & aliis structuris plures, nisi mors & bellum ipsum impediissent, addidisset. In substantia Monasterii, privilegiis in secura loca deportandis valde laboravit; cum vicinis Dominis multas lites de alienatis bonis fundatis habuit, & nisi tempora tam mala fuissent, aliquot bona recuperâsset, ùt villam Ossarn, prædium Neünzen, & alia: decimas Crembsenses, ubi etiam inter vinitores prædium dictum Weinzierl soluta quadam certa pecuniæ summa à Raphan redemit, & reædificari ferè destructum curavit. Congregationem antiquam in Räsingensi Sacello de septem doloribus, vel de Compassione B. Mariæ Virginis ferme oblivione sepultam rursum suscitavit, libellô factô ad memoriam revocans, & Romæ, ut Archifraternitati S. Mariæ de Planctu incorporaretur, ejusdémque gratiis, indultis & privilegiis gauderet, effecit, simul plenarias Indulgentias pro peregrinantibus illuc obtinuit, & pro Monasterio ad Sacellum S. Trinitatis, ubi etiam novam tabulam pingi curavit, Altare Privilegiatum ab Urbano VIII. PP. consecutus est. His & aliis rebus gestis Monasterio multùm profuit, & meliùs profuisset, si tempora meliora fuissent. Corpus ipsius exanime in curru pensili extra Urbem eductum, & ante portam Carinthianam apud PP. Paulanos in sarcophagum depositum in Sanctæ Crucis Monasterium deportatum, ad sinistram altaris summi ibidem in templo solenniter tumulatum fuit, præsentibus P. Christophoro Priore, P. Ferdinando, P. Bernardo, P. Nicolao, P. Simone, P. Leonardo, & F. Edmundo. Sepelivit eum D. Michaël Abbas S. Crucis, & Visitator, concionem funebrem P. Prior S. Crucis fecit. Ita in aliena Ordinis nostri Domo sepeliri debuit; cùm Monasterium Zwetlense sub Suecis esset.

Secundâ Decembris scripsit Patri Malachiæ D. Michaël Abbas S. Crucis & Visitator, & constituit eum universarum rerum temporalium Monasterii Administratorem, & P. Christophoro Priori in Spiritualibus curam commisit; addidit autem P. Malachiæ D. Tobiam Zeller Allodiorum Magistrum col-

collegam: & promisit Decretum ab Excelso Regimine mittere. Hucusque Compilator noster, qui defuncto D. Georgio Nivardo in Abbatiali dignitate sequenti anno, 23. Septembris successit, & 8. Octobris Infula insignitus est, cum quo & nos huic qualicunque labori coronidem imponimus ad

M. D. Gloriam & B. V. M. singularis Protectricis Ordinis nostri honorem.

ADDITIONES.

*[1.] Wassenbergius in Additione sua prima.
Item Theatrum Europæum hoc anno.
[2.] Wassenbergius ubi suprà.
[3.] Ex Annotationibus Compilatoris.
[4.] Item Wassenbergius & Theatrum cit. loco.
[5.] Ex Annotationibus Compilatoris.

Habes hìc Lector Benevole binos Annalium Clara-Vallensium Tomos, in quorum revisione cùm ad meliorem Grammatices combinationem, tum ad sensûs claritatem pleniorem apprime servandam omnem penè lapidem movimus; Si tamen nihilominus errores quosdam typographicos aut orthographicos, qui oculos fortè nostros subterfugerunt, in iisdem offenderis, eos per benignè excusare, ac Ingenii tui promptitudine emendare dignaberis.

FINIS.







